

ALPHONSI
TOSTATI
HISPANI,
ABVLENSIS
EPISCOPI.

Philosophi, Theologi, ac Pontificij Iuris Cæsareiç; consultissimi,
nec non linguae Græcæ, & Hebraicæ peritissimi,

O P E R V M

TOMI V. PARS II.

C O N T I N E N S

COMMENTARIA IN II. PARTEM IOSVE.

Nunc primum in Germania post Venetas impressiones diligentissimè in lucem edita.

PERMISSV

SUPERIORVM



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Ioannis Gymnici, & Antonij Hierati.
ANNO M. DC. XIII.

ПРИЧАСТИЕ
СВЯТОГО ПАМЯТНИКА
СВЯТОГО АЛЕКСАНДРА
СВЯТОГО АЛЕКСАНДРА
СВЯТОГО АЛЕКСАНДРА



ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS

COMMENTARIORVM IN LIBRVM IOSVE

PARS SECUNDA.

CAPUT XI.

VAE cùm audiisset Iabin rex Asor, misit ad Iobab regem Madon, & ad regem Semeron, atque ad regem Achsaph, ad reges quoq; Aquilonis, qui habitabant in montanis, & in planicie contra Meridiem Ceneroth, in campestribus quoq;, & regionibus Dor iuxta mare: Chananæum quoq; ab Oriente, & Occidente, & Amorrhaum atq; Hethæum, ac Pherezæum, & Iebuseum in montanis: Heuaum quoq; qui habitabat ad radices Hermon in terra Mapha. Egressiq; sunt omnes cum turmis suis, populus multus nimis, sicut arena, que est in littore maris, equi quoq;, & currus immensa multitudinis. Conuenerunt q; omnes reges isti in unum ad Aquas Meron, ut pugnarent contra Israël. Dixit q; Dominus ad Iosue: Ne timeas eos: cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israël, equos eorum subneruabis, & currus igne combures.

VAE cùm. Dicto suprà de pugna contra Reges duos, scil. regem Iericho, & Hay: & post de pugna contra Reges quinq; simul, & postea de quatuor regibus successiue, scil. Maceda, Lebna, Gazer, & Dabir. Hic ponitur de pugna contra 34. Et dividitur in duo: primò ponitur dicta debellatio: secundò quædam epilogatio, lequen. c. etima in duas, quia primò ponitur belli apparatus, secundò ipse conflictus, infra. Venit Iosue. Circa primum. Qua cùm audiisset Iabin. Hic ponitur incentiuum belli, sicut politum fuerat in regibus quinq; precedentibus. nam illi audierant, quod Gabaonitæ confœderati fuerant Israëlitæ, & tunc Adonisedech rex Ierusalem, quasi princeps inter illos quinque reges, conuocauit alios, ut irent contra Gabaon, ita cum Iabin rex Asor audiuit, quod isti reges deuicti, & suspensi essent ab Israëlitæ, moti sunt, ut pugnarent contra Israël, Iabin autem erat principalis inter alios reges, quia Asor olim tenuerat principatum inter omnia regna Chanaan, ut patet infra in litera, & iste conuocauit alios reges ad pugnandum contra Israël.

An iste rex Iabin, de quo hic fuerit ille, qui pugnabat contra Israël tempore Iudicum.

QUESTIO L

ET non est iste Iabin rex Asor, qui habuit principem exercitus sui Sisaram, contra quem pugnauerunt Israëlitæ tempore Iudicum, dum iudicaret Debora Israël, ut patet Iudic. 4.c. quia ille multo post tempore fuit, & de illo non legitur, quod fuit occisus ab Israël, sed solùm magister militie suæ Sisara. De hoc autem Iabin patet, quod occisus fuerit, quia sequenti c. inter reges occisos ab Israëlitæ, ponitur rex Asor unus, & iste est Iabin, qui nunc regnauit, & conuocauit reges hos. Itē patet hoc infra in litera, quia dicitur, quod Iosue cepit Asor, & regem eius occidit. De Asor dicendum est, quod sit triplex, quia quædam est in tribu Nephthali, ut patet infra 19. duæ aliae ciuitates dictæ Asor sunt in forte Iuda, quarum una vocatur Asor Noba, & alia est Asor, quæ alio nomine dicitur Ieson, ut patet infra 15. Ista tamē, quæ habetur hic est principia earum, quia tenuit principatum olim inter alia regna terræ Chanaan, ut patet infra, sed non patet, quæ sit de omnibus his tribus. Misit ad Iobab regem Madon. Iste rex Iabin misit ad hos reges, ut adiuuarent eum ad pugnandum contra Israël, ne-mo enim de regibus Chanaenæis solus audebat pugnare contra Israël, tum quia ipsi reges Chanaenæi singulariter erāt paruæ potentie, cùm quilibet eorum haberet vnicam ciuitatem, aut populum, Iudæi autem erant populus multis: tum quia videbant Chanaenæi Israëlitæ facientes terribilia. Non audebāt ergo contra eos pugnare, nisi valde multi essent simul, & sic fecit iste Iabin rex Asor. Conuocauit autem iste alios reges, quia ipse habebat aliquā præminentiam, vel principatū super ceteros, sicut dicitur infra, quod Asor antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat. Ad Iobab regem Madon. Aliqui putat istam Madon esse ciuitatem, quæ habetur suprà 3. c. vsq; ad quam videbatur intumescere Jordanis trâseuntibus Iudeis, scil. ab Edom vsq; ad locum, qui dicitur Sarthan. Sed non est eadem ciuitas, quia quanquam aliqui de nostris, qui non multum curant obseruare veritatem Scripturæ circa nomina propria locorum, vel personarum in Hebræo faciat idem nomen, tamen differt, quia illa ciuitas, de qua suprà 3.c. vocatur Adam, ista vero vocatur Madon. Ad regem Semeron, & regem Achsaph. Isti tres reges erant principales inter omnes, quos conuocauit Iabin, ideo ponuntur expressis nominibus suis, ceteri vero sub nomine cōmuni. Aliqui existimant regem Semeron esse regem Samariæ, quia in Hebræo talis ferè nominatio est, cùm litera Hebraica non dicat Samaria.

triplex
est ciuitas
Asor, si-
miles in
fræq;.

F

Madon
& E-
dom ci-
uitates
diffe-
runt.

A Sed dicendum esse falsum, quia in Hebreo differunt nomen huius vrbis, & nomen Samariae, quia pro Samaria dicitur Simon, pro ista ciuitate dicitur Semiron. Item non sunt idem, quia Samaria nondum facta erat hoc tempore, sed diuisio regno inter Israëlitas tempore Ieroboam, & Roboam facta est: nam Amri, qui erat de stirpe Ieroboam, emisit montem Samariae à Somer duobus talentis argenti, & intruxit ibi ciuitatem, vocauitq; eam Samariam, vt patet 3. Regum 16. Est ergo ista ciuitas multum differens, sed est Semeron ciuitas in fortē Zabulon, vt patet infra 19. c. Achsaph est in forte Aser, vt patet infra 19. & vtraque est Aquilonaris: magis tamen Achsaph, quia est in quinta forte. *Et ad reges quoq; Aquilonis.* Iste Iabin rex Asor habitauit versus Aquilonem: si sit Asor ciuitas, quae est in forte Nephthali, quae est contra Septentriōnēm: ideo misit ad conuicinōs reges, qui habitabant in terra Aquilonis. Etiam quia reges Meridiani erant vexati nimis à Iosue, septē enim eorum occiderat, scil. regem Iericho, Hay, & postea quinque, scil. reges Ierusalem, Lachis, Hebron, Eglon, Ierimoth. Occidit quoque tres alios reges, scil. regem Lebna, Macea, & Dabir, ita vt essent decem reges Meridiani occisi: reges autem Aquilonis nunc conueniunt, vt priorum vlciscerentur ruinas. *Qui habitabant in montanis.* Hic diuiditur terra Aquilonaris Chanaan in multis partibus, scilicet montanam, planam, & campestrem. Dicuntur habitare in montanis, qui in locis altissimis habitabant: nam multi reges istorum habebant ciuitates in collibus magis, vt infra patet. Est enim terra Chanaan ex parte plana, & ex parte montuosa, & in hoc differt ab Ægypto, secundūm quod declarat Moyses Israëlis, Deut. II. scilicet: Terra ad quam ingredieris possidēdam, non est sicut Ægyptus, de qua existi, vbi iacto semine in horrorum morem aquæ duciuntur irriguæ, sed montuosa est, & campestris, q. d. Ægyptus, quia tota plana est, irrigari potest flumine Nilo, & alijs fluminibus, terra autem Chanaan, quia montuosa est, non potest irrigari fluminibus interiectu montium. Sunt autem montes potissimum in terra Chanaan ad duo latera eius, scilicet Meridianum, & Aquilonare, quia à Meridiē est desertum Sin, & ascensionis Scorpionis, ab Aquilonare autem est mons Libanus, & Hermon, siue Sanir, vt patet Num. 34. Est etiam terra quædam plana in parte Aquilonari, scil. terra vallium, vel terra, quæ magnam habet planicem, licet inter colles non sit terra campestris vocatur illa, quæ non est montuosa, tamen non est totaliter plana, & sic apud Iordanem ponuntur duas mansiones Israëlitarum, quarum una dicitur esse in campestribus Moab, & alia in planioribus locis apud Iordanem, vt patet Num. 33. ergo terra plana dicit maiorem æqualitatem, quam terra campestris. *Et planicie contra Meridiē Ceneroth.* Hoc potest intelligi dupliciter: uno modo, quod conuocauit reges, qui erant in planicie Ceneroth contra Meridiē. Est Ceneroth nomen maris, existit autem in plano; & tunc erit sensus, quod reges qui sunt in planicie illa, in qua mare Ceneroth in circuitu maris illius conuocati sunt ad bellum. Alio modo est sensus, quod ille genitius Ceneroth non determinet istum ablaciūm planicie, sed istum accusatiūm Meridiē, & tunc est sensus, quod apud mare Ceneroth erat quædam magna planicies ex parte Meridianā maris illius, & reges, qui erant in planicie illa ad partem Meridianam Ceneroth conuocati sunt ad bellum, & non vocabitur tunc planicies ista Ceneroth, & ista est conuenientior sensus.

An mare Ceneroth sit mare mortuum, seu Sodoma.

Q V A S T I O II.

PONITVR hic Ceneroth, tanquam nomen maris, quod s̄pē nominatur in Scriptura, & istud postea vocatum est alijs nominibus: non est enim mare magnum oceanum, nec mare Mediterraneum, quod more Scripturæ vocatur mare magnum, & mare Palestinarum, vel mare Occidentale, quia est in Occidentali parte claudens terram Chanaan, & tangēs terram Philistinorum: sed est quidam lacus magnus valde, & more Hebraicæ locutionis vocatur mare. Ideo in Euangeliō aliquando vocatur stagnum, & est illud quod vocatur stagnum Genesareth: postea autem vocatum est mare Tiberiadis: nam mare istud nomen assumpsit à quadam ciuitate, quæ

est apud ipsum, quæ vocatur Ceneroth. Postea vocata est Tiberias à Tiberio Imperatore Romanorum, sub cuius tempore, scilicet anno 18. Christus passus est. De his magis dicitur Num. 34. & dictum est supra 3. Aliqui autem putant, istud mare Ceneroth esse mare, quod vocatur mortuum, vel salissimum. Sed falsum est, quia mare mortuum est mare in valle Sodomorum, quod est apud confinia lateris Meridiani, & Orientalis terræ Chanaan: mare autem Ceneroth est in late re Orientali terræ eiusdem, sed declinat versus latus Septentrionale. Item in mari Ceneroth, quod nunc vocatur mare Tiberiadis, vel stagnum Genesareth sunt pisces multi, & pescabantur Apostoli, vt patet Matth. 3. vbi vocavit Christus quatuor Apostolos, & vocatur istud mare Galilæa, sed mare Galilæa, & Tiberiadis idē est, vt patet Ioan. 6. & vocatur mare, vel stagnum Genesareth, Matth. 8. in mari tamen mortuo nullus pisces est, nec quidquā viuens, ob hoc enim mare mortuum appellatum est: ergo non sunt idem mare Ceneroth, & mare mortuum, vel salissimum. Item non posset stare litera, si intelligeretur de mari mortuo, quod est Sodomiticum, scilicet in valle Sodomorum, quia dicitur, quod reges qui habitabant ad Meridiē Ceneroth conuocati sunt ad bellum, sed falsum est, quod ultra mare mortuum sint in ipso latere Meridiani vrbes cōiunctæ lateri Orientali, sed hic dicitur, quod ad Meridiē Ceneroth erant reges, qui vocati sunt. Item nō stat accipiendo alium sensum, scil. quod dicatur planicies Ceneroth, & in planicie illa in circuitu maris sint reges, qui conuocati sunt ad pugnam: nam mare mortuum non solum ad partem Meridianam non habet aliquos reges Chananæos, sed etiam ad nullam partem suam, quia illud est in valle Sodomorum, vbi erant quondam ciuitates quatuor, & nunc mare obtinuit locum illarum subuersis eis peccato Sodomorum, prius autem non erat ibi mare, sed Iordanis transibat ibi irrigans totam illam vallem, & erat sicut Paradisus, vt patet Genes. 13. c. postea versa est vallis in stagnum magnum, & vocatur mare mortuum: nec sunt ibi aliqua oppida in circuitu in quibus reges principetur. Item patet hoc firmius, quia Num. 34. c. ponuntur ista duo maria distincta, scil. mare Ceneroth, & mare mortuum, vel salissimum, quia cūm describitur latus Meridianum terræ Chanaan ponitur in confinio lateris Meridiani, & Orientalis mare salissimum, & cūm describitur latus Septentrionale eiusdem, in fine lateris Septentrionalis vbi coniungitur Orienti, ponitur mare Ceneroth: ergo differt ista maria, & distant localiter per totam latitudinem, quæ est à latere Meridiani in Septentrionale, scil. per totum latus Orientis, & tunc est sensus conueniens, scilicet, quod reges Aquilonis conuocati sunt: mare autem Ceneroth etiam est in parte Aquilonari, scilicet in extremitate ipsius lateris, vbi coniungitur Orienti, & declinando à mari Ceneroth versus partem Meridianam in planicie sunt reges multi. De mari, quod sit in planicie, siue valle, manifestum est ex natura rei, quia maria, & omnes aquæ vniuersaliter non habent loca sua in altissimis. *In campestribus quoq;* Ista est alia terra, quæ differt à plana, quia campestris non est totaliter montuosa, nec totaliter plana. In terra autem Aquilonis sunt aliqua campestria, sicut & in parte Meridianā, & sunt ista tres differentiae communes: nam terra quæcumq; in tres modos diuidi potest, q. a. vel est totaliter aspera, & eleuata, & sic vocatur montana, vel montuosa: aut est tota æqualis, & ista vocatur planicies: aut aliqualiter aspera, aut aliqualiter plana, & ista vocatur campestris. Ideo isti tres modi communiter nominantur in Scriptura. *Et in regionibus Dor iuxta mare.* Ista est magna terra apud mare, & ibi multi reges sunt, nec est Dor aliqua ciuitas vna, sicut alijs suprā nominatae, sed regio, vel prouincia, & dicitur iuxta mare, scilicet, mare Occidentale, quia cūm non exprimitur nomen maris, intelligi debet de principali, quod est mare Occidentale, scilicet Mediterraneanum. Cetera autē maria terræ Chanaan non erant mare, sed quædam magna stagna, vel lacus. sicut mare salissimum, quod est mare Sodomorum, & mare Ceneroth, quod stagnum Genesareth, siue Tiberiadis dicitur. & sic accipiebat rex Iabin reges adiutores de toto latere Aquilonari terræ Chanaan, quia in Orientali parte est mare Ceneroth, vt patet Num. 34. & in planicie apud mare ipsum ex parte Meridianā eius conuenerunt reges, vt patet suprā, & isti erant Orientales in extremitate Aquilonari. Illi qui erant in regionibus Dor erant Occidentales in

Dor an
sit ciui
tate, vel
regio.

latere

A latere hoc cùm essent apud mare magnum, cæteri verò, qui nominantur erant medij in Aquilonari latere. *Chananæumq;*, ab Oriente, & Occidente. Illi sunt præter reges suprà nominatos, & conuocauit Iabin Chananæum, id est populum illum, qui specialiter vocatur Chananæus: aliqui enim generaliter pro cunctis habitatoribus terræ Chanaan accipitur. Et tunc non distinguuntur septem populi Chananæorum, sed omnes sùt Chananæi. Hic accipitur specialiter, quod patet, quia distinguuntur contra Pherezæum, Heuæum, & Iebusæum in litera, & habitabant Chananæi ab Oriente & Occidente, quia habitatio huius populi extendebatur à fronte Orientis, vsq; ad Occidentem, scil. à Iordan, qui est in capite Orientis terra huius, vt patet Num. 34. vsque ad mare magnum Occidentale, quod est claudens terram illam ab Occidente. Ethoc innuitur Num. 13. scil. Amalech habitat in Meridie: *Hethæus*, *Iebusæus*, & *Amorrhæus* in montanis, Chananæus verò moratur iuxta mare, & fluente Iordanis. Et sic posuit duos terminos populi Chananæi, scil. mare ab Occidente, & fluente Iordanis ab Oriente. Quanquam aliter exponi potest, vt ibidem videbitur: sed quocunq; dato necesse est, quod habitatio Chananæorum secundum longitudinem pertingeret ab Oriente in Occidentem, quod non erat sic de quolibet alio populo illorum septem. Et *Amorrhæum*, atq; *Hethæum*, ac *Pherezæum*, & *Iebusæum* in montanis. Cōuocauit etiam Iabin rex multos reges de his populis quatuor qui habitabant in montanis: nam apud latus Septentrionale terræ Chanaan terra est magis montuosa, & ibi morabatur magna pars horum populorū quatuor. Et si aliquis dicat de Amorrhæis, quia iam deleti essent, quia deleuit Moyses reges Amorrhæos duos Sehon, & Og, vt patet Num. 21. & Deut. 2. & 3. hi tamen ante Iordanem habitabant. Respondendum est, quod præter Amorrhæos reges qui erant à parte Orientali Iordanis, adhuc erant quidam alij ad partem eius Occidentalem, quia non solùm erant reges duo de Amorrhæis, sed forte plures, quām decem, cùm in latere quodam terræ promissionis capto triginta unus reges occisi fuerint, vt patet sequenti cap. ergo iste populus Amorrhæus, qui erat unus de principalibus haberet plures, quām duos reges, sed ante Iordanem non erat de Amorrhæis, nisi terra duorum regum, scilicet Og, & Sehon: ergo ad partem Occidentalem Iordanis erant alij reges Amorrhæi. Item patet hoc suprà 5. cap. cùm dicitur: Postquam ergo audiuerunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad Occidentalem plagam, &c. ergo præter Amorrhæos, qui erant ad Orientem Iordanis, & iam deleti fuerant adhuc residui erant aliqui reges Amorrhæorum, & isti habitabant in montanis. *Heræum*, & *Pherezæum*. Illi pro maiori parte declinabant ad partem Septentrionalem Chanaan, & habitabant in locis excelsis, quia montuosius est latus Septentrionale Chanaan, quām Meridianum præter extremitatem Meridiani, quæ est in montibus consummata. Et *Iebusæum*. Illi habebant Ierusalem, & terram in circuitu eius, scil. patet infrà 15. scilicet: *Iebusæum* autem, qui habitabat in Ierusalem, non potuerunt filij Iuda delere. *Heuæum quoque*, qui habitabat ad radices Hermon. Populus *Heuæorum* erat partim Aquilonaris, & partim Orientalis, scil. circa locum vbi coniungitur latus Septentrionale Orientali: nam Hermon est mons in latere Aquilonari terræ Chanaan, & peruenit vsque ad Orientem eiusdem terræ. Secundum patet, quia cùm ponerentur termini terræ duorum regum Amorrhæorum, qui erant ante Iordanem ad Orientalem, ponuntur tres termini, scil. unus Orientalis, & duo Occidentales, scil. Aroer, quæ est super Arnon, & mōs Hermon, & mare solitudinis, vt patet Deuter. 4. Aroer est in parte Orientali terræ Amorrhæorum, & per illam intrauerūt Israëlitæ. Mons Hermon & mare solitudinis sunt terminus Occidentalis terræ illius: sed mare solitudinis est Occidentalis in contactu lateris Meridiani, & Occidentalis: mōs Hermon est Occidentalis in contactu lateris Occidentalis ad Septentrionalem: sed terra duorum regum Amorrhæorum ante Iordanem, & omnium Chananæorum post Iordanem distinguuntur solùm Iordan medio: ergo locus, qui est terminus Occidentalis terræ duorum regum Amorrhæorum est terminus maximè Orientalis alterius terræ, quæ est ad Occidentem Iordanis: cùm terra illorum duorum regum Amorrhæorum sit Orientalis respectu alterius, vt patet Num. 32. & Deut. 3. & 4. sed mons Hermon ponitur, tanquam terminus Occiden-

talis terræ duorum regum Amorrhæorum: ergo est Orientalis respectu terræ nouem tribuum, & dimidiæ, quæ vocatur generaliter terra Chanaan.

Item mons Hermon, & mare salissimum ponuntur tanquam duo termini Occidentales duorum regum Amorrhæorum, & mare salissimum est, tanquam terminus Orientalis reliquæ terræ Chanaan, vt patet Numer. 34. ergo mons Hermon erit terminus Orientalis terra Chanaan, cùm vterque sit in terra eadem. Est igitur mōs Hermon pertingens ad Orientem terra Chanaan nouem tribuum, & dimidiæ. Est etiā in latere Septentrionali terræ eiusdem, scil. vbi latus Septentrionale, & Orientale coniunguntur, quod patet, quia mons Hermon, & mare salissimum ponebantur tanquam duo termini Occidentales terræ duorum regum Amorrhæorum, & mare salissimum erat in latere Meridiano vbi illud coniungitur Oriente, vt patet Num. 34. c. ergo mōs Hermon erat in alia extremitate maximè distante, scil. in coniunctione lateris Septentrionalis, & Orientalis. *Heuæi* autem habitantes apud radices montis huius aliqualiter sunt Orientales in terra illa, & Septentrionales. Declinabat autem terra populi huius contra Meridiem, vt patet in vrbe Gabaon, quia Gabaonitæ erāt de *Heuæis*, vt patet infrà in litera, scil. præter *Heuæum*, qui habitabat in Gabaon omnes bellando cepit. Et non solùm erant Gabaonitæ, *Heuæi*, sed etiam aliæ ciuitates, scil. Caphira, Beroth, Cariathiarim, quæ confederata fuerunt suprà Israëlitæ, vt patet suprà 9. & illi necessario intelliguntur nomine Gabaon, quia non captæ sunt bellando, sicut cæteræ, quæ dicuntur bellando captæ. Illæ tamen vrbes aliqualiter erant Meridianæ, quia erant in sorte Benjamin, vt patet infrà 18. tamen fors ista erat Meridiana, cùm esset super sortem Iudei in mediæ, quæ erat coniuncta lateri Meridiano terræ huius. Quod autem sit terra *Heuæorum* circa Orientem patet, quia Sichen est circa Orientalem partem terræ Chanaan apud Hay, & Bethel, vt patet in libro de Descriptione terra Sanctæ, Sichen tamen est in terra *Heuæorum*, quia rex eius vocabatur *Heuæus*, vt patet Gen. 34. c. scilicet Hemor, *Heuæus* princeps terræ illius. Quod autem Hay, & Bethel apud quæ est Sichen sint loca apud Orientalem partem terræ Chanaan, patet infrà 18. in computatione fortis Benjamin, vbi incipitur ab Oriente Iordanis, & Iericho, & ponuntur ista loca prima. De his *Heuæis* cōuocauit reges etiam Iabin. Qui habitabat ad radices Hermon in terra *Maspha*. Quanquam multi essent *Heuæi*, & quidam corum declinat è versu Meridiem, vt suprà declaratum est: tamen solùm dicitur hic de illis, qui erant magis Septentrionales, scil. habitantes ad radices Hermon, qui est mons in latere ipso Septentrionali terræ Chanaan, vt suprà probatum est: ideo ponitur regio specialis eorum, scil. in terra *Maspha*. Nec est *Maspha* regio, quæ alias vocatur *Masphad*, quia *Maspha* nō est nomen vrbis, sed regionis: nomen autē *Masphad* est nomen vrbis. ibi enim sacrificauerunt Israëlitæ Domino, & egressi sunt inde persequendo Philistinos, vt patet 1. Reg. 7. c. Egressi sunt omnes cum turmis suis. Omnes isti reges egressi sunt de terris suis, nec tamen venerunt ad Iabin in Asor, sed ipse assignauerat eis locum, & conuenerunt omnes ad aquas Meron, vt patet infrà. Dicuntur egressi cum turmis suis, quia quilibet rex ducebat magnum exercitum. *Populus multis nimis*, sicut arena, quæ in littore maris. Id est, isti reges conduxerunt populum nimis multum, quia erat hic maior pars terræ Chanaan, & dicitur sicut arena, quæ est in littore maris, non ad significandum æqualitatem, sed quandam similitudinem: nā maior est numerus granulorum arenæ in duobus, vel tribus pugillis arenæ maris, quām in toto exercitu Chananæorum, sed est sensus, quod sicut arena maris est in valde magna multitudine, & nobis simpliciter innumerabilis: ita & ille exercitus erat multis nimis: sic Scriptura facit alias similitudines multum distantes, sicut dicitur Gen. 22. Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & arenam, quæ est in littore maris, quasi essent ista duo æqualia, sed quasi in infinitum est maior numerus arenæ maris, quām stellarum cœli, quia non sunt valde multæ stellæ cœli. Equi quoque, & currus vniuersæ multitudinis.

E Terra
Heuæ-
rū erat
Orien-
talis.

F Ma-
spha, et
Ma-
sphad.

A

Modus pugnandi in principio bellorum, qui erant currus falcati.

Q V E S T I O III.

A PRINCIPIO bellorum maximus modus pugnandi fortis fuit in curribus, scil. quod duo aut tres equi iungerentur currui, & erant currus isti falcati, id est habentes falcis, siue gladiis longos, & curuos in modu falcis: equi quoque armati erant, & in frontibus habebant acutos enses, super currus erant pugnatores: maior autem erat pugna istorum ex impetu rotarum falcatarum scindentium omne, quod opponeratur, & ex impetu equorum, quam ex iaculis militum armatorum super currum, & ista armatura fuit communis omnibus regnis gentium: nam & cum essent ibi Iudei iam erant currus falcati, vt patet Exod. 4. Erat autem nimis sumptuosus apparatus, ideo quamquam aliquis rex esset valde magnus: tamen non poterat habere multos de his curribus: nam Pharaon rex Aegypti magnus rex erat: tamen non potuit habere, nisi ducentos currus de electis, cum contra Iudeos exiit pugnaturus circa mare rubrum, vt patet Exod. 14. Iacob etiam rex Asor, qui erat maximus regum terrae Chanaan, & omnes alii reges ei deseruerunt, solum habebat currus nongentos, vt patet Iud. 4. c. Congregauit autem Iacob nunc currus multos, & equos: non quidem ad insidendum equis, vt nunc, quia nondum erat usus artis equitatuæ, sed solum in curribus. Postea autem per experientiam deposita ruditate, perfectam armorum peritiam secula induerunt. Currus autem vetustatis apparatus iam cessauit, quia non est usus per omnia usus belli accommodus, Iudei non habebant aliquos currus falcatos, nec equos, tota enim pugna eorum pedestris erat. Conueneruntque omnes reges isti in unum ad aquas Meron Ante locum illum non conuenerant, sed quilibet de terra sua cum turmis suis egreditur, conuenerunt autem in locum illum, quia erat contra locum, in quo castrametabantur Iudei, scil. contra Galgalam, & cum illuc conuenissent deliberabant de loco pugnandi contra Iudeos, & modo. nam non opinabantur ipsi Iudeos venturos ad eos, sed potius fugitiuos a facie tantæ multitudinis, & dum ibi manarent Deus iussit Iosue, vt illuc iret, & iussit ad aquas Meron. *Vt pugnarent contra Israël.* Non ut pugnarent contra Israël in loco ipso, quia non erat ibi Israël, sed magis apud Galgalam, sed conuenerant ad aquas Meron, quia erat locus contra Galgalam procedendo de regionibus ipsorum, & ibi deliberatur erant de toto bello. *Dixitque Dominus ad Iosue, ne timeas eos.* Hic ponitur apparatus belli ex parte Iosue: gentes enim conuenerant in magno robo contra Iudeos, Iudeorum autem pugna non erat in armis, sed in confidentia Dei, qui pugnabat pro eis, vt patet præcedens. c. & dixit Deus Iosue ne timeret, quia timidi corde etiam si superiores viribus sint semper succumbent, quia timor non finit eos agere bellum. Primum ergo quod requiritur in duce est, ne extimescat cor illius. Et dictum est hoc, quia conuenerat tota fortitudo Chanaan in multitudine populi, & fortitudine. Iudei autem numero pauciores erant, & viribus inferiores: nam & currus non habebant, nec iugales equos: ideo poterant timerre rationabiliter. Primò igitur admonuit Dominus ne timerent. *Cras enim hac eadem hora.* Cum Deus dixit ista Iosue, erant Israëlitæ in castris Galgalæ, & denunciauit ei, quod non timeret ipse quoque, verisimile est, quod populum suum admonuit ex parte Domini, ne timeret illam magnam multitudinem, quia quamquam non timeret dux, timerent, nisi ipsi confortarentur verbis Domini. Et ad tollendum eis Deus timorem exercitauerat illos in alijs bellis magnis, sicut cum pugnauerunt contra quinque reges, de quibus præcedentem, quos captos simul suspenderunt, & dicitur: *Cras hac eadem hora tradam eos.* Quia aquæ Meron erant propè locum Galgalæ, & pararent se Israëlitæ die illa qua dicta sunt verba, & sequenti die eadem hora committeretur pugna, & tradernerunt in manus eorum Chananæi. *Tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israël.* Id est, ego tradam eos vobis, & vos vulnerabitis. Modus erat, vt Deus incuteret timorem validum mentibus Chananiorum istorum, ita vt non possent pugnare contra Israëlitas, Iudei autem quasi impunè eos percutere possent, quia Deus priuaret viribus Chananæos, vt non possent

Caput X I.

pugnare, & tunc Iudei non propriè pugnam exercabant, sed cedem, velut si pugnaretur contra inermes, vel contra semi-mortuos: sicut cum Leui, & Simeon filij Iacob occiderunt omnes viros Sichem, cum essent circuncisi die tertio, quando grauissimus vulnerum dolor insurgit, & duo viri potuerunt delere totam ciuitatem, vt patet Gen. 34. c. Cum autem dicitur, quod Deus tradiceret omnes vulnerandos eorum Israël: non est sensus, quod omnes fuerunt vulnerati, & occisi, sed plurimi eorum corruerunt, alij autem fugerunt, & in fuga quidam perierunt, alij autem in castra & oppida sua suscepiti sunt, vt infra patet, sed Scriptura solet ponere vniuersales propositiones, quæ non sunt propriè vniuersales, & ponitur omnia, id est multi: potissimum quando est maior pars eorum, quibus adiungitur signum distributiuum. *Equos eorum subneruabis.* Subneruare equos, est abscondere crura eorum, scil. occidere, & secundum proprietatem Latinæ distinctionis signatur abscessio nerorum crurum, quibus succisis animal claudicat, & penitus inutile est. *Et currus eorum combures.* Equi erant iugales, scil. ad portandum currus solum, vt dictum est: non enim equestris ars inoleuerat, & sicut equi occidebantur, ita & currus destruebantur comburendo eos.

Quare Deus iussit equos subneruare, & currus comburere, & noluimus, quod Iudei pugnarent curribus.

Q V E S T I O III.

B HO dicunt factum in signum victoriae habitum à Deo, sed dicendum, quod causa combustionis currum, & subneruationis equorum erat mandatum Dei. Quare autem Deus mandauit? Forte videtur rationaliter dicendum, quod siebat, quia currus, & equi non proderant Iudeis: cum ipsi nunquam habuissent peritiam pugnandi in curribus, & equis: ideo esset eis onerosum habere equos, & currus: unde deserentes eos facerent prouenire in manus hostium, qui rursus contra eos in ipsiusmet pugnarent curribus & equis, vel venderent Iudei gentibus exteris, quod rursus redundabat in damnum eorum, cum inde Chananæi recuperare posset. Vnde siebat ne forte videtis Iudei curruum armaturam esse maximam tempore illo vellent iam pugnare contra Chananæos residuos in curribus illis. & hoc redundabat in diminutione laudis diuinæ, quia tunc cum vinceret, attribueretur Victoria curribus, & equis, & non Deo: cum autem essent leviter armati velut inermes, & vincebant, attribuebatur Victoria Deo, quia nihil erat aliud cui attribuere possent. Item erat ad utilitatem Iudeorum, quia si ipsi haberent currus, & equos videntes esse fortissimam armaturam inciperent confidere viribus suis, & non tantum attenderent ad Deum, vnde consequenter Deus non attenderet ad eos, & caderent in manus hostiles: cum autem nihil armaturæ fortis haberent, in qua confidere possent, ad Deum se conuertebant, qui eripet eos.

C *Prima cõsistio sine necessitate in duce est ne sit timidus.*

Venitque Iosue, & omnis exercitus eius cum eo aduersus illos ad aquas Meron subiit, & irruerunt super eos, tradiditque illos Dominus in manus Israël. Qui percusserunt eos, & persecuti sunt usque ad Sidonem magnam. & aquas Mæserophot, Campumque Massphe qui est ad Orientalem illius partem. Itaque percusserunt omnes, vt nullas dimiserent ex eis reliquias, fecitque sicut præcepérat ei Dominus, equos eorum subneruauit, currusque combusserunt igni. Reuersusque statim cepit Asor, & regem eius percusserunt gladio. Asor enim antiquitus inter omniare regna haec principatū tenebat. Percusseruntque omnes animas, que ibidem morabantur, non dimisit in ea villas reliquias, sed usque ad intermissionem vniuersa vastauit, ipsamque vrbem peremuit incendio, & omnes per circuitum ciuitates. Reges quoque earum cepit, percusserunt atque deleuit, sicut præcepérat ei Moyses famulus Domini. Absque urbibus, quæ erant in collibus, & in tumulis sitæ, ceteras successit Israël, unam tantum Asor munitissimam flammarum compulsa. Omnesque prædam istarum urbium, ac iumenta diuiserunt sibi filij Israel, cunctis hominibus interfec-

D

E

F

dus.

A Etis. Sicut præcepérat Dominus Moysi seruo suo, ita præcepit Moyses Iosue, & ille uniuersa compleuit, non præteriit de uniuersis mandatis, nec unum quidem verbum, quod iussérat Dominus Moysi.

Quare noluit Deus, quod Gentiles venirent ad Iosue.

Q V E S T I O V.

V Enit̄ḡ Iosue. Hic ponitur secundum, scil. bellandi actus. Venit̄ḡ Iosue. Scilicet de castris, quæ erant apud Galgalā ad aquas Meron: noluit enim Deus, quod Gentiles venirent ad Iosue in castra: Chananæi autem intendebant venire in castra Galgalæ ad delēdūm Iudæos, aut persequendū quocunq; fugerent: Iudæi aut̄ præuenérunt eunes ad Gentiles apud aquas Meron, & hoc erat ad magnā confortationē Iudæorū, & terrorem gentiū: semper enim, qui aggrediuntur prærogatiā in hoc habent, quia facilis expellunt hostes, q; qui sustinent aggressores, maximē, quia, qui sustinent aggressores, credunt eos magni cordis, aut magnarum esse vi- rium, cum aggredi non formidauerint. Et quanto quis cre- dit hostem suum cum viribus siue animo maiore: tanto magis depauit, & difficilius congregari putat: si autem Gentiles venient ad castra in Galgalam non sustinuerint Iudæi co- rum impetum puitantes multitudinem, & vires atque ani- mum: cum vero Iudæi præoccupauerunt venire in castra gen- tium ad aquas Meron pauendum erat Gentilibus de confi- dentia Hebræorum, quia pauci cūm essent ad tantam multi- tudinem venire non formidabant. Item alia causa huius erat potissima, quia in castris apud Galgalam erat totus Israēl tam viri, quam fœminæ, paruuli, viri, & senes. Si autē fœminæ, & paruuli vidissent multitudinem hostiū, clamarent horribiliter vultantes, & oīa castra Iudæorum conturbarent: ipsaque virorum pugnatorū corda dissoluerēt, nunquā ergo apud castra bellum commissum est. Et omnis exercitus cum eo. Id est, totus populus armatorum manente reliquo vulgo paruulo- rum, fœminarum, & senum in castris cum pecoribus, & iumentis, ceterisq; vtensilibus suis. Aduersum eos. Id est, contra omnes reges illos, qui conuenerant ad aquas Meron pugnat- turi cum Israēl. Ad aquas Meron. Quia ibi erant congregati omnes reges Chananæorum. Est autem Meron nomen cuiusdā lacus magni existentis apud mare Ceneroth circa partem or- ientalem terræ Chanaan, per quam transiuit Iordanis. Hoc patet, quia Galgalæ, vbi erant castra Hebræorum, est in parte orientali terræ Chanaan, scilicet apud Iericho: adhuc magis propinquæ Iordani, quam Iericho, vt suprā 5. q. a Iudæi tran- cunctis in terram Chanaan per Iordanem, primo venerunt in Galgalam, quam in Iericho; & est Iordanis caput orientale illius, vt patet Num. 34. cūm autē isti reges Gentilium conuenerunt ad aquas Meron erant propinquæ Galgalæ, quod patet, quia Deus locutus fuit Iosue in castris Galgalæ, dicens: eras enim hac hora dabo omnes istos vulnerados in conse- ctu Israēl: sed in tempore illo intermedio vnius dicti Israēlita se parauerunt ad pugnam, & venerunt ad aquas Meron, & dispositis aciebus insilierunt in Gentiles, ergo locus Meron erat valde propè, & cūm Galgalæ esset locus orientalis, esset eodem modo Meron orientalis, aut valde propinquus ori- enti: sic est de aquis Meron, quæ sunt orientales cum transeat Iordanis per eas. Subito & irruerunt super eos. Gentiles dispo- nēbant ire ad pugnandum contra Israēlicas in castra Galgalæ, nec suspicabant vllatenū, q; Israēlita venirent ad eos ad aquas Meron: ideo non erat adunati modo bellico, cūm autē Israēlita subito irruerunt super eos turbauerunt ipsos tanq; inopiuatum malum, & sic circō fugauerunt. Ita contra reges quinq; egit Iosue super Gabaon irrueens super eos ex inspe- rato, vt patet præcedenti c. Tradidit̄ḡ nos Dominus in manus Israēl, i. fecit eos non potentes pugnare, vel reddidit attonitos: ita vt fugerent vīsis Israēlitis nō mouentes contra eos arma, sicut factum est de regibus quinque, præcedent. c. quia de illis nemo resistere, aut mutare ausus est. Qui percusserunt eos. Nō occiderunt illos in loco castrorum apud aquas Meron, quia oportebat tunc, vt Israēlita manerent pugnantes cum Gen- tilibus aliquantulum, & tunc aliqui de Gentilibus occiderēt Hebræos, sicut fiebat ē contrario, aut alias esset sola cædes

vnius partis, & non pugna, & tunc Gentiles non considererēt, sed darent terga Iudæis, & tamen de Iudæis nulli occideban- tur: ergo Israēlita immediatē, vt irruerūt in Gentiles, fecerūt eos fugere, & fugiendo plurimos occiderunt: nec tamen oēs quia postea introiuerunt in oppida sua, & magno tempore pugnauerunt Israēlita contra eos, vt patet de Rabin rege Asor, contra quem postea pugnauit Israel, & accepit ciuitatem ipsius, ipsumq; occidit, sic patet etiam de multis regum istorum, quia dicitur infra: multo tempore pugnauit Iosue contra reges istos. Persecutiō, sunt vſq; ad Sidonem magnam. In castris aliquos occiderunt, & postea cum fugerent persecuti sunt eos, & multos occiderunt. Fuit autem persecutiō vīque ad Sidonem magnam, id est, vſq; ad ciuitatem Sidonem, quæ erat magna, & famosa ciuitas, ex hoc patet, quod persecuti sunt Israēlita Chananæos per totam magnitudinem longi- tudinis terræ Chanaan, quia bellū fuit in parte orientali ter- ræ Chanaan, scil. apud aquas Meron circa Iordanem, & mare Ceneroth, quæ sunt partes orientales, & inde durauit perse- cutio vſq; ad Sidonem magnam, quæ erat in termino occi- dentali terræ Chanaan, & mare magnum est terminus occi- dentalis terræ Chanaan, vt patet Deute. II. & suprā I. Sidon autem est in maritimis, cūm Tirus, & Sidon sint in littore ma- ris magni, & ponitur Sidon, tanquam ultimus terminus fu- gæ. Et aquas Masserophot. Iste est alius locus vſq; ad quem Israēlita persecuti sunt Chananæos, & non est locus iste ultra Si- donem, quia ultra nihil est de terra Chanaan, nec de alia terra solida coniuncta, nec mare magnum coniunctum, sed est lo- cus aquarum Masserophot ad aliquod latus Sidonis, quia nō fugiebant omnes Iudæi contra eandem partem, nec Israēlita persequebantur eos versus eundem locum, sed ad varios, si- cut fuit in fuga regum quinq;, & exercituū suorum, de quibus præceden. cap. fuit ergo aliis terminus ad aquas Mas- serophot. Sciendum, quod istud nomen Masserophot secun- dum Hebræos est aequiuocum, quia potest significare locum determinatum, vel est nomen commune. In prima significa- tione accepit litera nostra, sicut dicimus ad aquas Merō. Alio modo est nomen commune signans aquas calidas, quia in Hebræo dicitur Mizrephot, & est compositū de Mayn, quod significat aquas, & Zephōt, quod significat calidas vel com- burentes, & dicunt esse Mizrephot balnea naturalia, in quib; calidæ aquæ de scaturigine terræ erumpunt. Magis tamē est credendum literæ nostræ, quia Hieronymus transcribens hæc, nouerat omnia loca terra Chanaan, & perambulauerat ea per seipsum, cum sapientissimis Hebraorū, vt patet in prologo eiusdem super Paralip. & magis potuit scire, quæ es- sent nomina propria locorum quam Hebræi, qui nūc expo- nentes nihil horū viderunt, sed innituntur soli significa- ni vocis, quæ fallit satis: nā & in Latino idiomate sic est, quod multa nomina locorum sunt composita ex duobus nominibus appellatiuis, & si quis non cognoverit talia esse loca, pu- tabit signari per voces illas aliquid commune, Nicolaus di- cit. Ad aquas salinarum, scil. quod erant aliquæ canales apud mare, per quos immittebatur aqua maris, & ibi desiccabat à Sole, atq; conuertebatur in sal, & vſq; ad aquas illas durauit persecutio. Campumq; Mæpha. Mæpha est nomen regionis, si- cut suprā accipiebatur, scil. de Heuæis habitationib; ad radices Hermon in terra Mæpha, vſq; ad hanc quoq; Israēlita persecuti sunt Chananæos, quia inde quoq; ad pugnandum multi venerant, & tunc illuc configiebant, ibiq; cessauit perse- cutio, quia erat in extremitate lateris septentrionalis apud radices Hermon, vt patet suprā. Etiam quando illuc peruen- tum est iam ingressi fuerant oēs Chananæi in oppida sua: & post hoc pugnatum est contra eos manentes in vrbibus suis, & tunc durauit magno tempore bellum, quia nō poterat ita faciliter Iosue delere Chananæos in praesidijs suis, vt in cam- po manentes. Quæ est ad orientalem illius partem. Ad regionem Mæpha refertur, scil. quod est ad orientalem partē Masserophot. nam vtrunq; est in latere septentrionali terræ illius, & tamen Masserophot est magis propinquus locus Occidenti- terra illius, quam campus Mæpha: ideo est campus iste orien- talis respectu Masserophot. Ita percusserunt eos omnes quod nullus di- mitteret ex eis reliquias. Non est hoc simpliciter accipendum, quia multi manserūt, quos tunc Iosue non occidit, cū postea pugnauerit magno tempore contra reges hos, & quosdam eorum deleuerit, vt patet infra, sed intelligitur de his, quos

A capere potuit Israel, omnes enim hi occisi sunt. Et ponitur ad significandum, quod nullus de his in seruos subiecerit, aut vendiderit alijs gentibus, sicut facere solent pugnates ad captanda lucra, sed Deus iusserrat, ut omnes Chananai occidentur, nec quisquam permitteretur viuere aliquo pacto, ut patet Deuter. 20. & ut videatur, quod Iosue impleuerit iussa Dei, ponitur hoc.

Fecitque sicut præceperat ei Dominus. Hoc potest referri ad præcedentia, vel sequentia: referendo ad præcedentia est sensus, quod non dimisit Iosue reliquias vilas ex his, sed scilicet sicut præceperat Dominus, scilicet quod sicut Deus iusserrat occidi omnes Chanaeos, ita ipse fecit, quos habere potuit.

Alio modo potest referri ad subsequentia, & tunc est sensus: fecit sicut præceperat Dominus, scilicet quod subneruauit iugales, & combussit currus, quia sic præceperat Dominus. Vtque sensus est conueniens, sed magis conuenit iste secundus, quamquam ad utrumque simul referri potest. Equos eorum subneruauit, id est, in bello cepit spolia occisorum, & fugientium currus, & equos: de ceteris spoliis nihil destructum est. Currus autem & equi, quia ad nullum usum Iudeis conuenientes erant, ut supra declaratum est, iussu Domini destructa sunt, & quia Deus iusserrat de curribus & equis, subiungitur hic executio, scilicet quod equi subneuati sunt, id est, abscessi fuerunt eis nerui pedum, ut ambulare non possent, vel abscessa fuerunt eis crura: nec solum hoc, sed magis intelligendum est, quod occiderentur, quia postquam subneruarentur frustra permitteretur viuere, cum ad nullum usum essent, nec sanari possent, immo nec Iudeos eos sanos esse volebant, quia ad hoc subneruabant, ut sani non essent. Currisque combussit. Deus enim sic præceperat, quia iam non erant utiles Iudeis ad aliquem usum, ideo melius erat cōburi, quam ut relati per diversa loca caperentur a Chananais, & post in eis pugnarent contra Israel. Reuersusque statim cepit Asor. Supradicta ponebantur ea, quae fecit Iosue in bello illo campali, & communis: hic autem ponunt particularia bella contra quemlibet regem de manentibus: nam in ciuitates configurerunt, & iam non ausi sunt aliqui de Chananais exire in bellum campale cum Iudeis, sed quomodounque se intra sua mœnia tuebantur, & tunc fuit bellum magni temporis contra eos. Cum autem de bello fugerent isti Chananai persecutus fuit eos cädens, usquequā intrauerunt omnes in præsidia præter eos, quos occidere potuit, & duravit persecutio usque ad extremitates terræ Chanaan, scilicet usque ad Sidonem, & Masserophot, atque campum Massiphæ, ut supradictum est. Finita autem persecutio ne cœpit singulariter oppugnare loca hostium. Et dicitur, quod reuersus est in Asor, id est primò venit Iosue ad pugnandum contra illam urbem, quam cōtra alias, quia ista est principalis, cum dicatur immediatè: Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat, & inde voluit inchoare bellum, ut capta illa urbe facilius ceteræ caperentur. Reuersusque statim cepit Asor. Istud aduerbiū statim potest determinare istud verbum cepit, vel istud participium, reuersus. Si determinet participium, est sensus, quod Iosue reuersus est statim, scilicet finita persecutione ad pugnandum contra urbes pariculariter, & tunc cepit Asor. Si referatur ad verbum cepit, est sensus, quod reuersus est in Asor ad pugnandum, & cepit eam statim, scilicet quod paruo tempore moratus est pugnando contra eam. Et regem eius gladio, scilicet regem Iabini: iste enim fugerat de bello, & intrauerat in urbem suam: postea autem capta urbe cum populo suo occisus est: iste fuit qui conuocauit totam multitudinem contra Israel: de qua supradictum est.

Duplex
litera
expositio.

In q. 1.

An Iabini rex Asor, de quo hic dicitur, fuerit occisus
in bello.

QVÆSTIO V.

Sed obiect aliquis contra hoc, quia non fuerit occisus rex Asor, quia Iudic. 4. cap. dicitur de Iabini rege Asor quomodo pugnauit contra Israel tenens subiectum sibi populum nunc magno tempore, & contra ducem eius Sisaram postea pugnauit Israel.

Respondendum est, quod non erat idem rex Iabini, de quo nunc dicitur, quia multa tēpora intercederunt inter hunc & il-

lum, ideo dato, quod non occidisset Iabini regem, non potuisset viuere usque ad illud tempus: nam illud factum est iudicante Debora, ut patet Iudi. 4. sed à tempore hoc usque ad illud transiit primò totum residuum tempus vita Iosue: deinde tempora aliquorum seniorum, in quorum temporibus non declinauit Israel post idola: post venit index Othoniel, q. 40. annis durauit, ut patet Iud. 3. deinde fuerunt Israëlitæ 18. annis sub rege Moab, ut patet eodem cap. post quem clamitibus ipsis suscitauit Dominus Aoth iudicem, & quietuit terra annis 80. postea venit Iabini rex Asor, qui tenuit decem annis Israëlitæ sub iugo suo, ut patet Iudic. 4. non poterat ergo ille Iabini tamdiu durare, sed erat alius, quia frequenter reges eiusdem regni habent idem nomen, vel cognomen, sicut reges Ægypti vocabantur Pharaones. Habebat tamen alia nomina præter hæc, ut declaratum est in principio Exodi: tam in prologo quam in 1. cap. Item reges Iudeorum tempore Christi vocabantur Herodes, & habebant alia nomina specialia, scilicet Herodes Antipater, Herodes Agrippa, sic & de Romanis Imperatoribus factum est, qui omnes vocabantur Cæsares, vel Augusti habentes alia nomina, scilicet Julius Octavianus, Claudius Tiberius. Ita de regibus Asor esse poterat, quod vocarentur omnes Iabini, siue tanquam nomine principali, siue tanquam cognomine, sed multi reges inter hunc Iabini, q. nunc occisus est, & illū, qui dominabatur Hebrais, intercederunt. Sed adhuc obiectetur, quod non possit hoc stare, quia hic dicitur, quod Israëlitæ occiderunt regem Asor, & totū populū eius deleuerunt, ipsam quoque urbem incenderunt, ut patet infra, quomodo ergo postea in ea essent reges Gentiles? Postea tamen fuerunt ibi reges tempore Iudicū Israel, scilicet Iabini, qui per annos decem oppresserunt Israel, ut patet Iud. 4. c.

Ad hæc responderi posset, quod non procedit argumentū, quod triplex est ciuitas Asor, duæ sunt in terra meridianā Chanaan, quæ prouenerunt in fortem Iudeam, quarum una vocatur Asor noua: alia autem vocabatur alio nomine Iesson, ut patet infra 15. alia, & tertia erat in parte septentrionali terræ Chanaan, & ista prouenit in sorte Nephthali, ut patet infra 19. c. & ista erat fors sexta, & valde septentrionalis. Quamquam ergo una fuerit subiecta Israëlitæ, & cremata, manebant duæ, de quælibet poterat esse rex Iabini, qui presidit Israel. Alio modo responderi potest, & conuenientius, scilicet quod Asor ciuitas, quæ nunc destruxta est, & cōbussta est, fuit in qua postea rex Iabini dominatus est, q. pressit Iudeos, & conuocauit aliqualiter, quia illa Asor erat magna, cum rex ille Iabini esset tam potens in terra Chanaan, ut haberet nongentios falcatos currus, & exercitum magnū nimis, ut patet Iud. 4. c. ista autem Asor, de qua hic dicitur, est huiusmodi, scilicet quod rex Iabini conuocauit omnes alios reges ad debellandum Iudeos & venerunt. Etiam ipse locus erat caput omnium regnum terræ illius, cum dicatur hic, quod Asor antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat: aliae autem duæ ciuitates Asor non erant famosæ, ideo videtur quod de hac Asor, quæ nunc destruxta est intelligendum sit, quod ibi postea dominatus fuerit Iabini rex, de quo in libro Iudicium. Et tunc respondetur, quod Iudei nunc destruxerunt Asor occidentes populum, & cremantes ciuitatem, & non habitauerunt in ea, ideo Gentiles postea configentes cōtra Iudeos, & inualescentes incœperunt habitare in ciuitate illa, sicut prius habitauerant, & fuit Metropolis regnum, ut primò. De ista Asor dicendum est, q. quāquam non constet satis, quæ fuit de tribus supradictis, tamen rationabilius est dici fuisse Asor, quæ erat in tribu Nephthali, quā aliqua de duabus, quæ erat in tribu Iuda. Quod patet, quia iste rex Asor veniens in pugnam cōtra Israel conuocauit oīs reges de latere aquilonis, & terræ Chanaan, ut patet supradictum in principio, c. ex litera, & declaratis ibi: si tamē fuisse Asor ista aliqua de illarum duarum, quæ erat in sorte Iudea esset ad latus meridianum terræ Chanaan, cū tota fors Iudea esset meridiana, q. ipsa fuit prima incipiens ab oriente, & in occidente tendens tota cōiuncta lateri meridianō, ut patet j. 15. si autē rex Iabini fuisse de aliqua illarum duarum Asor fuisse meridianus, & conuocasset reges meridianos, conuocauit tamen reges Aquilonares, & nullum de meridianis: ergo erat rex in illa Asor, quæ erat ad septentrionem in sorte Nephthali. Item patet hoc ex loco, in quo conuenerunt ad pugnam, quia Gentiles veniebant ad pugnandum contra Israëlitæ manentes in castris Galgalæ: autem iste rex Ia-

D

E

F

bini

A bin venisset de parte meridiana prius venisset in castra Galgalæ, quā accessisset ad aquas Meron, vbi omnes reges Gentilium conuenerant, vt patet suprà. Quod patet, quia aquæ Meron sunt apud mare Ceneroth, quod est in latere septentrionali terræ illius, vt suprà probatū fuit, vt patet Nume. 34. sed prius venerunt Gentilium reges ad aquas Meron, quā ad castra Galgalæ, quæ satis declinabant in meridiem, cùm essent apud Iericho: ergo veniebant de parte aquilonari.

Item patet per fugam horum Gentilium: nam fugerūt ad partem aquilonarem, scilicet ad aquas Masserophot, & ad campum Maspera: tamē ista loca, vel regiones erant ad radices montis Hermon, vt patet suprà de campo Maspera in litera, & consequēter de Masserophot, quæ erat magis occidentalis aliquantulum, si tñ essent meridiani pugnatores isti, & Iabin rex Asor, nō fugissent versus aquilonem, sed in meridiem ad oppida sua, vt ibi concluderent: appareret ergo quod Asor, de qua erat Iabin rex erat septentrionalis, s. q. etiā sorte Nephtalim.

B Asor autem antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat. Ponitur causa quare omnes isti supradicti reges conuenerūt ad vocationem regis Iabin, scilicet, quia ciuitas sua Asor erat Metropolis inter alias ciuitates, & consequenter rex Asor tenebat principatum super alios reges. Et non dicitur, quod Asor tenebat principatum super omnia regna Chanaan, sed super omnia regna hæc, id est super omnia regna supraposita. Vnde Iabin conuocauit hic totam potentiam suam, scilicet omnes reges, quibus principabatur. Et non conuocauit plura regna Chanaan, quanquam plura superercent, scilicet omnes ciuitates, & regna Philistinorum, quia non erant subiecta ciuitati Asor. Cùm dicitur antiquitus non refertur ad tempus Iosue, sed ad tempus scriptoris huius libri, nā si tempore Iosue non fuissent regna omnia hæc subiecta regi Asor non conuenissent reges ad vocationem regis Iabin: ergo tūc erat subiecta. Item quia scriptura non ponit hanc clausulam frustra, si tamen tempore Iosue non essent subiecta regna hæc ciuitati Asor superfluum esset ponit hanc clausulam cum nihil declararet, sed referendo ad tempora scriptoris ita clausula hæc conuenienter, quia fuit scriptus liber iste à Samuel, vt suprà declaratum est, & respectu temporis sui erant antiqua ea, quæ facta fuerant tempore Iosue, & tunc exprimit in hoc scriptor libri, quod tempore Iosue erant subiecta omnia regna ciuitati Asor, & ad mandatum regis Asor conuenerunt omnes reges pugnaturi contra Israhel. Et dicit antiquitus fuisse hoc, quia tempore Samuels non manebat ista iubordinationis, cùm illa terra iam subiecta esset Iudeis, & Asor non esset iam caput regni, sicut antè erat: immò nullus erat rex, sed tunc cœpit esse primus rex in Iudeis, scilicet Saul. Et est exponendum, quod antiquitus caput erat Asor, id est, toto tempore, quo eam Gentiles obtinuerunt: ideo cùm post destructionem istam iterum redierit in manus Gentilium, vt suprà declaratum est, reges eius erant potentissimi, sicut patet de rege Iabin, qui pressit Israhel annis decem, vt patet Iudicum 4. Erat enim potentissimus rex cùm haberet nongentos currus falcatos, vt patet ibidem. Sed non esset nisi haberet alios reges sibi subiectos: alioquin enim reges terræ Chanaan paruae potestatis erant, quia erant valde multi: nam terram, quam possidebant 40. vel 50. reges: possidebat postea unus rex Iudeorum. Nec tamen erant reges valde magni, quod patet, quia Iosue occidit 31. reges, cœpitq. terras eorum, vt patet sequen. cap. & præter hos, duos alios reges occiderat Moyses, & postea terra magna capta est, sive tempore post modicū paulisper, sive tempore regum, & tñ in ista regnabat unus rex Iudeorum, ergo erant paruuli reges Chanaani. Sed Alor rex erat potestissimus, cùm tot currus falcatos haberet, ergo nō poterat habere, nisi alia quoq; regna sibi subiecta haberet. Percusit omnes animas que in ea erant, id est, occidit omnes qui erant in vrbe Asor. Accipitur anima pro homine, sicut est communis locus loquendi, tam sacræ Scripturæ, quā vulgarium, sic dicitur præced. c. quod occidit Iosue omnes animas, quæ in Hebron fuerant commoratae, & i. Machab. 2. dicitur, quod occiderunt hoites Iudeorum, vsque ad mille animas hominum, & dicitur anima pro ipsa re animata. Nec tamen potest accipi pro omnibus rebus animatis, quia non fuerunt pecora, & iumenta occisa, sed bellantibus diuisa est præda. Nec de eis accipi potest, quia dicitur, quod percussit omnes animas, quæ in ea fuerant commoratae, sed pecor

non dicuntur commorari, sed homines.

Et non dimisit in ea villas reliquias, id est, nō dimisit ibi aliquos habitatores, sicut alij victores faciunt, qui interdum captis vrribus occidunt quosdam, qui erant capita belli, reliquos aut subiecti in seruitutem, Iosue autem nec subiecit in seruos quosquam, nec fecit tributarios, nec vendidit alijs gentibus, lege prohibente, scil. quod nemo de Chananæis vita donaretur, Deut. 20. c. Postea tamen aliqui de Israhelitis subiectientes sibi Chananæos non occiderunt illos, sed fecerūt tributarios, vt patet de filiis Ephraim, infra 16, & de filiis Manasse, infra 17. c. sed istis ad malum imputatum est, quia propter hoc Deus dimittere voluit gentes in offendiculum illorum: nam dixerat Deus, quod si non occiderent Chananæos, illi essent eis clavi in oculis, & lanceæ in lateribus, vt patet Nume. 33. & comminatur ibi Deus, quod quidquid illis mali illaturus esset in Iudeos inferret. Idem patet Iud. 2. c. vbi Angelus Domini stetit in loco flentium, & increpuit Israhelitas, dicens: & pollicitus sum, vt non facerē irritum pactum meū vobiscum in sempiternum, ita dūtaxat, vt feriretis foedus cu habitatibus terra huius, & aras eorum subuerteretis, & nolastis audire vocem meam, quare hoc fecistis? quamobrem nolui eos delere à facie vestra, vt habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam. Et ob hoc Iosue, qui non dimittebat reliquias de his, quos tenere poterat laudatur, quod impluerit vniuersos sermones Domini, vt patet infra.

Sed vsg. ad internacionem vniuersa vastauit, id est, deleuit omnes. Internecio est totalis destruētio sive mors. Et dicitur populus vastari quando rapiuntur bona, & destruuntur aliqua ædificia, sed non dicitur vastari usque ad internacionem, donec occidentur omnes, qui in populo sunt, & sic fuit in vrbe Asor, vbi omnes fuerunt occisi, & dicitur vniuersa vastauit, id est, omnes homines, quia pecora & iumenta non vastata sunt, sed cessere pugnantibus.

E Inter-
ne-
cio
qd est.
C

Ipsamq. vrbum peremit incendio, id est, adhuc præter homines ipsammet vrbum destruxit incendens eam. Et dicitur perimere, id est, occidere, quod impropriè accipit, quia vrbs non potest perimi, sed q. animatum est, sed accipitur largè perimere pro destruere. Quare aut succedit Iosue vrbe Asor, cùm esset cōueniens ad habitationem Israhitarum, infra dicetur.

F Perime-
re quo
hic ac-
cipia-
tur.
C

Et omnes per circuitum ciuitates. Primo enim reuersus Iosue de persecutione fugientium Chanaeorum, venit pugnaturus contra Asor principalissimam vrbum, quā deleuit, & post hæc cœpit pugnare contra finitimas vrbes, & similiter cepit eas non breuiter, vel uno impetu, sed continuato bello magno tempore, vt patet infra, scil. multo tēpore pugnauit Iosue contra reges istos: nō tamen est intelligendum, quod oēs ciuitates Iosue ceperit, quia multæ manserunt, quas non cepit, sicut patet infra 13. c. sed accepit multis, & dicitur accepisse omnes. Reges earum cepit, percussit, atq. deleuit. Ferè omnes ciuitates istæ habebant reges: quia reges parui erant in terra Chanaan, cùm autem acciperet aliquam ciuitatem capiebat regem eius, atque occidebat, nam in bello pauci de regibus corruerant, sed confugerant in vrbes: nunc vero in eisdem capti occidebantur. Dicitur percussisse, id est, occidisse, quia licet percutere solam vulnerationem signet, raro tñ hic accipitur, nisi pro mortis inflictione, & iste est communis modus apud historicos. Dicitur deleuisse, i. totaliter destruxisse, quia non dimittebat villas reliquias in vrribus, quas cœpisset.

Sicut præceperat ei Moyses. Hoc potest referri ad captionem vrbi, aut ad destructionem vrbi, & regum. Quantum ad primū est sensus, quod fecit Iosue, sicut præceperat Moyses. Præceperat enim Moyses ei, q. confortaretur, & viriliter ageret, quia ipse diuidet terram Israhelitum, vt patet Deute. 3. & 31. & sic confortatus est, & pugnando laborauit diligenter, donec subiecteret gentes illas Israhelitum. Alio modo potest referri ad occisionem regum, & populorum, scil. quod Iosue fecit, sicut præceperat Moyses, quia ipse præcepit Deut. 20. vt nulli de Chananæis parceret, sed omnes occideret pueros, & senes, masculos, & feminas, & hoc fecit cū omnes reges percuteret, & populos eorum deleret.

Quare
Moyses
Domini fa-
mulus
voca-
tur.
C

Familius Domini. Vocat Moyses famulus Dei, quia nimis sequebat præcepta Dei super omnes Israhelitas, & firmiter adhærebat Deo credens dictis eius. Cæteri aut Israhelitæ ex aliqua parte claudicabant: ideo vocauit Deus Moyses fidelissimum in tota domo sua, vt patet Num. 12. c. & ad Hebræ. 4.

A

Absq; vrbibus, quæ erant in collibus, & tumulis suis sitæ cæteras succedit Israël. Id est, quamquam caperent ciuitates multas, tamen non habitabant in eis, sed succendebat, solas autem vrbes, quæ erant in collibus, id est, in montibus altissimis, & in tumulis suis, id est, in aliqua altitudine, quamquam non essent in montibus, non combusserit Israël.

Quare Iudei cremabant vrbes, quas capiebant præter eas, quæ erant in collibus.

QVÆSTIO VI.

CAVS A huius fortè erat, quia Israelitæ erant adhuc in paruo numero, & non poterant habitare in his vrbibus: ideo ut non manerent vacuæ, & venirent gentes ad morandum in eis comburebat eas Israël. Sed dices, quomodo Israelitæ pugnabant contra gentes istas si ciuitates susceptæ eis sufficiebant ad habitationem? Dixerat enim Deus, quod non daret illis simul totam terram Chanaan, sed paulisper, quia Israël erat in paruo numero, & non poterat implere totam terram: crescerent enim bestia cōtra ipsos, vt patet Exo. 33, sed solum daret eis successiūe, sicut ipsi successiūe multiplicarentur, sed dabat Deus illis ciuitates has, ergo erant necessariae ad habitacionem eorum.

Respondendum est, quod Israelitæ non poterant replere omnes ciuitates, quas ceperant, & tunc uno impetu cōtinuati belli capti erant: ne igitur à gentibus occuparentur cremabantur, & tunc erant inutiles ad habitationem, nisi præcedenti magno labore nouiter cōstruendo domos, q; magno egebat tempore. Sed tunc dicetur, quare nunc tradebat Deus in manus Israëlitarum gentes istas, cum adhuc non egerent Israelitæ tot vrbibus? Respondendum est, quod siebat propter duo. Primo, quia gentes istæ, quas Deus tradidit nunc in manus Israël, erant pessimæ, & induratae: demerabant ergo peccatis suis, vt morerentur nunc, nec eorum vita, sicut aliarum gentium in longum tenderetur, vt patet infra, scil. Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent cōtra Israël, & caderent, & non mererentur illâ clementiâ. Alia causa erat, & principalior, q; si solum tradidisset Deus in manus Israël tot ciuitates, quot eis ad habitandum tunc essent necessariae, maneret valde multæ gentes Chanañorū vsq; ad mortem Iosue nondum multiplicatis Israelitæ, & auderet irruere super Israelitas, atq; premerent eos: nūc autem deletis omnibus g̃tib; quas subuertit Iosue manebant pauci de Chanañais: ideo etiam si moreretur Iosue non auderent insurgere contra Israelitas, nisi cum Deus concitaret gentes contra Israelitas in pœnam suorum facinorum, sicut faciebat tempore Iudicum, quia cum declinarent ad idola tradebat eos Dominus in manus regum Gentilium aliquando Chanañorū, aliquando non Chanañorū. De non Chanañis patet, vt de Chusen Rasathain rege Mesopotamiae, Iudic. 3. c. cui seruerunt magno tempore, & de Eglon rege Moab, cui seruerunt 18. annis, Iudic. 3. De rege Chanaño, sicut de albin rege Asor, cui seruerunt dura seruitute annis decem, vt patet Iudicum quarto. Sed isti non mouebantur ad pugnandum à seip̃s, sed Deus mouebat illos, tanquam instrumenta, & sic dicitur eisdem cap. scilicet suscitauit Deus Chusen, vel suscitauit Eglon, & ob hoc dicitur interdū vocare eos. Sic dicit de Nabuchodonosor, quod Deus vocauit eum ad pugnandum contra Iudeos, Isaiae 5. scil. & leuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet. Et hoc quidem, q; isti erant instrumenta Dei punientis, sicut virga & baculus sunt instrumenta nostra ad percutiendum in ira nostra, & sic vocat Deus regem Sennacherib virgam furoris sui, id est, virgam qua percutit Iudeos quād est in ira magna, sic patet Ifa. 10. scil. Vx Asur virga furoris mei, & baculus ipse, in manu eorum indignatio mea: ad gentē fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia. Ita igitur gentes residuae essent instrumentum iræ Dei, quando punire vellet Iudeos: cum tamen Deus non moueret eos ad bellum, non mouerentur ipsi considerantes paucitatem suam, & magnifica gesta Hebraeorum: si autem mansissent in magno numero susceptis paucis vrbibus eoru per manus Iosue, etiam si Deus non moueret eos, auderent insurgere contra

Hebreos, ideo fecit Deus illas tradi in manus Hebraeorum. Nec enim traditæ sunt ciuitates propter seip̃s: nec ob hoc pugnabat Iosue, vt vrbes caperet, sed vt gentē ciuitatum deleret, quia tamen deletis hostibus manebat vrbes, ne gentes residuae vellent habitare in illis, & sic multiplicarentur hostes Iudeorum, combustæ sunt; non tamen fuerunt omnes vrbes combustæ, quia aliquibus egebant Israelitæ ad habitandum: relicta sunt autē ciuitates, quæ erant in montibus, & tumulis, q; ista erat magis defensabilis ex congruentia situs, & Israelitæ tuius manerent in eis. Si autē obijciatur, quod non fuerit ista causa, quare fuerunt ciuitates succensæ, quia Israelitæ non habebant sufficientē locum ad habitandum distributa eis terra in sortes, vt patet de tribu Ephraim, quæ conquesta est se modicum habere locum habitandi, & respondit Iosue, quod ascenderet in sylvas ad succidēnum sibi loca habitacionis, vt patet inf. 17. c. Respondendum est, quod capta terra, & diuisa fuit sufficiens ad habitandum toti Israël, nec aliqua tribus cōquesta est de paruitate loci præter Ephraim, quæ magnū habebat populum, & non prouenit ei fortè tanta sors, quanta egebat pro tempore, quia sortes erat inæquales. Nam sors Iudea erat valde magna, vt patet infra 15. & fortè superabundabat ad necessitatem eius pro tunce. *Vnam tantum Asor munitissimam flammam consumpsit.* Quasi dicat omnes ciuitates, quæ erant in planis non habentes fortes muros, quia non erant benè defensabilis combustæ sunt ex causa suprà posita: de ciuitatibus tamen munitissimis, & existētibus in collibus nulla combusta est, præter unam, scil. Asor. Israël est Asor cuius erat rex Iabin, qui conuocauit in pugnam contra Israël omnes reges supradictos, & est in parte leptentrionali in forte sexta Nephthali, de qua suprà dictum est. Quare autem specialiter ista combusta fuerit inter omnes munitissimas. Dicit Nicolaus fuisse, quia rex illius erat magis hostis Israël, quam cæteri, quia conuocauerat cæteros reges ad pugnandum. Sed non multum stat, quia rex erat hostis, & non murorum ambitus, potissimum, quia capta vrbe, & deleto populo ciuitas ipsa ad Israëlitas pertinebat: ideo cum comburerent eam, nō cremabant vrbem hostilem, sed suam. Ad aliquam ergo vtilitatem Iudeorum hoc referendum est, & non ad vindictam, sicut de cæteris vrbibus, quæ in plano erant, factum est non ad vindictam, sed ex causa dicta. Dicendum igitur de Asor, quod quamquam esset munitissima, tamen periculoso erat eam conseruari, quia gentes residuae bello impeterent habitatores eius, & difficile esset eis resistere. Voluit ergo tollere Iosue scandalum quotidianum: motiuum autē gentium ad pugnandum magis pro vrbe Asor capta, quam pro cæteris erat, quia Asor antiquitus, id est, tempore eorum potestatem habebat super omnia regna suprà polita, vt patet in litera: *Quisquis ergo erueret ciuitatem illâ de manu Iudeorum habet principatum cōpetentem cū vrbe illa super reliqua regna, ad potiēdum autem isto sceptro magni dominij omnes reges residui de Chanañis pugnarent, periculoso ergo erat talē in habitare ciuitatem: fuit autē melius cā delere incendio.* Motiuum superiū patet per ea, quæ secuta sunt: nam quamquam vrbis incendio perierit, tamen gentes illam potest habuerunt, & fuerunt ibi reges potētissimi subiecta habentes omnia regna terre illius, sicut fuerat ante Iosue, vt patet de rege Iabin, qui fuit rex Asor tempore Debora prophætissæ, & seruauit ei Israël decem annis seruitute magna, vt patet Iudic. 4. c. non reperierunt autem aliquam sic litigiosam, & impetibilem vrbem à Chanañis Israelitæ, ideo de munitissimis hanc solam flamma consumpsit. *Omnem prædam istarum vrbium, ac iumenta diuiserunt sibi filii Israël.* Præda vocatur strictè pro solis inanimatis, scil. pro suppellectilibus, & auro, & argento, atque moneta. Iumenta largè accipiuntur pro omnibus animalibus brutis: nam non solum iumenta, quæ vocatione animalia ad laborem, & nō ad cibum diuiserūt Israëlitæ, sed etiam pecora: nihil enim de his periret, quæ ad usum Israëlitarum peruenire potuerunt. Nec etiam estimet quis, quod vrbes istæ, quæ combustæ fuerunt ab Israëlitis, fuerunt positæ sub interdicto, sicut vrbis Iericho, & Hay. Nā vrbis Iericho, quantū ad se, quam quantum ad omnia, quæ in ea erant, interdicto subiecta fuit, & maledictio posita est, si quis eam fundaret in æternum, suprà 6. ca. De vrbe Hay non fuit similiter factū, quia sola vrbis interdicto supposita est, scil. vt esset tumulus æternus, vt patet 8. Et non licuit cuiquā de Iudeis

An ista
vrbes
fuerint
posita
Sub in-
terdi-
cto si-
cuit
vrbis
Hay.
Or lo-
richo.

A dæs ibi fundare sedes, sicut nec in Iericho: causæ autem interdictorum horum locis præallegatis expositæ sunt: istæ vero vrbes nunc incédo vastatæ non fuerunt combustæ ad honorem Dei, sicut ciuitates supposita interdicto, sed ad utilitatem Iudeorum ne Gentiles pugnarent ad accipendum eas si habitacula, & cuncta earum ædificia constitissent: ideo non dicitur de his ciuitatibus combustis, quod positæ iuerunt, sicut ut tumuli æterni, sicut dicebatur de vrbe Iericho, & Hay. Nā licet nunc combustæ fuerint, licuit tamen postea Israëlitæ restaurare eas ad habitandum cum ad maiorem quantitatē populus peruenit, & sic factum est. Si tamen fuissent suppositæ interdicto, nunquam licuisset in eis fundari fides, sicut nunquam licuit in Iericho, & Hay, & qui ibi fundauerunt, maledictionem incurserunt, vt patet 3. Reg. 16. & declaratum est supra 6.

An præda fuerit diuisa inter omnes Israëlitæ, vel inter solos bellatores.

Q V A S T . VII.

C V M dicitur hic, quod tota præda diuisa est filiis Israël, est dubium, an intelligentur omnes Israëlitæ, vel soli vi-ri bellatores. Aliquis dicet omnes Israëlitæ intelligi, quia dicitur, quod diuisa est præda filiis Israël. Sed hoc non probat solide, quia etiam soli bellatores vocarentur filii Israël absolute, tanquam essent omnes Israëlitæ, & non solum hoc, sed etiam vocantur totus Israël, vt patet præcedenti c. scil. transiit Iosue cum omni Israël de Mæcada in Lebna, & iterum de Lebna transiuit cum omni Israël in Lachis. sed ibi solum in-telligebatur pro bellatoribus, cum omnes alij manerent in castris apud Iericho in Galgalis, vt ibi declaratum est. Hoc ta-men non obstante, dicendum est, quod Israëlitæ diuiserunt inter se prædam, nec soli pugnatores habuerunt: nam & in de-serto morantibus Israëlitæ, cum iuissent quidam de seipisis ad Mædianitas, vt delerent regionē illam, delecta terra, & reportata præda in castra diuisa est inter pugnantes, & nō pugnantes, licet non ex æquo, quia pugnantes acceperunt medietatem prædæ, & toti populo nō pugnanti reliqua medietas ce-ssit, vt patet Num. 31. c. nunc autem omnes censemantur esse in bello, cum essent in terra, quæ eis in fortē prouentura erat. Et sic videtur de præda vrbis Hay, de qua dixit Deus: Prædam autem, & cuncta animantia deripietis vobis, & non dixit spe-cialiter de pugnantibus. Postea in executione huius dicitur, quod iumenta, & omnem prædam ciuitatis diuiserunt sibi filii Israël, & non dicitur de pugnantibus specialiter. Item quia dato, quod non diuideretur præda, nisi inter pugnantes diu-debatur inter omnes Israëlitæ, quia omnes venerant in pugnam hanc præter eos, qui ex defectu ætatis non erant apti ad bellum: nam præsenctute nemo excusabatur, quia de Israëlitæ nemo esse poterat tunc annorunt sexaginta completorū tempore, scilicet, trāitus Iordanis, nisi Iosue, & Caleb, & hoc quantum ad 12. tribus. Secus autem de Leuitis. De hoc satis declaratum fuit supra 4. c. Si autē dicas, quod aliqui manebāt in castris ad custodiā castrorum, cum essent ibi pecora, & parvuli, atque mulieres, etiam his deberet ex æquo pars præde-dari, quia isti erant in bello, sicut & cæteri, qui actualiter pu-gnabant: nam æqua pars est manentis ad sarcinas, & descen-dentis in bellum, vt patet 1. Reg. 3. c.

An Leuitis fuerit data portio.

Q V A S T . VIII.

D E Leuitis aliquis dubitabit an fuerit eis data portio prædæ sicut cæteris. Et ad hoc dicendum est, quod aut Leuitæ pugnabant, sicut reliqui Israëlitæ, aut non: si pugna-bant sicut cæteri, non est dubium, quin proueniret eis pars prædæ, licet non euentura esset eis pars hereditatis in fortē, vt patet infra 14. Si autem cæteris pugnantibus ipsi non sinerentur ire ad pugnam, dicendum est, quod non daretur eis pars prædæ, tanquam haberent ius diuidendi, sed daretur de præda totius populi, velut in eleemosynam, vel in oblationem, sicut factum est in pugna contra Mædian: quia diuisa præda inter pugnatores, & reliquum populum non pugnante, de-

quingentis capitibus, qui prouenirent in pugnatorum partē dabatur caput vnum Eleazaro sacerdoti, scilicet, pro se, & re-liquis sacerdotibus, & de quibuslibet capitibus 50. proueniē-tibus multitudini non pugnanti dabatur caput vnum Leuitis, vt patet Num. 31. c. hic autem dato hoc casu adhuc abun-dantius fieret diuilio, quia erat maior præda.

An Leuitæ ac sacerdotes pugnauerint in bellis contra Chananeos, & an sit eis licitum pugnare.

Q V A S T . IX.

Q VÆRET autem aliquis an Leuitæ pugnauerint, & sacer-dotes in bellis istis contra Chananeos. Respondebit aliquis, quod non pugnauerint, quia cum Deus iussit nu-merari pugnatores in qualibet tribu in eis, qui transibant ad nomen: fecit de omnibus tribubus 12. accipi summam: de Leuitis autem iussit, quod non poneretur summa eorum cum fi-lijs Israël, sed constituerentur super opera tabernaculi, vt pa-tet Num. 1. c. ergo non pugnabant ipsi. Item patet Num. 31. de bello Mædian: nam de singulis tribubus bellatores electi sunt, scil. de qualibet tribu mille, vt ibidem habetur: de Leuitis ramen nō accepti fuerunt aliqui pugnatores, ergo nec post trā-situm Iordanis Leuitæ, & sacerdotes pugnauerunt. Item di-cetur, quod nō licebat pugnare Leuitis, & sacerdotibus, quia pertinebant isti ad diuinū ministerium, & non licet ministris altaris effundere sanguinem, immo, qui hominem occiderit est irregularis, & non potest assumi ad diuinum ministerium, vel si assumptus fuerit non ministrabit amplius.

Respondendum est, quod certitudinem declarari nō po-test an Leuitæ, & sacerdotes pugnauerint in bellis istis contra Chananeos: satis tamē rationabiliter videtur dicendū, quod pugnauerint, & ad hoc inducunt duo. Primum, quod essent necessarij Israëlitæ multi bellatores. Secundum, quod Leuitis, & sacerdotibus pugnare illicitum non esset. De primo patet, quia Israëlitæ pugnabant contra valde multos, ideo multi pu-gnatores erant necessarii: nam licet tota victoria Israëlitarum esset in cōfidentia virtutis Dei, tamen prudentia humanare-gebantur in quantum Deus præcepta contraria non daret, ideo cum essent paucissimi hostes, paucos mittebant bellatores, vt patet supra 7. vbi contra vrbum Hay miserunt tria milia virorum, quia erant pauci viri vrbi illius: cum autem erant hostes multi, ibat totus populus sicut contra reges 5. manētes super Gabaon, vt patet præcedenti c. ideo cum interdum val-de magnam scirent esse copiam hostium, sicut in pugna ista ad aquas Meron, quotunque possent habere pugnatores ac-ciperent, nam & si non esset victoria ipsorum in multis, & pau-cis, vt patet 1. Machab. c. 3. sed de cœlo erat fortitudo: tamen cum plures essent confidentius aggrediebantur. Siigitur de Leuitis essent viri multi potentes in armis, sicut de ceteris tri-bubus, & non erat eis illicitum pugnare, quid causæ erat, qua-re non pugnarent, non potest apparere. Secundum patet, sci-licet, quod Leuitis, & sacerdotibus licitum esset pugnare. In quo primo considerandum est, quod necessarium erat sacer-dotibus ire ad bellum quomodounque esset. Primo ibant sacerdotes aliqui ad confortandum bellatores: nam in ipso ingressu belli sacerdos stare debebat coram aciebus dicens: Audi Israël, vos hodie contra inimicos vestros pugnam com-mittitis: nō pertimescat cor vestrum, nolite timere, nolite ce-dere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. Erant quoque necessarij sacerdotes in quolibet bello ad clangendum in buccinis argenteis: nam quan-docunque iretur ad bellum, clangendum erat in his buccini-nis, vt patet Numer. 10. scilicet, si exieritis ad bellum de terra vestra cōtra hostes, qui dimicant aduersum vos clangetis vlu-lantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum, sed in his tubis non erat licitum clangere alicui, nisi sacerdoti, vt patet Numeri decimo, scilicet, filij Aaron sacerdotis clangent tubis, eritq; legitimum sempiternum generationibus vestris, & obseruabatur ad hoc in omnibus bellis Iudeorum, sicut fuit in bello contra Mædian: nam Phinees sacerdos filius Eleazari sacerdotis magni iuit cum Iosue duce belli por-tans tubas sacras ad clangendum, vt patet Num. trigesimo-

D

E
Respon.
ad que-
stionem.

F

primo,

A primo, scilicet, vala quoque laneta, & tubas ad clangendum tradidit ei. Idem patet in bello facto contra Iericho: nam cum lustraretur vrbs per septem dies, sacerdotes septem praece-
bant arcam clangentes in septem tubis iubilariorum, ut patet Iosue sexto. Aliquando etiam sacerdotes ibant ad bellum ad portandum illuc arcam, quod patet primo Regum quarto, ex testimonio Philistinorum dicentium: Vnde nobis, non fuit tanta exultatio Hebraeis heri, & nudius tertius, quis nos liberabit de manu deorum istorum sublimium? Ex quo vide-
tur, quod heri, & nudius tertius in bello non fuerat arca, ideo duo prima officia sacerdotum in bello erant necessaria. Ter-
tium autem istud erat contingens, & tamen quandocunque arca portanda foret in pugnam, portabant eam sacerdotes, ut patet in bello contra Philistijm quando eam portauerunt
duo filii Eli, scilicet, Ophni, & Phinees, ut patet 1. Reg. 4. id
fuit in bello contra Iericho, quia ibi sacerdotes quoque por-
tabant arcam, ut patet Iosue 6.

Considerandum amplius, quod sacerdotibus non erat illicitum pugnare, quia pugna quando est iusta, dicitur illicita alicui personae si nullo modo licet ei occidere, & effundere sanguinem: in bello tamen iusto sacerdotes non incurribant irregularitatem aliquam, ut nunc incurruunt, sed potius in hoc fiebant habiliores ad sacerdotium, si zelo Dei facerent. Unde Leuitae, ideo meruerunt habere sacerdotium inter ceteros Israelitas, quia cum Moyses punire vellet in peccatoribus noctis idololatria clamauit dicens: si quis Domini est iungatur mihi, & conuenierunt ad eum filii Levi, qui occiderunt omnes idololatrantes, pro quo Moyses adiunxit dicens: consecratis hodie manus vestras domino unusquisque in filio, & fratre suo, ut detur vobis benedictio, ut patet Exod. 32. cap. Ita etiam Phinees filius Eleazar summi sacerdotis, motus zelo Dei transfodit pugione principem tribus Simeon coeuntem cum Madianitide per loca genitalium, & ob hoc promisit Deus sacerdotium aeternum illi, ut patet Numer. 25. & primo Machabaeorum 2. ca. Non erat igitur apud sacerdotes veteris testamenti illicitum homicidium, ut apud sacerdotes nostri testamenti: nam & Matathias summus sacerdos trucidauit super altare eum, qui immolatit, & principem cogentem immolare, ut patet primo Machabaeorum ca. 2. & non solum licet facere haec zelo legis, quae specialia erant, sed etiam in pugna contra hostes esse licebat, & fortiter cedere, sicut patet de Machabaeis fratrib. filiis Matathiae, quorum quilibet sumnum tenuit sacerdotium: primò Iudas, deinde Jonathas, postea Simon, deinde Ioannes Hircanus filius Simonis. Geisserunt tamen bella fortia temporibus suis, ut patet ex primo, & secundo libris Machabaeorum, & ipsi dum essent summi sacerdotes erant duces bellorum, atq; in bello vitam finierunt. Patet ergo in veteri testamento, quid nihil magis illicitum erat sacerdotibus, & Leuitis pugnare, quam popularibus, cum ergo Iudeis tempore hoc, quo contra Chananæos pugnauerunt, multi pugnatores necessarij essent, aut saltem valde opportuni, ut supra declaratum est, videtur rationabiliter dicendum; quod pugnauerint.

Item quia dicitur s̄epe, quod Iosue cum toto exercitu pugnatorum contra tales, vel tales reges dimicabat. vt patet praecedenti ca. sed Leuitæ dicuntur pugnatores, cum ipsis, vt cæteris, pugnare liceret: ergo ipsi quoque pugnabant.

Item non videbatur conueniens, quod cæteris viris foribus eunib[us] in bellum, soli Leuitæ non habentes aliquā causam legitimam, aut coloratam non pugnandi manerent in casis ergo pugnauerunt.

Item si de Leuitis diceretur, quod non pugnauerint, ita dici poterit de filijs Iudæ, vel Beniamin, aut quacunque tribus quod non pugnauerit, quia non habebant maiorem causam fæciliorem, & Leuitæ abstinentiæ à bello cum eis totaliter esset licitum, quam quælibet alia tribus. De qualibet autem tribus alia est inconveniens dici, quod non pugnauerit, quia eadem ratione diceretur de omnibus, cum æqua ratio sit: ergo non est dicendum de Leuitis, quod non pugnauerint.

Item patet, quia erat magna necessitas bellatorum: nam fuerat pactum initum cum filiis Ruben, & Gad, atque dimidiæ tribus Manasse, quod transirent cum reliquis tribibus Iordanem, & non redirent, usquequo illæ haberent possessionem suam. Et si facere nollent non dimitteretur eis terra, quam sibi cuperant ante Iordanem in possessionem, ut patet

Num. 32.ca. si ergo isti , qui iam pacificè possidebant terram ,
compulsi sunt magno cum labore extra loca sua peregrinari
relictis parvulis , & vxoribus omnibus , quæ possidebant ante
Iordanem , quanto magis Leuitæ , & sacerdotes , qui erant in
castris , erantque viri fortissimi , irent ad bellum ? non enim vi-
detur rationabile conrrarium asserere .

Ad argumenta in contrarium respondendum est. Ad pri-
mum quando dicebatur, quod quando numerati sunt viri bel-
latores, non fuerunt computati cum eis Leuitæ.

Respondendum, quod in hoc non est eis ablatum, quod liceret pugnare, & posset ad hoc multipliciter dici. Primo, quod cum computati sunt Israelite, quorum summa habetur Num. i. non fuerunt computati, ita ut omnes, qui computabantur assignarentur, ut pugnatores: nam ibi etiam copubabantur vetustissimi, qui non erant apti ad bellum, ut declaratum est Nu. i. & 14. sed vocantur viri bellatores, quia computabantur omnes qui transibant ad nomen ab anno 20. & supra, & tam ultra antra annum 20. est homo aptus ad bellum: si autem computati fuissent aliqui viri specialiter ad bellum, non erat inconveniens, quod ibi computarentur aliqui de Leuitis: ideo per numerationem illam non differebant Leuitae a ceteris, quantum ad hoc, quod licitum, aut illicitum esset pugnare.

Alio modo dici posset cōcedendo, quod infertur, scilicet, quōd Israēlitæ fuerunt computati, vt bellatores, & Leuitæ non fuerunt computati cum eis, nec designati ad bellum, & hoc quidem non tanquam illicitum foret eis pugnare, sed quia Deus dabat eis officium speciale, in quo vacarent, sicut Israēlitæ in bello, & ob hoc quamquam licitum esset pugnare, tamen non obligabantur cum cæteris ire ad pugnam, quia habebant speciale officium, cui satis erat eis deferire. Sed magna differentia est in deserto, & in terra præmissionis, quia in deserto cum esset frequens motus, & ipsi portare deberent vasa lacræ ministracionis, & totum sanctuarium sufficiebat eis motus iste, ideo non occupabantur circa actus bellicos, cum vero transierunt Iordanem pugnaturi cōtra contra Chananæos, non erat sic, quia sanctuarium semper mansit in Galgalis toto tempore pugnæ: quia ibi erant castella populi, & non mouebatur de loco ad locum usquequo data pace Israelitis, collocauit totus populus sanctuarium Domini in Silo, quod colligitur infra decimooctauo capitulo, nisi cum venit totus populus de Galgalis in montem Hebal, & Gari-zim ad confirmandam legem, & stetit ibi arca Domini, vt patet supra octauo, reliquo autem tempore nunquam fuit motus de Galgalis, vt pater ex processu libri huius: non habebant ergo tunc Leuitæ aliquam occupationem circa sanctuarium, ideo poterant pugnare cum eis. Si autem per separationem illam, quæ habetur Numer. primo intelligeretur, quōd non erat licitum amplius Leuitis pugnare, tanquam ministris Dei, nunquam pugnauissent, sicut sacerdotes nunc non possentire ad bellum aliquod cum proposito occidendi. Religiosissimi tamen viris inter sacerdotes veteris testamenti licuit occidere: immo ex hoc, quōd occidebant erant religiosiores, ut patet ex supra dictis, ideo non fuit inhibita pugna eis Numer. primo cap.

Alio modo responderi potest, quod Deus dixit. Num. primo non esse computandos Leuitas cum Israelitis: non quidem quod non liceret eis pugnare, sed quia dabatur eis speciale officium: ideo erant specialiter, & seorsum computandi nam in popularibus non erat commissa aliqua specialis administratio Dei: Leuitis autem erat data ministratio in portando sanctuarium, in erigendo quoque cum castrametandum foret, & deponendo cum mouerentur castra, & excubando in circuitu illius manentibus castris, vt patet Numer. 1. sed in omnibus officijs, & ministracionib. magis sic est, quod cum sunt diuersa officia, omnes officiales ministracionis vniuersaliter computandos sunt, & seorsum administrantibus in aliquo officio describuntur, vt non fiat confusio, & hoc idem inter ipsos Leuitas obseratum est. Nam, quia diuersa erant officia Caathitarum ab officijs Germonitarum, & Meraritarum non accipiebatur una summa totalis eorum, sed de quibuslibet siebat specialis summa, vt patet Num. 3. & 4. c. distinguebantur Leuitae a ceteris Israelitis, non tanquam ministri vnius officij a ministris alterius, sed tanquam habentes ministracionem aliquam a non habentibus ullam ministracionem.

Alio modo responderipotest, & adhuc solidius, quam in omni-

A omnibus superioribus, scil. quod Deus iussit non ponis sum-
mam Leuitarum cum Israëlitis, quia non erant computandi
eodem modo, iubebat enim Deus, quod omnes Israëlitæ com-
putaretur à 20. annis, & suprà, vt patet Num. 1. & hoc quia so-
lum volebat cōputari eos, qui trāseunt ad numerū secundū
legem: constitutum autem erat omnes transire ad numerum
à 20. annis, & suprà, & qd quilibet numeratus daret dimidium
sicutum, vt patet Exod. 30. c. ideo si computaretur Leuitæ sub
eadem summa Israëlitarum fieret computatio in eis eodem
modo, scicet à 20. annis, & suprà, Deus tamen in Leuitis vo-
lebat fieri aliam computationem. Et hoc dupliciter, quia pri-
mò volebat computari omnes Leuitas ad accipiendo ipsos
pro primogenitis Israëlitarum: secundò volebat eos compu-
tari pro distributione officiorum. Pro prima computatione
accipiendi erant Leuitæ ab uno mense, & suprà, vt patet Nu-
me. 3. cap. pro secunda computatione accipiendi erant Leuitæ
ab anno 25. vt patet Nume. 8. vel ab anno 30. vt patet Nu-
me. 4. non erat autem talis computatio Leuitarum, sicut cæ-
terorum Israëlitarum: ergo non debebant poni sub eadem
summa, & ista fuit causa potissima, quare Deus iussit, vt non
computarentur Leuitæ cum Israëlitis, & non vt non licet
cī pugnare cūm postea licuerit. Ad secundum argumentum
cūm dicitur, quod in bello contra Madian assumpti sunt ali-
qui de qualibet tribu, scilicet mille de Leuitis autem nulli as-
sumpti sunt: ergo non pertinebat pugnare ad Leuitas: respon-
endum est, quod cūm pugnatum est contra Madian pauci
de Israëlitis erāt necessarij: nam de tanta multitudine, foli 12.
millia fuerunt missi ad pugnandum, vt patet Num. 31. c. nunc
erant necessarij multi pugnatores, quia non solum illi, qd erāt
de nouem tribubus, & dimidia transeuntibus Iordanem in
pugnam vocati sunt, sed etiam Rubenitæ, Gaditæ, & dimi-
dia tribus Manasse, qui habitabant ante transitum Iordanis
compulsi sunt ire in pugnam: ideo cūm pugnatum est con-
tra Madian non erat aliquid, quare omnes Israëlitæ illuc ire
deberent, & manserunt in castris plurimi: cūm verò pugna-
num fuit contra Chananæos transito Iordanem erāt necessarij
multi bellatores: ideo rationabile fuit ipsos Leuitas assumi.
Ad tertium argumentum cūm dicitur, quod non licet mini-
stris Dei effundere sanguinem, & occidere, sed qui occiderit
quemquam irregularis est. Respōdendum est, quod in nouo
Testamento occiso, & bigamia, & quædam alia inducunt ir-
regularitatem, ita quod si quis ista commiserit ad sacros or-
dines promoueri non potest, vel si iam fuerit promotus, ces-
sabit ab omni officio, & hoc qd sic iussit Apostolus. In veteri
aut Tēstamento nihil horum vetitū erat: ideo esse bigamum,
trigamum, aut quadrigamum, non faciebat irregularitatem:
idem de occisione, vt in superioribus inductum est, immò
ipsa effusio sanguinis faciebat aliquem dignum sacerdotio,
vt patet de Phinees, Numer. 25. & 1. Machabæorum 2. cap.
Causa autem differentiae est, quia status sacerdotalis est hic
verior, & perfectior, quā in veteri Tēstamento: ideo ratio-
nable fuit aliqua vetari sacerdotibus nostris, quæ non erant
vetita sacerdotibus temporis illius, sicut simpliciter status
totus noui Tēstamenti est perfectior statu veteris Tēstamen-
ti: nam in veteri Tēstamento libellus repudij, & vñfūræ, & quæ-
dam alia permittebantur, quæ non permittuntur in nouo.
Patet ergo ex prædictis, quod Leuitæ trās Iordanem pugna-
uerint contra Chananæos, sicut reliquis Israël, & cōsequen-
ter acceperint partes in præda.

Cunctis hominibus interfectis. Id est, diuīsio præda facta est,
postquam occisi sunt omnes homines harum ciuitatum: nā
dum bellum durauit, quanquam caperetur quotidiana præ-
da non diuidebatur, quia aliquando præda ciuitatis erat par-
ua, & non poterat conuenienter diuidi inter tantam multi-
tudinem: ideo seruabatur vñque ad ultimum, & tunc cessante
bello diuīsa est.

Sicut præcepérat Dominus seruo suo. Hic ponitur quomodo
Iosue quantum ad omnia, quæ fecit obseruabat legem Do-
mini, & hæc data est per Moysen. Deus autem primò dedit
eam Moysi, & sicut ipse præcepit Moysi: ita præcepit Moyses
Israeli. Et dicitur, sicut præcepérat Dominus Moysi, quia lex
data Iudeis non dabatur immediate ipsi, sed loquebatur
Angelus Domini Moysi in secreto, & postea Moyses propo-
nebat eam publicè toti populo: solum autem accepit Israël
præcepta decem immediate à Deo in voce tubæ, patet Exo-

di 19. & 20. cætera Deus locutus fuit Moysi, & Moyses pro-
ponebat populo. Causa autem quare illa Deus in voce tubæ
populo locutus est, & nulla alia, declarata est Exod. 20. cap.
Considerādum, quod hoc quod dicitur, scil. quod Iosue ob-
seruavit legem, sicut præcepit Dominus Moysi, non est refe-
rendum ad omnem legem, quia non obseruabat nunc omnē
legem Iosue: nam cæmonialia non obligabat pro isto tem-
pore, sed solū quando esset data pax ab omnibus nationibus
in circuitu, vt patet Deuter. 12. nunc autem erat continuum
bellum. Etiam quia dato, quod Israëlitæ vellent obseruare
leges sacrificiorum quotidianorum, & cæmonias festorum,
non poterant, quia ista requirunt magnam tranquillitatem,
ipsi autem quotidianis implicabantur bellis, sed solum refer-
tur ad ea, quæ tangebant materiam, in qua Iosue versabatur,
scilicet circa actus bellicos, & sequentia ad bellum, & de his
erant date leges Moysi, quas obseruabat Iosue. Primò de
bello: nam erat data lex, quod cum gentibus extraneis quādo
esset bellum possit iniri fœdus non occisis hostibus, & si pu-
gnando caperentur ciuitates soli viri pugnatores destrueban-
tur: parvuli autem, & foeminae non occidebantur, sed assu-
bantur in seruos. Si autem essent de gētibus terra Chanaan,
non poterat aliquis sumi in seruum, aut relinquviens ali-
quo pacto pacis, sed omnes occidebantur, vt patet Deut. 20.
c. hanc legem obseruavit Iosue, quia de ciuitatibus, quas ac-
cipiebat nullas omnī dimittebat reliquias, vt patet ex su-
perioribus, præcedenti c. & hic. Erat etiam lex de consequen-
tibus ad bellum, scil. de diuīsione prædæ, quod diuideretur
exercitiui, vt patet Deute. 20. c. hanc quoq; obseruabat Iosue,
vt patet supra immediate, quia cæsis omnib; hominibus ter-
ra illius præda diuīsa est filijs Israël.

E

Ita præcepit Moyses Iosue. Lex data erat vñiuersaliter ad totū
Israël, vt patet in omnibus libris legalibus, & non magis ad
Iosue, quā ceteros, quia tamen Iosue successurus erat in
ducatum totius populi, Moysi iussit Deus, vt Moyses confor-
taretur eum, & corroboraret, vt patet Deuter. 3. & 31. c. & tunc
Moyses dixit præcepta aliqua specialiter, scil. quod quanquam
commendaret ei obseruare totam legem, tamē quia dux fu-
turus erat, dabant ei specialiter præcepta, quæ ad regimen du-
cum pertinebant, & hæc obseruavit Iosue.

F

Et ille vñiuersa copiavit, id est, vñiuersa præcepta, quæ Moy-
ses dedit Iosue specialiter pertinētia ad regimen ducatus ob-
seruavit Iosue, sicut illa, quæ suprà posita sunt: alia autem nō
erant sibi specialiter pertinentia, cūm nec tempus opportu-
nitatem obseruationis illorum induceret.

Non præteriit de vñiuersis mandatis, nec vñum quidem verbum.
Repetitio ciudem est ad magis imprimentum menti, & lau-
dandum Iosue, quod fuerit obseruātissimus legis. Nam præ-
ter hoc, quod Moyses moriturus valde commendauit Iosue
obseruationem legis, adhuc Deus post mortem Moysi appa-
ravit Iosue, & monuit, vt obseruaret diligentissimè legē Moy-
si, & quod tunc intelligeret viam suam, cūm sequeretur legē,
vt patet suprà 1. cap. & Iosue his communitus diligenter ob-
seruavit. Et cūm dicitur, quod non præteriit nec vñum ver-
bum, non est intelligendum, quod obseruauerit omnia præ-
cepta, sed quod non præuaricatus est aliquod præceptū. Dif-
ferunt enim hæc: nam ad obseruandum omnia præcepta le-
gis necesse erat, qd Iosue haberet exercitationem circa quod-
libet de præceptis, vt in sacrificiis, & purificationibus, cæ-
terisq; cæmonijs, sed non habebat exercitium circa aliquid
horum, nec obligabantur vñq; ad tempus data pacis ab ho-
stibus in circuitu. Ad non præuaricandum aliquod præceptū
requirebatur, quod non haberet actualiter actū contrarium
aliqui de præceptis etiam si nullum illorum completeret. Pri-
mū enim exigit multos actus. Secundū sine aliquo actū con-
summatur: ideo verum est, quod nullum de præceptis præ-
teriit Iosue, quia quanquam non compleuerit illa, cūm non
daretur opportunitas ad operandum secundū illa: tamen
nunquam egit contra aliquod illorum.

B

Etsi dicas, quod non complendo illa in temporibus suis,
dicebatur infringere, sicut non obseuando cæmonias fe-
storum, vel purificationum temporibus statutis. Respōden-
dum est, quod non obseuando ista non infringebat legem,
quia lex tunc violatur quando in tempore, quo ad obserua-
tionem obligabat non obseuabatur: de omnibus tamen cæ-
monialibus veteris Tēstamenti sic est, quod nō obligabant

A toto tempore, quo Iosue erat pugnans cōtra Chananeos, sed quoq; daretur pax, & habitaret Israēl per loca sua, vt patet Deutero. 12. ergo quamquā non obseruaret illa Iosue non dicebatur praeuaricari aliquid illorum. Vel potest intelligi, quod non praterit, nec vnum verbum de his, quā p̄cepit Dominus, id est, quod obseruauit omnia p̄cepta: & tunc non accipietur vniuersaliter p̄ceptum, sed solum pro illis, quā occarrebāt Iosue ad quotidianos ducatus sui actus, scilicet in pugnando, & diuidendo p̄dam. De his enim non praterit, nec vnum verbum, vt declaratum est.

Sup. 10

Cepit itaq. Iosue omnem terram montanam, & meridianam, terramq. Gosen, & planiciem, & occidentalem plagam, montemq. Israēl, & campestria eius, & partem montis, quā ascendit Seir, usque Baalgad per planiciem Libani subter montem Hermon, omnes reges eorum cepit, percusit, & occidit. Multo tempore pugnauit Iosue contra reges istos. Non fuit ciuitas, quā se non traderet filiis Israēl, prater Heuum, qui habitabat in Gabaon, omnes enim bellando cepit.

Cepit itaq. Iosue. Hic ponitur tertium, scilicet belli obtentus, id est, quid Iosue bellando efficerit, & est, quod ceperit vrbes multas, quod declarat immediate, & ponuntur terra quas cepit Iosue in bello isto continuo.

B In quo sciendum est, quod totam terram, quā hic nominatur, & p̄cedenti cap. cepit Iosue vno impetu, scilicet non cessando a bellis, donec eam obtineret, vt patet p̄ced. cap. & fuit duratio ista ferē annorum septem, vt declaratum fuit suprā 4. & dicetur infrā cap. 14. post hoc autem non pugnauit Iosue contr. Chananeos, sed māsit terra in pace tota vita sua quoisque ipse fuit grandēus senex, & adhuc non erat capta tota terra, vt patet infrā 13.c. scilicet Iosue senex prouerēt etatis erat, & dixit Dominus ad eum, senuisti, & longeū es, & terra latissima derelicta est, quā necedum forte diuisa est. In istis autem septem annis acquisiuit Iosue terram, quā sufficiebat habitationi omnium Israēitarū pro tunc, & amplius, quia multis de ciuitatibus, quas acquisuerāt, cōbusserunt, scilicet omnes ciuitates, quā erant in plano, & non erāt munita fortissimē, vt patet suprā: tota autem hæc terra nominatur hic sub aliquali vniuersalitate. *Cepit itaq. Iosue omnem terram montanam, & meridianam.* Vocatur hic terra montana terra Chanaan in parte aquilonari. Et patet, quia distinguuntur contra meridianam, sed non sunt differentiæ aliquæ opposita meridianæ terræ, nisi terra aquilonaris, & sic vocatur suprā terra aquilonaris mōtana, scilicet ad reges quoq; aquilonis, qui habitabant in montanis.

C

Quæ terra Chanaan pars esset montana, & quæ meridianæ.

Q V A S T I O X.

N E c tamen est hoc intelligendum, quod solum latus aquilonare terræ Chanaan esset montuosum: nam & latus meridianum habebat mōtes cū esset desertum Sin in latere illo, & ascensu scorpionis, vt patet Num. 34.c. vocatur tamen terra aquilonaris montana, quia erat magis montuosa, quam australis.

Considerandum etiam quia non est accipiēdum largē de terra montana, & meridianæ, quod eas cepit Iosue: nam tunc diceretur, quod totam ceperit terrā Chanaan Iosue, quia tota terra illa sufficenter diuiditur in meridianā, & septentrionalē, sed non cepit totam: cum perducto ad nimiā vetustatem Iosue magna terra relinquebatur, quā non venisset in partem Israēitarū, vt patet infrā 13. & mortuo illo adhuc nō erat subiecta Hebrais, vt patet Iudic. 3.c. Sed vocatur terra montuosa tota terra aquilonaris, in qua habitabant Amorrhæi, Hethæi, lebusæi, Pherezei. Ita enim vocatur montana: sic patet suprā in litera, scilicet Amorrhæum, atque Hethæum, ac Iebusæum, ac Pherezeum in montanis. De his enim non fit mentio, quod alii eorum derelicti fuerint, vt patet infra 13. & Iudic. 3. vbi ponuntur Chananæorum gentes derelictæ post mortem Iosue. Terra meridianæ potest accipi

hic ferē totum latus meridianum à confinio lateris orientalis, vsque ad terram Philistinorum in occidente terra illius, quia illa non fuit capta. Nec tamen pro toto hoc accipitur: nam præter istas duas differentias, scilicet montanam, & meridianam ponuntur hic alia differentiæ terrarum captarum, vt patet in litera: terra autem Chanaan, quā à Iosue capta est, mēlius cognosci potest per eam, quā non fuit capta, quam per eam, quā fuit capta: nam demptis quibusdam partibus, quā capta non sunt, de quibus infrā 13. & Iudic. 3. tota terra Chanaan à Iosue capta est.

Terramq. Gesen. Ista terra Gesen secundū assignationem literæ differre debet à terra meridiana, & mōtana, & est quādam regio magna in terra Chanaan, quā est quasi in medio terræ illius, scilicet quod non declinat multum ad latus meridianum, nec rursus ad latus aquilonare, & peruenit usq; ad ciuitates Gabaonitarum, vt patet suprā p̄cedenti cap. scilicet à Cadesbarne usq; Gazam omnem terram Gesen usq; ad Gabaon. Erat tamen Gabaon in sorte Beniamini, vt patet infrā 18. ideo magis erat terra Gesen meridiana, quam aquilonaris. Distinxit tamen hic litera terram Gesen à terra meridiana, quia illa est in extremitate lateris.

Et planiciem. Id est, terram, quā vocatur planicies in terra Chanaā fuit subiecta Israēlitis tempore Iosue: non est autem aliqua terra sic vocata, sed erat terra plana, & vocatur planicies. Nec tamen est intelligendum, quod in terra Chanaā nulla esset plana præter illam, quia quādam vocatur campesiles partes, & alia planæ, & in terra, quantumcunq; syluatica planicies aliquæ sunt, sed vocata est quādā pars terræ Chanaan planicies, quia illa differentiū ceteris plana erat sicut in reno Legionis quādam partem vocamus campos Gothicos, q̄alicit in terra Castellæ, & Legionis multæ planicies sint: illa tamēpræ ceteris est differentior magnitudine, & equalitate. Et ista planicies est quādā regio, quā erat apud mare Ceneroth, sive Tiberiadis ad partem meridianā maris illius. Sic patet suprā in litera, scilicet quā habitabant in montibus, & planicie contra meridiem Ceneroth. Qui autem in regione hac erāt pugnauerunt cōtra Iosue, & Israēlitas, vt patet suprā, & deleuit eos Israēl capta terra illorum. Erat autem terra illa orientalis, quia mare Ceneroth est in parte orientali terra Chanaan, scilicet apud Iordanem, & est in confinio lateris septentrionalis, & orientalis, vt patet Num. 34. planicies autem hæc non erat minūs orientalis, sed solum differebat, quia erat minūs septentrionalis: cūm dicatur esse ad meridiem Ceneroth, & ista planicies tendit versus Iericho, & vrbes meridianas terræ illius.

Et occidentalem plagam. Non est accipiendum, quod fuerit pars occidentalis terræ Chanaā, subiecta Israēlitis: nā de ea parum aut quasi nihil acceperūt, & hoc quia in occidentali parte terræ Chanaā sunt Philistini, quā in quinq; regiones dividuntur, vt infrā 13.c. & isti tendunt à parte meridiana versus aquilonem, & Acharon, quā est ultima ciuitas Philistinorum, & aquilonaris magis in tota terra illa. Ad partem autem occidentalem tangentem latus septentrionale erant Tyrij, & Sidonij, & tamen de his nulli erant dediti in poteſtatem Israēl, erant autem omnes isti extremi in parte occidentali, & omnes apud mare, quia Philistini apud mare sunt, & ob hoc mare illud vocatur ab eis mare Palestinorum. Tyrij quoque, & Sidonij sunt iuxta mare occidētale, & tamen ipsi manebant: ergo non manebant Iudeis loca aliqua in parte occidentali terræ Chanaan apud mare, nisi inter latus meridianum, & septentrionale aliquid sat's modicum. Sed potest dici terra occidentalis tota terra, quā erat declinans ab oriente versus occidentē, quādā nō tangerent limitē occidentē.

Montemq. Israēl, & campestria eius. Ille mons vocatur sic, nō quod vocatus fuerit sic primō ab Amorrhæis, sed quia Israēlitæ postea eum sic vocauerūt, sicut multa nomina locorum sunt in eis, quādā dicuntur, quā ab Israēlitis posita sunt, & non vocatur mons Israēl, quasi non esset aliquis alias mons in toto Israēl, cūm sit terra montuosa nimis, præcipue contra aquilonem, vt suprā patet, sed vocatus fuit ex aliquo casu, vel fortē sola intentione imponentium, sicut est in plerisque locorum nominibus, in quibus sola voluntas impositorum est causa, & contingit sāpē, quod idem nomen sit pro regno toto, & pro aliquo loco paruo regni illius, & sic vocabatur tota gens Hebraeorum Israēl, & rursus mōs ille voca-

D

E

situ
maris
Cene-
roth.

Acha-
ron ei-
tatis
Philis-
tino-
ru vbi.
F

Mons
Israēl
qua-
re
voca-
tur Is-
rael.

A vocatur Israel, est autem iste mons ad partem meridianam terræ Chanaan, sicut mons sequens qui ascendit in Seir, & sunt apud montem istum campestria magna, & hoc quoque possederunt Israelitæ.

Et partem montis, qua ascendit Seir. Iste est alias mons, quem Israelitæ acceperunt, & est in latere meridiano terræ Chanaan versus lateris orientalis confinia, nam iste mons ascendit in Seir, id est, in Idumæam, sed Idumæa est ad partem meridianam terræ Chanaan circa latus orientale, cùm sit Cadesbarne in cōfinio Idumææ, vt patet Num. 20. & Cadesbarne est in latere meridiano terræ Chanaan apud orientem, vt colligitur suprà præcedenti capitulo, & Nume. 34. coniungitur autem Idumæa terra Chanaan apud Bethoron, quæ est vrbis terræ Chanaan, & est Bethoron inferior, vt patet in libro de Descriptione terræ Sanctæ, & dicitur de parte montis, qui ascendit Seir, quia erat aliquis mons magnus cuius pars quædam erat pertinens ad terram Chanaan, & alia pertinebat ad Idumæorum terram, sicut in multis terris nunc est, quod aliqui montes, vel colles partim pertinet ad vnum regnum, & partim ad alterum, & Israelitæ acquisuerūt partem montis pertinenter ad Chananeos. De parte autem pertinente ad Idumæos nihil acceperunt: iuslerat enim Dominus, vt nequam mouerentur in pugnâ contra Idumæos, quia nō daret illis vestigium pedis saltem de terra eorum, vt patet Deut. c. 2.

B Vbi litera nostra dicit. *Partem montis.* Est litera Hebraica aequaliter æquiuoca, quia potest dici, & partem montis, vel montem blandum, siue lenem, & in isto secundo sensu magis accipiunt Iudei moderni, vt communiter: & dicūt, quod vocatur mons lenis per contrarium, quia in eo erant durissimi lapides. Et tunc non erit sensus, quod partem montis acceperint, sed montem, scilicet totum: litera nostra rationabilius posita est, quia dicitur, quod iste mons ascendit in Seir, sed de monte ascendentē in Seir non poterant Israelitæ accipere totum montem, sed partem eius, cùm de terra Seir nihil acceperint Iudei.

C *Vsi ad Baalgad.* Nomen terræ est Baalgad. Et non debet coniungi literæ superiori, id est, totâ partem montis, quæ extenditur usque ad Baalgad, nam mons cùm ascendit in Seir à terra Chanaan declinat à septentrione in austrum, quia magis est meridiana terra Idumææ, quam terra Chanaan, cùm coniungatur ei à latere meridiano, ideo mons cùm magis introierit in terram Seir magis tedit in meridiem, sed Baalgad est magis septentrionale, quam tota terra hæc, cùm sit ad radices montis Hermon, & Libani: & isti montes sint in latere aquilonari terræ Chanaan, vt colligitur Nume. 34. & Deuteronom. 3. cap. & 4. Sed debet incipi hic sententia continuata clausula, scilicet, quod ceperunt Israelitæ montem, qui intrat in terram Seir, & ceperunt totam terram, usque ad Baalgad, quæ est quædam regio, vel locus in latere septentrionali terræ Chanaan. Et hoc est verum accipiendo à parte orientali, usque ad Baalgad. Nam ab occidente usque ad Baalgad non fuit capta terra à Iudeis, vt patet infra 13. c. & ponitur Baalgad, tanquam aliquis terminus medius in latere septentrionali, & pars relicta versus orientem, scilicet versus mare Ceneroth, quod est in extremitate aquilonaris lateris ad orientem erat capta à Iudeis, reliqua autem, quæ tendebat à Baalgad versus occidentem, non erat capta à Iudeis, & patet hoc infra 13. vbi ponuntur, quæ non erant capta de terra Chanaan. Et cùm possisset de terra quinque regulorum Philistinorum: qui erat ad occidentalem partem in coniunctione ad latus meridianum, subiungit de terra, quæ erat à Baalgad, & incipit computare versus occidentem, scilicet à Baalgad, usque ad Emath, & inde ad omnes Sidonios, & ibi finit. Sidonij tamen sunt apud mare occidentale: ergo Baalgad est terminus à parte orientali concludens terram, quæ non capta erat relicta versus occidentem.

D *Per planiciem Libani.* Mons libanus est altissimus, hic tamen dicit planiciem Libani, quia Libanus dicit quædam magnam terram in latere septentrionali terræ Chanaan, & quædam partes sunt montuosæ, & aliæ planæ, & illarum partium montuosarum quædam habent nomen speciale montium, & quædam earum vocatur Hermon, & peruenit usque ad partem orientalem terræ Chanaan per latus septentrionale. Et tunc cùm planicies illa, quæ est apud monte Hermon pertinet ad monte libanum dicetur esse planicies libani, & tamè

quia est ista planicies apud partem illam mōtuosam Libani, quæ vocatur Hermon, dicitur esse ista planicies Libani sub Hermon, vel apud radices Hermon. Et hoc etiam conuenit, quia dicitur infra 13. quod multi habitat in monte Libano: si autem esset mons altissimus, nemo in eo congruē habitaret, potissimum quantum ad magnas vrbes, quæ esse nō possunt conuenienter, nisi in locis planis, aut campestribus.

Si autem aliquis dicat, quod dicebatur habitare isti in planicie Libani, id est, in quadâ planicie, quæ est apud radices libani. Non stat, quia tunc etiā dicerentur habitare in planicie Hermon, cùm ista planicies sit ad radices Hermon, vt patet hic cùm dicatur ista planicies esse subter montem Hermon, & infra 13. dicitur ad radicem Hermon, vbi agitur de hoc.

Item quia dicuntur morari aliqui in monte Libano, vt patet infra 13. & nō dicuntur habitare in monte Hermon: si tamen mons Libani diceretur planicies, quia sub ipso esse, non magis dicerentur habitationes esse in monte Libano, quam Hermon, sed non conceduntur aliqui habitare in Hermon: ergo accipitur Libanus largè pro magna terra, cuius partes quædam montuosæ erant, aliae autem planæ, & in ipsis planiciebus habitabant multi populi.

E *Omnis reges eorum cepit, percusit, & occidit.* Id est, omnes reges terrarum istarum: nullus enim fuit, qui vel in bello, vel in vrbis sua non caperetur. Percutere, & occidere ad idem pertinent: non tamen innuitur in hoc, quod quilibet istorum regum vulneribus perire: nam quidam eorum sine vulneribus corruerunt, sicut quinq; reges suspensi, de quibus suprà præcedenti c. De ista terra, quæ capta est, considerandum est, quod tota terra capta est præter partes quasdam expressas infra 13. & Iudic. 3. ista autem terra sic erat disposita, quod solum latus orientale terræ Chanaan captum est non manente ibi aliquo loco Chananeorū, & in toto latere meridiano nihil manit, quod nō caperetur ab Israelitis: idem de latere septentrionali, usque ad frontem occidentalem, frons autē illa non fuit capta, sed mansit ibi in terra Philistinorum diuisa in quinq; regulos, & incipit à latere meridiano in extremitate, scilicet à flumine turbido, quod irrigat Aegyptum versus aquilonem, & cōsummatur in ciuitate Acharon, vt patet infra 13. Est etiā ibi in parte occidentali tota terra Tyri, Sidonis, quæ capta non fuit, & est iuxta mare, sed ibi magis extēdit pars terre, scilicet in latere aquilonari apud montem Hermō usq; Baalgad: tota autem reliqua terra mansit sub potestate Israelitarum.

F *Multo tempore pugnauit contra reges istos,* id est, quam suapræ dicatur, quod uno impetu capta sunt omnia, quæ suprà habent: tamen non fuerunt simul capta, vel in paucō tempore, sed multo tēpore pugnando: nā postquam pugnauit contra reges istos multos Israel ad aquas Meron, pugnauit singuliter cōtra quemlibet accipiendo vrbes eorum, & cùm iam non congregarentur publicè, erat leuius cuiilibet regum defendere se intra mœnia vrbis suę. Fuit autē istud tempus magnum minus quam septem annorum, vt declarabitur inf. 14.

Non fuit ciuitas, que se nō traderet filijs Israel. Multæ manserūt ciuitates, quæ non se tradiderunt Israelitis, viuente Iosue, nec eo mortuo magno post tempore. De vita eius patet infra 13. vbi ponitur terra, quæ nō subiecta fuerat Israelitis ipso inueterato, etiam post mortem eius mansit eadem terra, vt patet Iudic. 3.

Ideo aliqui, vt Nicolaus exponunt, quod non fuit ciuitas, quæ se non traderet Israelitis hyperbolice, quia quamquam multæ manserint, cùm plurimæ traditæ fuerint, dicuntur nō mansisse aliquæ vrbes, sicut euntibus multis ad spectaculum dicitur, quod tota ciuitas illuc vadit. Sed magis est sensus literæ propinquus, quod non fuerit aliqua ciuitas, quæ se non traderet referendo ad id, quod dictum est: nam ponebatur suprà terra tota, quæ capta fuerat ab Israelitis, & de hac dicebatur, quod nō fuit ciuitas, quæ se non traderet Israelitis. Et satis patet sententia ista cùm ante hoc posuerit terminos terræ captae, & quia de omnibus locis sub illis terminis clausis verū est, quod capta fuerint: est verū, quod nō fuit ciuitas, quæ effugeret manus Iudeorū. Et iste sensus est necessarius, quia quandocunque litera potest stare propriè, quod reducatur ad modum figurarum, aut improprium, error est. Sic est de propositione vniuersali, quia ipsa propriè stat distributiù pro suppositis omnibus: cùm autem reducitur ad hyperbole stat extra naturam vniuersalitatis, scilicet pro multis.

Nicolaus -
refelli
tur.

A

Quandocunq; ergo potuerit stare pro omnibus suppositis, & reducitur ad hyperbole, error est. Sic est hic, quia potest stare vniuersaliter propriè, vt declaratum est.

Preter Heuum, qui habitabat in Gabon omnes bellando cepit. Tollitur hic dubium, quia cùm dictum fuit, quod nō erat aliqua ciuitas, quæ se nō traderet filijs Israel, crederetur, quod sponte faciebant. Et respondetur, quod faciebāt necessitate compulsa: nam ipse non tradebat se, sed magis Iosue eas pugnando capiebat, & hoc, quia videbant Chananæi nullam libi salutis spem esse se Iudæis se traderent, cùm eis non esset fas aliquo interposito pacto quemquam de Chananæis saluū permittere: nā multi se tradidissent sine bello si quid profecisset: ideo gloriostius eis erat viriliter pugnando pro scipis, & patria commori, quā tradi in manus Hebræorum: facilis quoque erat eis pugnando, & percutiēdo hostem mori cùm actio, & reactio esset, quam si solum ad mortem certissimam se exponerent manibus Hebræorum: potissimum, quia pugnando fortassis effugere possent mortem, vt si fugientes de bello in aliam tenderent regionem: tradendo autem se manibus Hebræorum nullus erat euadendi locus.

An Chananæi peccauerint pugnando contra Hebreos, vel fuerent iustum bellum.

QVÆSTIO II.

B

VAERET aliquis circa hoc, an Chananæi iustum furent bellum, vel peccarent pugnando contra Iudæos.

Aliquis dicet, quod peccabant inferendo bellum Iudæis, quia si aliquis pugnat pro re non sua contra Dominum rei peccat. Chananæi autem erant huiusmodi, quia Deus tradiderat terram Israelitis: ergo pugnando contra eos pro terra peccabant.

Ad hoc respondendū est, quod Chananæi pugnabant contra Israelites pro duobus, scilicet pro defensione vitæ, & pro tutione patriæ: nā Israëlitæ ingressi fuerant in terram Chananæorū, & inquietabant eos ad mortem, nec solum pro acquisitione terre, vt eam suę ditioni submitteret, sed etiā vt Chananæos delerent: nam quamquā Chananæi vellent subiici Israelites, in tributarios reléta eis patria, vel effici serui eorū, non donabatur eis vita, & dato quod vellent totaliter sedes relinquere in aliam terrā profecturi incolumes nō sinebantur, sed quoquo modo eorum sanguinem effundere volebāt. Hoc dato cùm queritur, an peccarent Chananæi pugnando contra Israelites.

Respondendum est, quod aut pugnabant ad vitæ tuitiōnem, aut defensionem patriæ, si primo modo dicendum est, quod non peccabant defendendo se ab Israelitis, & occidendo Israelites si possent. Nam in defensione est generale, quod nemo peccat defendendo se à morte si sola defensio sit. Pro quo sciendum est, quod ille, qui se defendit, aut solum se defendit neminem impugnando, aut aliquem impugnat, vt se defendat, vt quia nō posset se defendere, nisi aliquem impugnaret. Si primo modo semper est licitum se defendere, siue ille, q; se defendit, mereatur mala pati, siue nō mereatur. Si nō meretur mala pati, manifestū est, quod siue à iudice se defendat, qui iniustè condemnare vult siue à parte alia non peccat. Immò si quis potens se defendere nulla mala meritus permittat se mori, cùm se posset honestè defendere, peccat: ipse enim hostis suus, & homicida est. Si autem non meretur mala, & à falsis testimoniis conuincitur, si non potest se liberare honestè, permittens se mori non peccat, quia non est in potestate sua, an moriatur: sed à iudice pendet, & testimoniis. Et si forte iste posset effugere mortem per aliquem modum in honestum, & effugeret, quamquam non meretur mortem, peccaret. Vtputa probatum est per testes, quod iste occidisset Platonem, quod est falsum: ipse poterit elidere istos testes, si per alios testes firmiores, vel quibus magis credi debat probet negatiuam indirecte, scilicet probando, quod erat in alio loco distanti inde satis tempore, quo testes deposuerunt occisionem fuisse factam: & sic liberabitur. Si tamen isti testes, quos inducit ad probandum negatiuam inducuntur ad deponendum id, quod nesciunt precibus, vel pecunijs huius conuicti, qui in veritate innocens est: in honestus modus liberationis à morte est, ideo peccat mortaliter si

corrumpt testes, vt deponant contra conscientiam ad liberandum eum, sed potius debet omnia mala pati, quā malo consentire, quia non sunt facienda mala, vt bona eueniant, vt patet ad Rom. 3.c. quicunq; tamē modus honestus licitus est. Si autem aliquis non iudex velit iniustè nocere, defensio que sine impugnatione est iusta est: immò interdum necessaria, vt cùm quis nos occidere, vel mutilare cupit, si enim hæc viidentes non cauerimus, idem est ac si parietem ruentem conspicientes inde fugere negligamus. Si autem qui se defendit non pugnado defendat se à pœna, quæ ei iuste infligi potest, vt quia fornicatus est cum vxore alterius, vel furatus fuit, & vult se defendere non impugnado, sed fugiendo, aut alio quouis modo non nocendo persequenti: aut iste, qui persequitur est persona priuata, ut potè, quod dominus rei, quam furatus sum, aut furari intendebam, aut aliqui nomine eius me persequitur ad mortem non iudicari, sed manus sua, qui furatus est, si fugiat, ne occidatur, non peccat: immò si putaret se posse saluari fugiendo, & non fugiat expectans, quod eum occidat aduersarius, aut permittens se occidi peccat mortaliter, & ipse homicida atque hostis suus est. Eodem modo si aliquis adulteratus est cum uxore alterius, & superueniens vir occidere vult mœchum, si fugere possit & non effugiat mortem fugiendo, peccat mortaliter permittens se occidi. Si autem ille, qui persequitur ad mortem eum, qui meretur, scilicet furem, vel adulterum sit iudex, si potest se fugiendo defendere, & fugiat, non peccat, quia naturale desiderium est conseruare vitam, quicunque autem agit per naturæ inclinationem, si non agat contra aliquam legem, non peccat, nulla tamen lex est, quæ vetet eos, qui deliquerūt antequām sint in potestate iudicium, fugere.

Est tamen differentia in iō casu à superioribus, quia licet isti sit licitum fugere mortem fugiendo, tamen non peccat si non fugiat eam: vt si expectauerit iudicem qui cū secundum legem capite plecti faciat, quia in remissionem delictorum potest iste iniustè desiderare, vel magis permittere, vt in co pœna legis exerceatur ab illo, qui tanquam distributius iustitiæ, & persona publica hoc efficere potest: ratio diuersitatib; à superioribus est, quia cùm dominus rei furto accepta persequitur furem ad occidendum etiam reléta re, vel iniurias persequitur iniuriatorem, non persequitur, vt distributor iustitiæ, sed vt hostis ex ira: ideo mors illa iniustè infligetur ex parte inferentis, cùm tamen aliquis honestè effugere potest mortem iniustum, & non fugit, peccat: si autem iudex persequatur furem ad mortem, & ipse potē fugere permittat se capi, vt exerceatur in eo pœna legis, non fugit mortem iniustum, sed iustum, cùm iudex sit persona publica, & positus vt distributius iustitiæ, & competit ei ius distribuendi pœnas reis secundum legem, & sicut ægrotus duras pharmacias sustinet, vt graues morbos effugiat, ita iste desiderio relictæ virtutis, aut expianda iniquitatis iustè se permettit pœna legis mulctari. Dicitur autem quod illicitum sit sustinere mortem iniustum, cum modo quocunq; honesto effugere potest: nam interdum non solum non est iniustum pati mortem iniustum, vel expectare, sed etiā necessarium est: ita vt si eam effugerimus peccatum sit, sicut cùm non potest haberi modus honestus ad euitandam eam vt mors illata martyribus ab infidelibus pro fide Christi iniustissima erat: ipsi tamen peccassent mortaliter, si subticerent nomen Christi ad mandatum ipsorum infidelium, quamquam non cogentur colere idola: aut non occiderent: & hoc quia illicitus modus effugiendi mortem erat subticere nomen Christi ad mādatum infidelium, postquam semel captus esset ab infidelibus ob hanc causam: secūs si aliqui Christiani, qui prius publicè confitebātur adueniente magna persecutione se abscondāt, vel fugiant, vel præsentes nomen Christi subticeat, quia de his non potest diffiniri sicut de his, qui semel capti, vt non occiduntur, ad mandatum infidelium subticent nomen Christi, quia isti cùm præceptis infidelium pareant, videntur aliquid infidelitatis habere licet non habeant: & quod permittant talia de se apparere huiusmodi dantes exemplū peccatum est: & potius deberet mala pati, quam consentire huic malo. Qui autem metu persecutionis vrgentis subticeat, nō quia eis nominatim iussum est, non dant huiusmodi exemplum, ideo nō est necesse, quod dicamus eos peccare, cūm ex

intr-

F

E

A infirmitate à morte iniusta per huiusmodi tac turnitatem se defendant. Contra id, quod dicebatur, aliquis objicit, scilicet quod si quis furatus fuisset, vel adulteratus, & domin⁹ rei ablat⁹ persequatur ad mortem furem, vel vir vxoris adulter⁹ mœchū, & possit fugiēdo liberari à morte, & fugere nolit sustinens mortem peccat mortaliter: nam sicut iudex potest infligere furi mortem iustam, & adultero, & nō fugiendo cum saluari posset, sed expectando iudicem non peccat, expectando virum cum cuius vxore adulteratus est, & occidatur ab eo, quamquam fugiendo posset liberari non peccabit, quia potest ei infligere iuste mortem, patet quia sicut iudex habet auctoritatem à lege distribuendi pœnas, ita vir, cuius vxor adulterata est, habet auctoritatem à lege occidendi adulterum, & mœcham simul repertos, ut patet digestis de adulterijs in lege Gracchus.

B Respondendum est, quod si adulter fugere possit, & non fugiat permittens se occidi indefensus, peccat mortaliter. Cū arguitur quod licet viro cuius adulterata est vxor hoc facere, respondendum est, quod nō data est viro huic auctoritas iudicādi, & distribuendi pœnas in hoc crimine, sed permisum est ad duritiem cordis nostri, & ad horrō criminis, ut hoc facere possit talis vir: esset enim mœstissimum si viro reperienti vxorem sic cum alio turpiter agentem non licet percutere vtrunque: dedit ergo lex potestatem viro vindicandi huiusmodi scelus propter dolorem magnum tam gravis iniuria, vnde in præallegata lege Gracchus dicitur de illo, qui virum occidit repertum cum vxore sua, quod tam iustum dolorem tolerare non potuit. Non est autem bonum simpliciter, quod iste scipso vltionem de hoc iniuria expectat: lex tamen permisit ex prædicta causa, sicut permisit Deus in lege Mosaica, quod daretur libellus repudij, & quod darent pecunias ad vñram, ut patet Exod. 24. & tamen non erat bonum secundum se, sed ad duritiem cordis Iudeorum permisum est, ut patet Matth. 19. cap. ita non est bonum, quod vir sic reperiens vxorem suam, vtrunque occidat, quamquam lex permittat, rectius enim ageret, si non occideret eos: ideo non est iste, ut iudex, nec mors inficta adultero ab hoc est ut à iudice, sed magis, ut ab hoste. Item nō est iste, ut iudex, quia iudici potestas iudicandi mandata est in puniendo & aboliendo, huic autem non est mandata, sed permisā auctoritas vindicandi, & contra accidenti in iudice quam in eo, quia iudici est potestas puniendi dicta probata corā ipso, & notoria, quæ ad officium suum spectant expugnare: huic autē viro, cuius est vxor adulterata, nō inest necessitas puniendi, sed liberum est, quod velit agere. Item iudex cū delicta punierit meretur valde apud Deum, qui autem occidit vxorē, & adulterum simul repertos quamquam lex humana permittat, apud Deum securus non est, sed magis peccat, quia id ex iracundia facit. Item iudex si neglexerit punire delicta notoria, aut in iudicium deducere & probata, peccat grauiter, vir autem reperta vxore cum adultero si non occidat eos manu sua valde meretur toleratione huius grauissimi doloris, non est igitur, ut iudex. Item, qui fornicatus est cum vxore huius si occidatur ab eo, non occiditur ut à iudice, sed ut ab hoste, quia non persequitur adulterum ad mortem animo distribuendi iustum, & corrigendi scelera, sed durissimo stimulatus dolore. Si quis igitur expectauerit ab eo occidi cū potuerit fugere, peccat. Si autem defensio à morte non sit iusta, fuga, sed ad defensionem oportet esse impugnationem, est distinguendum, quod aut defensio est actu iudicario in verbis, vel quacunque via iuridica, aut est defensio per imaginationem bellicam, in qua sāpē occisio aut mutilatio lequitur, de qua posterius dicetur: si autem sit defensio per viam iuris, aut defensio erit in causa, in qua mereamur mortem, aut non: si non mereamur mortem, tunc aut defendimus nos contra partem malè, aut calumniosè accusantem, aut contra iudicem iniquè sententiantem. Si contra partem calumniosè accusantem licitum est defendi, & si non defendimus nos, mortaliter peccamus, & hoc si possum⁹ honestè nos defendere: secūs si aliquibus modis inquis, quia tunc sanctius est mortem iustam tolerare, quam aliquid illicitū committere, ut ponebatur suprà exemplū de eo, qui per falsos testes conuincit aliquem reum mortis, quia ille posset interdū per testes corruptos probare indirectā negatiā, licet aliquando vere probari potest. Detur tamē casus, in quo nō potest pro-

C bari nisi p̄ testes corruptos, potius debet eligere mori iniquè cōdemnatus, quam ab iniqua morte eripi probatione. Si autem iudex sit, qui condemnauit iniustè grauado, & imponat mortis sentētiam, si nos innocentes, & potentes probare iniquitatē sententia non appellemus, nec prosequamur permittentes succumbere sententiæ illi iniquæ, mortaliter peccamus. Secūs si probare non possumus iniquitatē, aut credimus non posse probari, quanquā probabilis sit, quia tunc inuiti morimur. Et hoc duntaxat si probatio sit conueniens, nā corruptis testibus, aut corrumpēdo iudicem superiorem, ad quem appellatum est, non licet nobis eripi à morte iniusta, sed peccamus, si hæc fecerimus.

D Nec obstat, si accusator se inscripsit ad talionem, & si nos probauerimus eum calumniam fuisse, plectetur capite, nam potius eligendum est, quod ipse iuste moriatur, quam & nos iniustè subigamur morti: idem si iudex, quia iniustè condemnauit, pœna aliqua plectendus foret, nam eligēdum potius est ipsum, quam nos puniri. Si autē in causa, in qua morte meremur, quis nos ad mortem persequatur, & iudicariè experiendum est, aut defenderemus nos aliquo modo illicito, ut corrumpēdo testes ad probandam negationem indirecte, vel corrumpēdo iudicem, & tunc semper est illicita defensio, & mortaliter peccatur, nec solū si iniquam foueamus līte, sed etiam si iustissimam foueremus causam modis defendi non liceret. Si autem sit defensio per solam negationem veritatis, ut potè quia aliquis criminaliter me accusat, & ego nego quod dicitur, si ipse probare potest, peccavi negādo, nam magis eligere debeo mori concedendo veritatem, quam effugere mortem per mendacium, & peccatur dupliciter: primo, quia negatur veritas per mendacium, & est mortale, secundo, quia induco accusatorem ad mortem iniustam, quia secundum conditionem accusant um de crimen fortè subscriptis ad talionem, & quia succumbit in probatione, capite plectetur, qui autem veritatem negat, inducit istam mortem, quia si cōfiteretur veritatem, nō occideretur accusator. Est adhuc grauissus, si reus subtrahat actori agēti criminaliter copiam probationis, quia tunc facit succumbere inscriptum ad talionem, & mori: & non moritur tunc accusator culpa sua, sicut prius cū sufficientes nūc habeat probationes, nisi alius dolose subtraheret. Idem contra iudicem est, si quis velit appellare in criminalibus à sententia, quam credit iuste latā, & notoriè est iusta, peccat mortaliter, vel quomodo cunq; contra eum iudicialeiter agendo.

E In causis, quæ sunt purè ciuiles adhuc magis est hoc, scilicet quod si quis sciens se iniquam fouere litem, siue iurauerit de calunnia, siue non semp̄ peccat mortaliter se defendēdo, quia mentitur, & quia iniuste vexat alterum litigatorem. Cū dictum sit de eis, qui fugiēdo, siue via iuridica evadere possunt mortem antequām capiantur, dicendum est de his, qui effugere possunt mortem fugiendo postquam capti sunt, ut potè si quis capiatur occidens, & effugere possit, an licitum sit effugere, & an aliquando peccatum sit non effugere.

F Et responderetur, quod aut meretur mortem, qui capitur ad occidendum aut non, si non mereatur mortem, aut capitur ab aliquo, qui est iudex, aut à non iudice, sed persona privata volente nocere. Si secundo modo dicendum est, quod sicut antequām caperemur licebat fuga: ita licet postquam capti fuerimus, immò si est nobis locus fugiendi, & credimus posse effugere qualitercumque teneamur, & credimus, quod non fugiendo moriemur, peccauimus mortaliter ex causa ibidem posita si non fugiamus.

G Si autem aliquis iudex nos tenuerit, & credimus quod occidere velit, siue quia iniucus est, & sit sanguinem nostrū, siue quia testibus falsis conuicti sumus, aut tenet in custodia reorum, aut tenet manibus suis, vel aliquis coram ipso tenet. Si secundo modo credamus posse effugere, & saluari, peccamus si non fugiamus, quia spernimus vitam nostram, quam saluare possemus nulli iniuriam inferentes. Si vero in custodia reorum ponamur, aut custodia illa est commissa alicui, qui teneatur pro fugitiis ad pœnam, quam ipsi tenebantur, aut sub nullius huiusmodi obligatione est. Si secundo modo licetum est fugere si credamus posse saluari, immò peccamus si non fugerimus. Si primo modo custodia reorum commissa sit, vel aliquis captus alicui sine publica custodia sub dicta pœna ad custodiā datus sit, peccat mortaliter, qui de custodia

A

fugit, quanquam sciret se capite plectendum, & innocetem: quia facit quod ille, cui custodia commissa est, moriatur innocent, sed melius est, ut ego innocens moriar, quam faciam alium mori innocentem, vel causam praestem, ut moriatur.

Si autem qui captus est meretur mortem, aut capitur a persona priuata, vel a iudice. Vtpotè si fur, vel adulter, aut occisor capiatur, si primo modo licet fugere potest, vt non occidatur manibus hostilibus: immo si data opportunitate, qua credit fugiendo posse saluari non fugiat permittes se occidi, peccat mortaliter. Quod patet, quia quamquam huiusmodi captus morte mercatur, capiens tamen, qui ea infligere vult non potest iustam infligere morte, cum non habeat auctoritatem infligendi, qui tamen permittit sibi mortem iustam infligi, potens eam honeste evitare, peccat, quia contemptor vitae est, & ipsem homicida sui.

Si autem capiatur a iudice distinguendum est suprà. Et si dicamus, quod de manibus iudicis effugit, vel de presentia eius: cum ad nullum pertineret custodia illius, non peccat, quamquam mercatur mortem, quia non obligatur velle, quod in eo fiat executio pœnarum secundum legem, cum hoc pertineat ad perfectam charitatem, ideo cum fugerit metu pœnarum, dum tamen fugiendo nemini noceat non peccat, nisi forte fidem dederit de non fugiendo, quia tunc siue iuste tenetur siue iustè peccat, si mortem fugiendo effingerit. Si autem sit mancipatus custodia reorum publicè, vel alicui persona priuatæ ad custodiendum commissus, & ex fuga eius nemo laeditur, non peccat vt in casu superiori. Et tamen differunt isti casus a superioribus, quando aliquis iustè tenebat, quia ibi erat licet fugere, & si non fugeret peccabat: hic autem licet est fugere, tamen si non fugerit, non peccat, immo validè meretur, qui data opportunitate fugiendi non fugerit.

Causa diuersitatis est, quia quod velim recipere mortem iustum est obedire iusto: nam volendo id quod iustum est non peccamus, sed lex iustè nos punit cum meruimus, ergo velle iustum illud non est malum, sed magis pertinet ad perfectam virtutem, & qui voluntarius in hoc est magnam partem satisfactionis debitæ in purgatorio per hoc aufert. In morte iusta secus est, quia sicut non est iusta mors, quæ infertur: ita non est iustum, quod illam velimus cum sit honestus modus effugiendi illam, nec vlo modo in mortem illam nobis sic illatam consentiendum est.

Si autem qui captus est tenetur in custodia publica sub obligatione eius, qui habet custodiā pro quolibet fugitiuo, aut tenetur in aliqua custodia priuata sub simili obligatione alicuius, qd inde fugerit mortaliter peccat, quia reū mortis constituit eū qui innocens est. Si autē defensio nostra sine impugnatione fieri non potest, vt si quis me occidere cupit, si fugiendo defendi non possum, quia in presentia hostes sunt, defensio sola manet per impugnationem: & tunc aut est defensio ista, cum meremur mori, aut percuti, aut cum nihil mali meruimus. Si secundo modo aut quis defendit se aperte, aut a iudice, si a persona priuata dicendū est, quod licet nobis defensio per impugnationem, & si non possimus nos euadere mortem, quam ipse hostis infligere vult, nisi occidendo ipsum licitum est occidere, immo si non occiderimus, & permittamus nos mori ne illum occidamus, peccamus.

*Quando est
licitū
alicui
sine pec-
cato
impug-
nare
alium
manu
arma-
ta pro
defen-
sione
vita.*

Cauendum tamen est quod qui defendendo se occidit alterum non præstet ipse causam ad occidendum alterum, vel ad necessitatem hanc, scilicet vt alterum cogatur occidere, & hoc est si fortè fugere poterat non pugnans & expectauit, qd tunc si sequatur occisio, non penitus caret culpa occisor. Item debet attendi, quod tutela sit inculpata, scilicet quod non magis quis contra alium pugnet, quam ad defensionē suam sufficit: nam si quis potens se defendere ab inuasore impellēdo, & non vulnerando, & vulneret, culpa non caret, vel si vulnerando poterat se tueri non occidendo, non vocatur inculpata tutela si occidat, & occisores huiusmodi quantum ad aliquid coram Deo rei sunt. Sed interdum circa hæc locus non patitur habere consiliū, & tunc aut totaliter dimittitur agēti, aut quantum ad aliqd culpa diminuitur.

Si autē iudex capere velit nos nihil male meritos ad mortem, ita vt timeamus, quod si capimur moriemur, vtpotè, qd falsis testibus conuicti sumus, & iudex velit nos capere ad infligendam pœnam legis, si non possimus aliter euadere, nisi impugnando, & vulnerando iudicem non licet nobis pugna-

re, sed magis tolerare debemus capi, & mori: causa est, quia potius debemus mala pati, quam mala agere: sed resistendo ibi iudici infligendo vulnera, vel alia damna ad defensionem iniustum agimus, melius ergo erat mortem iniustum subire. Patet quod dicitur, quia iudex, qui vult tenere eum, qui denunciatur sibi vt reus criminis, vel qui conuictus est testibus, siue veris, siue falsis, iuste agit, quia competit sibi ex auctoritate legis, & officio suo, nec solū cōpetit, sed etiam incumbit ei ex necessitate, in tantum, quod si reos criminis notoriectate facti, vel probatione negligat inquirere, & cōprehendere, mortaliter peccat, ergo cum conatur comprehendere aliquē huiusmodi iuste agit, si ergo ipse, qd comprehendēdus est a iudice ad mortē, iudicem defendēdo se vulneret, ne capiatur, peccat mortaliter, quia iuste agenti iniustum infligit offensionem, omne autem iniustū peccatum est: causa autem diuersitatis est a superiori, quia cu aliquia persona priuata me nihil meritum occidere vult, vel tenere ad occidendum, iniuste agit, cum non habeat auctoritatem faciendi hæc: ideo si ego noceo ei volenti me occidere, non noceo alicui iuste agenti, sed iniuste agenti: & hoc mihi licet. Si autem ego defendere me velim impugnando aliū cum mortem mercor, vtpotè qd furatus sum, & dominus rei ablatæ etiam post ipsam rem dimissam persecutur me, vt occidat, vel si me adulteratē cu vxore sua inuenerit, tunc distinguendum est, quia aut persona priuata cui damnum illatum est me persecutur ad mortem, vel iudex: si iudex fuerit dicendum est, quod non licet criminoso se defendere a iudice impugnando, ideo si impugnauerit, & percussit, vel occiderit reus est, ac si aliter percussisset, vel occidisset, & non solū hoc sed etiam sola impugnatione mortaliter peccat, et si mors, vel occisio inde non sequantur.

Quod patet, nam si non licet mihi pugnare contra iudicem defendendo, cum non merui quidquam mali: multò minus licet, cum meritus sum capi, & puniri. Si autem defensio sit contra personam priuatam, vtpotè quod aliquis alium adulteratē cum vxore sua reperit, vel intra domum ad furandum, & ipsum occidere velit, licet meritus sit, tamen licet ei defensio contra impugnatorem, & non solū fugiendo, vt suprà dictum est, sed etiam impugnando. Et si aliter se defendere non potest nisi occidēdo inuasorem, non peccauit, licet peccauit ingrediendo ad furandum, vel ad adulterandum, immo si potest se defendere occidendo alterum, & permittit se occidi, ne occidat alterum, peccat mortaliter, cuius causa est, quia nullus debet permittere mori iniuste quandiu evitare potest honeste, alioquin ipse seipsum occidit, sed cum persona priuata velit occidere furem captum in domo, vel adulterum non iuste occidit, quia non est ipse iudex, cui commissa sit distributio iustitia, sed tanquam hostis agit vindictam appetens, ideo omnis talis mortis illatio iniusta est: non debet ergo aliquis permittere se taliter occidi, & cum taliter peccans impugnat inuasorem, ne cum occidat impugnat agentem iniuste, & hoc non est malum. Et si dicas, quod iste meretur mortem, ergo si alius cum occidere velit, debet tolerare, vel saltem non debet impugnare, vulnerare, aut occidere inuasorem, ne moriatur.

Respondetur, quia licet iste mereatur mortem, non tam mortem, quam inferre vult illa persona priuata, quia mereri aliquam mortem, aut esse reum criminis, & teneri hac pœna, vel illa ex lege est, & non ex natura rerum, ita & habere auctoritatem infligendi pœnam à lege est, scilicet in illo cui datur potestas distribuendi iustum secundum legem: mors autem, vel pœna quæcumque irrogata a persona priuata est præter auctoritatem legis, ideo non meretur quisquam criminofus talem mortem, quia nihil est per quod mereatur pœnam, aut hanc, vel illam in comparatione ad priuatam personam, patet ergo ex superioribus de defensione quando licita sit, & quando illicita, siue sit impugnando, siue non impugnando.

Applicando autem ad propitum dicendum est, quod licet Chananæis pugnare contra Israëlitas ad defendendam vitam, & erat ista defensio impugnando: non enim poterant se defendere hic iudicitaliter, quia Iudæi non agebant iudicitaliter, sed bellicosè, & id fugiendo non possent forte saluari: sed dato, quod saluari possent non obligabantur dimittere terrā suam Iudæis, & fugere, ne occiderent eos resistēdo illis.

*Perso-
napri-
uata
non po-
test in-
ferrere
pœnam
legis, et
quæste.*

Et

A Et sciendum, quod cum Chananæi hic se defenderent, erat defensio ista, tanquam hominis nullum malum meriti, Chananæi enim nunquam ullam offensionem Hebreis intulerant, propter quam mererentur puniri. Nec obstat si quis dicat, quod Chananæi fecerat diuersa peccata, propter quæ erant rei, & merabantur perditionem natalium sedium, & mortem, ut patet Leuit. 18. scilicet omnes enim execrationes istas fecerunt accollæ terræ, qui fuerunt ante vos & polluerunt eam, cauete ergo ne & vos similiter euomat cum paria feceritis, sicut euomuit genitum, quæ fuit ante vos. nam licet peccauissent Chananæi nimis, & mererentur quæcunq; mala, & ipsam mortem æternam Deo cui peccauerant, tamen à Iudeis nulla mala meruerant, quia nihil eos unquam lazerat. Si autem dicas, quod pro peccatis factis in Deum licebat Iudeis occidere Chananæos, non stat, quia tunc licuisset Iudeis contra omnes Gentiles pugnare, cum peccarent cōtra Deum in idolatria, & immūditijs suis, tñ non licebat, quia Deus vetuit pugnare contra quosdā de Gentilibus, scilicet contra Ammonitas, Moabitæ, & Idumæos, ut patet Deut. 2. & si pugnauissent contra eos, peccabant mortaliter. Item liceret cuilibet Iudeo pugnare contra alterū, quia quilibet erat peccator, quod est fallsum, nec solū hoc, sed etiam daretur quoddā absurdissimum, scilicet quod cuilibet homini liceret occidere, vel vulnerare alterum, cum sciret eū peccauisse, sed hoc non solū iniustum, imò & penitus irrationalibile est: nam etiam cum aliquis mihi iniuriam intulerit, in quo est peccatum in Deum, & in me, non licet mihi, quod percutiam iniuriantem reddendo vicem, nisi vim vi repellendo tunc, cum infertur iniuria. Ideo non licebat Iudeis pugnare contra Chananæos solū, quia peccauissent, cum ergo defendebant se à Iudeis, Chananæi erant velut nullum malum meriti, & tunc licet defensio impugnando, & occidendo inuasorē. Item cum Chananæi defendebant se à Iudeis non se defendebant velut à iudice, sed vt à persona priuata, & hoste, nam Iudei non erant superiores, vel domini Chananæorum, ad quos spectaret punire delicta Chananæorum, vel inquirere, an peccauissent, à persona autem priuata licita est nobis defensio impugnando, & si non possumus defendi nisi occidendo, licet occidere inuadentem, imò peccamus, si nos occidi permiserimus, vt suprà probatū est. Chananæis ergo licet defendere se à Iudeis occidendo eos, quia aliter defendi non poterant, imò si non vellent se defendere ab illis permitentes se mori ne occiderent Iudeos, peccabant mortaliter, quia erant personæ priuatae inuidentes eos ad mortem nihil meritos. Quanquam etiam id ē esset si peccauissent, & mererentur mortem, cum Iudei essent personæ priuatae, quibus non competebat aëtus distribuendi poenas pro peccato. Item quod videbatur, quod Iudei nullam causam pugnandi haberent, Chananæi autem maximā causam, non solum defendendi, imò etiam inuadendi, quia Iudei nihil habentes de iure terræ Chanaan, occupabant violenter terras Chananæorū. Sed aliquis dicet, quod non licebat Chananæis defendere se à Iudeis, sed permittere se mori in manibus eorum velut à iudicibus suis: nam contra iudicem non est alicui licita defensio impugnando, vulnerando, vel occidendo, siue iste, qui capit, meritus sit mortem, siue innocens sit, vt suprà probatum est. Quod autem essent Iudei iudices Chananæorum dati ad puniendum peccata eorum, patet, quia Deus voluit introducere Israëlitas in terram Chanaan à principio generis Hebreorum, cum esset Abraham in terra illa, & pepigit cum eo Dominus, quod daret semini eius terram, & dixit quod primò esset semen eius peregrinum quadringentis annis, & postea in quinta reueteretur generatione in terram illam, & subdita est causa quare non daretur immediate terra illa Abraham, sed post quadringentos annos, scilicet non enim impleta sunt peccata Amorrhæorum usq; ad præsens tempus, Gen. 15. Ex quo videtur quod propter peccata erat excludenda gens de terra illa. Cum verò peccata Amorrhæorum peruererunt ad completionem, euomuit terra gentes illas, ut patet Leuit. 18. f. Cauete ne & vos similiter euomat cum paria feceritis, sicut euomuit gentes, quæ fuit ante vos. Consummatis his peccatis iusfit Deus Israëlitis, quos introducebat in terram Chananæorū, quod occiderent omnes nemine relinquentes, ut patet Deut. 20. & sicut iudex mortaliter peccat si reos criminis absoluat, vel non occidens abire permittat impunes, ita Iudei peccarēt, si aliquem de Chananæis vitæ donarent, ergo iudices delega-

ti erant à Deo ad punitionem Chananæorum. Ad hoc respondendum est, quod Chananæi licet pugnabant cōtra Iudeos ad occisionem, & non licebat eis permettere se occidi ab illis, & dato, quod essent iudices dati à Deo ad punitionem criminum Chananæorum, non obligabantur Chananæi obedire eis, quia non constabat eos esse iudices, cum hoc manifestis documentis non possent notificare: nemo tñ tenetur obediere ei, qui iudex est, donec constet eum esse iudicem, sicut nec leges vigorem habent, etiā si conditè sint, donec per promulgationem de eis constet. Item dato quod concederent Chananæi Iudeos esse à Deo suo missos ad deletionem Chananæorum, tñ non cogebantur cōfiteri eos iudices suos, quia dicebant, quod Deus Hebreorum non habuit potestatē aliquid tale delegandi Iudeis, cum ipse etiam non haberet potestatē super Chananæos, & ista legitima excusatio videbatur. Si vero dicas, quod omnes obligabantur cognoscere unū Deum, cuius cognitio naturaliter inest, ut patet ad Rom. 1. Respondendum est, quod quanquam obligarentur ad cognoscendū & credendum unicum esse verum Deum, tamen non obligabantur credere hunc esse Deum Hebreorum, vel Sidoniorum, aut Chananæorum, quia hoc non erat in natura rerum insitum, vel magis in populo illo esset Deus, quam in alijs. Ideo legitimè estimare poterant Chananæi Chamos Deum Moabitarum, vel Astharthem Deam Sidoniorum non esse deos habentes potestatē super eos, ita estimare poterant de Deo Iudeorum, cum nihil magis causaret ex natura rerum, donec per miraculorum operationes aliquid notificaretur. Item dato, quod constaret Iudeos esse iudices Chananæorum, tamen non veniebant nunc, ut iudices, sed vt hostes, quia hostiliter occupabant terminos terræ eorum nihil aliud premitentes de iure, si tamen iudex aliquando inuadat aliquem non vt index, sed hostiliter vt persona priuata, non gaudet ibi priuilegio iudicis, & ita licet contra eum defensio impugnando, occidendo, & vulnerando, sicut contra quilibet personam priuatam. sic autem erat de Iudeis, quia ipsi non præmittebant inquisitionem criminum vt conuincerent Chananæos sicut necessarium erat in criminibus. Sed aliquis dicet, quod crimina Chananæorum erant notoria per facti eidem, ideo non egebant accusatione, nec testibus, ut patet extrā de accusat. c. eidientia.

Respondendum, quod quanquam in notorijs per facti eidientiam, quando nulla ratione excusari possunt, non requiratur apparatus vel ordo iudicarius, tamē requiritur semper citatio, & sententiatio, Iudei tamen nihil horū fecerunt contra Chananæos, sed irrumpebant fines eorum, ideo poterant resistere eis tanquam personis priuatis, quamquam alias constaret esse iudices. Sed forte dicet aliquis, quod Iudei non debebant obseruare aliquem ordinem iuris, nec sententiare, quia non erant iudices dati ad cognoscendum, sententianum, & exequendum, sed erant meri executores sententiæ datae à Deo, executor autem merus non sententiat, nec audit litigantes, & sic Deus iudicauit Chananæos propter sceleris sua delendos, executionem autem puram commisit Iudeis. Ad hoc respondendum est, sicut suprà de iudice dicebatur, scilicet, quod non constaret Iudeos esse datos à Deo executores alicuius sententiæ, cum nec etiam constaret esse datum aliquam sententiam, ideo nec obediendum executioni eorum. Item dato, quod constaret eis à Deo Hebreorum commissam esse executionem contra Chananæos, tamen negarent Deum Hebreorum potuisse sententiare, & consequenter hanc tradere exequendi potestatē, & erat legitima excusatio, vt suprà declaratum est. Ergo Chananæi rationabiliter poterant pugnare contra Iudeos inuadentes terram eorum defendantes seipso. Aliud membrum diuisionis erat, si Chananæi defenderent se à Iudeis impugnantibus eos, vt defendenter terram suam. & de hoc dicendum est, quod minus licitum cuicunq; sit pugnare pro rebus, quam pro persona, cū maximum bonum nostrum sit esse, & quod est vita, bona autem possessa vt dignitates, honores, & quæcunque extra nos sunt, minora bona sunt, & minus illa diligere debemus, atq; in conseruando minus conari, si tamen pro his licet nobis defensio judicialis, quæ sit in verborum disceptatione. Ideo cum quisquam mihi rem meam vi, aut fraude, vel clam subtraxit: licet mihi iudicialiter repetere. Nec obstat si quis dicat quod Christus hoc vetuerit Matth. 5. scilicet. Et ei qui vult tecum

D
hanc
si nō
obliga-
bantur
obedire
iudicis
dato q
essent
missi
Deo.

E

F

A

tecum contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pal-
lium: nam istud non est præceptum, sed consilium, ad q[uod] non
obligamur. Si autem aliquis inuidat res meas volens violen-
ter eripere, aut illæ pertinent ad eum, ut potè quia sua sunt li-
cet eas possideo, vel detento mala fide: aut sunt res purè meæ
nullo modo pertinentes ad eum, qui eripere vult. Si primo
modo, aut ille, qui tollere vult eam, est iudex, vel aliquis loco
iudicis, aut est persona priuata.

*Quando-
quis po-
test de-
fende-
re res
sua s-
ine pec-
cato
manu
arma
ta occi-
dendo,
& vul-
nerando
& qua-
donon.*

B

Si autem sit iudex, qui iudicauerit rem, quâ ego possideo
alteri deberi, & exequatur sententiam suam, non est resisten-
dum ei, vel ministro eius, si autem repugnemus hoc modo ad
defensionem rerum peccamus mortaliter, quia noceimus ali-
cui agenti iustum, & nos iniustum agimus impudentes, & re-
pugnando compleri in nobis actum iustitiæ per legem. Si au-
tem, qui auferre vult res huiusmodi nō est iudex, sed ad cum
pertinent istæ res quanquam ego detineam eas, aut ego scio
eas ad alterum pertinere vel non, si nescio pertinere tam se-
cundum Deum quam leges humanas licet resistere illi de-
fendendo res: & licet occiderim cum defendendo pecca-
tum nullum est, dum tamen sit ob solam defensionem re-
rum, & illa sit moderata atque inculpata. Si autem co-
gnoscebam res ad alium pertinere, dicendum, quod siue alius
eripiens vi possit probare malam fidem possidentis siue nō, si
defendendo eas percutio vel occido inuasore rerum, quantu[m]
ad Deum tenebor pro illata morte vel vulnere, sed in iudicio
humano nō tenebor reus alicuius criminis, licet postea pro-
betur occisor[m] mala fide possidisse, quæ alius eripiebat. Cau-
sa diuersitatis quantum ad hæc duo iudicia est, quia cùm mi-
hi constat res, quas detento ad alterum pertinere, habeo co-
scientiam lœsam, & nō solùm defendendo eas pecco, sed etiā
in possidendo, potissimum cùm huic iniuste detentationi adie-
cerò peccatum alterius, scil. percusionis, vel occisionis pro-
pter defensionem rerum, & licet ille, qui vi eripere conatur pec-
cat, qui tamen defendit à peccato iniunctus nō est, cùm mala
fide possideat. In iudicio autem humano secùs est, quia quilibet
in possessione sua defendendus est, donec probetur cum
non legitimè possidere, & quia ius non concedit alicui eripe-
re violenter rem de manu alterius, licet sit detentator, si inuad-
endo res mortuus fuerit, nō est reus defensor humano iudi-
cio. Est aut̄ differentia in hoc ab omnibus superiorib[us] de de-
fensione hominis pro vita, quia licebat homini in multis ca-
sibus defendere se, siue fugiendo, siue vulnerando, aut occidendo
iuasorem, & si non defenderet se permittens se occidi ne
alterū occideret peccat mortaliter. In defensione aut̄ rerum
quanquam licita sit defensio, & occasio inuasorum, nunquā
tñ obligatur pro defensione rerū alterum percutere, quia nō
ita tenemur diligere res possellas sicut vitâ. De Iudeis autem
ad Chananæos sic erat, quia Chananai erant in possessione
terræ Chanaan, quam semper tenuerant, & titulus ad eos p-
tinebat, cùm ab antiquissimis ab eis, & patribus corū posse-
fa fuisset terra illa. Iudei autē erant iniusti inuasores, & occu-
patores terræ illius: id licitum erat defendendo terram suam
occidere Iudeos occupare volentes eam. Quocunque modo
igitur erat Chananæis bellum iustum siue ad defensionem re-
rum, siue ad defensionem corporis.

*Quomodo licebat Iudeis pugnare contra Chananæos, cùm Cha-
nanæi souerent iustum bellum.*

Q V A E S T I O XII.

QUÆRE Tergo aliquis quomodo licebat Iudeis pugna-
re contra teriā Chanaan, cùm Chananai videretur sou-
vere iustum bellum, ut patet ex dictis.

Respondendum est, quod Iudeis licebat pugnare contra
Chananæos ad mortem illorum, & ad eripiendam illis terrā.
Primò de morte ipsorum, nam Chananai erat peccatores ni-
mis coram domino, & completis iniquitatibus eorum Deus
volens eos delere, fecit ministros ad hoc Iudeos, quibus lice-
bat occidere Chananæos, sicut ministro iudicis licet occi-
dere eum, quem iudex occidi iussit, nec solùm hoc, sed etiam
meretur in occidendo: cùm sit executor iustitiæ. Adhuc autē
aliud Iudeis incumbebat onus, scil. quod non solùm licebat
eis occidere Chananæos, imò compellebantur, & si non occi-
derent mortaliter peccabant: non enim poterant eos viuētes

Caput XI.

permittere, ut patet infrà 34. & Deut. 20. c. Ideo quomodo cū
que inuaderent eos ad occisionem non peccabant, sed magis
merabantur obedientes Deo. Licebat etiam ex alia parte oc-
cidere Chananæos tanquā impeditores executionis iustitiæ,
quia iudex potest iuste occidere quemlibet turbatorē, & im-
peditorem iusta executionis: sed ipsis debita erat terra, & ad-
iudicata, atq[ue] decreto iudicis mittebantur in possessionem il-
lius: Chananæi autē resistebant huic missione in possessionē:
ergo poterant eos occidere. Amplius autē licebat Iudeis in-
ferre bellum Chananæis, & eripere eis terrā, quia titulus per-
tinebat ad Iudeos cùm donata recipiſſent ab illo, qui pote-
rat donare, Dñi enim est terra & plenitudo eius, ut patet Psal.
23. & Exod. 9. ideo potest donare illā, aut quancunq[ue] eius par-
tem cui voluerit, sed ipse donauerat Iudeis multoties iurādo
eam tradere, ut patet Gen. 15, vbi initum est fœdus de danda
terra, & in multis alijs locis tam Patriarchis sequentibus, quā
consequenter genti Hebræorum, & iubebat q[uod] in eam ascen-
derent ad possidendum cā: & quanquā ab antiquo poss. dif-
fident terrā illam Chananæi, tamē Deus poterat eis tollere pos-
sessionē, quia erat terra sua potissimum, quia iusta causa fab-
erat quare priuarentur terra illa. Et non solū translatus fuit
titulus terræ illius in Iudeos, sed etiam Deus transferens mit-
tebat eos in possessionem, cùm ipse duceret eos illuc Angelo
Domini dirigente in columna nubis usq[ue] in terram illā, & i-
pse quoq[ue] decebant gentes Chananæorum, sic patet Exod. 23.
Præcedet te angelus meus, & introduceat ad Amorræum, &
t[he]baeum, Pheræum, Chananæum, quos ego conteram. er-
go cùm introduceretur decreto iudicis Israëlitæ in posses-
sionem terræ Chanaan licebat eis impugnare omnes inuadētes
vel resistentes in hoc. Sed dicit statim aliquis, cùm liceret Iu-
deis pugnare cōtra Chananæos pro terra hac quomodo Chana-
næi poterant fouere iustum bellum contra Iudeos? Respon-
dendum est quod fouebat iustum bellum, nam defensio cor-
poris sui erat eis licita contra omnem hominem, nisi contra iu-
dice, aut iudicis ministrum: sed Iudei quamquam essent mi-
nistri Dei, tamen non apparebat esse ministros, ut in superio-
ribus declaratum est. Idem autem quantum ad defensionem
patriæ, nam ipsi erant in dominio, & possessione terræ illius
ab initio, quo terra habitari cœpit, & licet datum esset domi-
nium Iudeis, & mittentur in possessionem, non constabat
hoc Chananæis, ideo semper putabant se iuste possidere, &
bona fide possidabant, quam obrem licebat eis contra quen-
cunque inuasorem pugnare, & occupatorem. Vnde erant in
hoc integræ contrarietates, scilicet quod Iudei fouebant iu-
stum bellum in Chananæos, & Chananæi in Iudeos, & quod
amplius est, Iudei compellebant sub pena peccati mortali-
bus pugnare contra Chananæos, & occidere quot possent, &
Chananæi peccabant, si se permetterent occidi à Iudeis, sed
cogebantur pugnare contra eos ad occidendum illos, cùm
ē contrario Iudei eos volebant occidere, ut ex superioribus
declaratum est. Ex superioribus patet, an Iudei contra
Chananæos, vel Chananæi contra Iudeos iustum bellum fou-
erint.

*Præter Heuæum, qui habitabat in Gabaon. Scilicet omnes alias
cepit ciuitates Iosue pugnando: solū autē Heuæum habita-
torem Gabaon recepit in fœdus, quia Gabaonitæ facta qua-
dam fraude confederati sunt cum Iudeis, de quo suprà 9. Er-
rant autem illi de genere Heuæorum, qui habitabant ad ra-
dices Hermon: sed post extenduntur versus Meridiem: ita q[uod]
ad populū illum pertinetbat ciuitas Gabaon, & ciuitas Sichæ,
ut patet Genes. 34. vbi rex Sichem Hemor vocatur Heuæus:
erat tamen Sichem circa Iericho apud ciuitatem Hay, & Be-
thel, ut patet in lib. de diuisione terræ sanctæ. Et non solū
est intelligendum, quod Gabaonitarum vrbes sine bello cap-
tae est, sed etiam alia tres vrbes, scil. Beroth, Caphira, Caria-
thiarim, quia illæ tres vrbes cum ipsa vrbe Gabaon conſcede-
ratae sunt Iudeis, ut patet suprà 9. vnde contra nullam earum
bellum factum est. Necesse est tigitur, quod intelligentur no-
mine Gabaon, cùm omnes præter Gabaon dicantur
captæ bello: sed nominatur Gabaon, metropolis quippe ha-
rum erat. Etiam dicendum est, quod omnes illæ vrbes erant
Heuæorū, quia omnes dicuntur capti pugnando præter Heu-
æos habitantes in Gabaon, & subintelliguntur alia ciuitates:
necesse est quod etiam alia pertineant ad Heuæos, alioquin
præter Heuæos fuerunt captæ aliquæ ciuitates sine bello.*

Dominii

A *Dominii enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israël, & caderent, & non morerentur ullam clementiam, ac perirent, sicut praeceperat Dominus Moysi.*

D

DOMINI enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum. Ista litera dependet ex superiori, scil. quod Gabaonites iuerunt supplices ad Israëlitas ad coöfederandum se cum eis, & postea cognita fraude eorum, cum adhuc suppliciter se haberent ponentes se in manu Iosue meruerunt aliquam misericordiam, gentes autem istarum, quae pugnando deletæ sunt ab Israëlitis, non petiuerunt misericordiam suppliciter; sed indurato corde resistere voluerunt Israëlitis, ideo non meruerunt ullam clementiam. unde autem prouenit, quod indurata sint corda eorum, dicitur quod fuit, quia Domini sententia hoc factum est, id est, quia Deus de illis sententia uit, ut indurarentur corda eorum, & hoc, ut morerentur, atque darentur terra filiis Israël.

E

Quæ sunt auctoritates durae in sacra Scriptura, per quas videtur tolli libertas arbitrij. Et quomodo data præscientia Dei, prima fronte videatur sequi necessitas in operibus nostris, & an hec excusat dicendo, ut communiter dicitur, quod res non sunt quia sciuntur, sed sciuntur, quia sunt, vel quod in comparatione ad Deum, contrahunt necessitatem.

Q V A S T I O XIII.

I STA litera est nimis dura, & de fortissimis, quae sunt in tota Scriptura sacra ad designandum facta nostra à Deo prædiudicata esse, & limitata ad certum ordinem, sicut, & vulgares dicunt, qui Deo omnium cognitionem attribuentes, cognitionis modum ignorant. Et aliqua similes sunt in sacra Scriptura, quae ex duro modo loquendi Prophetarum sensum perturbant legentium, sicut illa Isai. 63. Tu Domine pater noster, & redemptor noster à seculo nomen tuum, quare errare nos fecisti de vijs tuis, & indurasti cor nostrum, ne sequeremur te? & illa Exod. 9. Ideo posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, id est, ad hoc creauit te, ut indurante te, monstraretur in te fortitudo mea, & signa. Et illa: Cui vult miseretur, & quem vult indurat, ad Roman. 9. Omnes autem hæ caute tractandæ sunt, & ad mollem sensum referenda, alioquin fidelium perturbabunt mentes. De reliquis autem in locis suis partim dictum est, & partim dicetur, cum deuenient illuc fuerit. De hac autem ad aliqualem explanationem considerandum est: quia ista litera videtur dura nimis, quia cum dicat ex sententia Dei indurata corda horum, videtur imponi necessitas indurationis, cum sententia Dei nihil contingens habeat, quia in Deo cuncta necessaria sunt. Sed ista necessitas diuina sententia ad indurationem potest intelligi duplicitate imposta. Vno modo per modum præordinationis ex natura prouidentiae præordinantis de rebus antequam fiant. Alio modo potest intelligi per modum voluntatis, scil. quod non induceretur hic aliqua necessitas, quia Deus præcognovisset de illis, quod indurandi erant, sed quia voluit quod indurarentur: siue hoc voluisse antequam indurarentur, siue tunc cum indurabantur. Pro huius materie fundamentali declaratione præsupponendum est, quod qui in materia præscientia & prædestinationis vulgariter loquuntur, maximū patiuntur dubium, & formant sic argumentum. Deus cognoscit ab æterno actus nostros antequam fiant: tunc ergo aut actus nostri sic fient, ut Deus iudicat de illis, aut non, si non fiant sic, scientia Dei fallitur, quod de Deo concedendum non est, quia magna esset imperfectione. Si autem dicatur quod sic eueniunt, ut Deus de illis ab æterno iudicauit: aut sic eueniunt ex quadam necessitate determinata, aut contingit sic eueniunt: si autem sic eueniunt ex necessitate quadam determinata, tolletur libertas actuum humanorum. Si autem dicatur, quod omnes actus nostri sic eueniunt, vt Deus iudicauit, & tamen non est aliqua necessitas limitans ad sic eueniendam, dicunt quod sequeretur quod Deus posset falli. Quod patet, quia Deus scit hominem cursurum eis, & sic erit, quod curret eis, & si non possit currere eis, & sit simpliciter necessitas in cursu illo, non habebit Sortes libertatem ad currendum, vel non currendum eis: si dicamus, quod

quanquam Sortes sit eis cursurus, & tamen non est necesse, quod currat, sed potest non currere, sequitur quod quanquam Deus iudicans Sortem cursurum eis non fallatur, possit tamen falli, & hoc magnum inconveniens est, quia si Deus posset deficere, non esset summum bonum, cum mains bonum illo ex cogitari posset, scil. quod deficere non posset. Item dato hoc, adhuc sequeretur maius inconveniens, scil. quod non esset inconveniens Deum falli actualiter, & mentiri, quia propter possibile possum in primo nullum sequitur inconveniens: sed Deum posse falli erat possibile data contingētia actuum nostrorum cum sua præscientia, ut suprā declarabatur, ergo eum falli aliquando actualiter nullum erat inconveniens: sed ista maxima sunt inconvenientia. Item non poterat hoc stare, quia si res à Deo cognitæ sic fierent, ut cognitæ erant, & tamē aliter adhuc poterant fieri, sequeretur, quod scientia Dei non esset firma cognitio, sed opinio, sed nihil differt à nostra, quia ea, quae nos opinamur interdū sic eueniunt, ut opinamur, & tamen non ob hoc dicimus scire. Item si ea, quae Deus cognovit, & iudicauit de actibus nostris futura esse, non essent ex necessitate determinata ad sic eueniendam, quanquam multoties Deus verum iudicaret, aliquando tamen continget eum falli, sicut est in cognitione nostra, quia non haberet aliquid quare magis actus iste flecteretur in hanc, quam in illam partem, ideo cum Deus unam partem iudicaret, continget aliam eueniere. Hæc omnia inconvenientia sunt, ideo qui dicunt Deum cognoscere rem antequam fiat, necessario diceret eam à Deo sciri determinatam ad certum modum euentus, & hoc dato, sequitur necessitas in operatione nostra, cum aliter facere homo non possit, quam Deus præsicerit.

Prima opinio existimantium res cognitæ esse causam diuinæ cognitionis, reicitur.

Q V A S T I O XIV.

A LIQVI conantur soluere istud dubium dicentes, quod Deus cognoscit omnes res futuras antequam fiant, tamen non imponit ullam necessitatem, quia cum Deus cognoscit res futuras, ut hominem cursurum, vel Antichristum nasciturum, tamen non ideo homo cursurus est, quia Deus præcognoscit illum cursurum, non ideo Antichristus nascetur, quia Deus cognoscit illum nasciturum, sed magis ideo Deus cognoscit hominem cursurum, quia sic est quod homo curret, & ideo cognoscit Antichristum nasciturum, quia sic est quod nascetur, & hoc modo causalitatem tribuunt ipsis rebus, & non cognitioni diuinæ, & sic non consequuntur res necessitatem ex cognitione diuinæ, quia non fortius sunt ex ipsa causalitate. Et fundamentum horum est, quia in natura res consequuntur esse, & necessitatem, vel contingentiam ex causis: causæ autem ex effectibus nihil consequuntur. De cognitione autem diuinæ, & rebus cognitis sic opinatur, scilicet quod res cognitæ sint causa cognitionis diuinæ: ita ut ideo cognoscatur me cursurum, quia ego cursurus sum, & non est contrario, & tunc non consequuntur res necessitatem, aut contingentiam ex hac cognitione, quae non est causa aliquid potens efficere in res cognitæ, sed manebunt res in natura sua, scilicet si sunt contingentes, manebunt contingentes, & si necessaria, manebunt necessaria.

F

Sed ista positio non stat: quanquam in hac plurimi tantum in nimis naturali pedem figant.

Primò, quia secundum hos causæ scientia diuinæ sunt ipsæ res cognitæ, quod falsum est: nam communiter sic distinguimus inter scientiam Dei, & scientiam nostram, quia scientiam Dei dicimus causatricem rerum, scientiam autem nostram causatam à rebus: si tamen dicant causatam scientiam Dei à rebus, scil. quod ideo Deus cognoscit aliquid futurum, quia illud futurum est, non videretur ex hac parte differre scientia Dei in perfectione à scientia nostra, quod nefas est.

Item aliquis dicet non posse stare, quia res sunt nouiter accipientes esse per tempus, scientia autem Dei ab æterno est: ideo non potest accipere causalitatem à re, quæ nunc nouiter esse suscepit: res tamen antequam sit, non habet aliquam causalitatem, cum omnes perfectiones consequantur post esse, tanquam post fundamentum: ergo scientia æterna non recipit causalitatem à rebus, quæ sunt: unde non ideo Deus cognoscit aliquid futurum, quod non est causa aliquid potens efficere in rebus, sed manebunt res in natura sua, scilicet si sunt contingentes, manebunt contingentes, & si necessaria, manebunt necessaria.

A

cognoscit me cursurum, quia cursurus sum.

Ad hoc poterat responderi non procedere argumentum, quia licet res, quae sunt, non habeant praesentialitatem nisi ex tempore, & nouiter eam acquirant, tamen ab aeterno futura erant: necesse est enim quamlibet rem, quae futura est, ab aeterno futuram esse: nam futurum dicit esse rei, quod non est, sed aliquando habebit praesentialitatem, sed ex creatione seculi sic erat de sorte nunc gignendo, quod ipse tunc non erat, & aliquando erat habiturus esse: ergo a creatione seculi generatio Sortis nondum geniti erat futura: & ab aeternitate sic est, nam Sortes ab aeterno non fuit: & ab aeterno ipse habebat, quod aliquando esset praesens: haberet ergo ab aeterno, quod erat futurus. Et est generalis regula, quod quamdiu res, quae esse aliquando habitura est, habet non esse, est futura, quia non esse ante esse, & esse futurum conuertuntur, sed non esse rerum factarum est ab aeterno, ergo ab aeterno res, quae in tempore fiunt, futurae sunt. Et in hoc Deo sunt coequales, scilicet quod tamdiu durat non esse rerum a parte ante quantum esse Dei. Deus autem etiam secundum positionem istorum non intelligit rem, quia praesens est, sed quia futura est: & futuram esse rem est ab aeterno, sicut ipsa duratio esse Dei: ergo non praecedit scientia Dei futuritionem, aut res ut futuras: ideo bene poterit Deus cognoscere res, quae futurae sunt.

Dicendum ergo aliter est, quod hoc non obstante, non stat ipsa positio, quia res non sunt futurae nisi quando aliquando habebunt praesentialitatem: cum totum, in quo res futura sit, est non esse rei, si ergo non respiceretur ad praesentialitatem rei, non vocaretur res futura propter non esse, sicut de entibus prohibitis, ut de chimera non dicimus, quod sint futura, ipsa tamen habent ab aeterno non esse, sicut ea, quae aliquando sunt, & non semper, ergo non vocantur res futurae, quia non sunt, sed referendo ad praesens quod aliquando habiture sunt. Res tamē ita se habent ad intelligi, sicut ad esse: sed ad esse si se habet, quod non est aliquid futurum, nisi propter praesentialitatem: ergo non poterit cognosci ut futurū, nisi cognoscatur praesentialitas: sed cognitio Dei est secundum istos ante praesentialitatem rerum, ergo non cognoscit res, quia futurae sunt, quia tunc magis cognoscet eas, quia praefentes, cum deriuetur futurum ex praesenti, & cognitio futuritionis de cognitione praesentialitatis. Manet ergo quod non tollatur hoc modo necessitas rerum, quia Deus non cognoscit res, quae futurae sunt, sed quia ipse cognitiae naturae est sine aliqua actione rerum per seipsum. Alio modo improbat, quod isti intendunt. Nam dato, quod cōcedamus Deum ideo cognoscere res, quia futurae sunt: tamen non poterit tolli hoc modo necessitas, sed manebit ita, ut si dicamus res ideo futuras esse, quia a Deo cognitae sunt, quod erunt. Nam licet necessitas ista non sit secundum causalitatem, est tamen secundum consequētiā. Quēdam enim q̄ ex natura sua necessaria non sunt efficiuntur necessaria per consequētiā. Et ita de veritate, ut si verum est quod tu sedes, necessarium est q̄ propositione significans te sedere, necessarium est q̄ tu sedes. Ex quo cuncti ad alterū arguatur est necessitas, non tū ob hoc sequitur q̄ veritas huius propositionis, tu sedes, est causa q̄ tu sedes, sed ē cor. trario: tamen quantum ad illationem necessitatis nihil magis differt argui ab uno ad alterū, quā ē contrario. Ita de prouidentia Dei, & rebus cognitis dicetur, q̄ siue fit ipsa causa rerum, siue res sint causa eius, posita necessitate in altero eorum, ponetur necessitas in altero, scilicet si prouidentia Dei se habet immutabiliter, cū res cognitae non se possunt habere aliter, quā cognoscuntur ab intellectu verū cognoscēte, necesse est res habere se immutabiliter, vel si res necessario modo se habent, prouidentia diuina q̄ eas sic intelligit ut sunt, necesse se habebit, sed prouidentiae diuinæ est immutabilitas, ergo in rebus erit immutabilitas, siue sint causæ diuinæ prouidentiae, siue ē contrario. Sicut de consequētiā, q̄ siebat supra de sessione, & propositione significante sedere, quia ex veritate unius, sequitur necessario veritas alterius. Quantum ergo ad inducendam necessitatem in rebus, nihil magis differt res a Deo habere necessitatem per suam prouidentiam, quā res dare prouidentiae diuinæ necessitatis causam. Non potest igitur quisquam per hanc positionem tollere necessitatem rerum relatarum ad diuinam prouidentiam.

Cognitio
Dei
immu-
tabilis.

C

Secunda opinio dicens, quod res cognitæ a Deo liberae sunt, tamen in comparatione ad diuinam cognitionem contrahunt necessitatem, repelluntur.

Quæstio XV.

ALII respondent aliter ad prouidentiam dicentes non tolli libertatem rerum per eam, quia res secundum se manent semper contingentes, tamen secundum quod comparantur ad diuinū intuitum contrahunt necessitatē, & possumus dicere eas esse necessarias, diuidunt enim necessitates, dicentes quasdam res esse necessarias absolute, sicut quod homo sit animal, aut quod sit mortalis, alia est necessitas secundum conditionem, vel consequētiā, scilicet tu curris necessario moueberis, & tamen simpliciter non est necessitas in mouēdo, ita dicitur: si ego scio te currere, necessariū est quod tu curras, & tamē non est necessitas simpliciter, quod aliquis currat, ita res quandocunque cognitæ a Deo de actibus nostris liberae sunt, tamen comparatae ad diuinam cognitionem sunt necessariæ, vel vt a Deo cognitæ sunt. Sed iste modus non tollit aliquam necessitatem a rebus, quia in consequētiā, qua consequens non est absolute necessarium, sed propter antecedens, quomodo cuncte ponatur antecedens erit necessarium, sicut hominem moueri est liberum, & tamen si ponatur suum antecedens, scilicet quod homo currat, hominem moueri erit necessarium. Ita erit de rebus cognitis, & diuinā prouidentia, quia res nostræ absolute posite sunt contingentes, & tamen comparatae ad diuinam intellecctionem necessariæ sunt, scilicet vt a Deo intelliguntur, sed semper ponitur istud antecedens, scilicet quod actus nostri a Deo intelligentur: ergo semper sunt necessarij, sicut semper erit necessarium, quod homo moueatur, si semper sit hæc, quod homo currit. Nemo tamē poterit tollere antecedens, scilicet diuinam prouidentiam, quia res semper cognitæ sunt: ergo nunquam tolletur consequens, scilicet quod sint necessariæ nostræ.

Aliud exemplum aliquid videbatur magis tollere necessitatem rerum, cum dicebatur: si ego scio te currere, necessarium est, quod tu curras, & tamen non est hoc necessarium quod ego curram. Nam hic antecedens est absolutum, & consequens absolutum si non comparentur: si autem comparentur, erit consequens necessarium: ita dicunt cognitionē Dei esse absolutam a necessitate, scilicet quod nullam imponat: ipsa quoq; res cognitæ liberae sunt, & tamen comparato uno ad alterum efficitur necessitas.

Sed dicendum est adhuc non tolli inconveniens, quia cum posita ista habitudine, q̄ semper est, sequatur semper necessitas in rebus, quia semper a Deo intellectæ sunt, nihil differt, quod res necessariæ sint ex se, vel ex altero, cū verè in eis necessitas sit, quod sufficit ad tollendam omnē arbitrij libertatem. Item non potest stare, quod antecedens sit simpliciter absolutum a necessitate, & consequens, & tamen ex habitudine vnius ad alterum causetur necessitas in consequente, sicut in ista. Si ego scio te currere, necessario tu curris: nam hic oportet, quod antequam fiat positio antecedentis, sit consequens necessarium, quia nunquam dabitur, quod ego sciam aliquē currere, donec necessarium sit, quod ipse currat, & tunc absolute est verum, quod ipse currat, & hoc est dum actualiter currat, quia dum aliquis actualiter currat etiam si non ponatur aliquod antecedens, nec fiat consequentia, est necessarium cursus. Nam omne quod est, dum est, necesse est esse ex conditione praesentialitatis. Nam si daretur, quod aliquid dum sit, contingenter sit, includeretur contradic̄tio. Quod patet, quia si aliquis dum currit, contingenter currit, poterit contingere contrarium, scilicet, quod aliquis dum currit, non currat, vel quod contingat aliquem non currere, dum currat, & ista est contradic̄tio in terminis: ergo omne quod est ex conditione praesentis necessarium est, & sic est verum, quod aliquando currere hominem absolute est necessarium, scilicet dum currat, & ex ista necessitate absolute sequitur necessitas consequentis in comparatione. Et sic in ista, si homo est, animal est, vel si homo currit, mouetur: est necessitas consequentis in comparatione ad antecedens: & non videtur, quod sit absolute, & tamen hic est aliqua necessitas absoluta, scilicet animal esse, vel hominem esse. Nam dum homo

D

E

F

A homo est absolutè necessario est, ex conditione presentis, facientis omnia necessaria. Et ista sit regula, quod nunquam sequitur aliqua necessitas consequentia, nisi ex aliquali necessitate absoluta. Ita in diuina præscientia, & rebus cognitis, cum dicimus res cognitas esse necessarias, ut cognitæ sunt, & tamen absolute, nec sunt necessariae, nec prouidentia causat necessitatem.

Dicendum est verum esse res cognitas, ut cognitæ esse necessarias, & non in natura sua, tamen ista necessitas, quæ est in rebus comparatis, est in eis per aliquam necessitatem absolutam, quia res nostræ cognitæ à Deo sunt præsentes Deo, & res in suo præsenti habet necessitatem, siue cognoscatur, siue non, & siue sit ad alterum comparata, siue non, & ex illa necessitate absolutè causatur aliqua necessitas in eis cognitis: si autem non haberent illam, cum cognitæ sunt: nō potest tolli necessitas in operationibus nostris per modum istum.

Auctoris vera responsio ad dubium de prædestinatione positum, quæst. 13.

Q V A E S T I O XVI.

B **D**ICENDVM ergo aliter, scil. quod Deus habet prouidentiam omnium rerum, & tamen non tollit libertas rerum, vel conditio earum naturalis, siue sit contingentia, siue necessitas: quædam namque res necessariae sunt, & cù à Deo cognitæ fuerint necessariae manent, ut solem oriri, aliae autem sunt contingentes, & cù fuerint cognitæ nihil mutatur de earum contingentia, vt hominem currere. In quo considerandum est, quod res non vocantur contingentes, vel necessariae pro eo tempore, quo sunt, sed antequam sint, & sic res illæ, quæ necessario se habent ad esse, antequam sicut vocantur necessariae, quæ vero antequam sicut non necessario sunt evenerunt, quomodounque se habeant quando evenerint, vocabuntur contingentes. Et patet, quia res nō possunt distingui secundum necessitatem & contingentiam, eo tempore, quo sunt, quia tunc necessario sunt, quia omne quod est, dum est, necesse est esse, vt supra probatum est. Ideo licet, solem eras oriturum fore, sit necessarium: & hominem eras cursurum, sit purè contingens, tamen quando homo currit, & sol oritur, æqualem habent necessitatem: nam sicut impossibile est solem non oriri, dum oritur, ita impossibile est hominem non currere, dum currit. Oportet ergo, quod necessitas, & contingentia in rebus assumantur, antequam sint, & tunc quædam res sunt necessariae, quæ ex suis principijs determinatae sunt, vt solis ortus etiam antequam fiat, & quædam antequam sicut non habent determinationem ex causa suis ad essendum, & istæ vocantur contingentes, sicut cù sint necessitatem habeant: nihil enim est quantumcumque liberrimum sit, quod necessarium non sit cum est, vt patet de actu voluntatis, qui est liberrimus, & tamen in illo est necessitas, quia nec esse est nos velle cum volumus, alioquin dabitur, quod aliquis possit non velle dum vult, quod includit contradictionem, sed vocatur actus voluntatis liberrimus, quia antequam velimus, possumus non velle. His datis, apparet quomodo non imponat cognitio Dei necessitatem actibus nostris, & tamen iudicium diuinum falli impossibile sit, quia Deus non intelligit res nostras, vt præteritas, vel futuras, sed solum vt præfentes, & tunc præfentes sunt, sed res quæcumque quando sunt, habent necessitatem quantumcumque ipsæ absolutæ secundum naturam suam à necessitate sunt, ergo tunc licet intellectus diuinus concurrat cum eis, qui invariabiliter intelligit: non mutabitur conditio contingentia earum, quia ipsæ tunc ex natura præsentialitatis sunt necessariae, & antequam sint, sunt contingentes: quam contingentiam non potest tollere intellectus diuinus res necessario intelligens, quia non est intelligens eas, antequam sint, sed cù sunt per modum præsentialitatis, & tunc consonat necessitas ex parte rerum intellectarum, quæ sunt actiones nostræ, & ex parte diuinæ intellectio, quæ se contingenter habere nequit.

* *

De modo essendi Dei, & quomodo in Deo idem præcisè est esse, & intelligere, & intellectus, & voluntas, & omnia simul & eterna.

Q V A E S T I O XVII.

C **O**NCESSO autem isto fundamento, scil. quod Deus intelligat res, vt ei præfentes sunt, manifestum est, quod nullam necessitatem imponat diuina prouidentia operacionibus nostris, quia res dicitur contingens vel necessaria, cù futura est, cù autem præfens est, omnes sunt necessariae, & manebit certitudo atq; necessitas diuini iudicij cum necessitate actionum nostrarum, cù fuerit. Sed quia fundatum istud est quibusdam non manifestum, aliqualiter manifestabitur, & postea aliqua dubia circa istam materiam soluentur.

D **P**ro hoc considerandum est de modo essendi Dei, vt inde cognoscatur conditio cognitionis diuinæ: nam in Deo omnia sunt idem, nisi vbi tollit diuersitas relationis: ideo in Deo idem est esse, & intelligere realiter, & idem sunt realiter intelligere, & voluntas. Quæ ergo fuerit conditio esse diuini, erit cōditio cognitionis eius, sed esse Dei est eternum, ergo & intelligere est eternum. Antecedens patet, quia omnes vocant Deum eternum, quod & declarabitur: nec enim vocatur eternitas Dei, quod nunquam cōperit, nec finitus sit, quia hoc modo nō daretur ei adhuc omnis perfectio, quanquam philosophorum quidam largè loquentes eternum sic assumpserunt, sed vocatur eternitas interminabilis vita simul tota & perfecta possessio, & secundum hanc differt Deus à ceteris rebus, nihil quippe est, cui omnia haec competant, nisi Deo soli. Cum dicitur interminabilis vita tollitur omnis res, qua durationem habet, vel quæ aliquando cōcepit, vel quæ aliquando finienda est. Æterna autem, nec vñquam inchoant, nec vñquam finiunt, & in hoc totam rationem eternitatis vulgariter loquentes ponunt. Dicitur autem vita, nam licet aliqua pure corporalia sint, quæ nec vñquam cōperint, nec vñquam finienda sint, tamen non vocabuntur eterna, licet nō multum instantum est in ista particula vita, quia accipitur vita, id est esse, siue sit esse rei viuentis, siue nō viuentis: perfectio tamen, quæ subditur, scil. simul tota non potest cōpetere alicui, nisi viuenti: quia pure corporalia, & non viuentia non possunt habere totum esse: simul, cùm in corporibus sit successio in essendo quātum ad aliquam speciem motus. Nō est enim aliquid corpus, quod aliquo modo non mouetur, quod autem mouetur, non est simul totum, & dicitur simul tota, id est, quod tota vita, vel totum esse sit simul, & ista est propria ratio eternitatis: nam rebus temporalibus competit esse interminabilis: tñ non competit, quod sint totum suum esse, aut totam durationem habentes simul: licet enim dicamus, sicut dixit Aristot. 8. Physic. non incepisse mundū, nec partes principales vñneri, nec motus, & generatio, nec vñquam finem acceptura sint, tamen non habent totum suum esse simul, nec alias duas partes simul. Quanquam autem de illis detur simul erit indivisibilis, quod non est pars rei divisibilis. Sic patet de motu, qui quanquam sit semper, tamen alia pars motus est nunc, quam fuerit pridem, & quæ succedit non erit aliqua de præteritis. Ita & de tempore, nec solum est in rebus successionis, sed etiam in eis, quas permanētes vocamus. Nam nō habet aliquis homo eadē partem durationis, quam ante habebat, nec totum esse, quia homo est albus, & potest esse niger: & tamen homo non habet, nunc nigredinem, quam habere potest, & qui non est musicus, potest esse mulier: ergo nondum habet totum esse, & quod suum est. Et istud est generale quantum ad entia, in quibus datur compositio ex actu, & potentia, scilicet quod aliud est quod sunt, & aliud est, quod esse possunt, & quia omne illud sumus, quod de nobis prædicatur, cùm album, & nigrum, comedens, bibens, felix, & disciplinatus, & similia prædicentur de homine, ista sunt esse suum, sed non habet homo omnia ista simul, ergo totum hominis esse nō est simul. Nec solum in his, sed etiam quantum ad quodlibet istorum non est totum simul: vt si homo sit albus, non habet totam albedinem simul, sed eam acquirit per partes, quia nunc acquiruntur aliqui gradus albedinis, & postea alii. Idem de disciplina

non

*Istud funda-
mentū decla-
rat au-
tor usq;
ad q. 7.6
peccata
soluit
dubia
q. 7.7.*

*De modo
essendi
di Dei
agit au-
tor usq;
ad q. 7.6
postea
agit de
modo
cogni-
tionis.*

*E
Æter-
nitas
philoso-
phie
qđ est.
Æter-
nitas
proprié-
& theo-
logie
qđ est.
& qui-
bus co-
petat.*

A non acquiritur tota simul, sed aliquid prius, aliquid posterius: nam in multis temporibus efficitur homo disciplinatus. Hoc patet: nam motus est via in forma alicuius generis, & in qualibet parte motus acquiritur aliqua pars formae, cum omne quod mouetur sit semper partim in termino ad quem, & partim in termino a quo: & cum definit esse in aliquo horum, non est motus, sed manifestum est differre partes motus, ergo partes formarum acquisitarum differunt, vel non sunt simul, sed illae praedicantur de homine, vel de qualibet re, quae mouetur, & sunt esse suum: ergo non est totum esse rerum illarum simul, & patet maxime, quia quod ex potentia, & actu constat: aliud est, quod habet, & aliud quod habere potest, sed id quod habere potest, continuè acquirit: ad quod est via motus in entibus pure naturalibus, ergo quae mouentur non sunt tota simul.

Item hoc non solum est in entibus corporalibus, quae mouentur, sed etiam in spiritualibus carentibus motu. Nam nec illa habent totum esse suum simul, ut patet in intellectu nostro, qui est musicus, dialecticus, geometra, cum ista praedicetur de eo, & sint pars esse sui: tamen non habet ista omnia simul intellectus, sed cum musicus est, non est dialecticus, & cum dialecticus fuerit, non acquisivit geometriam: est enim in eodem, & potentia.

B Amplius autem, & in excellentissimis creaturis, quod non sit totum esse simul, patet: nam Angeli acquirunt illud successione quadam, quia non sunt in actu omnium, quae intelligere possunt, sed aliquid intelligent, & aliquae intellectiones eis aduenire possunt, cum quotidie noua intelligent, quae prius non intellexerant, reuelatis eis quibusdam a Deo. Nam & si hoc non poneretur, neccesse esset, quod vel angeli omnia scirent, quae villo modo scibilis sunt, vel quod Deus non potest eis reuelare quidquam etiam si velit, vel quod ipsi non possunt suscipere, etiam si Deus reuelauerit, quae omnia falsa sunt: oportet ergo, quod aliquid suscipere possint. Item alioquin tollerentur tres aetas Hierarchici, quos ponit Dionysius in lib. de Angelica Hierarchia, scilicet purgare, perficere, & illuminare: nam per istos aliquid suscipitur in Angelo, qui purgatur, perficitur, vel illuminatur. Item patet, quia nos concedimus in Angelis compositionem ex actu, & potentia: & tamen in omnibus huiusmodi aliud est quod sunt, & aliud est quod esse possunt: ergo non est totum esse simul, & generaliter nulla creatura habet totum suum esse simul, vel nulla res, quae habet aliam perfectionem super se, habet totum suum esse simul, quia ab illa perfectione potest semper recipere aliquem gradum perfectionis, & non habebit totum esse simul: quamobrem de nulla istarum dicetur, quod sit aeterna: unde licet Angeli non essent a Deo facti, sed improducti, & nunquam defectibiles, quia tamen non habent totum esse simul, non vocabuntur aeternum, nec erunt.

C De sola autem increata, & improducta essentia dicitur, quod habet totum esse simul, & est aeterna, scilicet de Deo: id enim quod nullam habet successionem totum simul est, & quia in Deo non est successio, nec acquisitio perfectionum aliquarum: ergo est totum simul. Declaratur hoc, quia in Deo non est acquisitio perfectionum per motum: nam in Deo non est motus, cum sit substantia pure spiritualis, cui non competit motus, ideo quanquam non esset ens simpliciter perfectum, ulteriores perfectiones acquirere quam eas, quas habet, non potest per motum: item non potest acquirere alias perfectiones sine motu, sicut de Angelis dicimus: Angeli quippe motum non habent, quia non sunt corporeæ substantiae, nec corporibus unitæ, acquirunt tamen perfectiones, nam aliquid nunc intelligit Angelus, quod prius non intellexerat, quia nunc nouiter reuelatum est, ut declaratum est, & in hoc successio est, cum ponatur prius, & posterius, vel non sit simultas rerum intellectuarum, aut cognitionum. Et ob hoc dicimus mensuram angelorum non esse tempus, sed ævum, quia tempus est passio motus. Vbi ergo non reperitur motus aliquis, non reperitur etiam tempus. Sic est in Angelis, nec tamen aeternitatem habere potuerunt mensurantem, cum non habeant totum suum esse simul. Nec damus Angelis ævum, ut aliqui patet a attendentes existimant, quia sunt producti, & alia duratio est maior, quae est rei non productæ, sed quia suum esse non habent totum simul. Nam dato, quod Angeli non essent producti, sicut nec prima intellige-

tia: tamen si haberent conditionem essendi, quam nunc habent, non esset aeternitas mensura eorum. Deus autem isto modo non potest acquirere alias perfectiones, scilicet in successione, & tamen sine motu, & tempore, quia id quod recipere debet, ab altero recipere potest: sed nihil est, a quo Deus recipere posit, quia recipiens perficitur per id quod recipit, sicut recipiens disciplinam, vel albedinem per disciplinam, vel albedinem: sed Deus non potest recipere quidquam, ergo non potest perfici, seu acquirere aliquam perfectionem, quam non habeat.

Hoc patet ex duobus fundamentis: Primò ex parte causantis istam perfectionem, quam Deus reciperet: Secundò ex conditione Dei, qui recipere deberet.

Primò patet, quia si aliquis debet recipere perfectionem, necesse est, quod ab alio recipiat, quia recipere est pati, & patiens & agens diuersificantur, cum agens sit perfectius patiente. Oportet ergo assignare aliquid Deo perfectius, a quo Deus reciperet aliquam perfectionem, sed nihil tale est: ergo Deus non potest recipere aliquam perfectionem, quam non habeat. Et non solum est hoc, quia Deus est ens perfectissimum & non indiget aliqua perfectione quam recipere debeat, sed dato quod Deus non esset ens perfectissimum, sed multæ perfectiones ei aduenire possent, vel si aduenirent cum perficere possent: tamen erat impossibile, quod ei aduenirent, quia non erat aliquis, qui has perfectiones in Deo cauferet, cum non sit aliquid superior agens & influens. Sicut quod est in potentia ad aliquid, & non habet aliquem reducentem de potentia ad actum: nunquam erit in actu.

E Secundo modo patet idem ex parte Dei, quia si Deo aliquæ perfectiones aduenire possent praeter eas, quæ substantia sunt eius, non esset summè perfectus: Deum tamen summè perfectum asserimus. Item non potest aliquid recipere perfectionem ullam, nisi quod compositionem habet ex actu & potentia, scilicet quod aliud sit quod est, & aliud, quod esse potest, sed a Deo omnem excludimus compositionem: ideo non potest recipere aliquam perfectionem praeter eam, quæ in natura sua est, aut potius naturaliter sita est.

Item Deo omnem perfectionem attribuimus, sed perfectio quædam & de maximis est esse purum actu, ergo Deus est purus actus, actus autem purus excludit omnem potentialitatem. Nam dicimus esse aliquid purum potentiale, scilicet quod secundum se est susceptivum, & non habet determinatum esse in natura aliqua, sed est in potentia ad id, per quod in specie, vel natura collocetur. Et quia materia prima ab extra omnia haec expectat in natura sua nihil habens, per quod sit sub aliquo esse determinato, est purè potentialis, vel potentia. Aliqua sunt entia composita ex actu & potentia, & ista nec totaliter sunt potentia, nec totaliter actus: sed aliquid sunt, & aliquid esse possunt, quod nondum sunt. In quantum sunt, actus sunt, & in quantum esse possunt ex potentia constant. Et huiusmodi sunt omnia entia facta, vel producta praeter materiam primam, quæ non potest dici constare ex actu, & potentia, cum sit pura potentia, & non sit ei aliquis actus intrinsecus: in omnibus vero reliquis entibus est aliquis actu intrinsecus, scilicet species suæ, ad quod non sunt in potentia, sed determinata sunt in illo: sunt autem in potentia quantum ad aliquid alterum. Est etiam alterum ens, quod est purus actus, id est solum est, & in potentia non est. Est autem dicit actu: quod ergo est nec aliud praeter id quod est esse potest, purus actus est: & sic est de Deo, quem necessario vocabimus actu purum, si in eo omnem perfectionem constare volumus. Quod tamen est purus actus nihil unquam recipit, quia tunc potentiale esset: Deus ergo nihil recipere potest praeter id quod est: sed id quod nihil recipere potest totum esse suum habet simul, ergo Deus totum esse simul habet: hoc autem de nulla re alia concedimus: sed omnes constant ex actu & potentia, quia semper praeter id quod sunt, aliud esse possunt. Et hoc, quia conueniunt in eis duo principia, quae faciunt ad recipere. Primum quod sit aliquid super ipsam rem recipientem, quod causare aliquid in ea possit: & sic est in omnibus entibus productis: nam super ea est aliud agens virtuosius in causando quod est improductum, & poterit super illa causare. Secundum est in eis, scilicet, quod ipsa non sunt summè perfecta, sed si aliquæ ulteriores perfectiones eis adueniant erunt perfectioniora. Erunt igitur omnia haec partim

D cur Deo nullam perfe- ditione acqui- rere pos- test.

Ens tri- plex, s. purus actu, pura pe- nititia et mixta.

F

Deus totum esse si mul- tum.

in

Cur an- geli non men- surantur tem- pora, nec a ter- ita te, sed uno.

A in potentia ad recipiendum aliquid: ex quo patet quod nulla res habet totum suum esse simul præter Deum.

Obiectio contra immediate dicta tollitur.

Q V A E S T I O X V I I I .

SED contra hoc arguetur quia communiter distinguitur permanentibus, & successiuis: dicitur quod permanentia sunt, quæ habent totum suum esse simul: & successiua sunt quæ consistunt in successione, & simul non habent esse. Respondendum est quod nullæ res, siue successiua, siue permanentes habent totum esse simul vel aliquas partes esse sui simul. Cum autem obiicitur de his, dicendum est quod accipitur esse pro essentia, vel substantia rei, & non pro toto esse rei: & verum est quod permanentia habent substantiam suam, vel essentiam totam simul sed non esse: successiua autem nec substantiam, nec esse simul habent. Quod patet de permanentibus, quia homo aut esse hominem est substantia: & hoc totum est simul: nam non est homo, aut aliquid de humanitate prius quam totus homo sit, nec habet homo aliquas partes, & postea complementum: quin potius nihil de homine habetur quoisque totum esse hominis habeat, quia constitut substantia in indiuisibili, & postquam est homo in qualibet parte temporis assignata est perfecte homo, vel in quocunque instanti: nec est perfectius homo aut magis de homine habens in uno instanti quam in mille annis si duraret. Esse tamen hominis non est simul: quia homo non consistit in eodem, sed interdum est albus, interdum niger, interdum doctus, interdum indisciplinatus: & ista sunt esse hominis cum prædicentur vere de homine cum isto verbo sum, & substantia hominis, vel esse hominem, quod est indiuisibile variatur per hæc habens extensionem durationis & essendi. Ista autem non sunt simul, sed aliquid est quod est, & aliquid est, ad quod in potentia est: ideo licet permanentia substantiam suam, vel essentiam totam simul habeant, tamen non habent esse simul. Successiua autem non habent esse simul, id est, nec essentia, vel substantia eorum nec esse est simul: quod patet in tempore & motu, quæ sunt successiua: nam non potest simul dari substantia temporis. De homine enim damus quod in quocunque instanti assignato postquam homo cœpit esse sit totus homo: & tamen postquam cœpit motus, vel tempus in uno instanti assignato est totus motus, vel totum tempus, immo in nullo instanti assignato potest esse aliqua pars motus, vel temporis, quia motus secundum substantiam dicit successionem, in instanti autem nulla est successio nec diuisionis, ergo nec motus, aut tempus. Nec etiam pars vlla temporis, aut motus erit in instanti, quia qualibet pars rei diuisionis est diuisionis, cum nullum diuibile componatur ex non diuisionibus, vt probat Aristot. in princip. 6. Physi. instans autem est indiuisibile, ergo non erit in eo substantia alicuius partis motus, vel temporis. Patet ergo, quod permanentia habent essentiam, vel substantiam totam simul, sed non esse: successiua autem non habent simul substantiam, nec esse, & consequenter appetit, quod nulla res habet totum suum esse simul, nec aliquas duas partes præter primum ens, quod totum simul est sine partibus.

In Deo est præteritum, nec futurum, nec praesens eo modo, quo in nobis est.

Q V A E S T I O X I X .

EX supradictis sequitur, quod in Deo non sit præteritum, futurum, & praesens quantum ad seipsum, sicut in nobis est, sed tota duratio Dei simul est, ita quod non sit alia pars durationis, quam habebat quando erat Adam ab ea duratione, quam nunc habet, & ab ea, quam habebit cum Antichristus erit. In nobis tamen distinguuntur partes durationis, quia idem homo est qui aliquando est iuuenis, aliquando puer, aliquando senex, si tamen tota ista duratio esset simpliciter eadem, & non haberet in partibus suis differentiam aliquam, sequeretur idem esse iuuentutem hominis, & pueriam, & senectutem. Et amplius sequeretur, quod quando homo esset iuuenis esset senex, & puer, quæ includunt con-

tradictionem. Differunt ergo in qualibet re partes durationis: in Deo autem tota duratio est eadem nihil habens distinctum. Velut si aliquis nostrum deberet vivere 60. annis, & haberet simul totam durationem istorum 60. annorum, tamen nunc haberet horam, in qua natus est, & secundam horam, & simul cum illa hora haberet totum secundum annum, & tertium, & quartum, & omnes usque ad ultimam horam anni 60. & essent simul omnes partes istius durationis, scilicet, quod hora ultima anni 60. non esset post primam horam, in qua iste homo natus est, sed simul essent omnes horæ suæ durationis tanquam una hora, nec esset ordo prioritatis, & posteritatis, & tunc sequeretur, quod cum in partibus diuersis istius temporis nos fecimus diuersos actus, quod isti actus essent simul cum omnes partes temporis simul sint, & sic quandocunque maneret homo semper nascetur, quia non deperderetur aliquid, quod semel haberet, nec aliquid nouiter acquireretur, & si quis semel comedet semper ille actus comedendi maneret, quia cum illum hominem esse comedentem sit pars esse hominis, & totum esse illius sit simul, ergo quandocunque homo esset, maneret hoc quod est eum esse comedentem. Et semper maneret hoc, quod est eum nasci ab utero: nam cum istud nasci sit quædam pars esse sui, necesse est, ut semper maneret, alioquin non esset totum suum esse simul. Et hoc modo apparet quomodo verum sit, quod filius Dei semper genitus est, & semper gignitur, nec cessat illa generatio, non quidem, quia non possit magno tempore finiri, sed quia filius Dei genitus est cum per generationem esse receperit, & in diuinis nihil transit, nec aduenit, cum totum esse simul sit, necesse est, ut generatio illa semper maneat, non tanquam alia, & alia pars generationis, sed eadem indiuisibilis generatio, quæ ab eterno erat eadem nunc est, sed in quocunque est generatio illud gignitur, ergo filius Dei in quo semper generatio est, quia nunquam abiit in præteritum semper gignitur. Prædicta faciliter induci possunt, scilicet, quod in Deo non sit præteritum, & futurum, quia in Deo quidquid est idem ipsi Deo est, sed si in Deo sunt præteritum, & futurum cum sint distincta essentialiter, vel secundum speciem, essent diuersæ naturæ Deitatis, quod non stat. Item præteritum esse rei iam effluxit, futurum autem nondum euenit, ergo si in Deo daretur præteritum, & futurum, esse diuinum esset defectibile, & tenderet in nihilum, sicut esse nostrum, & tunc non esset ens perfectissimum, ergo non potest ibi esse præteritum, & futurum. Item si esset in Deo præteritum, & futurum, daretur potentialitas, scilicet, quod Deus esset in potentia ad aliquid: nam id, quod futurum est, nondum est, sed esse potest, ergo esset in potentia ad habendum, & tunc daretur in Deo compositione ex actu, potentia, & non esset actu purus, quod non conceditur. Item Deus habet totum suum esse, vt supra inducitum est, si tamen esset ibi præteritum, & futurum, non daretur totum esse simul, quia præteritum, & futurum esse dicunt, sed non sunt simul. Et patet etiam ex fundamento naturæ: si enim Deus præteritum, & futurum haberet, aut hoc esset, quia in eo erat tempus, in quo est præteritum, & futurum, vel quia est in eo successio sine motu, & tempore: nullo enim alio modo datur præteritum, & futurum, nec successio aliqua. In Deo tamen nullum horum est. Primum patet: nam in Deo non est motus, cum non sit ens corporale, sed tempus est passio motus, ergo non erit in Deo tempus: passiones enim consequuntur sua substantia. Nec potest esse successio sine tempore, quia successio illa est in rebus, quæ recipiunt nouiter alias perfectiones, & sine motu, sicut Angeli recipiunt nouas intellectiones, quæ in eis sunt sine motibus. In Deo tamen etiam non est hoc, quia non potest quidquam recipere, sed solum habet id, quod secundum naturam suam inest, ergo non potest in eo esse præteritum, aut futurum, sed quidquid est, simul est. Ideo cum Deus habuerit esse ab eterno, & fuerit quando creatus est mundus, & quando Israëlitæ exierunt de Ægypto, & nunc, & in die iudicij, eadem prorsus duratio, & esse est quam Deus in omnibus illis partibus habebat, & quam nunc habet, velut si eadem esset hora, in qua formatus est Adam, & in qua Christus crucifixus est, & in qua iudicabitur seculum, & dum unum fit reliqua fierent.

E
st & pro
positio
nes in
triuim
filius
Dei
semper
gigni
tur,
semper
genit
us est
verissi
ma, &
ter, f
sime.

n. 15.
F

A

An Deo sint omnia praesentia, quae sunt nobis præterita, & futura,
& quomodo.

Q V E S T I O X X .

EX p̄t̄dictis etiam patet, quod omnia sint Deo praesentia, quæ nobis sunt praesentia, præterita, vel futura, & patet ex superioribus, scilicet, quia Deus non habet in se præteritum, & futurum, sed totum esse suum est praesens, & tamen Deus semper est, quia esse suum est indeficiens, ergo ipse est tempore creationis mundi, & tempore Abrahæ, & nunc, & tempore Antichristi, & in ipso non est successio aliqua, ergo in omnibus ipsis temporibus est idem praesens Dei. Nam detur oppositum, quod sit aliud, & aliud praesens Dei, sequitur quia praesens, quod habuit Deus tempore Adæ elapsum est, quando erat tempore Abrahæ, & praesens, quod tunc habebat elapsum nunc erat, & tunc dabitur in Deo necessario præteritum, & futurum, atque successio, & tamen supra probatum est, quod erat totum esse simul, ergo idem praesens est, quod habebat tempore Adæ, & Abrahæ, & nunc, & in die iudicij, & omnia sunt Deo praesentia. Nam quæcumque sunt praesentia præsenti alicuius, sunt praesentia illi rei, sed quæcumque siue præterita, siue futura sunt praesentia præsenti diuino, quod semper est, ergo sunt praesentia Deo. Maior patet, quia quæcumque sunt praesentia huic præsenti meo sunt praesentia mihi. Minor, scilicet, quod omnia sunt praesentia præsenti diuino patet, quia tunc Deus erat cum Adam formabatur, & vita Abrahæ praesenti diuino praesens erat, quia tunc Deus erat cum viuebat Abraham, & sic de ceteris: omnia ergo diuino praesenti praesentia sunt. Nec est intelligendum, quod sint ista sibi praesentia secundum diuersa praesentia, sicut in nobis sit, scilicet, quod id, quod erat cum natus sum, erat mihi praesens, & id quod nunc est, mihi quoq; praesens est: sed non referuntur ad idem praesens. Sed idem praesens Dei est, cui praesens est formatio Adæ & dies iudicij. Quod patet, quia formatio Adæ erat praesens præsenti diuino, quia ipsa tunc erat, cum praesens illud erat: dies quoq; iudicij erit cum Deus erit, quia esse Dei non definit: ergo erit ei praesens, & non secundum aliud praesens, quam id quod erat, cum formatus est Adam, quia alias daretur in Deo præteritum, & futurum, & aliquid efflueret atque aliud adueniret, nec esset totum esse simul, ergo secundum idem praesens Dei ego, & Adam, & dies iudicij Deo praesentes sumus, licet in diuersis temporibus simus, & hoc modo proprio dicetur de omnibus, quod Deo praesentia, & sic non poterit dici, quod aliquid est Deo præteritum, vel futurum, sed praesens: licet secundum conditionem temporis praesens, aut præteritum sit, vel futurum. Non tamē dici potest de omnibus rebus, quod nunc sunt Deo praesentes: nam oportet ad hoc, quod omnes res nunc essent: sed non sunt, ergo non sunt Deo praesentes nunc.

B

Multum enim differunt iste duæ propositiones, quia quod omnes res Deo praesentes sint, requirit aliquid unum praesens, secundum quod omnes comparentur ad Deum tanquam praesentes, & istud est praesens Dei, quod est vnicū, & idem in omnibus temporibus, in quo omnia sunt: ideo licet res inter se non sint praesentes, tamē in illo praesenti sunt praesentes, & hoc sufficit ad hoc, quod sint praesentes Deo, & simul: velut si ego sim praesens sorti secundum istud praesens, quod nunc habet, & Plato secundum idem praesens sit sorti praesens, dicemur ambo simul praesentes sorti: ita formatio Adæ est praesens Deo, quia illa esse habuit in praesenti Dei, quod tunc erat, & dies iudicij erit praesens Deo, quia erit praesens praesenti Dei, quod tunc erit, & istud praesens Dei est idem, ergo formatio Adæ, & dies iudicij sunt praesentia Deo simpliciter, & simul atq; secundum idem praesens, & tamen non sunt praesentia Deo nunc, quia nulla eorum est nunc. Considerandum etiam, quod nulla res potest assignari Deo tanquam præterita, nec tanquam futura: nam formatio Adæ non est Deo præterita: nec dies iudicij est ei futura, & poterit hoc probari ex fundamentis supra positis, scilicet, quod esse Dei est totū simul: sed formatio Adæ fuit aliquando praesens Deo, ergo si non esset praesens semper Deo, non esset simul totum Dei esse: sed efficacientur præteritum, & futurum, quæ non dicunt simultatem, ergo sicut semel formatio Adæ fuit Deo

praesens, ita erit ei semper praesens. Ita patet, quod dies iudicij non sit futura Deo, quia id quod alicui est futurum, est in potentia ad hoc, quod sit illi praesens: sed in Deo non est potentialitas vlla, sed purus actus, ergo nihil est Deo futurum quod ei postea efficiatur praesens, vel si dixerimus, quod aliiquid est futurum Deo, & tamen non est in potentia ad illud:

D

dabitur quod illud nunquam efficiatur ei praesens, nec possit esse praesens, & tamen fallum est, quia cum duratio Dei nunquam definit quæcumq; fuerint, necesse est, quod aliquando sint ei praesentia. Dabitur ergo potentialitas in Deo ad aliquid hoc modo: sed falsum est, ergo non est dies iudicij nunc futurus Deo sed praesens. Item patet hoc magis ex fundamento naturæ, scilicet, quandocunque ego habeo istud praesens secundum quod Sortes est mihi praesens erit Sortes mihi praesens, sed Deus habet semper illud praesens, secundum quod dies iudicij est sibi praesens: ergo illa est sibi praesens. Maior patet, quia si quando ego habeo praesens secundum quod sortes est mihi praesens, posset sortes non esse praesens: posset non esse praesens dum est praesens: sed hoc includit contradictionem, quia omne quod est, dum est, necesse est esse. Et patet quia vnicum praesens est secundum quod sortes est mihi praesens. Si autem dicatur, quod in illo potest non esse praesens sequitur quod poterit esse non praesens, dum est praesens. Minor patet quia dies iudicij aliquando erit praesens Deo, scilicet, quando ipsa erit, & illud praesens in quo Deus tunc erit est id quod nunc habet, & semper: nam non mutatur in eo præteritum praesens, & futurum, sed semper est eadem duratio tota simul, & praesens, ut supra declaratum est: ergo non erit dies iudicij Deo futura. Item patet quod omnia simul sunt Deo praesentia: nam aliquid est Deo praesens: ergo omnia sunt Deo praesentia. Antecedens patet, quia id quod nunc est, nemo negat esse praesens Deo. Consequentia probatur quia omnia entia, siue præterita, siue futura, siue praesentia referuntur ad Deum secundum eandem simplicem durationem: ergo aut omnia sunt praesentia Deo per praesentialitatem ad durationem illam, vel omnia sunt futura, vel omnia præterita: sed aliqua sunt praesentia secundum illam durationem Dei, quia de illis, quæ nūc sunt dicimus, quod sunt praesentia, & referuntur ad Deum secundum illam durationem: ergo de omnibus, quæ secundum durationem eandem referuntur ad Deum, dicemus quod sunt praesentia: nam idem non est principium diuersorum, scilicet, si aliquis secundum albedinem dicitur albus, non poterit alius secundum albedinem dici niger: ergo cum in Deo idem nunc semper sit secundum quod omnia, quæ comparantur ad Deum, referuntur, necesse est omnia illa esse praesentia, aut omnia futura, aut omnia præterita: sed quædam illorum sic comparatorum dicuntur vere praesentia Deo, ergo omnia. Item præteritum futurum praesens dicunt diuersas partes durationis, quia non potest aliqua res secundum eandem durationem esse praesens præterita, & futura: sed omnes res, quæ secundum conditio nem temporis praesentes præterite aut futuræ sunt, ad Deum secundum idem nunc Dei referuntur: ergo comparate res ad Deum non sunt ei quædam praesentes, quædam præterita, & aliæ futuræ, sed necesse est omnes praesentes esse, & simul praesentes. Et hoc est quod supra dicebatur: nam quod omnes res praesentes Deo sint, si non referuntur ad idem praesens facile est; cum etiam cœlo omnia praesentia sunt quamquam non habeat eternitatem, & totum esse simul, sed quædam sunt ei praesentia nunc, alia vero post, & sic in diuersis temporibus: Deo tamen sunt simul omnia: quia secundum eandem durationem & instans Dei praesentia sunt ei omnia. Nam esse Dei totum est simul, ut supra declaratum est. Ex quo etiam sequitur quod esse Dei est instans solum & indiuisibile: nam si haberet partes durationis non esset totum simul. Nihil enim totum simul est, nisi instans, & quodlibet indiuisibile, & tunc quæcumque praesens est Deo, necesse est, ut secundum illud idem vnicum & indiuisibile instans praesens sit: sed illud habet simultatem propter carere partibus, ergo quæcumque Deo praesentia sunt secundum instans sunt, sicut quæcumque mihi praesentia sunt secundum instans, quod nunc est, dicuntur mihi simul praesentia: instans autem eternitatis, in quo est tota duratio diuina, ita est simplex, sicut instans, quod est nunc & si simplicius aliquid dici potest.

E

C

Nulla res p̄t̄test as signari Deo sā quæm p̄t̄terita se futura cōtra dies iudicij nō est Deo suū s. nec forma in Ada p̄t̄teri t̄ in si. 1. 54.

F

Qu. 17.

An

A An sequatur ex hoc quod res sunt presentes Deo quod sunt simul.

Q V A E S T I O XXI.

SE D contra hoc aliquis arguet dicens, quod si omnia Deo simul praesentia sunt, ergo omnia simul sunt, quia non est hic aliqua determinatio diminuens, vel distrahens. Sed non sunt omnia simul, quia nunc non est formatio Adæ, nec dies iudicij. Respondetur, quod non valet ista consequentia, scilicet, omnia sunt simul praesentia Deo: ergo omnia sunt simul praesentia, quia variatur suppositio propter varium modum consupponendi illius aduerbiū simul. Nam cum ponitur iste datiuus Deo accipitur pro praesentialitate, quam res habent ad Deum, & in illa praesentialitate sunt simul, quia vna non est praesens prius, quam alia, quia illa duratio Dei, secundum quam res sunt ei praesentes, est indiuisibilis, & non habet prioritatem, & posterioritatem, quod pertinet diuisibili vel multiplici, ideo quomodounque se habeant, simultantem respectu Dei habent. Non tamen habent simultatem inter se, quia habere simultatem inter se est habere simultatem in tempore, quod mensurat eas, nam non mensurantur illo nunc diuino, quod soli Deo conuenit, sed tempora mensurantia non sunt simul, quia alia pars temporis correspondet formationi Adæ, & alia aduentui ad iudicandum seculum: cum autem dicitur ergo omnia sunt simul praesentia, vel omnia sunt simul, accipitur simultas pro simultate inter seipso, & hoc falsum est, quia non sunt omnia in eodem tempore quamquam sint in eodem instanti aeternitatis, vel ut proprius dicatur sunt omnia praesentia instanti aeternitatis. Item dicendum est, quod non est vna res prius Deo praesens quam alia, scilicet, quod non est formatio Adæ, & creatio rerum prius Deo praesens quam aduentus Antichristi, vel dies iudicij. Et patet hoc ex predictis, scilicet, quod omnia sunt simul praesentia Deo, si tamē aliquid esset prius praesens Deo, quā aliud non esset simul in praesentialitate, quia prius, & posterius opponuntur simultati: formatio autem seculi, & aduentus ad iudicandum ex predictis Deo praesentia sunt simul, ergo non est prius Deo praesens formatio seculi, quam aduentus ad iudicandum. Item in eodem & indiuisibili non est aliquid prius, & posterius, sed omnimoda simultas, quacunque tamen Deo praesentia sunt secundum idem praesentia sunt, quia unicum praesens Deus habet, quod est instanti aeternitatis, ergo non est aliquid prius altero Deo praesens, alioquin darentur plura praesentia in Deo, quod est falsum. Sed aliquis arguet contra, quia creatio mundi, & formatio Adæ, quando sunt, Deo praesentes sunt, & aduentus ad iudicandum atq; persecutio Antichristi, quando sunt Deo praesentia sunt, & formatio Adæ, & creatio seculi prius sunt quā aduentus ad iudicandum, & persecutio Antichristi, ergo prius Deo praesentia sunt. Respondendum est non valere consequentiam, quia mutatur suppositio: nam in anteecedente ponitur praesentialitas, & simultas pro praesentialitate, & simultate, quam inter se, & secundum naturam suam habent, in consequente autem ponitur pro simultate, quam habent ad Deum, & praesentialitate, sed ista nimis differunt, quia praesentialitas ad Deum est praesentialitas in aeternitate, & praesentialitas rerum inter se est secundum instantiam temporis, & partes, & diuersa prædicamus de his: nam dicimus, quod omnes res sunt praesentes Deo, & tamen non concedimus simpliciter omnes res esse simul, debet autem simultas ista accipi necessario secundum Deum, & non secundum res cū dicimus omnia sunt simul Deo, vel simul praesentia Deo. Sicut cum dico sortem, & Platonem esse mihi praesentes, necesse est, quod referantur ad praesens meum, scilicet, quod praesens cuiuslibet illorum sit praesens praesenti meo: nam si accipiatur secundum praesentia sua, & non secundum praesens meum, non comparabuntur ad me in ratione simultatis, vel prioritatis, aut posterioritatis, sed inter seipso. Eodem modo cum dicimus omnia esse simul Deo, aut simul praesentia Deo, necesse est accipi simultatem pro simultate quae est in praesentialitate Dei, & non in praesentialitate earum adiuvicem, quia tunc compararetur ad se inuicem, & non ad Deum. Et tunc respondetur ad formam argum. scilicet, creatio mundi, & formatio Adæ quando sunt, Deo praesentes sunt, verum

est, & sic est de aduentu ad iudicandum, & persecutione Antichristi, & tamen idem praesens Dei est, quod est dum fuit creatio orbis, & formatio Adæ cui ista praesentia sunt, & illud idem praesens est Dei cum Antichristus est, & dies iudicij cui hæc praesentia sunt: nam licet praesentia rerum istarum absolute diuersa sint tamen idem praesens Dei est, in quo omnes ha conseruntur. Et cum dicitur in minori, quod formatio Adæ est ante aduentum ad iudicandum, cōcedendum est secundum praesentiam rerum absolute: & tamen non est prius secundum praesens aeternitatis, cui comparantur, ideo non sequitur ergo formatio Adæ prius est Deo praesens quam aduentus ad iudicandum, quia ibi supponitur pro praesenti aeternitatis, & simultate. Item non solum omnia sunt Deo simul, sed omnia sunt semper Deo simul, ita quod nullum est ens, quod non sit Deo semper praesens, vt pote formatio Adæ, & crucifixio Christi, & dies iudicij. Quod patet, quia aliquid dicitur alteri semper praesens, quod in toto tempore est in quo illud est, vt si aliquid sit ab instanti nativitatis meæ usq; ad instantis defunctionis meæ dicitur mihi semper praesens, quia est praesens omni praesenti meo, ego autem non habeo plura praesentia quam que clauduntur inter instantis nativitatis, & instantis mortis, ita est de Deo, quia si aliquid est in tota duratione Dei, & in omnibus partibus eius, si quas habet, illud dicitur esse praesens Deo semper, vel semper quando est, sed de quacunque re, siue preterita, siue futura sic est, quod ipsa est praesens toti durationi Dei, ergo est semper praesens Deo. Patet antecedens, quia tota duratio Dei est ipsa eternitas, ultra hanc enim nihil habet, sed quilibet res est in tota eternitate, ergo est in tota duratione Dei. Patet hoc, quia quilibet res quando est, praesens Deo est, cum nunc sit Deus, & omnes res praesentes nobis sunt nunc, ergo praesentes sunt Deo. Et tunc queritur, an sunt praesentes ei per totam durationem suam, vel per aliquam partem suę durationis, vel per aliquod indiuisibile suę durationis: quod non sit totum nec pars, sicut in tempore assignamus instantis, quod non est totum tempus, nec pars temporis, sed aliquid tempore, quocunq; istorum modorum habetur intentum. Si primo modo dicatur, quod res, que sunt praesentes Deo, nunc sunt praesentes secundum omnem durationem suam, ergo sunt semper praesentes Deo, quia ultra totam durationem suam Deus nihil habet, in quo possint esse aliqua sibi praesentia, vel futura. Si autem dicatur, quod que nunc sunt, sunt Deo praesentia secundum partem durationis suę, & non secundum totam, dabitur quod duratio Dei, & esse suum non sit totum simul, quia habet partes, nam si partes habet, & vna non est alia, necessario ponitur successio in duratione, supra tamen probatum est esse Dei esse totum simul, ergo non sunt ei praesentia secundum partem quandam durationis suę. Non potest etiam poni tertium, scilicet, quod sunt ei praesentia secundum quoddam indiuisibile, quod est in sua duratione, & non est tota duratio, nec pars, sicut instantis in tempore, nam hoc modo oportet ponere durationem Dei aliquid diuisibile, quod haberet partes, & illarum partium copulativa essent illa indiuisibilia, sicut puncta ponuntur indiuisibilia continuantia lineam, & instantia ponuntur indiuisibilia continuatia temporis partes, sed non concedimus durationem Dei esse diuisibilem cum sit tota simul: ergo non possunt assignari in ea aliqua diuisibilia, que non sunt tota ipsa duratio Dei: necesse est igitur, quod omne, quod est siue preteritum, siue futurum, aut praesens semper Deo praesens sit, id est, quomodounque Deus est.

F Tertia conclusio superior impugnatur.

Q V A E S T I O XXII.

SE D contra hoc arguetur, quia formatio Adæ fuit Deo praesens, quando erat, & nunc non est praesens quia non est, ergo non erit semper praesens, identidem aduentus Antichristi non est nec praesens Deo, nec fuit unquam, sed aliquando erit: ergo non est praesens semper Deo, & sic est de omnibus entibus, ergo nulla res est semper praesens. Respondendum est, quod esse rerum habet aliam mensuram durationis, quam esse Dei, quia esse Dei habet pro mensura ipsam aeternitatem, que est tota simul & indiuisibilis: res autem creatæ habent alias mensuras, scilicet, que non sunt totæ simul.

A simul, sed iste differunt, quia rerum quedam non habent totum simul, quia acquirunt partem essendi per transmutationem quādam, sicut esse album, esse nigrum esse magnum, & paruum sunt partes ipsius esse hominis, ut supra declaratum est, & tamen ista motu acquiruntur, siue large, siue proprie dicto. In omnibus huiusmodi rebus assignatur mensura, quae est tempus, cum tempus sit mensura motus, & passio fundata in illo, ut patet 4. Physic. Aliæ sunt res, quae non habent totum esse simul, sed acquirunt successionem quādam: non est tamen motus aliquis in hac successione, quia non sunt entia corporalia susceptiva motus, aut transmutationis large dicta, & in his est mensura, quae vocatur æcum, & huiusmodi sunt substantiae angelicæ. In re autem nulla potest esse æternitas præter Deum, cum nulla habeat totum suum esse simul, siue sit transmutabilis, siue non. In Deo autem non potest ponni tempus tanquam mensura, nec æcum, quia non acquirit esse suum per partes cum transmutatione quadam, sicut est in re temporali. Nec habet æcum, quia non acquirit esse in partes per successionem, sine motu, cum nullus modus partibilitatis in eo sit. Ex hoc sequitur, quod quādo comparantur res ad Deum, ita ut dicantur esse præsentes ei, vel simul cum ipso: necessario accipitur simultas pro simultate, & præstantialitate, quae est in æternitate, quia nihil comparari potest alteri, nisi secundum id, quod est in illo cui comparatur: nam non potest comparari homo lapidi secundum sapientiam, vel prudentiam, quia in lapide nil horum est. In Deo autem temporis & æui nihil est, ergo cum comparantur res ei secundum præstantialitatem, & simultatem necessario comparantur secundum esse æternitatis.

*An res
creatae,
possint
compara-
rari
Deo in
æterni-
tate cū
cōpara-
tio fieri
debeat
in uni-
uoco 7.
Physic*

Sed obiiciet aliquis tunc, quon non poterunt comparari res creatæ Deo, ita ut dicatur, quod sunt ei præsentes, vel simul, quia in rebus, quae comparantur debet esse aliquid unum participatum secundum quod comparentur: sed Deus habet æternitatem, & quidquid comparatur ei debet comparari secundum conditionem æternitatis, siue in simultate, siue in præstantialitate. In rebus autem creatis nihil est de æternitate, sed de tempore, & æuo: ergo non sunt ei comparabiles, consequenter non dicuntur, quia sunt ei præsentes, vel simul. Respondendum verum esse non comparari res ad Deum, nisi secundum id quod est in Deo, scilicet, secundum æternitatem vel conditiones æternitatis, & oportet quod etiam sint istæ in rebus, & sic est, quia licet in rebus creatis non sit æternitas tamen sunt conditiones potissimum æternitatis. Et non est hoc secundum tempus, vel æcum, quae sunt mensuræ earum, sed secundum aliquid quod assignatur in his, scilicet, secundum instans quod assignatur in tempore, & æuo, & illud est substantia temporis iuxta Arist. 4. Phys. Quod non intelligitur de instantibus, quae nos ponimus ad diuidendum tempora, & continuâdum, & assignamus quandounque volumus. Sed illud vnicum est correspondens substantia rei, quæ est tota simul: tamen non habet esse simul totum: ideo oportuit, quod illud instans fluere ad mensurandum totum esse, & sic causatur tempus ex instanti. Et ista est verissima sententia Aristot. in parte illa, scilicet, quod instans est substantia temporis, id est, nihil est in toto tempore, nisi instans fluens, & istud vnicum est in qualibet re naturali, aut in toto motu: nam si huiusmodi essent plura instantia, necesse erat, ut essent plura tempora simul, vel tempora esse discontinua: de quibus quamquam altissima speculatio sit omittitur ad præsens. Assignatur ergo in tempore, & in æuo instans: & istud est simile æternitati: nam æternitas est indiuisibilis, ita & instans: æternitas quoque est tota simul; ita & instans est totum simul, quia cum indiuisibile sit, non habet alias partes præcedentes, & alias subsequentes. In hoc ergo res temporales possunt comparari Deo, scilicet, quod sint ei præsentes, vel simul cum habeant indiuisibile illud, quod æquatur æternitati: & hoc sufficit. Multæ tamen conditiones sunt diuersæ æternitatis, & instantis temporis: sed in hoc non refert de quo infra dicetur. Nunc autem redeundo ad principalem responsionem argumenti, dicendum est, quod res non possunt comparari Deo in duratione, nisi secundum conditionem æternitatis: si ergo res sunt semper cum durat æternitas dicetur quælibet res harum esse semper præsens Deo, vel quandounque Deus est. Cum autem arguitur formatio Adæ est præsens, quando est, & nunc non

est: ergo non est Deo semper præsens: negatur consequentia, quia ponitur tanquam pars quod non est pars: nam nunc, vel cras, aut heri non sunt tota duratio Dei aut pars durationis Dei: cum istæ sint partes temporis, vel aliquid in tempore: duratio autem Dei est sola æternitas, quæ non est tempus, nec includens tempus, aut partem temporis, aut aliquid quod sit in tempore. Ita non valent similes consequentiae: si ego fui semper præsens Platoni, ergo ei fui præsens cum Alexander pugnabat: nam dici ego fui semper præsens Platoni significat, quod ego semper fui, quando ipse fuit: & non fuit aliqua particula durationis suæ, in qua ego non essem. Non tamen sequitur ergo ego fui ei præsens quando pugnabat Alexander; quia tempus illud non erat pars durationis Platoni. Ita de Deo quamquam sit quælibet res semper Deo præsens, non sequitur quod sit nunc, quia nunc non est duratio Dei, nec pars durationis, nec aliquid in duratione. Identidem non sequitur ista: Res est semper Deo præsens, ergo est omni tempore Deo præsens. Nam non exponitur semper per omne tempus, sed per omnem durationem, sed duratio est triplex, scilicet, æternitas, æcum, & tempus: ideo semper significat omne tempus, vel omne æcum, vel totam æternitatem. Ideo cum arguitur semper Deo præsens est, ergo in toto tempore. Non valet consequentia quia arguitur a superiori ad suum inferius affirmatiue. Valeret tamen ista consequentia: ita res est semper, ergo est in omni tempore: vel ergo est nunc: quia licet tempus possit significare totalitatem mensuræ cuiuslibet durationis: tamen detinetur ex adiunctione rei, cui cōsupponit ad standum pro duratione, quæ est tempus: quia illa solum correspondet illi rei. Item sicut non valet ista consequentia: ista res est semper præsens Deo, ergo est præsens ei nunc & postea: & sic de omnibus partibus temporis de copulato extremo, ita non valet: ista res est semper præsens Deo, ergo est ei præsens nunc, vel ante, vel post: & sic de quælibet parte temporis, cum disuncto extremo. Satis enim stat ad esse semper Deo præsens, & tamen quod in nulla parte temporis sint, quia nec Deus est in aliqua parte temporis. Sed aliquis dicet, quod quamquam non valeat ista consequentia, scilicet, ista res est semper præsens Deo, ergo est in omni tempore, quia mutatur ibi suppositio cum in una accipiatur pro duratione, quam habet res secundum comparisonem ad Deum, & in alia pro esse, quod habet absolute: tamen dicet, quod valebit ista consequentia: ista res est semper præsens Deo, ergo est in omni tempore præsens Deo: quia utroque accipitur præstantialitas secundum idem. Respondendum est non valere consequentiam, quia etiam mutatur in ista suppositio sicut in præcedenti: nam licet utroque accipiatur eadem præstantialitas, tamen non accipitur eadem mensura durationis, nam in prima accipitur semper pro tota æternitate: in secunda accipitur omni tempore pro tota substantia temporis. Sed adhuc arguet aliquis non posse hoc stare, quia quod semper Deo præsens est, quandounque Deus est, illud est: sed Deus est nunc, & quando formatus fuit Adam, & quando iudicabitur seculum: ergo quandounque est Deo semper præsens erit nunc, & quando erat formatio Adæ, & quando erit dies iudicij, quod non competit cuilibet rei.

Respondendum est, quod mensura Dei est æternitas, & nihil maius, aut minus Deus habet ipsa æternitate, sed ista tota simul est, & indiuisibilis: ergo quæcumque res habet esse saltem per indiuisibile est quandounque Deus est, quia unum indiuisibile non est maius alio. Et cum dicitur, quod Deus est nunc, & quando formabatur Adam, & in die iudicij, & sic de ceteris partibus temporis loquendo vulgariter. Respondetur, quod hoc est improprie dictum, quia Deus non est in tempore, nam quod est in tempore mensuratur tempore, sicut quod est in loco, mensuratur ab eo: duratio autem Dei non mensuratur tempore, nec partibus temporis; ergo non proprie dicitur, quod est hodie, vel fuit cras, sicut non dicitur proprie Deus est in ista domo, vel illa, quia non mensuratur a loco qui est ista domus vel illa, ideo non oportebit, ut si quæcumque res est, quandounque Deus est, dicatur esse Deus hodie, vel mane aut in tempore formati

Adæ.

*Deus
nō pro-
priæ di-
ctior q
est ho-
die vel
fuit
cras,
autem
mane.
Cō que
modo
sunt
sane ex
ponenda
q. 53.*

A An concedi debeat ista, Deus est in isto instanti nostro, & quomodo debet exponi ad hoc, quod vera sit.

Q V A E S T I O XXIII.

SE D adhuc fortius arguetur: Deus est nunc: Ista videtur esse propria locutio, quia Deus proprius est in aeternitate, & aeternitas est tota simul, & indivisibilis, & sic instans nostrum quod signamus in tempore, ergo Deus erit in illo instanti, sicut est in aeternitate, nam & sic supra dicebatur, scilicet, quod nos non poteramus Deo comparari in duratione per aliquod temporis, vel aevum aut conditionem aevi, vel temporis, sed comparamus Deo in simultate per instans, & in eo sumus praesentes illi, ergo Deus erit in instanti nostro proprio loquendo. Et hoc dato arguetur, quodcunque est semper Deo praesens: est quandocunque Deus est, sed Deus est in isto instanti temporis, ergo & res, quae illi semper praesens est, sed non dicetur hoc de singulis, ergo nec erit verum, quod qualibet res sit semper Deo praesens.

Respondendum est, quamlibet rem esse Deo semper presentem, ut supra dictum est. Et cum dicitur, quod ergo est quandocunque Deus est & ceterum conceditur. Sed cum dicitur, quod Deus est quando fuit creatio mundi, & quando erit dies iudicij: respondendum est, si attenderetur proprietas locutionum, propositiones istas esse falsas, sed conceduntur ex modo communi loquendi per abusum terminorum, ideo aliqui subtilius his vti volunt, & dicunt esse sensum, quod Deus est hodie, vel mane, vel in toto tempore, id est, Deus est, quando est hodie, vel quando est mane, vel quando est totum tempus, licet non sit in toto tempore. Iste faciunt istam expositionem innitentes habitudini importata per istam propositionem, in qua significat mensuram, scilicet, Deus est in toto tempore, id est, in ipso tanquam in mensura sua durationis, quod inconveniens est. Cum vero dicunt Deus est, quando totum tempus est, non credunt signari mensuram aliquam. Sed iste modus exponendi non tollit inconveniens: nam cum dicimus Deus est, quando totum tempus est, damus Deo aliquod quando in quo sit. Etiam hoc inconveniens est, quia quando ad tempus pertinet, nec potest quisquam euntem, ponit Deum in tempore, si dicat quod Deus est, quando tempus est, nam sicut cum dicimus Deus est hodie dicimus eum esse in tempore, ita cum dicimus eum esse, quando tempus est assignamus ei aliquod quando, quod respodeat tempori. Non debet ergo concedi propositio aliqua de Deo in hoc sensu, sed per negationem exponenda sunt, scilicet, Deus est hodie, id est, non desinit hodie esse, vel non deficit, & Deus est in toto tempore, id est, in nulla parte temporis Deus esse definit, & istae, & similes sunt verae per negationem, que non importat mensuram, tamen quocunq; modo affirmatiue exponantur falsae sunt. De nunc autem, siue instanti dicendum est, quod etiam non est concedendum Deum esse in instanti nostro, quia sicut non correspondet ei tempus, ita nec aliquid, quod sit in tempore, instantia autem in tempore assignantur. Et cum dicitur, quod duratio per instans est indivisibilis, & est tota simul, quod competit durationi aeternitatis.

Respondendum est, adhuc non sufficere hoc ad hoc, quod Deus in instanti sit, quia instans aeternitatis licet indivisibilis sit, & totum simul, tamen non habet positionem in tempore, sicut instans temporis, quia instans assignatum in tempore habet ibi positionem, vt pote instans distinctiuum duarum horarum: illud enim ita est post primam illarum, quod non est ante illam, aut aliquam partem eius, & ita est ante secundam horam, quod non est post illam, aut post aliquam partem eius, instans autem aeternitatis non habet positionem in aliquo tempore, ideo nec est post aliquod tempus, nec ante illud. Et ex hoc sequuntur proprietates multae differentes. Est autem una, quae satis nobis est, scilicet, quod si aliquid est in isto instanti temporis copulatio, & divisio duarum horarum, necesse est, quod aliquid sit ante illud habens durationem, & aliquid post illud duret, quod patet, quia istud instans habet positionem in tempore, ita quod est post horam precedentem, & post quamlibet partem eius, & est ante horam sequentem, & ante quamlibet eius partem, in hora tamen praecedente aliquid necessario fuit, & in hora sequenti

si erit aliquid necessario erit, quia non potest esse tempus, fine re temporali. Sicut est de puncto, quem Aristot. dicit habere positionem in linea: nam quamquam nullam habeat magnitudinem, determinat tamen sibi certam habitudinem situs, quia est ante talem, & talem partem, & est post talem, & talem, cum copulent, & distinguant partes magnitudinis. Quae autem sunt in instanti aeternitatis nihil ante illam esse potest, & nihil post illam, quia istud instans non habet positionem aliquam in duratione temporali, vel quacunque alia extensiua, sicut instans temporis, ideo nec erit aliquid ante illud, quia non habet positionem post aliquam partem durationis, sicut instans, quod nunc est habet positionem ante sequentem horam, ideo instans aeternitatis non est ante aliquid, nec est aliquid post illud, quia tunc necesse esset habere positionem in duratione aliqua successiva illud instans. Quamquam ergo instans aeternitatis sit aliquid habens, ut instans nostrum, tamen non est penitus, ut illud, ideo de Deo, qui conuenienter est in instanti aeternitatis, non conuenienter coeditur, quod sit in nostro instanti, sed cum dicitur, quod Deus est nunc, id est, in isto nostro nunc, est exponendum negatiue, sicut de partibus temporis, scilicet, Deus est nunc, id est, non deficit esse in isto nostro instanti.

Sed aliquis dicet, quod si negatur ista propositio Deus est in isto instanti nostro, ideo negatur, quia videtur solum attribui duratio, quae est nunc, & non duratio aliqua praecedens, nec subsequens cum distinguamus instantia a partibus temporis, quas copulant, & dividunt, sicut distinguimus puncta a partibus magnitudinum, in quibus habent positionem, si tamen sub isto sensu intelligatur, scilicet, quod Deus est nunc, quia esse totum Dei est, & est totum simul, & indivisibile: & tamen non propter hoc est tollendum, quin semper ante fuerit, & semper postea futurum sit: videbitur concedenda propositio.

Dicendum est, quod etiam isto modo non est concedenda: nam tunc cum Deus in isto instanti nostro sit, queritur an sit totum esse Dei in hoc instanti, aut pars: si dicas quod totum, cum ante istud instans necessario præcesserit tempus, quod ponimus istud instans copulatiuum horarum, necesse est, quod aliquid ante totam Dei durationem fuerit, & quod aliquid post totam Dei durationem, & sicut istud instans vere post aliquid est, & ante aliquid. Sed hoc non est concedendum. Sic patet de entibus, quae solo instanti temporali mensurantur, ut generationes & corruptiones: quia si nunc sit generatio aut corruptio, verum est, quod ista generatio sit post totum tempus præteritum, & ante totum tempus futurum, quia nihil competit illi generationi pro mensura nisi instans. Ita de Deo necessario erit, cui competit indivisibile pro mensura: ideo si demus ei indivisibile, quod est in tempore: necessario aliquid ante cum fuerit & aliquid post eum. Nec valet, si aliquis dicat, quod hoc sequeretur, si esse Dei solum esset in hoc instanti, sicut generatio, & corruptio, quae nunc sunt, in solo hoc instanti sunt: ideo aliquid ante eas necessario ponitur, & aliquid post: Deus tamen quamquam totum esse suum habet in hoc instanti, cum sit totum simul, tamen ante hoc etiam habuit esse, & sic non sequitur quod inferebatur.

Respondendum est, quod adhuc non tollitur sic inconveniens: nam licet Deus habuerit semper esse & habiturus sit, cum concesserimus in isto instanti temporis eum esse, & quod in isto totum esse suum habet, & nulla pars essendi eius est ante istud instans, nec post istud instans cum sit totum simul: necesse est, ut ea, quae sunt extra istud instans, & praecedunt istud realiter sint extra durationem Dei, quae tota est in illo instanti. Ideo licet ponamus durationem Dei in deficientem: tamen necesse erit hoc modo, ut aliquid ponatur ante illam totam, quod est inconveniens. Si autem dicatur, quod in isto nunc temporis est aliqua pars durationis, vel esse Dei est duplex inconveniens. Primum est, quod ponitur esse Dei partibile, & consequenter non totum simul, quia supra probatum est è contrario. Secundum inconveniens est, quod aliquid sit ante quandam partem durationis Dei, & aliquid post illam, quod eodem modo inconveniens est. Nam quolibet in Deo pertinens ad essentialia est Deus, ergo quilibet pars esse Dei est Deus, dato quod haberet partes, sed ante Deum nihil esse conceditur, ergo ante partem

E

F

Qu. 17.

A durationis eius nihil quoque erit, ideo non poterit dici proprie, quod Deus sit in instanti nostro sub quocunque sensu velimus eam exponere.

Item non potest concedi Deum esse in instanti nostro, quia tunc aut illud instans eset fluens, aut manens, sed neutrō modo potest stare, ergo Deus non est in instanti nostro proprio loquendo.

De natura instantis & temporis & causatione eius, & de instantibus copulantibus & terminantibus, & quod eorum mensuratur.

Q V A E S T I O XXIV.

P Ro quo sciendum quoddam esse instans quod correspondet substantiæ, vel essentiæ rei: nam permanentia habent totum suum esse simul, scilicet, totam essentiam, vt supra declaratum est, & non esse, & sic sunt tota in quolibet instanti: nam postquam homo est homo in quolibet instanti assignato est perfecte homo. Et hoc est ad similitatem substantiæ vel essentiæ, sed ad similitatem essendi nequaquam. Et ob hoc, quia qualibet res harum ex aliqua parte est manens ex aliqua fluens, correspondet sibi duplex mensura, scilicet, instans ex ea parte, qua permaneret & tempus ex ea parte, qua fluit: & quia substantia, scilicet, homo vel lapis sunt subiecta transmutationi, & successioni: & tamen isti substantiæ, quæ est lapis vel homo quantum ad esse lapidem, vel hominem correspondet totum esse simul: ideo necesse est quod corraspondat illi instans, quod non dicit in se fluxum. Nec potest lapis iste, vel homo mensurari tempore quantum ad esse hominem, vel lapidem: quia esse hominem simul est tempus, tamen non habet partes simul, ideo mensurare non potest nisi ea, quæ non habent partes essendi simul: homini ergo & lapidi alia mensura dabitur, & ista est instans. Et quia homo semper est homo dum durat, & lapis & cetera, oportet ponи semper instans mensurans realiter & non per imaginationem, sicut est de punctis, quæ ponuntur continuantia lineam, quia illa non sunt realiter: & sicut instantia, quæ ponuntur copulatiua, & diuisiua partium temporis, quia ista non sunt, sed sicut puncta terminantia linea, quæ realiter sunt. Et ob hoc vocatur instans siue nunc substantia temporis, iuxta Arist. 4. Physic. quia semper quandiu res temporales durant est unum instans realiter existens, & mensurans: & nihil habent ultra istud instans, quod est esse substantia temporis, id est, totum esse temporis. Rursus autem præter hoc quod est lapidem esse lapidem, & hominem esse hominem, quæ sunt tota simul: adhuc homo est albus vel niger, calidus, vel frigidus & sic de ceteris, & ista sunt esse hominis: quia prædicamus ea de homine dicentes hominem esse album, vel nigrum: & istæ dicuntur partes esse hominis: quia non habet homo aliquid istorum simul, scilicet, esse album, vel nigrum, doctum, vel felicem: nec omnia habet simul, sed successiue acquirit hæc & partes cuiuslibet horum. Ad recipiendum autem hæc motus vel transitus fit in ipsa substantia vel essentiæ, quæ secundum se erat tota simul, scilicet, quod homo transit ab una parte, vel gradu albedinis in alterum, & ab esse album transit in esse nigrum: ideo quod simul est, transit: & quia ipse homo mensuratur semper instanti tanquam adæquata mensura, ad esse hominem necesse est ut cum homo transeat: ipsum quoque instans quod est mensura eius, & accidens transeat cum ipso: sicut si homo mouetur albedo quoque, quæ in ipso est mouetur, vel transit: quia non potest dimittere subiectum. Et patet magis conforme exemplum, scilicet, si moueat linea aliqua, necesse est ut puncta, quæ sunt in ea, mouantur; non quidem tanquam eis competit motus, sed quia sunt in eo quod mouetur. Ita cum homo transeat ab albo in nigrum, & continue in acquisitione partium essendi, transibit necessario cum ipso instans, quod in ipso est tanquam mensura, cum nūquam ipsum dimittere possit: sicut nec punctus lineam motam, & tunc fluet instans. Et sicut puncta multa coniuncta etiam si possent esse infinita non constituerent lineam nec partem lineæ, sed quilibet punctus lineæ motæ constituit lineam; ita erit in instanti respectu temporis. Nam si aliqua linea moueat transuersaliter sursum, vel deorsum, aut ad quamcum-

D que positionem; ipsa motu suo causabit superficiem, & quilibet duorum punctorum eius causabit unam lineam fluendo: nullam tamen poterat causare manendo: ita instans measurans hominem quantum ad esse hominem, & generaliter de omnibus permanentibus si maneret, non causaret aliiquid diuisibile, quia tamen fluit cum ipso subiecto suo causat tempus, & nihil est tempus nisi fluxus instantis.

Aliqui autem, & fere communiter omnes saltē in cortice literè sequentes Aristot. dicunt causari tempus fluxu instantis. Sed in modo ponendi plurimi decipiuntur: ponunt enim instans per se fluere ad causationem temporis.

Sed magnus error est, nam cum instans non sit per se, non poterit per se fluere, sed est in aliquo tanquam in mensurato: ideo nunquam fluet, nisi ad fluxum illius. Etiam quia non poterat per se instans esse subiectum fluxus: necesse est igitur, vt ponamus instans in aliquo, tanquam in subiecto, & moueat subiectum illud, & ad motum illius fluat instans, & fluxus instantis erit tempus. Est namque modus, vt substantia, quæ est subiecta transmutationibus his, quantum ad esse hominem, vel lapidem, aut aliquid tale, est immobilis, & indiuisibilis, sed quia rursus accipit esse albam, vel esse nigrum, felicem, & doctam: ex immobilitate deficit in motum, ita & ipsum instans erat mensura manentis & indiuisibilis naturæ, & erat totum simul, ideo sicut subiectum ex immobilitate deficit in motu, ita instans ex similitate, & praesentario statu deficit in tempus præteritum, & futurum, ita vt sicut se habet subiectum ad subiectum: ita se habeat passio ad passionem: subiectum instantis est res manens, subiectum temporis & mensuratum est motus, sicut ergo deficit subiectum in subiectum, ita deficit passio in passionem, scilicet, substantia, quæ secundum se erat tota simul deficit in motum, ita instans, quod unicum, & indiuisibile, atque simul est, deficit in infinitas partes praesentis temporis, & futuri. Et tamen sicut substantia manens, vt homo vel lapis, quamquam deficiat in motu: tamen semper manet ei propria simplicitas & immobilitas, quia esse hominem integraliter semper est simul, & non habet successionem ullam. Ita instans quamquam deficiat in tempus præteritum, & futurum fluendo: ipsum tamen unicum est & indiuisibile nullam recipiens extensionem, aut prioritatem, vel posterioritatem. Sic etiam de puncto fluente, cum linea mota. Nam licet ipse motu suo lineam causet, & tamen in se nullam maiorem habet extensionem, quam ante, quia sicut motus est extra substantiam puncti, ita fluxus est extra naturam instantis: hoc tamen modo tempus fit, & semper est, atque continuum: nam fluit instans ad motum subiecti permanentis, quod mensuratur, & subiectum illud semper mouetur, quia res naturales nunquam cessant à motu, cum motus sit proprietas corporis naturalis, ergo instans semper fluet: fluxus autem non desinens causat continuatatem temporis, & hoc modo nunquam tempus interrupitur, quia motus non intercedit. Et ex hoc dicit Arist. quod tempus recipit continuatatem ad continuatatem motus: non quidem, quod motus directe efficiat continuatatem in tempore, quia non est causa efficiens eius, sed efficiens est instans fluens, ideo ad continuatatem fluxus instantis est continuatatem temporis: instans tamen habet continuatatem in fluendo, quia subiectum permanens, quod mensuratur instanti, mouetur, & ad motum illius necesse est instans, quod est accidens illius, & mensura, fluere. Iste est modus in radice naturæ de causatione temporis per conditionem substantiarum, quæ sunt prima origo omnium horum. Ecce igitur de instanti fluente, quod est substantia temporis iuxta Arist. quid sit, & unde causetur, & quomodo se habeat ad tempus.

Instantia copulatiua & diuisiua, seu terminatiua an sint entia actualiter, vel solum per imaginationem nostram,

Q V A E S T I O XXV.

A LIA sunt instantia, quæ vocamus copulatiua & diuisiua partium temporis, & ista non sunt, vt erat instans fluens, sed infinita, aut quot assignate voluerimus, & ista non sunt entia actualiter, sicut instans fluens, sed in potentia

Quo modo causatur tempore ex fluxu instantis.

D
Quar-
ta in
stantia
vocen-
tur co-
pulati-
ua &
diuisi-
ua.

A potentia solum sunt, & per imaginationem nostram. Iste duæ proprietates probantur. Prima de instantibus copulatiuis, & diuisiuis temporum, quod necesse sit ponit illa, & patet hoc magis per lineam, quia magnitudines manentes, sicut corpora superficies, & linea sunt magis cognitæ quam magnitudines fluentes, ut tempus & motus: nam de his quidam dubitant, an sint. De tempore enim non existimant aliquid esse præter animam nostram mensurantem, vel præter qualitates varias accidentes diuersis partibus successiue. Motum quoque non sufficienter omnes considerant, quid aut modo sit. Corpora autem superficies, & linea visui patent: ideo de eis certissimum iudicium est: in linea autem qualibet duo puncta assignamus terminantia, & ista realia sunt: alioquin linea non esset actualiter, & realiter terminata. Præter hec tamen necesse est ponit alia puncta, quia vocentur copulatiua & distinctiua: nam quælibet linea diuisibilis est, cu[m] sit magnitudo, & cernamus eam interdum actualiter diuidi: diuisio tamen linea non potest fieri, nisi per punctum terminantem quælibet partium resultantium ex diuisione: in qualibet autem diuisione resultant duo puncta realia, scilicet in duabus extremitatibus partium diuisarum: necesse erat igitur, quod ista puncta præfuerint ibi in potentia: alioquin per diuisionem non fuissent causata: sed essent entia prohibita, & ista vocantur puncta continuantia, vel diuisiua: continuantia quidem, quia partes linearum copulantur ad puncta, & in omnibus continuis, hoc est quod copulentur ad terminum communem: vocantur diuisiua, quia ubi illa puncta sunt, linea diuidi possunt, vel per quæ potest demonstrari, quod diuisio pertinet ad lineam, licet non sint actualiter diuisa.

B De instantibus in tempore conformiter dicendum est: nō quidem assignentur in tempore instantia terminativa, sicut in lineis, quia linea multæ sunt, & quælibet habet duos terminos: tempus autem semper unum est, ex quo motus, & tempus sunt. Etiam nō habet istud unicum tempus aliquod instantia terminativum sicut linea, quia linea, cum sit magnitudo permanens, habet actualiter omnia, quæ illius sunt, & est actualiter terminata: tempus autem est magnitudo, vel quantitas successiva, ideo nondum habet omnia, quæ illius sunt, sed semper est in vltiori acquisitione partium, & consequenter nondum habebit instantia terminans: nam dato termino rei nihil manet exterius de re: semper tamen manet aliquid suscipiendum de tempore, quamdiu motus fuerit: ideo nondū instantia habet aliquid terminativum. Idem dici necesse est etiam in motu priori mobilis, quod non habeat aliquid mutatum esse terminativum motus. Sed non oportet tot immisceri difficultatibus, vel potius materiis. Nam habenti lucem manifesta hæc sunt. De instantibus tamen copulatiuis, & diuisiuis est similiter in tempore, sicut in linea de punctis: nam sicut linea, quæ est magnitudo habens partem extra partem est diuisibilis, & aliquo modo diuiditur, ita & tempus est magnitudo extensa partibus, quarum altera extra alteram est, ergo est diuisibile. Et quia non poterit diuidi tempus, nisi per aliquid indiuisibile terminans partes resultantes ex diuisione, necesse est illud ponit, & istud vocatur instantia, sicut indiuisibile in linea vocatur punctus, & indiuisibile in motu vocatur mutatum esse. Si autem non daremus ista instantia non possemus assignare aliquam distinctionem in tempore, vt pote annos menses hebdomadas dies, & horas: nam realiter inter annum, & annum non est aliquid intercidens, nec cessat tempus, & sic de hebdomada mense, & horis: nam tempus fundatur in motu, & motus est continuus non cessans, ergo nec tempus cessat, & consequenter nihil est inter unum annum & alterum, sed sunt distinctiones istæ à nobis factæ per imaginationem. Sed adhuc istæ distinctiones non possent à nobis fieri, nisi imaginaremur instantia intercedentia inter annum & annum, horam & horam. Etiam distinctione realis fieri posset, vt si nunc omnis motus cessaret tempus quoque cessare necesse eset, & tunc temporis postea incipientis à priori esset distinctione realis, & cum tempus præcedens terminatum esset, necesse esset terminari aliquo instanti, ita de tempore incipiendi, & tamen non posset per diuisionem temporis refutare instantia aliquod claudens partes diuisi temporis, nisi fuissent ibi in potentia. Vocantur autem ista instantia diuisiua, & copula-

C tiua: diuisiua quidem, quia tempus cum sit continuum diuisibile est, & non potest diuidi, nisi per instantis resultans, quod præfuerint in potentia, vel quia ad diuisionem necesse est imaginari instantia ibi posita: Vocatur copulatiua, quia partes continuorum copulantur ad terminum communem & in tempore non est ad quod copulentur duæ hora, vel duæ partes immediatae, nisi ad instantis. Alia proprietas erat, quod necesse sit ponit instantia copulatiua, & non solum unum, sed multa valde & infinita quidem. Quod patet, quia ista instantia ponuntur ex necessitate diuisibilitatis: non potest tamen aliquid diuidi in tempore, quin inde resultent instantia terminantia partes diuisas, sed quodlibet tempus potest diuidi in infinitum, quia est continuum, & conditio continuorum est esse semper diuisibilia, ideo quantumcunq[ue] diuidatur semper adhuc amplius diuisibile est, & consequenter oportet ponit alia, & alia instantia ad diuisionem, sic est in magnitudine permanente, sicut in lineis, & superficiebus: nam linea est diuisibilis in semper diuisibilia, & tamen in omni diuisione linea causantur duo puncta, ergo erant in potentia puncta illa, & sic infinita puncta, cum in infinitum qualibet linea sit diuisibilis: de tempore eadem lex est. Sed aliquis arguet, quod ad hoc sequatur infinitum in actu, quod nec in numeris, nec in magnitudine concedendum est.

E Respondendum est verum esse si instantia copulatiua, & diuisiua ponerentur in actu, sed solum sunt in potentia, cum vero actualis diuisio sit tam in lineis quam in tempore sit infinitas partium diuisarum, & punctorum atq[ue] instantium resultantium in partibus diuisionis, & ista diuisio nunquam est in actu facta in partes infinitas, ideo nec dabatur infinitas instantium, vel punctorum copulatiuorum: infinitas autem in potentia non est inconveniens, nec includit aliquam contradictionem. Ideo alia proprietas instantium copulatiuorum, & diuisorum est, quod nullum eorum est in actu, immo includit contradictionem esse in actu. Nam si in actu fuerit, non est instantia copulatiua, sed terminativum, cum enim instantia est in actu est tempus realiter terminatum, sicut punctus quando est actualiter in linea est linea actualiter diuisa, & determinata, sed puncta copulatiua, vel instantia non terminant, sed copulant. Item in eodem tempore sunt assignabilia infinita instantia secundum quod illud est diuisibile in infinitum: si tamē esset diuisio, & actualia instantia, iam non esset idem tempus, sed diuersa, quia secundum pluralitatem instantium realiter existentium essent plura tempora actualiter diuisa. Et sequeretur aliud inconveniens, scilicet cum quodlibet tempus in partes infinitas diuisibile sit, & quælibet linea, & hoc per instantia, & puncta copulatiua, & diuisiua, q[uod] infinitas esset in actu. Nam non est maior ratio de quibusdam instantibus, vel punctis quam de aliis, cum sint propter diuisibilitatem magnitudinem, ergo non ponetur aliquid horum instantium realiter existens. Et si arguitur de instanti cuius fluxu causatur tempus, quod illud realiter sit.

F Respondendum est, quod illud nō est in tempore tanquam terminativum, vel tanquam copulatiuum, vel diuisiuum: sed est causatiuum temporis fluxu suo, & non est aliquid in illo tempore, quod causat, sicut cum linea mouetur transuersanter, quilibet punctorum extremitatis linea motu suo causat lineam, & ille punctus causans lineam non est aliquid eius linea, quam causat, scilicet quia non est eius terminativus, cum illa puncta non moueantur, & nouiter causentur. Etiam non est aliquid de punctis copulatiuis, vel diuisiuis, quia ista nō sunt in actu: punctus tamen cuius motu causatur linea, actualiter existit. De instanti cuius fluxu causatur tempus eodem modo arguendum est, quod non sit instantia in ipso tempore: nam instantia quodcumq[ue] in tempore, siue esset terminativum, siue copulatiuum inter partes temporis locari debebat, vel post alias partes: instantia tamen fluens, quod est substantia temporis nō est inter alias partes, vel post eas, quia ipsum causat omnes partes per fluxum, ergo non est instantia illud in tempore.

Quæ inconvenientia sequentur, si diceremus, quod Deus erat in aliquo instanti nostro.

Q V A E S T I O XXVI.

N VNC aut facta aliquali digressione ad supponendū fundamēta argumenti, arguitur sic. Si Deus esset in aliquo

A instanti temporis, aut esset illud instans quod fluxu suo causat tempus, aut in aliquo instanti manenti, quod sit terminatum copulatiuum, vel diuisiuum. Non potest stare primo modo, quia nihil aliud est esse aliquid in instanti fluenti, nisi quod substantia illius sit tota simul, & tamen ipsa transmutetur ad acquirendum partes essendi, & mensurentur ille partes tempore causato per fluxum instantis, & iste modus est in omnibus rebus naturalibus permanentibus, vt lapide, & homine. In Deo autem non stat, quia licet totum esse Dei sit in instanti, quia est totum simul & in indiuisibili: tamen non est fluens, quia oportet ut Deus acquireret partes esse sui, licet totam essentiam, vel substantiam haberet simul. Et hoc non contingit: altoquin licet Deum poneremus in instanti, tamen non esset illud fluens, quia non esset aliqua successio, vel motus in Deo, quasi mensuraret fluxus instantis. Si autem dicas, quod Deus sit in instanti, quod est copulatiuum & diuisiuum: non stat, quia ista sunt habentia positionem inter partes temporis, vt inter duas horas assignamus instantis medium ad diuidendum duas horas, quia alias viderentur esse totaliter idem, & de isto non potest dari, quod Deus sit in instanti, quia ista instantia habent positionem inter partes temporis, scilicet quod illud instans, quod est inter duas horas est totaliter postvnam horam, & totaliter ante aliam: si ergo esse rei totum sit in illo instanti aliquid habebit esse ante illud instans, & aliud erit post ipsum: & ipsum non fuit ante hoc nec aliquid post hoc erit, sicut est de generatione & corruptione, quae sunt in instanti copulatiuo, & non sunt in aliqua parte temporis praecedentis, nec in aliqua parte futuri temporis. Similiter & de partibus, si aliquid est in tota ista hora solum aliquid fuit ante illud, & aliquid erit post illud, si ergo Deus esset in instanti copulatiuo, necesse esset, quod aliquid praecessisset ad ipsum, & aliquid post ipsum sit. Nec vallet si dicas, quod Deus non solum sit in isto instanti, sed etiam in quolibet alio: nam hoc includit inconuenientia data proprietate Dei, quia esse Dei est totum simul, & si sit in isto instanti copulatiuo assignato non poterit esse in aliquo alio, quia inter instantia & instantia semper sunt tempora media, sed tempus dicit fluxum & extensionem: ideo Deus non potest mensurari tempore. Si tamen Deus deberet esse in isto instanti, & postea in aliquo, necesse esset, vt in tempore quoque medio esset, vel per illud transiret, sed non potest esse fluxus in Deo, ergo non potest transire secundum successionem ab instanti in instans, sicut quod indiuisibile est non potest moueri, quia non potest transire a puncto in punctum per diuisibilia media, cum indiuisibile non possit esse, nisi in indiuisibili. Sicut ergo indiuisibilia hec moueri non possunt per medium, sed necesse erat transire ab indiuisibili ab aliud indiuisibile sine transitu diuisibilium mediorum, ita necesse est, vt quod totum simul esse habet, cum non possit esse in tempore, quia est diuisibile: transiret ab instanti in instans sine medio diuisibili, quod est tempus, & hoc est impossibile, quia tunc in medio tempore diuisibili Deus non esset, cum non possit esse in aliquo diuisibili, ergo tunc desineret esse, quod est concedendum nequaquam, ergo si Deus esset in aliquo instanti temporis non posset esse, nisi in uno instanti, quia non posset transire, vt esset in altero, quia non posset competere transitus per medium, quod est diuisibile. Sicut ergo dato aliquo puncto per se positio super aliquem punctum in spatio impossibile est, quod moueat, quia nec continue, nec discontinue, sed manebit necessario super punctum illum, super quem ponetur, ita si aliquid quod secundum durationem est indiuisibile ponatur esse in instanti temporis, non poterit esse, nisi in illo instanti, & cum illud instans deficit, sequitur quod illud ens non maneat, si ergo Deus ponetur, quod esset in aliquo nunc temporis propriè loquendo, non posset esse nisi in illo nunc, & nec ante fuisset, nec postea esset.

Item adhuc dato, quod instantia temporis essent vnta sine tempore medio diuisibili quod est contra naturam, & posset fieri transitus ab uno in alterum: si Deus esset in instanti uno temporis non posset esse in aliquo alio, quod patet, quia cum esse Dei sit totum simul & indiuisibile in quocunq; instanti totum est, & tunc cum in uno instanti esset: si iterum esset in aliquo instanti non solum semel esset Deus, sed & infinites, quia in instanti illo, in quo ponimus eum fuuisse totus

fuit, & iterum ponitur in alio instanti, in quo totus est, & ita instantia sunt distincta realiter, ergo esse Dei hic, & esse in alio instanti sunt distincta realiter, sicut cum quis aliquem actū iterat sepe, sed hoc falsum est, quia Deus solum semelest, & istud esse est indeficiens, vt repeti nec possit, nec oporteat.

Alierationes ostendentes Deum non esse in instanti nostro.

Q V A S T I O XXVII.

DITEM patet magis in fundamento, quia cum Deus in uno instanti temporis est, queritur an illo instanti sit tota substantia sua & esse, aut non. Dico substantiam, & esse, quia plurimæ res habent substantiam totam simul, & tamen non habent totum esse simul, sicut omnia permanentia: nam homo est perfecte homo in quolibet instanti assignato, & tam secundum successionem acquirit partes essendi: quædam autem tam essentiam quam existere vel esse habent in successione, sicut tempus & motus & omnes actus, & de nullo alio dicitur, quod tam esse quam substantiam simul habeat, nisi de Deo. Queretur ergo de Deo, an dicamus, quod totum esse simul habeat. Et si dicatur quod sic, ergo in quolibet instanti assignato totum esse suum esse poterit, ergo Deus non poterit esse, nisi in illo instanti, quia Deus nihil habet de esse ultra totum esse suum, sed totum esse Dei est in uno instanti, quia totum simul est, ergo nihil manet, quod esse debeat in alio instanti. Sicut si totum esse rei capitum una hora, non potest manere duabus, quia non habet secundum quod maneat in secunda, vel si in secunda maneat iam non capitum totum esse in prima. Cum enim dixeris, quod Deus est in secundo instanti, manifestè appetit non esse totum esse simul, quia Deus fuit in primo instanti assignato, & si totum esse eius fuisset simul in illo solū instanti fuisset, & non maneret aliqua pars esse, vel durationis pro alio instanti. Item non posset poni, quod Deus duraret per plura instanti, quia cum Deus esset in uno instanti, si aliud instans ei adueniret, in quo esset, ergo non haberet Deus totum suum esse simul, quia esse quod haberet in secundo instanti, non esset idem cum esse, quod haberet in primo, sicut esse quod homo habet in una hora, non est esse quod habet in alia, & tamen Deo nihil aduenit cum totum eius esse simul sit. Nec solum de esse Dei, sed etiam de ipso instanti secundo, in quo Deus esset: nam tempus est in re temporali, sicut mensuta in meusurato & accidens in subiecto, ita si Deus esset in pluribus instantibus temporis illa essent in eo, & cum haberet unum instans si ei secundum adueniret non esset totaliter idem manens, sed semper noua aduenirent, ergo non posset esse in pluribus. Item adhuc omnibus istis concessis nil prodefessit, quia si Deus esset in uno instanti temporis, & vellemus, quod esset in multis nihil magis esset durans, quia uon est maioris durationis habere mille instantia quam unum, quia indiuisibilia per unionem non componunt aliquid maioris quantitatis, sicut mille puncta non sunt maioris quantitatis quam unus punctus, ergo non magis duraret ponendo quod maneret per infinita instantia temporis, quam per unum: si tamen Deus esset per unicum instans temporis multa essent ante ipsum, & multa post ipsum, quod falsum est, ergo non est Deus in instanti temporis propriè sumendo, sed est exponendum sicut dicebatur de tempore, scilicet Deus est nunc, id est, non definit esse in isto nunc. Sic dicimus de locis: Deus enim in nullo loco est: dicimus tamen quod sit hic, & ubique, id est, quia nec deficit hic, nec ubique.

6. Phy.
Tex. s.
Quomodo conceditur, quod Deus est in instanti aeternitatis, & durat solum per instans, cum instans aeternitatis non sit maius instanti nostro, in quo negamus non esse.

Q V A S T I O XXVIII.

Quest.
23.
SE d quæres quomodo ergo Deus est in instanti solum? Nam ipsum per instans aeternitatis durare dicimus, nec est existimandum, quod sit ista aeternitas aliquid extensem, & diuisibile: nam non possit talis mensura diuini esse & durationis,

A durationis, quia probatum est totum esse Dei esse simul, ergo sicut esse Dei totum simul est, ita aeternitas tota est simul, ex quo sequitur esse eam indivisibilem. Nam quod diuisibile est, partem habet extra partem, cum ista sit ratio diuisibilitatis, quod autem totum simul est, non habet partem extra partem, quia illa non sunt simul, & consequenter patet, quod sit instans. Nam cum indivisibilis sit: si pertineret ad naturam permanentium vocaretur instantis, pertinet autem ad naturam durationis, ideo vocabitur instantis, & sic pro codice aeternitatem, vel instantis aeternitatis accipimus, cum ergo non possit esse Deus in instanti temporis, quod est indivisibile: quomodo poterit esse in instanti aeternitatis, quod codem modo est indivisibile?

B Qua differentia sunt inter instantis & terminis? de quo tempore? 22. Respondendum est multum differre instantis temporis ab instanti aeternitatis, & sunt duas conditiones potissimum differendi, in quibus patet differentia esse diuinum ab esse nostro. Primo quia instantia temporis copulativa, quae nos assignamus in tempore, et si interdum aliqua essent terminativa habent positionem in tempore inter partes temporis, scilicet quod instantis assignatum ad distinguendum duas horas, habet positionem inter eas: est enim totaliter post horam primam, & est totaliter ante horam secundam. Ex hoc sequitur, quod quandocunque aliquid est in instanti temporis, sicut generatio, & corruptio, quod ante illud aliquid est, & post illud aliquid: instantis autem aeternitatis non habet positionem in tempore inter partes temporis, ita quod sit copulativum aut diuisivum, sed est instantis absolutum non est existens inter aliqua, quae coniungat vel diuidat. Ex quo sequitur, quod non est aliquid ante illud instantis aeternitatis, nec aliquid post illud: nam non potest ponи aliquid ante ipsum, nisi in aliquo ordine durationis ponatur istud instantis, & ante ipsum ponantur alias partes durationis, quarum alicuius sit terminus istud instantis. Etiam non poterit esse aliquid post illud instantis, quia tunc neesse erat istud instantis ponи in aliquo uno ordine, cum partibus aliis durationis, & illae haberent respectum posterioritatis ad illud. Vbi autem nullus ordo est non potest esse habitudo prioritatis, & posterioritatis. Et ex hoc sequitur quod ante Deum nihil est, quia ante instantis mensurans durationem suam non est aliqua pars durationis cuiuscunq[ue], nec etiam post Deum quiddam est, quia non est aliqua pars durationis, que sit post suum instantis aeternitatis, & sic vocat se Deus primum, & nouissimum, id est quod ante ipsum nulla duratio est, & post ipsum identidem nulla est, aut possibilis saltem, nec solum ista sunt impossibilia, sed etiam includunt contradictionem, & hoc non solum, quia multa perfectiones in Deo sunt, quibus repugnat, quod ponetur aliquid prius Deo, aut posterius: sed ex ratione durationis solius. Hoc patet: nam prius, & posterius necessario dicunt ordinem, ergo ubi nullus est ordo, nec erit prius nec posterius: sed instantis aeternitatis non habet habitualinem, vel ordinem ad aliquam aliam durationem, cum non sit in tempore, sicut instantia temporis, ergo non est prius ad aliquid, nec posterius, & nihil illo prius est, aut posterius.

C C Deus appella tur pri mus & nouissi mus. Et hoc est velut si nos imaginemur unum instantis de instantibus temporis separatum a tempore, ita quod non mediate inter alias duas partes temporis, nec esset principium alicuius durationis, istud esset absolutum, & non esset aliquid prius illo, nec aliquid posterius. Quod patet quia adhuc, quod esset prius illo oportebat quod ipsum esset in coordinatione alicuius durationis, cuius ipsum instantis esset terminus. Si aliquid esset posterius illo neesse esset, ut in aliqua ordinatione durationis ponetur, in qua esset principium durationis, vel ponetur tanquam copulativum duarum partium durationis: neutrum tamen est casu, quia ponitur separatum illud instantis a toto tempore, ergo non est aliquid prius illo instanti aut posterius, & sic est de instanti aeternitatis, & de re aeterna.

D Adhuc evidenter exemplum in natura reperire possumus, scilicet, quod homo, & qualibet pars permanens habet totam suam essentiam, vel substantiam simul, & in qualibet instanti est tota simul, & ista essentia, vel substantia mensuratur in essendo: mensura autem eius necessaria est instantis, quia non habet divisionem: si autem ista substantia non transmutetur ad acquirendum partes essendi, scilicet esse album nigrum.

vel doctum, maneret semper eadem, & semper tota duratio eius esset instantis unicum, quia duratio extenditur, vel minoratur, aut est simul secundum conditionem esse eius, quod mensuratur: sed hic mensuratur esse hominem, & hoc est totum simul, quia non est una pars essendi hominem ante aliam, necesse est igitur, ut mensura sit tota simul & in diuisibili, & ista sola est instantis. Vnde si daretur, quod homo aliquis particularis esset homo, & non haberet aliquid alterum praeter substantiam humanitatis, sicut ponebat plato de Ideis, quae erant formae & subsistentes: esset totum esse hominis simul, quia nunquam acquireret esse album, vel esse nigrum, esse documentum felicem, vel infelicem, & in illo non erat aliqua acquisitionis: vnde quamdiu homo sic maneret solum esset unum instantis durationis sue, & non esset istud instantis fluens ad causandam substantiam temporis iuxta Aristotelem, quia non fluit instantis, nisi transmutato subiecto, quod mensuratur, ut supra finit declaratum. Data tamen hypothesi non erat aliqua transmutationis, ergo non erat instantis fluens. Et si homo semel conditus semper sic maneret nunquam deficiens, tota duratio sua erat unum instantis indivisible, & non poterat divididi tota ista duratio saltem in duas particulas minutissimas, sed tota erat simul, sicut in uno instanti temporis est totum quidquid est simul & in puncto totum simul, quia non habet partes.

E Ideo de isto sic durante, & nunquam deficiente non dicitur, quod durauit uno anno, vel mense, aut die, vel hora, sed durauit unico instanti. Et ista est conditio propria aeternitatis, scilicet simultas. Nec deficit homini sic existenti ad aeternitatem, nisi quod esse coepit, si tamen nunquam ceperit sicut sensit Aristoteles de partibus principalibus universi, vocatur aeternus, & tamquam ccelum & intelligentia, & omnia quae Aristoteles posuit non ceperit non dicentur aeterna secundum hanc positionem, quia non habent totum esse suum simul, quia est in eis motus, vel saltem quaedam successio: ista tamen est potissima conditio aeternitatis.

F Nec est putandum, quod si esset aliquis homo totaliter ens, ille haberet modum essendi, quem angeli habent: nam angeli non habent durationem aeternitatis, sed aeterni: quia non habent totum esse suum simul: habent enim aliquid nunc, quod ante non habuerunt, & est contrario, quod patet tam in intellectione, quam in occupatione exteriori potentiae motiarum. De intellectione patet, quia angeli nunc aliquid revelatum nouiter intelligunt, quod ante non intelligebant, de quo supra probatum est. De potentia motiva, vel actionibus exterioribus patet tam secundum Aristotelem secundum fidem catholicam. Ex fide apparet, nam ponimus angelos venisse de ccelo ad terras frequenter ad nunciandum aliquid, quod frequenter patet tam in novo, quam in veteri testamento: angeli quoque locuti sunt saepissime, quia omnes locutiones factae ad Moysen, de quibus per totum Pentateuchum, quae dicuntur factae a Deo, ab angelis fiebant, ut in eisdem locis declararum est, & probat Apostolus ad Galatas 3:24. vbi dicit legem datam per manum angelorum, & beatus Stephanus declarat fuisse angelos omnes, qui hoc faciebant, aut loquebantur, de quo Actu. 7. & tamquam in his successione est. Sic etiam successione portauit angelus Abacuc de Iudea in Babylonem pendente per capillum, de quo Dan. 14. Plurima quoque alia sunt, in quibus est successio. Secundum Aristotelem, idem patet, quia ipse ponit intelligentias, quae sunt substantiae immateriales mouere ccelos, & tot esse, quod sunt motus variij in ccelis, ut patet in 12. Metaphysica. Nam prater primum intelligentiam, quae non mouet orbem aliquem, sed mouet reliquias in ratione amati & desiderati, id est boni, quod comunicare desiderat, in reliquias motrices orbium ponit motus: motus autem ille est successivus, ergo ipse successione mouent: nam nihil mouetur nisi dum mouens illud mouet, sed motus ccelorum continuus est, ergo motum faciens, quod vocat Aristoteles intelligentiam in successione est, haec autem repugnat aeternitati, quae est tota simul, & aeternum esse totum simul est. De homine autem secundum datum hypothesim non conuenit sic, quia non recipit aliquid nouiter, nec habet aliquam successionem, cum solum sit homo, in quo non est successio: ideo reperitur conditio aeternitatis in homine sic dato. Et de tali homine diceremus, quod erat purus actus sicut de Deo: nam actus dicit esse: potentialitas dicit posse esse, vbi dicitur reperiatur esse, & non posse esse, est purus actus. Nam quod non

Si ali quis h mo po nere tur, si cne po nebat Plato dnas, a effet & ternus Qu. 24

Tex. co. 1.

Angeli tam in intellectione, quam in motu, & occupacionis exteriori habent successione.

F

Si ali quis h mo po nere tur, v posuit Plato, an effet purus actus.

finnt

A

Fusione
cessari-
um in
vniuer-
so, q[uod] es-
set ma-
teria
prima
ens pu-
re poten-
tiale.

B

sunt purus actus, aut sunt pura potentia, ut materia prima, quae est potentia ad essendum, & secundum se non correspondet ei aliquid esse determinatum: nam si correspondet ei secundum se aliquid specificum determinatum, esset impossibilis motus ad formam substantiam, sive generatio, quia materia non appeteret formam aliquam cum secundum speciem suam correspondet sibi complementum essendi, & determinatum, sicut homo non appetit formam animalium, aut aliquam aliam, quia naturaliter esse completum secundum speciem habet: nullus tamen motus ad formam sit sine appetitu, quia alias esset motus violentus, cum non esset a principio intrinseco, sed magis contra inclinationem, & tunc esset impossibilis generatio, vel si aliqua esset illa nullo modo esset naturalis, ergo diuina sapientia tanquam primū fundamentum vniuersi prouidit aliquid ens, quod non esset secundum se limitatum ad certum esse, sed semper appeteret aliquid esse determinatum, & tale ens erat maxime necessarium in vniuerso, & hoc vocatur materia prima, quae est ens purum potentiale, quia non habet aliquem actum, vel esse determinatum ex seipso: homo autem non esset huiusmodi, quia dicit esse determinatum specificum. Restant igitur duo alia membra, scilicet compositum ex actu, & potentia, & purus actus. Non potest dici homo sic existens compitus ex actu & potentia, quia in sic existentibus aliud est, quod sunt, & aliud est, quod esse possint, sed homo sic existens ex data hypothesi solum est quod est, & non potest esse aliquid praeter id quod est, nec est aliquid quo esse possit, quod non est, cum dicatur, quod est homo, & solum homo, nec albus, nec niger, nec doctus, nec felix, & sic de ceteris: manet ergo necessario, quod sit tertium membrum, scilicet actus purus. Non tamen sequeretur ex hoc, quod esset equalis Deo in essendo, quia Deus est purus actus, quia est, & nihil esse potest ultra id quod est, & tamen si aliqua ei ulterius perfectio adueniret non posset eum perficere, quia nulla perfectio est quae in eo non sit completius quam nos existimare valeamus.

Homo actus existens secundum datam hypothesism esset purus actus, quia nihil esse potest praeter id quod est, tamen non esset completus actus: nam posset aduenire ei esse fœlicem. Quamdiu autem aliquid adueniens potest perficere alterum adhuc illud completum non est. Vnde quæcunq[ue] taliter existentia essent purus actus, sed non completus. Et aliquid quod esset compositum ex actu, & potentia esset perfectius puro actu, ut homo potest fœlicitari, quia aliquando felix efficitur. Et homo potens est esse doctus, nunc autem Deus solus est purus actus & est completus actus, quem nullus superueniens actus etiam si inesset, posset perficere.

Platonica positio de Ideis qualis erat, & in quo differat a positio-
ne Arist. de vniuersalibus quidditatibus optima
declaratio.

C

Q U E S T I O XXIX.

DE Ideis autem secundum positionem Platonicam sic esset si ideae essent, & non essent, & non essent factæ, ut ipse ponebat: nam ideae formæ exemplares sunt, secundum quod significat nomen suum, & sunt particulares subsistentes, in quo differunt a natura vniuersali, quam nos secuti Aristot. ponimus, quia ista non est aliquid particulare subsistens, sed in particularibus co[m]municata. Et ille ideae continebant solum substantiam speciei formaliter, id est sine conditionibus aliquibus materiae, quales sunt in omnibus indiuiduis specierum. Et tunc ideae erant habentes totum esse simul, quia per se homo, vel per se capra solum erat homo, vel capra, & nihil aliud ei aduenire poterat, ideo non correspondebat illis tempus tanquam mensura, qui istud solum est in rebus recipientibus partes effendi per motum. Etiam non esset in eis successio sine motu, quia non est hoc nisi in rebus acquirentibus aliquam partem effendi, ad quam non est motus, sicut in relationibus, vel in actibus intelligendi & volunti, & similibus: sed ideae nihil horum acquirerent, quia non recipiunt aliquam perfectionem, nisi substantiam, sive specificam, quam habent: vnde non possunt mensurari aeo, quod est mensura habentium durationem in successione quadam sine motu, sed necesse est redire in mensuram, que

est tota simul, & ista est æternitas: haberent namque in unico instanti idea totam durationem suam, quia ad hoc quod homo sit homo non indiget successione, sed est in instanti: idea tamen quilibet solum habet esse specificum nullo extrinseco adueniente. Ergo non est duratio sua, nisi in instanti. Et quamquam nunquam esse deficiant: tamen duratio illa tota est vnicum instans: immo includit contradictionem durare magis quam per vnum instans: nam idea est per se homo, vel per se bos, & nihil ultra. Et cum sit forma, queritur an possit esse in instanti vnicu[m], vel non, & necesse est, quod sit, quia quilibet permanens habet totam substantiam suam in quolibet assignato instanti, & sic est de ideis. Si ergo durat magis quam per instans non fuit totu[m] esse suum in instanti, sed idea nihil habet præter esse hominem, vel esse capram, ergo esse hominem non est in instanti, quod est falsum, quia in indiuisibili consistit, ex quo patet tam Deum, quam ideas totum durationis suæ spatium habere in vnicu[m] instanti. De natura autem vniuersali, scilicet humanitate, & ceteris specificis, aut genericis quidditatibus quidam sic arbitrantur, scilicet quod sint æternæ, id est, totum esse suum simul habent: nam de natura communis non prædicantur prædicata per accidens, sed sola prædicata primi modi, quae sunt quiddatia, & esse istorum est in indiuisibili, cui correspondet istans tanquam mensura durationis: nam equinitas solu[m] est equinitas secundum Auicen. id est, non habet aliqua alia prædicata, nisi prædicata primi modi, quae faciunt ad esse equinitatem. Eis autem non potest correspondere tempus tanquam mensura, quia accidentis est tempus, nec correspondet eis aium, quia non est aliqua acquisitione effendi sine motu, cum solum habeat prædicata primi modi, quae non acquiruntur: solum ergo competit eis duratio instantis vnius, & istud est æternitas.

Respondendum est, quod quidditates non habent æternitatem, & quia aliter de quibusdam quantum ad aliquid loquitur Arist. quam nos, aliter nos probare possumus de æternitate, vel non æternitate carum quam ipse. Nam sentit Arist. mundum non inchoauisse, ideo quidditates vniuersales necessario ponit non inchoasse, & rursus ipse habent totum esse suum simul, quia non recipiunt aliqua prædicata, nisi primi modi quorum esse est totum simul, ergo dici debet, quod quidditates sunt æternæ secundum modum illum. Hæc enim duo requiruntur ad perfectam rationem æternitatis, ceteri autem de mundo aliter sentiunt, scilicet, quod habuerit effendi principium tam in causalitate, quam duratione: ideo quidditates communes quamquam quomodounque sunt totum esse suum simul habeant, tamen æternæ non sunt, quia deest alia conditio, scilicet, interminabilis vita, quod autem aliquando esse cœpit quamquam esse totum simul habeat, æternum tamen non est. Sed dicet aliquis, quod non tollitur ex hoc æternitas quidditatum idcarum, quod mundus creatus sit: nam non sequitur ob hoc creatas esse quidditates: nam sicut actiones a suppositis sunt, ut patet 6. Eth. & 2. de Anima: ita & passio recipi non potest, nisi in rem indiuiduatam: vniuersale autem non potest esse terminus aliquius factonis, aut productionis, quia termini huiusmodi non possunt esse nisi secundum conditionem agentis, & actionis, qua producantur, & utrumque est indiuiduum, vel particulare: ergo terminus productus est identidem particulæ. Item quia terminus est aliquid existens per se, vel alteri adhærens: vniuersale autem non potest esse existens, quia non competit ei hoc cum sit proprietas indiuiduorum, ergo quidditates non creatæ sunt: nec factæ, nec productæ.

Respondendum est, quod quamquam non sint creatæ: tamen sunt concretae, vel comproducta: terminatur enim creatio ad istud indiuiduum creatum, sed quia non potest esse iste homo creatus, nisi homo sit, & humanitas sit, quia dicunt ista formas, quibus particularia sunt: necesse est ad creationem indiuiduorum consequi concreationem, vel cōproductionem quidditatum vniuersalium. Et dato quod non assentias huic modo loquendi: adhuc adiunctis principijs Arist. principijs nostris patet non esse quidditates æternas. Nam ante creationem particularium quidditates nullæ erant: nunc autem quidditates sunt, ergo non sunt æternæ. Antecedens patet ex fundamento Arist. in prædicamentis, scilicet destrutis primis substatiis impossibile est aliquid illorum remanere.

Et vo-

D

E

Aliter
lequiu-
tor ca-
tholici
dedica-
tio &
menfu-
ravni-
uerja-
lium &
loqua-
tar A-
rist. &
Philo-
phi &
quar.

F

An v-
niuersa-
lia A-
rist. seu
quidda-
tates su-
erant
creata-
vel po-
sunt effi-
termi-
natio crea-
tionis
vel ful-
lent ar-
cerne,
q[ue] non
sunt &
cerne:
iam si
pona-
m' mū-
dum &
terna,
ut po-
sunt A-
ristot.

A Et vocantur primæ substatiæ individua, & alia vocantur substantiæ secundæ, sive quidditatis, scilicet species & genera. Sicut ergo existentibus primis substatiis existunt quidditatis, & destructis eis penitus, & ipso fundamento naturæ, scilicet materia prima, quæ est omnium naturalium formarum susceptiva, non manerent quidditatis. Ita nondum existentibus aliquibus primis substatiis, nec ipso fundamento naturæ, scilicet materia prima non erunt quidditatis, sed cum nondum fuissent res creatæ nō erant particularia aliqua, nec prima materia, ergo non erant quidditatis: nunc autem sunt: ergo non sunt æternæ, quia deficit eis conditio una, scilicet interminabilitas vitæ, id est essendi, quod autem aliquando esse cœpit non est interminabilis vita.

B Adhuc ergo secundum positionem Arist. concessa proprietate æternitatis non potest dici quidditatis esse æternas, quia æternitas est mensura durationis rerum: quidditatibus autem non competit duratio aliqua, vel esse aliquod præter ipsa principia componentia, quæ sunt esse, vel substantia: nō existit autem nisi sit essentia individuorum, in quibus sunt: sed non ponimus cuilibet individuo suam durationem, ergo non possumus ponere quidditati aliam mensuram durationis, quia præter omnia individua speciei quidditas specifica non habet aliquod esse, vel durare: si tamen nos daremus æternitates, tanquam mensuram esse, vel durationem quidditatum, & cuilibet individuo sub illa quidditate daremus mensuram durationis, quæ esset tempus, vel ævum: necessario esset distinctum esse, & durare quidditatis à duratione, & esse omnium particularium suorum, quod non conuenit. Sed aliquis respondebit, quod quidditati competit æternitas, & est mensura sua: non quidem quod illa sit mensura esse, vel durationis quidditatis distincta à duratione omnium individuorum suorum collectiæ, sed prout est mensura sua distincta à mensura cuiuslibet individui sui distributiæ: nam nullum individuum sub quidditate semper durat loquendo de pure naturalibus: omnia tamen individua accipiendo collectiæ semper durant, quia per successiæ derivationem manet semper aliquod individuum. Etæternitas ergo est mensura omnium individuorum alicuius quidditatis, quia nunquam deficiunt individua illius: nec vñquam esse cœperunt secundum positionem Arist. & tamen dum sunt individua est natura vel quidditas, ergo mensura durationis quidditatis est æternitas. Et ista non est distincta à mensura durationis omnium individuorum sumptorum collectiæ: sed est distincta à mensura esse, vel durationis cuiuslibet individui, quia nulli horum correspondet æternitas. Respondendum, quod etiam hoc modo non est æternitas mensura quidditatis, quia omnium individuorum suorum simul sumptorum non est mensura æternitas: nam licet data positione Arist. nunquam mundus incœpisset, nec terminandus foret: tamē non esset æternitas propriè dicta omnium individuorum per successionem: omnia enim efficerent durationem indeterminatam: tamen non efficerent æternam, quia ad æternitatem non solum exigitur interminabilitas: sed etiam simultas essendi: cum dicatur quod æternitas est interminabilis vita simul tota, & perfecta possessio. Quidditas autem non habet per se mensuram aliquam durationis, cum ullam habeat durationem præter durationem individuorum: ergo non sunt quidditatis æternæ nec temporales, nec habentes ævum. Sicut autem dicebatur supra de homine, q̄ haberet aliquam conditionem æternitatis licet esset solum homo, ita dicendū est, quod si aliquis homo esset solum homo, & non adueniret ei aliquid alterum, nec recederet, quod intrat, & aliquando iste defineret esse, nec tamen defineret per motum: sed cessante causa conseruante, vel dante esse, iste solum durabat per vnum instans, & quantocunque maneret impossibile erat totum spatium durationis suæ esse magis quam vnius instantis. Quod patet, quia iste erat homo, & non erat aliquid ultra esse hominem, ergo nō poterat habere maiorem durationem quam per instantis vnicū: quod patet, quia queretur, an in vnicō instanti homo sit perfectè homo, vel indiget ampliori duratione, sicut ad motum non sufficit instantis, sed exigitur tempus, si dicatur, quod nō, falsum est, quia omnia permanentia habent essentiam in instanti, vt esse capram esse bouem. Concesso hoc necesse est, quod cum iste homo datum solum sit homo, & nihil ei aduenturum sit, quod in vni-

co instanti capiatur esse eius totum. Tunc si dederis, quod iste homo duret ultra illud instantis, cum tunc sit, iam habebit esse, quod non capiebatur in ipso instanti: ergo non erat totum esse simul, quod est contra hypothesisim, quia iste solum est homo, & esse hominem est totum simul vel individuabile. Cum igitur defecerit iste homo, dicetur quod solum vno instanti fuerit, quia solum fuit homo, quod capit in instanti, non est tamen illud instantis temporis copulatum, vel diuinum, sed est æternitatis instantis, vel quasi æternitatis, vt probatur supra de Deo, quod nō poterat esse in nunc temporis.

In qua.
23.

D De similitudine & dissimilitudine esse humani ad diuinum, & quomodo æternitas Dei, & hominis mensura in quantum homo differunt, & quam similitudinem & differentiam habent res create ad æternitatem.

Q V A S T I O XXX.

E C O N S I D E R A N D U M autem est ultra hoc de æternitate Dei, & de mensura hominis, & quomodo differant, & quomodo conueniat homo cum æternitate: Deus enim, quia habet totum esse simul, necessario est totum esse habens in instanti, & istud est æternitas, nec potest durare Deus ultra illud instantis, quia tunc non haberet totum esse simul: nam illud instantis est totum simul, quia caret partibus, si autem in illo sit, & postea in alio, non est totum esse simul: nam duo instantia non sunt simul: esse Dei ex hypothesi est, vel durat in duabus instantibus, ergo non est totum simul. Causa autem quare esse Dei est in vnicō instanti, & non alicuius alterius rei est, quia Deus habet essentiam vel naturam suam, & præter illam nihil recipit sibi adueniens: sed quælibet essentia simul tota est, cum pertineat ad naturam permanentium præter motum, tempus & actus quosdam, quorum esse, vel natura esset simul non est, vt declaratum fuit. Et Deus si voluerit esse in maiori duratione quam illius instantis, vel extensiori, sicut est duratio temporis est impossibile, quia mensura conformatur mensurato: ideo mensura essendi est, sicut ipsum esse, quod mensurat: Deus autem totum esse habet simul, ergo non potest mensura sua habere partem extra partem: haberet tamen si esset extensa, vt tempus, ergo non potest esse in duratione alia, nisi in instanti. Nec hoc specialiter conuenit naturæ diuinæ, quia natura diuina est, sed generaliter omni rei vel naturæ, quæ nihil recipit præter id quod est, competit habere durationem vnius instantis solius, sicut probatum est supra de homine si solum esset homo: nam tunc recipere, scilicet, nec esse sapientem, nec felicem aut quidquam aliud. Ita & de lapide, & quocunque ente quantumcunque imperfecto dum tamen pertineat ad naturam permanentium. Recipere autem est causa habendi mensuram extensam, & ob hoc ex diuersitate modi recipiendi causatur diuersitas mensuræ essendi: quædam namq; sunt, quæ sufficiunt esse successiæ, sed non per motum. Primorum mensura est tempus: secundorum est mensura ævum, si autem alij modi recipiendi essent distincti ab istis, essent aliae mensuræ essendi: nulla tamen res est, quæ non recipiat præter diuinam entitatem, id est non est alia, cui competit esse totam simul, aut in æternitate, vel instanti.

In qua.
17.

In qua.
28.

F De homine autem & ceteris entibus naturalibus est dicendum, quod ipsa habent aliquam similitudinem ad æternitatem, sed ab æternitate deficiunt in tempora præterita, & futura, & ab immutabilitate deficiunt in motu. Quod sic patet: homo enim primo habet essentiam vel naturam: scilicet hominem esse, & quantum ad hoc non est aliqua successio, quia simul est esse hominem, licet partes, ex quibus adiunctis resultat esse hominem non sunt semper simul, & quia istud esse est, scilicet quod homo est: hoc quod est hominem esse hominem dicit quandam durationem, non quidem prout ly esse denotat solum copulam identitatis, sed vt est secundū adiacens. Nam primo modo non dicit durationem: indiget ergo mensura istud esse, & quia talis est mensura qualis est res mensurata, & esse hominem est individuabile, & totum simul, necesse est, vt mensura sit tota simul, & nulla est huiusmodi, nisi instantis: ergo solum instantis correspondet ei,

& quan-

A
Quo modo rescretae accedit ad aliqmodo ad naturam aeternitatis.

& quantum ad hoc est similitudo inter durationem Dei, & cuiuslibet rei permanentis, & accedunt res aliquo modo ad naturam aeternitatis: nam si sic manendum eis foret parvum viderentur distare a Dei mensura: immo fere nihil. Nam non esset aeternitas, quae est mensura esse Dei maior quam mensura horum nec minor: nec esse Dei esset magis simul quam harum rerum, cum in esse hominem vel lapidem nullus sit ordo præcessionis nec pars, & quandiu Deus duraret ista manerent. Et voluerunt quidem res accedere ad istam perfectio nem habendo totum esse simul: sed defecerunt ex immobilitate in motum: nam sic se habetibus nullus motus est, cum motus sit via quædam ad formam naturalem, & in rebus sic existentibus non erat acquisitione alicuius, sed solū erant quod erant, & nihil esse poterant: nunc autem defecerunt in motum, quia acquirendæ sunt eis perfectiones, quæ sunt partes essendi per motum, & consequenter ex simultate defecerunt in tempora præterita, & futura: nam ad immobilitatem sequitur simultas, vt patet ex prædictis, ad motum vero sequitur tempus, cum sit passio eius, ergo qui deficit ab immobilitate in motum: necessario deficit a simultate, vel aeternitate in tempora præterita, & futura. Fuit tamen iste modus conueniens rebus ad acquirendum perfectiones suas, quas non haberent si non mouerentur, sed manerent in sola natura sua, & tunc cum omnis motus fiat in subiecto, & natura vel substantia est ipsa, quæ mouetur, scilicet homo vel lapis, oportet ut cum ipso quoque moueat, quod in ipso est: sed in homine ad essendum hominem non est successio, sed simultas, & homo quandiu est semper est homo, ideo necesse est, quod semper habeat aliquam simultatem: huiusmodi autem simultaneæ, & semper presentiaræ durationis mensura est instans, quod est indiuisibile, ex quonecessarium est, quod semper fit actualiter instans mensurans esse hominem quantum ad esse hominem, sicut quandiu aliquis motus est, necesse est, ut sit tempus mensurans illum: istud autem instans semper manens quod homo habet causat tempus, quia cum homo, qui totus simul est mouetur ad acquirendum aliquid, necesse est instans suum, quod semper in eo est tanquam mensura cum mensurato transfluat, licet per accidentem, sicut punctus qui est in linea, licet per se non possit moueri, tamen si moueat linea mouebitur cum illa, & sicut punctus in linea cum mouetur, describit quandam lineam, licet ipse sit indiuisibilis, ita instans mensurans esse hominem, cum fluit ad motum hominis fluxu suo causat tempus, quod est extensum: licet instans sit indiuisibile, & totum simul, & sic ab immobili venit motus, scilicet ab esse hominem, & ab indiuisibili, & simul toto venit explicatio, vel extensio temporis, ita de ceteris naturalibus entibus, & sic patet quomodo in aliquo homines, & cetera naturalia assimilentur aeternitati, & quantu ad aliquid deficiunt ab ea.

Præsens non est tempus, nec pars temporis: sed solum sunt due partes temporum, scilicet præteritum & futurum.

C

Q V A E S T I O XXVI.

Ex quodam dicto hic de instanti, quod semper mensurat rem naturalem, & actualiter inest, apparet quare res quæcunque sit quandocunque est, erit præsens: nam licet aliqui quasi grammaticaliter distinguentes tempora, in præteritum præsens, & futurum distinguant: partes tamen temporis duas sunt solum scilicet præteritum, & futurum, quia præsens, nec est tempus, nec pars temporis, quia tempus successionem dicit, & diuisibilitatem, cum sit continuum, & magnitudo: præsens autem indiuisibile non componitur ex indiuisibili, sed indiuisibile est: nihil ergo est horum, & rursus ipsa duo tempora, scilicet præteritum & futurum, quæ propriæ tempora sunt, quia præteritum iam non est: futurum autem nondum est, sed solum habent esse per relationem ad præsens, scilicet quod aliquando erit præsens futurum dicitur, quod verò aliquando fuit præsens dicitur præteritum. Ablato autem præsenti nec præteritum quidquam est, nec futurum. Ideo ipsa sunt tempora per non tempus, scilicet per præsens. Et causatur hoc modo, quia res quælibet de permanentibus est, & si illa solum habet essentiam suam mensuraretur instanti solo, quia tamē mouetur ad acquirendum perfectiones, etiam instans quod

cum ea est fluit. Et non causant idem substantia mota & instans fluens, sed substantia mutata causat motum, & instans fluens causat tempus, sicut cum mouetur linea, mouetur eius punctus terminans, sed non causatur, idem ex motu virtuete, quia per motum lineæ transuersaliter causatur superficiemotus autem puncti causatur linea, & quia homo quandiu durat est totus simul quantum ad esse hominem cum non perdat simultatem substantiae propter partes essendi perfectionum aduentientium quamdiu durant est præsens. Et ob hoc tota vita hominis, vel cuiuscunque rei non est, nisi unum præsens, quia nunquam dum homo est definit esse præsens, & totus homo est præsens: sed istud præsens est instans mensurans simultatem essendi hominem: ideo præsens nostrum semper durat quamdiu sumus, tamen indiuisibile est, efficitur tamē vita nostra magna ab isto præsenti indiuisibili, quia continuatur eundo per continuationem fluxus. Et quia istud instans per cuius fluxum causatur tempus, semper fluit, necesse est, ut præsens nostrum, quod est instans non sit manens, in quo differimus ab aeternitate, & rursus quia tempus est fluxus instantis, & istud est præsens nostrum, necesse est quodocunque fuerit tempus, quod sit præsens: nam deficere præsens est deficere instans illud, & ipsum est cuius fluxu causatur tempus, ergo deficiente præsenti, impossibile est esse præsens. Idem totum tempus est quoddam præsens fluens, vel alter fluxus instantis, & primo modo dicit Aristoteles quod nunc est substantia temporis, id est, totum esse temporis est illud nunc fluens, quod fluxu suo causat tempus.

Entia successiva non habent esse nec sunt proprie entia, sicut permanentia, & quod motus & tempus nunquam sunt.

Q V A E S T I O XXXII.

Ex his colligitur, quod successiva non sunt, ita propriæ entia, sicut permanentia: nam esse est propriæ in præsenti, quod patet, quia tempus futurum secundum se non est ens, nisi referatur ad præsens: exclusa autem natura præsentia, non est magis ens futurum, quam chimera: nam futurum est, quod aliquando præsens erit. Idem præteritum non est ens, nisi per relationem ad præsens, scilicet quia aliquando fuit: sed præteritum quando præteritum est non habet quidquam de entitate. Et tamen istæ sunt proprie partes temporis, quod est ens successivum. Præsens tamen quod non pertinet ad entia successiva est proprie ens. Præsens enim non est de natura temporis propter duo: primo quia indiuisibile est, & indiuisibilia non sunt partes indiuisibili, ut patet. 6. Phys. Secundum est, quia præsens quamquam esset habens extensionem, tamen non esset de successivo, quia successiva habet unam partem post alteram, præsens autem totum simul est: dato ergo quod haberet extensionem, non haberet unam partem ante alteram, ideo non pertineret ad successivum. Non poterat tamen præsens esse extensum, quia cum sit duratio si esset plures partes, aut una esset quando esset alia aut non. Non potest dici, quod una sit, dum alia est, quia tunc ambæ essent idem, & una: sicut nec duo instantia simul esse possunt, quia quæcumque indiuisibilia sint: si autem non esset una, quando esset alia, ergo erat successio: fuit ergo impossibile, quod præsens esset indiuisibile, quia non posset esse simul totum. Ita & in magnitudinibus: nullius magnitudinis aliquæ partes simul sunt sed una est extra alteram, cum ergo successiva non habeant in tempore esse, nisi per habitudinem ad præsens, quod non est de natura successiorum: pater non esse, ita propriæ entia successiva, sicut permanentia.

De motu idem quod de tempore patet, quia motus propriæ nonquam est: non enim potest assignari aliquod præsens, in quo motus sit: sed quædam partes motus præteritæ sunt, aliae vero transituræ sunt: quæ autem effluxerunt, non sunt ens, sicut tempus præteritum, quæ autem effluxuræ sunt, nondum sunt ens, sed differunt, sicut tempus futurum: motus autem non habet alias partes præter has: ergo motus non propriæ est, sed sicut in tempore partes eius non propriæ erant, nisi per præsens, quod non est pars temporis, ita & in motu oportet assignari aliquid per respectum ad quod partes motus habent aliquid esse. Et istud non est mutatum esse,

D

E

F

A esse, ut aliqui existimant, quia illud minus esse habet, quam partes temporis, cum sit solum terminus, vel copulatum, & indivisiuum. Causa erroris est, quia sicut instans, quod est praesens, est per quod partes temporis esse habent, ita & mutatum esse se habet in motu, quod est aliquid indivisibile, & sicut punctus in magnitudine, ideo ille erit, per quod habent esse partes motus. Sed non stat, quia quamquam mutatum esse in motu, & punctus in magnitudine, & instans in tempore habeant aliquam similitudinem, sed non quantum ad omnia, quia pluribus modis dicitur instans in tempore, quam punctus in magnitudine, & mutatum esse in motu, quod patet, quia punctorum quædam sunt terminativa, alia sunt copulativa & diuisiva: terminativa enim sunt actualiter existentia, & sunt in fine linearum: copulativa autem sunt in medio linearum. De mutatis esse identidem est, quia quædam sunt in fine motus: non enim potest terminari motus per motum, quia terminus semper est aliquid indivisibile, alioquin non esset res nunquam terminata, vel ubique esset terminus. Patet hoc, quia si motus per motum terminaretur, cum in omnibus partibus motus sint motus, vbiunque esset terminus esset motus, cum omnes partes motus sint eiusdem rationis, & si una est terminus qualibet est terminus. Veli si velis dicere, quod non est terminus in quacunque, sed in aliqua: non poterit stare: quia nihil magis habet illa quare sit terminus motus quam qualibet alia, & sic non erit aliquid finis in motu. Item si pars motus esset terminus motus, queritur vbi assignaretur terminus, non quidem potest ipsa pars tota assignari pro termino, quia cum ipsa sit diuisibilis, adhuc ultra terminum rei ponetur aliquid de re, quod est falsum. Necesse est igitur assignari aliquid indivisibile, qd non sit de natura quantitatis terminandæ, & illud erit proprius terminus, quia est indivisibile. Ideo in tempore assignatur aliquid indivisibile terminans, & istud est punctus. In motu est aliquid terminans, & istud vocatur mutatum esse. Sunt ergo in motu mutata esse realia terminantia, & istud est unicum à parte post. A parte ante non datur mutatum est, sicut datur punctus in linea ante & post: ratio diuersitatis prouenit ex natura permanentie & successionis. Alia sunt mutata esse copulativa & diuisiva, & ista assignantur in medio motus, & sunt solum potentialia ex eodem fundamento, quo probabatur esse instantia copulativa, & diuisiva in tempore, & puncta continentia & diuidentia in linea: nam motus est aliquid continuum, & consequenter diuisibile in infinitum: diuisio autem fieri nequit, nisi ponantur aliqui termini partium diuisarum esse, imo necesse est assignari mutata esse potentialia copulativa & diuisiva. Et fit hoc modo: aliquis mouetur per leucam: est hic unum mutatum cile reale solum: tamen iste poterat desinere in medio leucæ, vel in quarta parte, aut in quacunque parte spatij, sed vbiunque desineret esset mutatum esse reale: ergo etiam si non fiat terminatio in aliqua illarum partium necesse est esse ibi mutata esse potentialia. Nam detur oppositum, scilicet, quod possint motus terminari in qualibet harum partium, & tamen non sit aliquid mutatum esse possibile: sequitur quod possit motus terminari sine aliquo mutato esse, quod includit contradictionem, quia hoc est motum esse terminatum sine termino, & ista mutata esse erunt infinita secundum quod motus ex natura continuitatis est diuisibilis in infinitum. Patet ergo, quod quantum adhac duo æqualia sunt hæc tria, scilicet motus, tempus, permanens magnitudo, scilicet quod motus habet mutatum esse terminatum actuale, & copulatum reale, & tempus habet instans terminatum actuale, quia licet non detur nunc, tamen aliquando dabitur, cum finietur tempus, sicut iurauit angelus magnus, qui posuit pedem vnum in mari & alium in terra iurans per viuentem in secula seculorum, quod amplius tempus non erit, vt patet Apo. 10. sunt autem instantia potentialia copulativa in magnitudine, etiam sunt puncta realia actualiter terminantia, & puncta copulativa potentialia. Sed adhuc tempus excellit omnia hæc, quia tempus habet aliud modum instantis, & motus non habet aliud modum mutati esse, & magnitudo non habet aliud modum punctorum: est autem motus instantium aliis, scilicet, quod est quoddam instans fluens semper actu existens, quod mensurat esse rerum permanentium quantum ad essentiam, vt supra declaratum est, & istud fluit ad

D
In que
slo. 22
& alijs

*Præsens est instans, sed non est instans terminatum temporis,
nec præsens est potentiale copula-
tum.*

Q V E S T I O XXXIII.

IDEO dicendum est, quod sit præsens instans, sed non instans terminans tempus, quia tunc esset tempus terminatum, nondum tamen terminatum fuit unquam, sed aliquando terminabitur, vt dictum fuit supra precedentem cap. cù agebatur de statione solis. Item quia semper esset tempus actualiter terminatum: nam semper est præsens, & quæcumque res quandocunque est, præsens est, ergo semper esset terminus temporis, quod est absurdum, quia cum cōsequatur tempus motum primum tanquam sibi cōiectum, & mensuratum, non potest terminari, nisi terminato illo: sed non terminatur ille motus, cum continue sit: ergo nec terminatur tempus. Item non potest dici, quod præsens sit instans potentiale, & copulatum, quia instantia copulativa sunt potentialia solum, & non unquam possunt esse in actu, nisi cum actualiter diuidetur tempus, & terminaretur, sicut non potest esse aliquis de potentialibus præsens linea in actu, donec linea diuidatur actualiter: tempus non est actualiter diuisum: ergo non sunt huiusmodi. Item quia si illa potentialia instantia re ducerentur ad actum, iam non essent copulativa vel diuisiva sed terminativa: implicat enim contradictionem instans potentiale esse præsens, cum præsens dicat aliquid actuale.

Item non stat, quia puncta potentialia sunt manentia cum habeant positionem inter partes temporis, præsens tamen est fluens. Primum patet, nam cum duas horas assignamus facimus eas esse duas partes temporis, & non possunt differre, nisi ponamus aliquid distinctum, & istud est instans medium distinguens primam à secunda, quod positionem habet inter eas ita: vt sit post omnes partes prima hora: & sit ante omnes partes hora secunda. Secundum patet scilicet quod præsens sit fluens: nam per fluxum instantis causatur tempus: si autem esset præsens manens, cum ipsum sit indivisibile, nihil acquireremus: & consequenter nunquam essemus in tempore, sed in instanti, & aeternitate. Item non potest stare, nam instantia potentialia non manent: instans tamen præsens manet ergo, &c. patet primum: quia cum inter duas partes temporis signauerit instans, cum deuenient fuerit ad principium secunde partis illarum, quas diuidit instans iam non est. Sicut ponimus instans distinctum anni finiti, & incipientis: incipiente autem anno iam non est instantis distinctum, quia solum erat inter illas duas partes. Secundum patet scilicet quod præsens non transcat: nam nunc est præsens rei, quæ est, & semper est præsens nec deficit nisi cum res ipsa deficit, quæ habet præsens. Item instantia potentialia sunt infinita, præsens autem cuiuslibet rei unicum est: ergo non est præsens instans potentiale copulatum. Primum patet, quia instantia potentialia ponuntur ex necessitate diuisionis, id est quia non potest esse tempus diuisibili-

F

Termi-
na-
mo-
tu-
no-
est-
mo-
tu-
m-
ef-
st-
de-
linea-
e-
c.

B

C

Motus
tempus
perma-
nētia ma-
gnitu-
do, quā
do finit
equa-
lia &
quomo-
do diffe-
runt.

A bile nisi datur instantia potentialia: & quia diuisibilitas continui est in infinitum: ergo erunt infinita potentialia instantia.

Cuiuscunque rei quantumcumque duret non est nisi vnicum praesens.

Q u a e s t i o XXXIV.

SE C V N D V M quod præsens cuiuslibet rei sit vnicum patet, quia præsens est indiuisibile, ut probatum est supra, & omnes confitentur dicentes esse instantia: si ergo non est vnicum sed aliud, & aliud cum inter duo indiuisibila necesse sit dari medium diuisibile. 6. Physic. ut inter duo puncta linea media, & inter duo mutata esse motus medius, ita inter duo instantia dabitur tempus medium. Et tunc quia non potest esse aliquis præsens, nisi cum habet præsens quod est instantia: sequitur quod in toto tempore, quo peruenit ab instanti ad instantias non erit præsens: & sic dabimus quod res postquam esse incipit, & est aliquando non sit præsens: quod est absurditate absurdius: non capit illud intellectus. Item sequitur aliud absurdius, scilicet, quod qui esset nunquam esset præsens, etiam si viueret mille annis: quod patet quia ista instantia plura, quæ essent plura præsentia sunt potentialia assignata in tempore ex positione istorum, sed illa nunquam sunt: ergo nunquam actualiter esset qui esset, & non differunt ea, quæ sunt achimera, quia cum nunquam essent præsentia, essent sicut præterita, & futura, quæ nullum esse habent, nisi per respectum ad præsens.

Item patet magis, quia dato quod assignarentur in tempore instantia actualia, & in illis esset res præsens: tamen sequeretur quod res nunquam esset, sicut probat Aristo. in 6. Physico. de motu dicens, quod si aliquis moueretur per omnia indiuisibilia alicuius magnitudinis, non transiret aliquid illius magnitudinis, quia illa magnitudo nihil habet, nisi suas partes, ex quibus constat, qui autem non transit omnes partes magnitudinis, nec aliquam partem, nihil transit magnitudinis: transiens autem omnia indiuisibilia magnitudinis est huiusmodi, quia ipsa non sunt tota magnitudo: nec cōponunt aliquid de magnitudine, ergo non transit quidquam de spatio transiens omnia indiuisibilia spatij. Ita si essent instantia actualia in tempore, & illa essent præsentia nostra: cum res esset in illis esset præsens: extra illa non esset præsens, sed illa non sunt totum tempus nec aliqua pars temporis: ergo quod est non erit præsens in toto tempore, nec in aliqua parte temporis, ita ut dici possit, quod si aliquis vixit centum annis in illis nunquam fuit, nec in aliqua parte eorum, sed fuit in instantibus, quæ nec sunt illi centum anni, nec aliqua pars eorum, & hoc valde absurdum est.

Item dato fundamento superiori queretur cum res solum possit esse præsens in instantibus anni tempore medio inter instantia illa sit, vel non: si autem dicas quod non est absurdissimum, quia tunc sequitur quod quilibet homo quotidie infinites desinit esse & resumit esse sicut instantia sunt infinita, sed qui desinit esse & redit ad esse resurgit: ergo quotidie quilibet homo infinites moreretur, & resurgeret. Si autem dicatur quod sit in tempore medio inter duo instantia queretur an tunc sit præsens, vel præterita vel futura: non præsens, quia non est in instanti, sed in tempore medio.

Aut si dicas quod est præsens, ergo sine instantibus est præsens, quod est falsum, quia tunc præsens esset diuisibile, cum esset tempus, quod est diuisibile, sed præsens indiuisibile est, ut supra probatum est. Si autem dicas, quod est præterita res vel futura in tempore illo medio, sequitur quod res dum est præterita, quod est falsum, quia nunquam est res præterita, nisi cum totaliter esse desit: nec futura est, nisi cum nunquam esse coepit: non ergo potest stare.

Item si præsentia essent multa, ita quodlibet instantia esset vnum præsens: queritur cum aliquis viueret centum annis, an in omnibus instantibus illius temporis esset, vel non: si dicas quod non esset in omnibus est absurdum: quia tunc non diceretur viuere in illis centum annis, nec est intelligibile: velut si quis dicat quod vixit centum annis, & in primo illorum annorum vixit, & in centenario: & tamen tempore intermedio non vixit, hoc enim & contradictionem implicat, & non est intelligibile: necesse est igitur dicere quod in

D
Cuius
pposi
tio pro
batur
6. Phys.
omnibus instantibus illius temporis esset præsens. Et tunc queritur an instantia istorum annorum sint finita an infinita: si dicas quod finita sequitur quod continuum non est diuisibile in infinitum, sed usque ad certum terminum est diuisio, & postea non est possibilis diuisio, vel non est diuisibilitas: quod manifeste patet falsum: cum continua, vel nullo modo diuisibilia sunt, vel in infinitum, cum omnes partes continuorum sint eiusdem rationis. Si autem dicas quod instantia istorum annorum sunt infinita, sequitur quod ille qui vixit annis centum transiit infinita in actu, quod includit contradictionem. Nam ex eo quod fuit, sequitur non fuisse infinitum.

Item sequeretur quod non posset quisquam viuere quarta parte horæ: nam esset ex data positione in omnibus instantibus illius partis præsens, & illa sunt infinita: ergo ad viuendum in illa quarta parte horæ, oportebat transire actualiter infinita: sed hoc est impossibile, ergo non posset viuere quarta parte horæ.

Item hoc dato sequeretur, quod non magis viueret, qui viueret centum annis, quam qui viueret una hora, quod est absurdum. Antecedens patet: quia solum aliquis viuit dum præsens est: nam qui præteriit aut futurus est, non viuit: sed dum præsens est, & tamen in centum annis non sunt plura ut maiora præsentia, quam in una hora: ergo nihil magis viuit, qui centum annis vixit, quam qui una hora: patet antecedens, quia instantia, quæ sunt præsentia in centum annis sunt infinita, & non possunt esse plura infinitis, quia infinito nihil est maius aut plus; in una quoque hora sunt infinita instantia, cum quodlibet continuum sit diuisibile in infinitum. Nec aliquis derisorie aut sophistice ad hæc poterit respondere dicens, tot esse partes vel præsentia in una hora sicut in centum annis, tamen non valet quod tantum viuat viuens una hora sicut viuens centum annis, sicut tot partes habet granum milij sicut cœlum: tamen non est tantum sicut cœlum. Ad hoc poterat responderi per interemptionem negando esse tot partes grani milij, sicut cœli. Et si arguatur quod est diuisibile utrumque in infinitum, & vnum infinitum non est maius alio. Dicendum est quod habet tot partes eiusdem proportionis, sed non eiusdem quantitatis: & iste faciunt ad esse magnum & maius & non partes eiusdem proportionis. Hic tamen non stat argumentum, quia sicut in centum annis non sunt plura præsentia, quam in una hora, quia virtuose infinita: ita non sunt maiora, quia instantia sunt indiuisibilia: ergo nihil magis aut maius vixit qui centum annis vixit quam qui una hora. Multa quoque alia inconvenientia huiusmodi sequuntur posito quod sunt plura præsentia, & quodlibet instantis sit præsens.

F
Alio modo potest probari ostensum, quod præsens cuiuslibet rei in tota sua duratione sit vnicum, quia in rebus permanentibus est aliquid, secundum quod sunt semper simul, & aliquid secundum quod in acquisitione. Primum est essentia, vel substantia, quæ est tota simul, ut esse hominem, vel lapidem: secundum est esse horum, scilicet esse album esse doctum, esse felicem: simultati enim in essendo correspondet simultas in mensura: sicut successione essendi correspondet mensura successiva, huiusmodi sunt præsens, quod est totum simul, & correspondet essentia, & tempus quod est in successione & mensuratur esse, quod suscipitur, sed illa substantia, quæ est tota simul, scilicet esse lapidem, vel esse hominem est vna, & eadem quandiu est: ergo semper correspondet eidem præsens. Item non potest esse nisi vnicum præsens rei cuiuslibet, quia non correspondet rei præsens, nisi pro substantia, vel natura, scilicet pro esse hominem, vel lapidem, pro omnibus aliis perfectionibus, quæ acquiruntur successivè correspondet tempus, & non instantis: sed essentia, quæ mensurari habet totum suum esse simul, scilicet esse hominem: ergo non potest habere nisi vnicum præsens. Nam si darentur diversa præsentia non potuisset esse totum esse naturæ, vel substantiae simul: nam sicut duo præsentia non sunt idem, ita esse in duobus præsentibus non est idem, & simul: sed esse hominem est totum simul, ergo non potest in duobus præsentibus. Dicendum ergo quod est vnicum præsens cuiuslibet rei, & tunc resumatur argumentum: Cuiuslibet rei est vnicum præsens: instantia autem potentialia copulativa sunt infinita: ergo non est præsens instantis poten-

A **tiale copulatum. Cum ergo præsens sit instans, & non sit instans terminatum, nec potentiale copulatum, erit instans alterius modi, scilicet quod est semper existens, & est substantia temporis. Et ob hoc quandocumque est tempus, semper est præsens, quia tempus causatur ab illo instanti fluente, scilicet quia essentia correspondet instans tanquam mensura: quia est tota simul: & rursus quia illa non habet omnes perfectiones suas simul, sicut est ipsa essentia mouetur ad illas, & mota ipsa fluit instans, cuius fluxus est tempus. Ideo præsens est quod causat totum tempus: & tamen res non haberet esse præsens nisi haberet aliquod esse totum simul. Homo autem quia quandocumque vivit semper est homo, & esse hominem & totum simul necesse est, quod detur ei aliqua mensura, quæ sit tota simul, & ista est præsens: necessario igitur erit quæcumque res est semper præsens quando est: id autem, secundum quod est in successione non est aliquando præsens, sed semper est præterita aut futura. Quod patet, quia res, quæ est in successione nihil habet simul cum simultas repugnat successioni; sed præsens est totum simul: ergo non correspondet rei ex ea parte, qua habet esse in successione, sed ex ea parte, quæ est tota simul. Et patet adhuc magis quod res, quæ nullo modo habent totum esse simul, nunquam sunt præsentes, ut patet de motu, & tempore: nam motus nullo modo habet totum esse simul, sed tam quantum ad substantiam, quam ad esse sunt in successione, ut supra declaratum est: ideo impossibile est dari aliquod præsens in motu, ita quod nunc sit aliquis motus præsens: nam de nullo motu est verū dicere, quod sit nunc, etiam si nunquam esse desinat, sicut motus cœli: & hoc quia motus, & quilibet pars motus sunt diuisibiles: in nunc autem non potest esse aliquod diuisibile: ergo non erit ibi motus nec pars eius, quia diuisibile non capit, vel mensuratur diuisibili mensura: ita de tempore. Nullum enim tunc est nunc, sed solum præsens quod non est tempus, sed instans: & hoc quia tempus identidem est aliquid diuisibile.**

Declarat magis id quod dixit, q.32.

Q V A S T I O XXXV.

C **A**IT E T ergo ex prædictis de tempore, & motu quod nō se habeant eodem modo, quia causatur tempus ex instanti fluenti, & habet partes temporis aliquod esse per relationem ad illud instans fluens, & causatum temporis: in motu autem non est aliquod mutatum esse fluens, cuius fluxu causetur motus, sed ipsum mobile fluit, scilicet quod ab immobilitate cadit in motum: ideo sicut instans indiuisibile fluxu suo causat tempus, ita corpus mobile, quod aliquo modo est totum simul, & manens successione sua causat motum, & partes temporis non habent esse, nisi secundū quod referuntur ad mobile, quod est simul. Nam partes motus præteritæ non sunt nisi secundum quo aliquando procedebant à mobili: & partes futuræ motus non sunt, nisi secundum quod aliquando procedent à mobili: & sicut in toto tempore instans fluens idem est: ita & in toto motu mobile est idem, & semper totum simul: & quantum ad hanc præstantialitatem habet motus esse, & tempus: ideo patet, quod successiva non sunt ita perfectè entia, sicut permanentia: & si totaliter essent successiva, non essent entia. Vocarentur totaliter successiva, si nullo modo haberent aliquam præstantialitatem, vel totalitatem simultatis in essendo: & tunc impossibile est esse: sicut tempus præteritum acceptum absolute non comparando ad præstantialitatem, quam aliquando habuit, non est magis ens quam chimera & vacuum. Idem de futuro considerando solum, ut futurum est: unde successiva ut motus & tempus, quia non habent in natura sua aliquam simultatem sunt minus entia cætatis, nec dicitur æ qualiter de eis ens sicut de ceteris, sic nec de substantia, & accidente non prædicatur secundum unam aliquam rationem communem, ut ait Arist. in primo Ethico, in cap. de vniuersali Platonico. Et dico quod non habent in natura sua simultatem, quia de motu nihil est totum simul, nec pars, nec totus motus. De tempore autem identidem, nullū tempus nec pars temporis est simul, quia tunc tempus esset instans, sed falsum est: habent tamen ista successiva aliquam simultatem

D **essendi, sed non in natura sed in aliquo per quod sunt: vt tempus habet simultatem in præsenti, quod est totum simul & indiuisibile; & non est instans in natura temporis, quia nec est tempus nec pars temporis: idem motus habet quādam simultatem in mobili, quod in toto motu est totum simul: sicut homo, qui mouetur localiter in toto motu est homo: & hoc est totum simul: sed mobile nō est in natura motus: quia non est motus, nec pars motus: & tamen si successiva non haberent istam simultatem saltem in aliquo, quod est extra naturam eorum, non essent vllatenus entia, sicut declaratum est, si futurum & præteritum non referentur ad præsens, & in motu non essent partes aliquid nisi referentur ad mobile, quod est totum simul.**

Nulla res est nisi quae est tota simul & ex illa parte simul est ex qua est tota simul.

Q V A S T I O XXXVI.

E **X** quo patet quod nihil est ens, nisi quod est totum simul, vel habeat aliquo modo simultatem in essendo: ex ea enim parte, qua aliquid est totum simul est, ut esse hominem: ex ea autem parte, ex qua non est totum simul non est, nisi in quantum refertur ad totalitatem simultatis: & quanto magis accedit ad naturam simultatis, tanto est magis ens: & quanto minus accedit, est minus ens: & quod totaliter reddit, est totaliter non ens: quod verò totaliter accedit ad simultatem est totaliter, & propriè ens. Patet igitur naturam entitatis esse in simultate, & quia simultas non reperitur in omnibus secundum eundem modum non potest reperiri ea dem ratio, vel idea entis in omnibus. Et secundum hoc possunt notari gradus in entitate: quædam namq; sunt non entia, quia illa nullo modo accedunt ad aliquam simultatem, ut tempus præteritum, & futurum non referendo ad præsens: & cum ista fuerint reduta ad aliquam simultatem qualcumque, erunt entia. Alia sunt, quæ habent simultatem, & tamen non est in natura sua, & est minima simultas. Alia sunt, quæ habent simultatem in natura sua, & tamen non habent eam completam, sed cum simultate habent successionem: & ista sunt dupliciter, prima nō habent plenam simultatem propter motum: alia non habent simultatem propter successionem in motu: ultima sunt, quæ totalem habent simultatem in essendo, & nullam successionem. Et secundum istos gradus sunt aliqua perfectiora, aut minus perfecta entia, nam ea, quæ non habent ullam simultatem in essendo in natura sua, vel extra non sunt entia; quia, ut patuit, simultatem in ente necesse est. Primus gradus est entium non habentium simultatem in natura sua, sed in aliquo, vel per respectum ad aliquid, quod extra naturam est, sicut in motu & tempore: & ista sunt imperfectissima in entibus: nam quantum ex seipso non habent esse, sed ex aliquo, quod extra naturam eorum est per relationem ad illud. Quod patet quia subtracto illo non habent aliquid de esse, ut præteritum, & futurum ablata simultate in essendo: & quia id quod est extra naturam alicuius improprie habetur ab illo, ista successiva habebunt improprie simultatem, & consequenter non propriè entitatem. Alius gradus est entium, quæ habent præstantialitatem, & simultatem aliquam simul, & utrumque in natura sua. Ista sunt propriè entia in quantum proprius habent simultatem, quæ sit in natura sua, & non per relationem ad aliquid extrinsecum: & ista habent secundum diuersa simultatem & successionem: nam quantum ad essentiam habent simultatem, & quantum ad esse habent successionem, ut esse hominem, quod est essentia est totum simul, & in instanti, ideo non est aliqua successio quantum ad hoc: Est autem successio quantum ad esse, scilicet quod sit homo albus, vel niger, doctus, vel fœlix; & sic de ceteris, quæ non sunt in simultate: & ista non sunt ita entia sicut ea, quæ sunt tota simul: illis quippe conuenit propria ratio entitatis. Et ista distinguuntur in duos gradus, quia quædam habent simultatem in essentia, & successionem in esse quantum ad motum. Alia habent in essentia simultatem, & in esse successionem, sive motu. Nec possunt ista pertinere ad eundem gradum essendi, quia magis propriè entia sunt, quæ habent successionem sine motu, quam

Multplex gradus in entitate.

F

A quæ habent successionem cum motu. Nam habentia successione, cum motu acquirunt omnes perfectiones, quia nihil habent sine motu ipsa natura dempta: & quia ea, quæ acquiruntur per motum non possunt pervenire ad conditionem simultatis, necesse est minus de similitate & consequenter de entitate habere, quam ea, quæ acquirunt sine motu perfectiones: nam huiusmodi acquirentia paucas acquirunt perfectiones, sed omes ferè habent in natura sua: & istæ sunt simulentes, sicut & ipsa substantia: & huiusmodi sunt angelii. Quandocunque enim aliquid plus habet de similitate in essendo, quam aliud, necesse est, ut sit magis ens illo, ut supra declaratum est. Ea tamen, quæ sine motu acquirunt pefectionem, pauciores acquirunt perfectiones cū plurimæ earum sint simul cum ipsa natura: quæ verò per motum aliquid acquirunt, omnes perfectiones suas per motum suscipiunt. Nam quamquam ipsa natura simul sit, scilicet esse hominem, vel ipse homo, tamen hoc per motum acquiritur: & non immediate, quia per generationem hæc habentur, sed mediæ, scilicet, quia sunt alternationes præviæ ad rem generandam, sine quibus nulla fit generatio. In rebus autem quæ non acquirunt perfectionem per motum, non acquirunt ipsum esse naturæ per aliquam successionem motus, vel sine motu: ideo magis accedunt ista ad rationem simultatis, quam ea quæ per motum habent esse acquisitum. Ultimus gradus in entibus est eis, quæ habent totum esse simul, siue quantum ad substantiam, siue quantum ad esse: & ista semper sunt præsentia, & habent præsens manens cum non acquirant aliquid, sed quod semel sunt semper sunt, & non est aliud ens huiusmodi, nisi Deus. Nec erat possibile reperi plura entia huiusmodi, ut supra declaratum est. Ex quo sequitur, quod istud sit propriissimum ens super cætera: nam in cæteris quamquam reperiatur aliqua simultas, & totalitas, secundum quam sint entia, tamen non est pura totalitas; quia quædam in natura sua non habent simultatem: alia verò licet in natura sua habeant, tamen non habent eam plenam, cum ex aliqua parte sint succidentia. Vnde non sunt totaliter entia: nam ens est secundum simultatem essendi: sed ista non sunt totaliter simul, ergo non sunt totaliter entia. Deus autem est totaliter simul, ergo ipsum est pure ens. Et ob hoc ipsum solum meretur dici ens, quia propriè in eo reperitur natura essendi. Et hoc est, quod ipse de se testatus est Ex. 3. c. ego sum qui sum, id est ego sum, qui habeo esse, q. d. nullus alius habet esse, quia in nullo proprio & secundum perfectam rationem essendi reperitur esse, nisi in me. Et iterum ibidem: Qui est misit me, id est ille, qui solus est in propria natura essendi.

*De similitudine, & dissimilitudine esse angelorum ad diuinum:
& quomodo eternitas Dei, & angelii mensura
differant.*

C

Q V A E S T I O XXXVII.

NUNC autem cum de similitudine, & dissimilitudine esse humani ad diuinum dictum sit, sci. supra à q. 30. vsque huc, de similitudine, & dissimilitudine esse angelorum dicendum est. Et sciendum quod cum angelii sint de entibus permanentibus, & conditio permanantium sit habere simultatem, necesse est, ut habeant aliquam simultatem: ista autem est quantum ad essentiam, scilicet, quod esse angelum est totum simul, nec habetur prius aliqua pars essendi angelii quam totum esse angelii, vel esse angelum, & quantum ad hoc tota duratio angelii est instans, quod est indiuisibile, & totum simul, sicut ipsa duratio essentia: nec potest habere maiorem mensuram in essendo: nam esse angelum est in indiuisibili: nulla autem est mensura indiuisibilis, nisi instans: & in hac non est magis Deus in indiuisibili quam angelus, & quam homo & lapis: quia cuilibet correspondet totalitas & simultas in essendo. Et si hoc solum esse in eis esset, haberent omnem conditionem eternitatis, tamen habent cū his quædam successionem. Et quia substantia horum est tota simul, necesse est, ut semper sit eis instans mensurans, & illud erit manens. Amplius autem angelus non habet cum natura sua omnes perfectiones ei possibles, & quæ suam naturam perficere possunt: quoniam natura sua capax est aliquorum, quæ ei adueniunt: & haec non possunt reduci ad simultatem es-

sendi, sed sunt in successione. Causatur autem successio hoc modo, quia angelus nunc intelligit aliquid, & postea Deus sibi aliud reuelat: vel nunc mouet hanc partem cœli, & postea aliam. Ad hoc natura sine substantia, quæ est tota simul succedit: nam ipse est, qui post unam intellectu operationem recipit aliam, & post unam operationem recipit alteram: & cum ipsa succedit sine motu, instans quod mensurat eam manente totam simul, fluit cum ea succidente, & fluxu suo causat mensuram quandam durationis extensam, quæ vocatur æuum: sicut instans in rebus temporalibus, quod mensurat substantiam rei permanētis, ut esse hominem fluit cum ipso homine, qui mouetur ad acquirendas perfectiones diuersas, & fluxu suo causat tempus. Sed quæres, quare cum instans mensurans esse hominis, fluat, & fluxu suo causat tempus: & instans mensurans esse angelum fluit, & non causat fluxu suo tempus? Nam videtur esse utroque similitudo, quia vtrumque fluit. Respondendum est, quod hoc evenit ex conditione modi acquirendi perfectiones, & conditione subiectorum durationem harum. Nam instans, quod mensurat simultatem essentiæ angeli non fuerit, nisi esset aliqua successio in angelo, ita de instanti mensurante simultatem esse hominis: tunc sicut essentia, quæ est tota simul, & mensurata succedit ad acquirendum perfectiones, ita instans, quod est totum simul & mensura succedit, vel fluit, & causat fluxu suo aliam mensuram: vt sicut ipsum instans est mensura substantiæ manentis, sic ipsum quod causatur fluxu instantis sit mensura successionis causata ab esse, vel natura succidente. Et tunc cum mensuræ diuersificantur secundum genus ad diuersitatem mensuratorū, & hic sint diuersa mensurata, quia in angelo successio eius ad acquirendas perfectiones non est motus, in homine autem successio ad acquirendum motus est, ideo necesse fuit, ut ponerentur diuersæ mensuræ ex natura rei: sed instans mensurans simultatem angeli fluxu suo causat mensuram successionis angelii, & instans mensurans simultatem substantiæ hominis fluxu suo causat mensuram successionis hominis: ergo non causabit eandem mensuram fluxus instantis angelii & fluxus instantis hominis, vel rerum naturalium: sed fluxus instans angelii causat æuum: quod est mensura successionis sine motu: & fluxus instantis humani & rerum naturalium causat tempus, quod est mensura successionis cum motu. In hoc autem deficiunt omnes res à Deo: nam entia successiva deficiunt à perfectione modi entitatis diuinæ, quia successiva non habent simultatem aliquam in natura sua, sed in aliquo ad quod referuntur: Deus autem habet simultatem in natura sua. Deficiunt etiam res permanentes à modo diuinæ entitatis, quia licet habeant aliquam simultatem & in natura sua: tamen non habent perfectam simultatem, sed ex aliqua parte sunt in successione, scilicet, quantum ad esse, licet quantum ad substantiam sint simul habentes statum semper præsentarium: Deus autem, siue quantum ad substantiam, siue quantum ad esse habet omnitudinam simultatem. Sed adhuc dato quod homo solum esset homo, & angelus solum angelus: attamen non haberent aliquid esse suum in successione, sed solo instanti mensurarentur: tamen deficerent à modo diuinæ entitatis, quia non competenter eis propriè eternitas: nam eternitas est interminabilis vita simul tota possessio, sed quamquam sic essent angelii, & homines, essent facti, licet non finiendi unquam: ideo non haberent vitam interminabilem, quia quod aliquando esse cœpit ex ea parte terminum habet. Amplius autem dato quod essent non facti, & nunquam finiendi: tamen nondum Deo æquarentur in modo entitatis, quia haberent totalitatem, & simultatem, tamen non esset perfecta simultas: nam Deus purus actus est, quia quidquid est, totum est, & nihil esse potest, quod non sit, & amplius perfectus actus, quia non sunt aliqui actus, vel perfectiones, quæ in eo non sint, & dato quod alias perfectiones Deo vellemus apponere, illæ non proficerent in eo: nam maiores illis Deus habet & aliquid quod æquiuale illis cum omnia habeat eminenter. In nobis autem si daretur, quod essemus solum homines essemus purus actus, tamen non perfectus. Primum patet quia essemus aliquid, & nihil esse possemus ultra id quod eramus, & hoc est esse purum actum. Secundum identidem patet, quia cum essemus solum homines, si adderetur nobis esse doctos, esse fœlices, & sic de quolibet, essemus perfectiores: & sic est

D

Cū in-
stas flu-
ens me-
sures es-
se ange-
li, cur
nō cau-
sat tem-
pus flu-
xu suo,
sicut in-
stas me-
sura natu-
ra effi-
cit tem-
pus.

E

In quo
resors
in tam-
perna-
menta
que fac-
cias
adisci-
unt à p-
fectio-
diuina

Etiam
si ange-
lus vel
homo
haber-
rent to-
cū suū
esse si-
mul, et
nihil
succes-
sio ad
huc nō
cōpete-
re eis
propriè
eterni-
tate.

circa

A circa quamlibet perfectionem , cum perfectio sit illud quod melius est ipsum esse quam non ipsum , & non esset aliqua entitatis perfectura , qua nobis adueniens non efficeret nos perfectiores : non essemus igitur actus purus , & perfectus , vt Deus , sed imperfectus valde .

*An Deus potuit res creare, quæ haberent totum suum esse simul,
& nequaquam essent in potentia, vel compositæ
ex actu, & potentia.*

Q V A E S T I O XXXVIII.

SED adhuc ex prædictis insurgit dubium, cum declaratum sit quod res permanentes ex aliqua parte habent similitudinem esseendi, & magnam similitudinem ad Deum, quare cum illa similitudine data est eis successio: cum magis Deo simila- rentur quam sic. Et potissimum quia id quod superadditum est rerum perfectionem abstulisse videtur, quod maxime derogat bonitati, & sapientia Dei. Quod sic arguitur: quia quilibet res permanens, ut saepe dictum est, quantum ad sub stantiam est tota simul, & non est in potentia ad aliquid, & mensuratur unico instanti, sicut esse Dei: & conuenit hoc o mni bus permanentibus: postea autem datum est, quod sus ciperent alias perfectiones per successionem sive cum mo tu sive non, sicut angeli & in hoc distant nimis à Deo: tunc igitur videntur distare ista à magna bonitate Dei & sapientia. De bonitate patet, quia ad agentem per bonitatem per tinet communicare perfectionem suam sine inuidia, sicut dicit Boëtius De consol. libro tertio, metro. 9. ex positio ne Platonica, quod Deus inductus est ad faciendum hæc, non ex causis extrinsecis, sed ab intrinseca bonitate, cum dicitur.

*Quem non externe pepulerunt fingere causa.
Materie fluitantis opus, verum insita summi*

Forma boni luuore carent.
Sed maius bonum videretur causare Deus in rebus, si eas fecisset simultatem in essendo habentes, sicut Deus habet: ergo magis sic facere debuit, quam in quadam successione habentes esse. Item videtur repugnare sapientiae Dei, quia ad sapientiam artificis pertinet facere rem facilius, qnam fieri potest, sed facilius fieri videbatur, quod daretur rebus sola simultas in substantia, & in essendo, quamquid data similitate in substantia daretur successio in partibus essendi, ergo magis aliter fieri debuit.

Respon
sio quo
rundā.

C

Respondebit aliquis quod res sic factæ fuissent, sed non fuerunt, quia sic fieri nequiverunt, quia repugnat naturæ rerum harum, quod non essent potentiales: nam cum non sint perfectæ ex natura sua, sunt in potentia ad recipiendum aliquid, per quod perficiantur: cum potentiale autem non stat perfecta simultas, quia ea, quæ potentialia sunt aliquid sunt, & aliquid præter illud esse possunt, sed quæ habent totum esse simul sunt purus actus, & non sunt in potentia ad aliquid. In quo considerandum est duo esse dubia. Primum est an potuerunt res creari habentes simul esse, & sine potentialitate. Secundum est an dato quod esset aliqua potentialitas in rebus creatis, an possent habere totum esse simul. Circa primum dicendum quod istæ res, quæ nunc sunt non potuerunt creari quod haberent totum esse simul, id est quod haberent simultatem, & non potentialitatem ad aliquid. Quod patet, quia de integritate substantialium hominis est habere potentiam intellectuam & volituam, & habere aliquam potentiam sensitivam interiorem, & aliquam exterioriem. Patet de sensitivis exterioribus, quia animal non potest esse sine potentia tactu, in qua fundatur substantia animalis, & illa deleta necesse est perire animal etiam cæteris manentibus, ut declarat Aristot. 3. De anima in fine. Cum ergo istæ potentiae sint de substantia animalium, & sint passiuæ, necesse est eas posse aliquid pati, quia passiuum, & receptiuum idem sunt: dare autem quod sint potentiae de necessitate naturæ animalium, & quod non sint in potentia ad recipiendum aliquid, implicat contradictionem: nisi forte daretur cuilibet harum actus connaturalis, qui esset inexiens semper simul sicut ipsa substantia animalis. Sicut si in intellectu nostro daretur aliquis actus intelligendi connaturalis, qui esset nobis semper inexistentis, sicut ipse intellectus semper in

Res no
posse
rūt cre
ari qua
non es
sent cō
posita
ex actu
eo po

existit, & totus simul. Et tamen nunc daretur necessario, q̄ intellectus seipsum solum intelligeret : quia nihil potest intelligere intellectus noster, cuius speciem non habeat.

Ad habendum tamen debet eam recipere, ergo aliquid habebit præter id quod est ei naturale : si autem non demus species illas in intellectu , non poterit præter se solum quidquam intelligere. Nec valet si arguas de Deo, qui sine speciebus aliquibus intelligit omnia: quia respondendū est, quod Deus scipsum solum intelligit, & scipsum dum intelligit, omnia intelligit: nec ponitur, aut poni potest in Deo distincta intellectio , qua scipsum intelligit, & qua intelligit res: nam tunc darentur in Deo duo distincta realiter præter personas, & cum quodlibet in Deo sit Deus, vel deitas, essent necessario duas deitates. Causa huius est, quia Deus intelligit se ipsum solum, cum se solum habeat : ipse tamen est eminenter omnis perfectio, vel cōtinet omnem perfectionem : ideo se intelligendo omnia intelligit. Et quia eminentius continet ipse perfectiones rerum quam sint in rebus ipsis, cum in rebus reperiatur perfectiones cum quibusdam imperfectiōnibus, & in Deo cum perfectione magna, necesse est ut perfectius intelligat omnia intelligendo per scipsum quam si intelligeret per species mendicatas à rebus , quae non possunt perfecte repræsentare ipsam rem : immò quædam earum repræsentant imperfectius ut patet de habitudine specierum sensituarum , & phantasmatum. De intellectu nostro non est sic : quia non continet perfectiones aliarum rerum eidenter, sed solius sui: cum continere perfectionem hanc pertineat ad causam per cuius bonitatis deriuationem fiunt causa. Intellectus autem noster nullius est causa efficiens: ideo non continet perfectionem aliquarum rerum eminenter: non poterit ergo intelligere, nisi scipsum, si non inest ei species aliquarum rerum. Immò quod amplius est non poterit intellectus noster scipsum intelligere, nisi alias species aliarum rerum habuerit, quia intellectus non intelligit se directe, sed reflexe, vel arguitus, scilicet, quia experitur quod intelligit aliquid cognoscit se esse potentiam cognitiam: nam si non esset intellectus non posset intelligere. Patet hoc quia antequam alicui insint species, sicut cum parvulus est in materno utero intellectus eius non intelligit scipsum, quia nondum habet species vias, per quas prius intellectus, & postea arguat se ex his intelligere : si tamen intellectus scipsum per actum directum intelligeret , cognosceret se antequam haberet alias species. Idem patet de dormiente, vel ebrio, quia non intelligit , nec eius intellectus scipsum intelligit.

Quod autem alia non intelligat manifesta causa est, quia intelligit per species, quae tunc non sunt dispositae ad hoc quod intellectus immutetur per eas: cum organum phantasticum sit repletum fumis ascendentibus in somno, vel ebrietate. Se autem non intelligit, nec tamen ex hac causa, quia intellectus ad intelligendum seipsum non indiget aliqua specie, quia non intelligit se per actum directum sed per reflexum arguitiuem: & quia tunc non habet intellectus aliquem alium actum, quia esse deberet per species representatiuas, non potest se intelligere actu reflexo, cum semper reflexus per directum fiat presupponendo illum: ideo necesse est quod posito intellectu in nobis, nos non possemus quidquam intelligere, nisi sit intellectus in potentia, & ex hac parte erimus entia potentialia.

Amplius patet hoc facilius ex potentia sensitiva tactuia, quam necesse est esse in quolibet animali, ut supra probatum est: ista est in potentia ad sentiendum: sensus autem fit secundum receptionem, quia potentiae istae passiuæ sunt: ideo quamquam non sentiret, necesse erat esse in potentia ad sentiendum. Si autem daretur sensatio aliqua, necesse est ut ponatur aliquid extrinsecum aduenire: quia potentia tactuia non potest sentire seipsum, sed organum suum à qualitatibus extrinsecis immutatur. In quo differt intellectus ab omnibus potentiis sensitivis: nam ipse potest per se ipsum intelligere seipsum: potentia autem sensitiva nequaquam sentiunt seiphas. Diuersitatis causa est, quia cognoscere seipsum est actus reflexus, quia idem est cognitum, & cognoscens: cognoscere vero alterum est actus directus: cuilibet autem potentiae facile est cognoscere per actum directum: per refluxum autem soli potentiae immateriali. Ad hoc ergo quod sentiat necesse est aliquid extrinsecum aduenire: & quia il-

D
entia
per
conse
quens
que h-
bereni
rotum
suū c
sesimui
quia e-
plicat
contra
dictio-
nem.

*Dew
intelli-
gēdo et
omnia
intelli-
git.*

E

Intellectus non potest se intellegere directe sed reflexe.

*Intelle-
ct^o quo-
modo se
ipsū in-
telligit*

*Intelle-
ctu dif-
fert à
poten-
tiis ser-
vitium
exerci-
tio sui
actus.*

A lud non est de natura, & integritate potentiae tactiua, necesse est, quod sit in potentialitate ad illud. Si autem ponatur quod non habeat aliquid extrinsecum, nihil sentiet: idem cum sit tactiua, necesse est, quod sit in potentia ad tangendum: alioquin dato quod ponatur ei aliquid tangibile, non poterit tangere: semper ergo qualitercumque detur, necesse est esse in potentia. Ex dictis ergo patet quod non poterant istae naturae, quae sunt creari non habentes potentialitatem ad aliquid. Dato autem quod auferretur omnis potentialitas, tunc non esset eadem natura: quia homo non esset homo, cum non haberet intellectum & voluntatem, quae sunt intrinseca homini, & non esset animal aliquid, quia non posset habere aliquam potentiam, ut inductum est: & tamē tactiua necessaria est ad substantiam animalis. Si debuisset igitur creari natura non habens potentialitatem, necesse erat esse alias species, & nullam harum.

An includat contradictionem esse aliquid compositum ex actu & potentia, & nihil unquam suscipere eorum, ad quae est potentia, sed habere totum suum esse simul.

Quæstio XXXIE.

B **S**ECUNDVM dubium erat dato quod res non potuissent creari sine potentialitate, an possent habere totum esse simul, & ad hoc dicendum est, quod rem esse in potentia ad aliquid non tollit simultatem essendi, sed aduenire ei id, ad quod est in potentia; quod patet, quia si homo solum sit homo, & sit in potentia ad esse album, vel doctum aut felicem, si non adueniant ei hæc totum simul esse habet: nam est homo, & esse hominem est totum simul: & nihil præter hoc est, sed est ad omnia alia in potentia: ergo totum quidquid est simul est. Si detur oppositum sequitur quod esse hominem non sit simul totum, cum iste solum sit homo, & tamen non habet totum suum esse simul. Nihil ergo magis est habere totum esse simul, quod aliquid sit ens, quod est, & nihil ultra id, quod est, esse possit, quam quod aliquid sit ens, & sit in potentia ad aliquid ultra id quod est, & tamen de eo quod esse possit nihil adueniat: quamquam in ratione simplicitatis differunt, quia ea, quae sunt quidquam, & ultra id quod sunt, nihil esse possunt, sunt simplicia: quae vero aliquid sunt, & aliquid ultra hoc esse possunt, quamquam nihil ultra eis adueniat, tamen quia habent quod aliquid eis aduenire possit præter id quod sunt, non habent simplicitatem: duo enim habent, scilicet, quod sunt, & quod esse possint: & hoc quod est quod possint esse est aliquid ultra hoc quod sunt. Sed aliquis forte dicet, quod ex eo quod habent hæc duo non habent totum esse simul, sicut ea, quae habent solum id quod sunt.

C Respondendum est quod in eis, quae sunt composita ex actu, & potentia sunt duo, sc. id quod sunt, & quod esse possunt: vel id per quod sunt, & quo esse possunt: & isti sunt duo modi distincti. Primo modo taliter composita dicuntur id quod sunt, id est, id quod est eis natura, vel substantia, & istud est totum simul, & id quod esse possunt, id est ad id quod sunt in potentia, quia continue habent aliquid de eo ad quod in potentia sunt, cum fiat continua aquisitio, & deperditio. Secundus modus est, quod in composito ex actu & potentia sunt duo, sc. id quod est, & quo esse potest. Accipitur quod est, ut supradictum fuit. Quo est non est aliquid de eo, quod recipit ens in potentia per motum, vel successionem, sed est entitas potentialis, id est potentia ad effendum aliquid, vel recipiendum, & ista est simul. Cum autem dicimus quod aliquid est compositum ex actu, & potentia, non dicimus quod est compositum ex eo quod est, & quod esse potest, quia compositum esse dicit aliquid actu existens, sed id quod res esse potest nondum actu est, sed dicimus quod est compositum ex eo quod est, & ex quo esse potest: & de his duobus verum est, quod sunt sicut compositum. Vnde esse dicit actu, sed quo esse potest non, quia non est aliqua forma, vel actus adueniens de his, quae suscipi possunt: sed est potentialitas quædam naturæ inexistens: quia naturæ non repugnat aliquid, quod non habet, recipere, & cum aduenerit, recipiet. Et istam potentialitatem non recipit natura, quae est in potentia: sicut suscipit

D aliiquid eorum, ad quae est in potentia: sed inexistit sibi, sicut id, quod est. Nec inest potentia ad istam potentialitatem, quia semper oportet dari aliam potentialitatem, quae esset in potentia ad illam. Item quia videtur includere contradictionem quod aliquid sit in potentia ad esse in potentia. Et de ista potentia est verum quod res quae est composita ex actu & potentia, est id quo esse potest, sicut id quod est. Et utrumque est in actu, licet non sit utrumque actus, quod patet quia quod actualiter existit est in actu: nam qui gignit hominem communicat ei potentialitatem ad esse album, esse felicem, esse potentem, quia ista potentialitas comitur naturam speciei, & sicut aptitudines speciales ad aliquid vocant propriæ passiones specierum plorabilitas, docibilitas, risibilitas, nauigabilitas, quia consequuntur principia specialia naturarum, ita & potentialitas ad aliquid consequitur totam naturam creatam: id est velut quædam propria passio totius naturæ creatæ. Et ob hoc qui communicat naturæ necessario communicat potentialitatem illam, ideo sicut humanitas semper homini actu est: ita posse esse felicem albū, vel doctum inest homini, & nunquam sine hoc esse potest. Secundum erat, quod ista non vocantur actus, quia actus, & potentia ex opposito distinguuntur: quia actus est secundum quem res vere est, & determinate res est, sed non quo esse potest. Unde dici debet de potentia, quod ipsa est id quod est, sed non quo res est, quia cum potentialitas semper insit, & non adueniat, semper est res potens aliquid suscipere. Hoc ergo est res, sed non est quo est: quia res per actum est, potentialitas autem est contraria distinguitur: ideo non conuenienter distinguuntur tanquam ex opposito, quod res est, & quo esse potest, sed id quod est quo esse potest. Quod patet, quia ea, quae ex opposito distinguuntur non prædicant inuicem de seipso, sed hic fit vera prædication, ergo non sunt opposita. Patet quia potentialitas est quod est, quia potentialitas, quae rei inest, aut est aut esse potest: non potest dici quod sit aliquid quod esse potest, sicut nec homo aut humanitas in homine est quod esse potest, sed quod est, cum semper insit, & necessario semper insit, sicut ipsa natura nec acquiritur, nec deperditur, ergo non est quod esse potest, quia non potest esse cum semper actualiter sit, ergo est quod est: & tamen ipsa potentialitas est quo res esse potest: non igitur distinguuntur ex opposito quae sunt, & quo res esse potest. Sed debent distinguiri quod & quod, & iterum quo & quo, sed non quo contra quod, & sic quod est & quod esse potest distinguuntur, & nunquam de se inuicem prædicantur: quia quod est, s. natura ipsa, vel entitas nunquam esse potest, quia semper est & simul: quod vero esse potest cum esse quod, potest impossibile est quod actu sit. Identidem distinguuntur ex opposito quo & quo, s. res est: & quo res esse potest. Nam quo res est alba est albedo, quo res esse potest alba est potentialitas ad esse album. Ita natura vel substantia rei est quo res est, ut humanitas vel lapideitas: quo autem esse potest est quædam potentialitas ad felicitatem, ad nigredinem, albedinem &c. Ideo rectè fit compositio ex eo quod est, & quo esse potest: quia non distinguuntur ex opposito: sed nunquam ex eo quod est, & quod esse potest. Et magis repugnat quod est, & quod esse potest, quam quo est, & quo esse potest. Nam nunquam stant simul quod est, & quod esse potest, nec respectu eiusdem, nec diuersorum: sed quo est quod esse potest, licet non stant simul respectu eiusdem: stant tamen simul respectu diuersorum. Primum patet, quia quod est homo, & quod est potens esse homo non stant simul respectu eiusdem, nec respectu diuersorum: nam esse hominem est quod est, & cum isto non stant aliquid quod esse potest, quia non stant cum illo album, quod esse potest, nec doctum esse, aut felicem, quae possunt esse. Secundum patet albedo est quod est, sc. quo est quisquam albus: potentialitas ad albedinem est quo est in potentia ad esse albū: & hæc non stant, quia sunt respectu eiusdem: stant tamen respectu diuersorum, ut humanitas est quod est homo aliquis, potentialitas ad album est, quo aliquis potest esse albus, & ista stant, quia sunt respectu diuersorum. Causa diuersitatis est de oppositione quo & quo, & quod est & quod est: quia quod esse potest est potentiale, & non est vllatenus actuale accipiendo non pro subiecto receptivo, sed pro forma receptibili. Quo esse potest non est ens potentiale, sed potentia, quia non est in potentia, sed in actu: ideo quo esse potest res, est: tamen quod esse potest, dum esse potest, impossibile est, quod sit. Eodem modo

Quid sit componi ex actu, & potentia.

A modo dicendum est de alia oppositione, scilicet, quod non distinguuntur ex opposito ens actuale & potentia: vel ens in actu & potentia, sed distinguuntur ens potentiale, & ens actuale, ens in actu & ens in potentia, & actus, & potentia. Quod patet quia ens actuale est quod actu est, vel aliquem actum habet, sed potentialitas habet actualitatem cum actualiter sit, quia subiecto inest, & decidere non potens: si autem diceretur quod non erat ens actuale, oportet dici quod esset ens in potentia: sed potentia non est ens in potentia, cum non sit in potentia ad aliquid, sed semper actu consistat, sicut ipse, quae ad nihil in potentia sunt: actualia enim dicimus quae actu consistunt, sed nihil magis consistit actu quam potentia, quia actualiter est, & semper est atque necessario inest. Et habet amplius quam multa entia actualia: nam licet quædam actualia actu consistant, sunt tamen in potentia ad aliquid suscipiendum: potentialitas vero actu consistit, & non est in potentia ad aliquid recipiendum. Ens autem actuale & potentiale distinguuntur, quia ens actuale in actu est, ens autem potentiale in potentia, & ista non sunt idem. Sed in hoc est distinguendum, quia ens potentiale aut accipitur pro subiecto potente recipere, aut pro forma potente advenire. Primo modo ens actuale & potentiale coincidunt: secundo modo opponuntur. Identidem ens in actu, & ens in potentia distinguuntur ex opposito, quia entia in actu subsistunt, actu entia in potentia nullam habent actualitatem accipiendo pro termino potentialitatis, scilicet, pro forma, ad quam aliquid est in potentia. Et secundum unum modum istorum dicimus de materia prima, quod si ens in actu, vel actuale, & secundum alterum modum dicimus, quod sit ens in potentia. Ex predictis patet responsio ad id quod inquirebatur, scilicet, an ea, quae sunt composita ex eo quod est, & quo esse potest, possint habere simultatem in essendo, vel necessario habeant successionem, quia dicunt duo. Et dicendum quod si dicamus aliquid compositum ex eo quod est, & quo esse potest, ista duo non permittunt simultatem in eo, quia quod est semper actu est, & totum simul: quod esse potest, nunquam actu est, dum esse potest: ideo quædam successio est ad suscipiendum quod non est, sed esse potest: cum vero dicimus aliquid compositum ex eo quod est, & quo esse potest: quamquam tollamus simplicitatem, tamen non tollimus simultatem aliquam: nam sicut quod est totum simul est, & nulla eius pars aduenit; ita quo esse potest res, id est, potentialitas inest, & semper actu tota est nihilque de ea aut aduenire aut deperire potest. Patet igitur quod sicut id quod est purus actus, ita quod sit quod est, & nihil habeat quo esse possit est totum simul: ita quod est compositum ex eo quod est, & quo esse potest, si nihil ultra habeat, id est, quod nihil ei adueniat de eo quod esse potest, est totum simul. Nec includit contradictionem aliquam quod aliquid sit compositum ex actu & potentia, & habeat totum suum esse simul. Nam esse compositum ex actu & potentia solum dicit quod est, & quo esse potest: sed quo esse potest est totum simul, & non tollit aliquam simultatem: ergo stabit totum simul. Si autem obiicias quod ista sic composta recipiunt, quod recipit non est totum simul, ergo sicut aliquid quia recipit non est totum simul, ita quod est in potentia ad recipiendum. Respondendum est quod ista duo non sequuntur necessario: nam satis stat aliquid esse in potentia, & non recipere immo sic actualiter est, quia aliquid est nunc in potentia ad aliquid, vt ad albedinem, & tamen non recipit aliquid de albedine: ita non includit aliquam contradictionem, quod sit aliquid in potentia ad recipiendum, & tamen nihil recipiat: & tunc erit totum esse simul.

An per potentiam diuinam fieri possit, quod res nunc existentes sint compositæ ex actu, & potentia, & tamen nihil recipiant eorum, ad quæ sunt in potentia.

Q V A S T I O XL.

NUNC autem inuento quod includit contradictionem creari species rerum, quæ sunt, & non essent compositæ ex actu & potentia: & quod non includit contradictionem esse ex actu, & potentia, & nihil recipere adueniens, atque habere totum esse simul.

Inquirendum est, an sit possibile aliquid esse compositum ex actu, & potentia, & habere esse simul, vel non recipere aliquid eorum, ad quæ est in potentia.

Respondetur, quod in rebus nunc existentibus naturali actione non est aliqualiter possibile, vt sint res in potentia ad aliquid, & nihil recipient eorum, quæ possunt recipere: nam actio contrariorum est in natura: & ista transmutat ea causans in eis aliquid quod non habent. An vero potentia supernaturali sit possibile aliquis dubitabit. Et quantum ad quædam manifesta est responsio, quod possunt esse constantia ex actu & potentia: & tamen quod nihil recipient eorum, quæ recipere possunt, sicut est in angelis, qui sunt in potentia ad recipiendum intellectiones alias, quas non habent, & tamen poterat eis tolli hoc, scilicet, quod nullam vñquam intellectuē recipiēt: nam ipsi recipient intellectuē, quæ non est natura sua, nec pars naturæ sua sed aliquid susceptum: & hoc vel per species concreatas, quibus cognoscunt res in proprio genere, vel per cognitionem in verbo, per quod tanquam per speculum sine aliqua cognitione in speciebus intelligunt id, quod manifestatur in diuina essentia, & illa est ibi tanquam species representans omnia quæcunque voluerit. In hac etiam præter communem cognitionem beatorum sunt interdum reuelationes aliquæ speciales aliquorum mysteriorum, quæ prius cognita non fuerunt, sicut angelis nouiter reuelabantur mysteria salutis nostræ in verbi incarnatione, quæ ante non cognoverant quidam eorum. His omnibus posset Deus illos priuare ita quod nihil per species concreatas intelligerent, sicut nos interdum naturaliter perturbamur, vt per phantasmatum, quæ habemus nihil cognoscamus.

De cognitione autem in verbo manifestius est quod Deus eos priuare possit: nam ista ex gratia datur cum sit præmium beatorum: dæmones autem nihil in verbo intelligunt, sed solum per species concreatas, quæ ad naturalia sua pertinent, & res in proprio genere considerant: si autem eis cognitione in verbo daretur, beati essent. Sicut igitur dæmones ex demeritis illa intellectuē caruerunt, ita & boni angeli possent faciliter priuari, ne in verbo quidquam intelligerent. De reuelationibus autem specialibus facilius omnibus est, nam istæ ex maiori gratia tribuuntur, & tanto facilius tolli possent: hoc igitur modo fieri potest, vt quamquam angeli ad intelligendum in potentia sint, tamen quod nullam intellectuē recipient. Nec valet si dicas quod angeli semper intelligunt, ergo non sunt in potentia ad intelligendum, sed semper in actu. Respondendum est enim quod semper intelligunt, quia intellectus potentia infatigabilis est, & nihil habent adiunctum, per quod fatigentur intelligendo, tamen semper in potentia ad intelligendum sunt, quia intellectio eorum non est semper eadem, sed nunc hoc, nunc illud considerant: ideo quamquam semper sint in actu alicuius intellectuē, tamen semper sunt in potentia ad illam, sicut in naturalibus pure, quæ sunt in motu, quodlibet eorum est semper in potentia ad aliquam formam earum, quæ motu acquiruntur: cum nunquam possit simul habere omnes possibiles recipi, tamen semper est in actu alicuius earum: alioquin datur materia prima nuda, vel substantia composita nullum accidentale habens. Quodlibet ergo naturale semper est in actu, & tamen semper est in potentia respectu diuersorum. Ita in angelis est: habent autem angeli alias operationes præter intelligere, ad quas eodem modo sunt in potentia, vt mouere celum, vel aliquid alterum: assumere aerea corpora, & loqui, & huiusmodi multa: his tamē omnibus eodem modo priuari possunt, ita vt nihil eis adueniret. De angelis quoque manifestum est, quod quamquā sint compositi ex actu, & potentia & aliqua eis aduenient: tamen possibile est quod nihil eis adueniret, sed haberent totum esse simul, sicut Deus licet non tollatur compositio ex actu & potentia.

De naturalibus magis dubium alicui videbitur, an per potentiam diuinam iu eis induci possit quod sint compositæ ex actu, & potentia: & tamen nihil recipient eorum, ad quæ sunt in potentia. Causa diuersitatis in dubitando est quod angelica natura magis accedit ad naturam simultatis, quam natura rerum corporalium, & ad pauciora est in potentia, cū solum sit in potentia ad quosdam actus: natura autem corporea non solū est in potentia ad actiones, quæ sunt aliquid fluens,

D
Angelis
sunt in
potentia
ad re
cipien-
dū om-
nem in
telle-
ctionē:
Et ta-
men, se
impossi-
bile q̄
nullam
intelle-
ctionē
reci-
piant
nec in
verbo
nec per
reuela-
tionē.
E

Cogni-
tio in
verbo
est bea-
torum
præmiū
ex gra-
tia dia-
tum.

F

A
Quare ad ea quae im plicant cōtra dictionē potentia diuina non se extēdit in q. 39 & non multum radicatas in substantia: sed etiam magis est in potentia ad formas, quae magis pertinent ad naturam entitatis, & sunt magis infixae substantiae ipsi quam actus. Sed dicendum est, quod etiam in rebus naturalibus hoc possibile est: nam Deo omnipotentiam attribuimus, cui omnia subsunt, quae aliquo modo sunt entia: quae vero includunt contradictionem non subduntur, quia non sunt entia ambo extrema contradictionis: sed declaratum est supra, quod non includat aliquam contradictionem esse in potentia, & nihil recipere eorum, ad quae ens illud est in potentia: ideo Deus facere poterit quod omnia entia naturalia sint in potentia, & tamen nihil recipiant eorum, ad quae sunt in potentia: & tunc totum esse earum esse simul, vt patet ex dictis.

An propriae passiones tollantur rei, cum sint inseparabiles.

Q V A S T I O X L I .

S E D aduertendum est, quod quamquam res omnes naturales priuarentur omni, quod eis aduenire potest, non tollerentur eis propriæ passiones: quia illæ simul insunt, cum oriantur ex principiis speciei: nec est motus aliquis ad illas, sed solum tollerentur illa, quae motu vel successione aliqua acquiruntur, & aliquando perire possunt. Est autem propriarum passionum est totum simul, sicut esse subiectorum: ideo non priuarentur res his. Quod patet quia nec motu, aut successione aliqua acquiruntur nec pereunt. Nam & potentialitas ad suscipiendum passio quædam est totius creatæ naturæ, vt declaratum est. Ablatis igitur omnibus propriis passionibus auferretur etiam potentialitas: non ergo tolluntur ea, quae præter naturam rei sunt, nisi simultatem rei in essendo tollant: hæc autem solum sunt, quae aut motu, aut successione aliqua sine motu acquiruntur. Considerandum autem ulterius, quod si per potentiam Dei res ponerentur, quod haberent totum esse simul, scilicet, naturam suam, & potentialitatem ad suscipiendum, nihil tamen eis adueniret, poterat duplicitate hoc fieri, quia aut rebus nunc existentibus nunc conferret: aut à principio cum creauit hunc statum conferre voluisse. Si enim cum creauit hoc in eis effecisset non fuisset iste status rerum nec quis homo vñquam albus, aut niger fuisset, nec doctus, nec fœlix, nec infœlix, nec quis homo aliud gigneret: quia iam intercederent hic motus & successiones, sed quot homines creati fuissent tot manerent, & non possent plures esse, quia non haberent hunc modum multiplicandi per propagationem nec aliquem aliud: nam tunc cum propagaret actus adueniens individuo propaganti non maneret totum esse simul. De corporibus autem coelestibus dicendum est, quod tunc non mouerentur. Et hoc propter duo, primo, quia quae mouentur, non habent totum suum esse simul potissimum in motu locali, qui est motus magis propriæ dictus, quam cæteri, sed hoc dato haberent omnia esse simul. Secundo quia motus celi fit ad generationem, & corruptionem omnium inferorum: sic enim dicit Aristot. in libris de generatione & corruptione, quod per accessionem & recessum solis in circulo obliquo fiunt generationes, & corruptiones in terra: sed rebus habitibus habitudinem huius, scilicet, quod totum esse eorum simul sit, non potest esse generatio, & corruptio, quae sunt accidentia extrinseca: potissimum quia præsupponunt motum tollentem simultatem in essendo: ideo non esset tunc motus cœlorum, sed essent ipsi cœli tanquam aliqua natura solum in suis substantialibus. Et sic quantum ad conditionem omnium aliorum naturalium entium: nam elementa non haberent aliquam actionem in alterutrum, quia ista est aliquid adueniens. Nec luminaria celi lumen aliquod emitterent: nam generatio radiorum est aliquid continuum in luminaribus: nec est eadem emissio radij, sed semper alios & alios radios generant. Est enim modus iste talis, vt totus naturæ status abolitus foret, nec pateret vlla vis naturæ, sed omnia essent, tanquam non essent, cum manifestentur res per operationem suam, & ibi nulla esset operatio, quia est aliquid adueniens, & progrediens à virtute rei, & non est manens totum simul sicut natura rerum.

Alius autem modus est si nunc res sub hac conditione existentes reduceret ad simultatem essendi manentibus eis

D potentialitatibus, ablatis tamen actibus, & omnibus posterioribus, quae non possunt habere simultatem.

Et posset hoc effici duplicitate. Vno modo quod omnia posteriora auferrentur à rebus, & manerent in solis naturis suis, & passionibus, & proprietatibus: quia quae simultatem in essendo habent, sicut sunt omnes propriæ passiones, quae consequuntur naturam, & principia speciei: & tunc si esset fœlix homo, vel albus, niger, aut doctus, aut similia, auferrentur omnia hæc, & iam nullus homo esset frigidus aut calidus, albus aut niger, & sic de ceteris. Cœlis quoque auferrentur motus & illuminationes. Elementis autem, & elementatis rebus generationes, & corruptiones, & actio contrarietas.

Alio modo intelligi potest quod res nunc non habentes totum esse simul reducerentur ad habere totum esse simul ablatis solum conditionibus illis, quibus repugnat habere simultatem in essendo: sicut est motus actio, & passio: alia autem conditiones manerent, quibus non repugnat habere simultatem in essendo quamquam partialiter, & per motum acquisitæ fuerint: sicut esse doctum successione acquiritur, tamen totum simul manet, quod est habitualiter: & qui semel doctus est, in quolibet instanti est totaliter doctus: nec est vna successio in essendo doctum: ita esse album, nigrum, calidum, aut frigidum successivæ acquiritur: totum tamen cum fuerit acquisitum habet simultatem essendi, quia qui albus effectus est in quolibet instanti omnes gradus albedinis habet, quos ante acquisierit: & sic de ceteris. Generaliter autem omnis forma acquisita motu, vel successione quacunque immanens subiecto in modum habitus, licet in acqui rendo non habeat totum esse suum simul, tamen postquam fuerint acquisita, habet totum esse simul, & istæ postea manerent, vt quod homo maneret albus, vel niger, doctus, vel fœlix, & sic de ceteris accidentibus, sed non moueretur, non gigneret, non calefieret, non intelligeret, non vellet, & sic de ceteris actibus, ita vt generaliter dicatur, quod secundum istum modum omnes formæ accidentiales immanerent cui libet rei præter actionem, & passionem, motum, & ea quae habent extensionem in durationem.

F Sed adhuc dato isto modo non possent plures homines vñquam gigni, quam essent, cum deducerentur ad habendum totum esse simul, quia generatio per propagationem dicit motum quendam, & aliqua euuentia, quae tollunt simultatem essendi. Etiam non sumerent homines cibum, nec potum, non ægrotarent, non calefierent, non frigiferent, non haberent aliquem actum aut passionem, & tamen mori possent, sed non ex ægritudine, vel percussione, aut aliquo motu defectu, quia ista tollerent simultatem essendi cum aliquid adueniret ultra id, quod esset: morerentur autem subito, vt si Deus in instanti desineret à totali causalitate, & conseruatione, quam habet super aliquam rem illa nulla alio obviante esse desineret: sicut si nulla existente contrarietate ad sanitatem hominis, nec facta mutatione Deus in instanti animam ab homine tolleret, desineret esse homo sine motu, & actione contrariorum, quia sicut anima dat esse corpori formaliter, ita Deus impertitur esse toti composito, & materia, atque forma: ideo cessante totali influentia illius super aliquam rem neceesse erat illam rem in instanti perire sine motu, & contrarietate. Et cum homines sic morerentur non desinerent habere totum esse simul, quia hoc erat si aliquid eis nouiter adueniret, quod prius non habuissent, & illud esse inciperet: cum tamen sic moritur, nihil tale accidit, quia non definit esse simul quasi incipiat habere esse per aliquam successionem non definit esse simpliciter: si tamen moreretur quisquam per motum factis in eo quibusdam prioribus transmutationibus desineret habere totum esse simul, quod iam adueniebat ei motus, & forma aliqua caufata per motum, quae tollunt simultatem, multa quoque accidentia humi modi in rebus essent contra totum ordinem, qui nunc est. De quibus quilibet aduertere potest ex principiis positis.

(..)

A Cum Deus potuerit creare aliquas res, quae haberent totum suum esse simul, & nihil reciperen, seu indigerent, quare non creauit sic, & an decuit, quod faceret meliori modo, quo posse.

Q u e s t i o X L I I .

N VNC autem cum constet ex dictis, quod Deus potuerit res producere sub conditione simultatis, ita ut quilibet haberet totum esse suum simul, nihilque ei adueniret, aut decederet: quare etiam, quare sic non fecit. Et tunc repetatur argumentum supra factum, scilicet, quod ad bonitatem Dei pertinebat, ut meliori modo quo posset, res produceret, sicut pertinet ad quemlibet artificem, sed melior modus erat, quod produceret eas habentes totum esse simul, ut ipse habet: ergo debuit sic producere.

Item ad sapientiam artificis pertinet producere res faciliori modo, quo produci possunt, dum tamen etiam bene producantur, sed facilius produci poterant si datum fuisset eis totum esse simul, & conuenientius, quam ut ex quadam parte habeant totum esse simul, & ex alia habeant esse in successione: ergo produci debuerunt, ut haberent totum esse simul, patet probatio ex supra positis.

B Respondendum est, quod quamquam res produci potuerunt habentes totum esse simul: tamen non fuit conueniens, nec pertinebat ad bonitatem diuinam sic produci, quia essent res sic imperfectissime, & minus eis communicaret Deus de bonitate sua, quam alias, nam perfectior est homo doctus, quam indoctus, nam indocti, & prorsus rudes, licet effigiem humanam gestent, a belluis tamen parum distare videntur. Identidem perfectior inestimabiliter est homo scilicet homine non fœlice, & vniuersaliter quodlibet adueniens perficit subiectum, nam quilibet forma habet aliquem gradum perfectionis, ideo cum aduenerit subiecto, necesse est, ut illud perfectius efficiat, nisi forte sit forma in contrarietate, ubi interdum per imperfectiorem tollitur perfectior.

C Item data simultate essendi homo nihil intelligeret, nihil vellet, & tamen perfectio potissima hominis consistit in intellectu, & voluntate: ergo esset homo carens maxima perfectione. Antecedens patet, quia intellectio est aliquid adueniens, & non stat cum simultate essendi, ut supra fatus declaratum est.

Item generaliter careret homo, & quodlibet ens naturale omni perfectione sua, quia tota perfectio rei consistit in actu suo, ideo res maioris efficaciae perfectioris naturæ iudicantur. Ob hoc enim solum Deum perfectissimum omnium entium appellamus, quia vniuersalioris causalitatis sit, atque efficaciae in rebus: ipse enim prima causa est in tota coordinatione naturæ, & magis influens. Et ob hoc solum minores intelligentiae mouent celos motus in ratione amati, & desiderati a Deo, ut participant aliquiliter esse diuinum influentes, sicut ipse influit in quantum eis fas est imitari, & quia non possunt influere, nisi mouendo, ccelos mouent. De hoc Aristot. 12. Metaphysic. si autem Deus per causalitatem maximam non iudicaretur ens perfectissimum, non conarentur in causando eum ceteræ intelligentiae imitari, rebus tamen omnibus auferretur ista perfectio: nam si totum suum esse simul haberent non operarentur quidquam, quia in illa natura operatio esset tota simul, & non esset aliquid adueniens, & particulatum acquisitum: non debuit ergo dari talis modus essendi in simultate.

D Item apparent, quod tolleretur omnis perfectio: nam iudicamus aliquem hominem, valde perfectiorem alio, & equum equo, atq; in ceteris naturis: data tamen simultate essendi non posset esse perfectior homo perfectissimus homine imperfectissimo: ergo inconveniens modus est quo talia sequentur. Patet antecedens, quia quilibet homo quantumcumque imperfectissimus sit, habet omnia naturalia, & substantialia speciei, & in hoc nemo aliud excellit: tamen si daretur in rebus, quod quilibet haberet totum esse simul solum haberet perfectionem naturalium, & substantialium speciei, & non haberet perfectiones alias, quæ motu, & successionibus data opera acquiruntur, ergo non esset aliqua perfectior alia.

Item patet, quia cum homo nascitur, est homo, & tamen postea per motum & successionem sine motu acquiruntur perfectiones multæ tam secundum corpus, quam secundum intellectum, quo usque veniat homo in virum perfectum: harum tamen nullam haberent homines, sed essent tanquam parvuli, cum nascuntur, & adhuc non ita perfecti cum parvuli multas habeant perfectiones superadditas naturæ, & acquisitas per motum: cum non sit in eis aliqua successio cum motu, vel sine illo ad acquirendum aliquid horum, quia habent ex hypothesi simultatem in essendo. Multa alia huiusmodi patent inconvenientia. Valde ergo conuenientius fuit rebus ad perfectionem suam, quod haberent motum, quam quod non haberent, & considereret esse suum in successione.

Sicut de homine dictum est, ita quoque de ceteris rebus naturalibus patet, quæ enim pulchritudo esset vniuersi, si non esset motus cœlorum, & illuminatio astrorum, & generatio, & corruptio plantarum animalium, dies & nox, & cuncta accidentia temporis: nulla profecto pulchritudo maneret. Hæc tamen omnia auferuntur si detur simultas essendi in qualibet re, quia auferretur motus, atque successio: tota tamen ista pulchritudo ex motu prouenit, qui est via ad producendum omnia hæc: non fuit ergo conueniens simultas essendi ad similitudinem diuini esse.

E Et cum arguitur, quod perfectius est esse nostrum cum assimilatur Deo, quam cum distat, sed Deus habet totum esse suum simul, ergo nobis erit perfectio, quod sic habeamus.

Respondendum est, quod maior perfectio nostra est habere esse in successione, & acquirere continue, quam habere totum simul: nam si totum esse nostrum haberemus simul, solum haberemus naturalia, & substantialia speciei, nihil autem acquireremus vltioris perfectionis, dum vero non est totum esse simul, habemus substantialia nobis, & insuper acquirimus vltiores perfectiones naturæ nostræ completias.

F Amplius autem cum arguitur, quod imitamus Deum habendo totum esse simul, cum vero habemus in acquisitione, & successione, distantius ab illo, maior perfectio igitur est, cum habemus esse simul.

Respondendum est, quod magis imitamus Deum habendo esse secundum acquisitionem, & successionem, quam totum simul: nam Deus est summe bonus: ideo cum magis participauerimus de bono magis ei assimilamur, sed non habentes totum esse simul participamus magis de bono, quam habendo totum simul, ergo magis imitamus Deum habentes esse in successione, secunda pars antecedentis patet, quia cum haberemus totum esse simul solum haberemus substantialia speciei, & non possemus acquirere aliquam aliam entitatem perfectiū, cum vero non haberemus totum esse simul continue recipimus ampliores perfectiones, quarum quilibet dicit bonum quoddam: maius ergo bonum participamus sic, quam aliter, & consequenter magis imitamus Deum, qui est ens perfectissimum, & origo atque exemplar boni.

Quo modo magis Deus assimilamur.

G Et cum dicitur, quod Deus est ens perfectissimum, & habet totum esse suum simul, non est existimandum, quod ideo dicatur perfectissimus, quia totum esse simul habet, sed quia omnem perfectionem habet possibilem, & intelligibilem, & ultra quam intelligi queat, quia infinitum bonum est: dato tamen quod Deus haberet esse suum totum simul, si nihil ultra haberet non esset summe perfectus. Velut si Deus esset solum homo, vel solum animal, & nullam ultra perfectionem haberet, totum esse suum simul esset, quia esse hominem est totum simul, quia non habet partes, & sic esse animal, vel esse lapidem. Nec magis est Deus totus simul quam homo est homo totus simul, quia non potest esse maior simultas durationis, quam in instanti, quod in diuisibile est, & tamen si Deus esset solum homo, vel solum animal non esset summe perfectus, ergo non prouenit Deo summa perfectio ex simultate essendi, sed quia habet omnem perfectionem. Vnde perfectior esset Deus, si haberet mille perfectiones, & habendo esse in successione, quam si haberet totum esse simul, & vnicam haberet perfectionem. Velut si lapis solum esset lapis haberet totum esse suum simul. Angelus autem nunc non habet totum esse simul, ut ex prælibatis patet: tamen perfectior est angelus, ut est non habens totum esse simul, quam lapis solum

A solum lapis existens, & habens totum esse simul. Amplius argumentum non militat: nam homo acquirens esse per successionem, & ceteræ res habent quoddam esse totum simul, scilicet, esse specificum, ut hominem esse hominem, vel lapidem esse lapidem, & quamquam acquirant quoddam alterum esse perfectum secundum successionem, tamen non tollitur multis essendi specifici esse, quia homo dum est, semper est homo, & semper habet totum esse simul, & in hoc habet similitudinem ad esse diuinum, non potest tamen æquare, vel effingere, quia esse Dei tam secundum essentiam, quam quocunque esse est totum simul, res autem creatæ permanentes secundum aliquid habent totum esse simul, & secundum aliquid habent successionem in acquisitione: si tamen simul homo posset habere omnes perfectiones, quas naturaliter habet, & quas acquirit successione, perfectior esset, quia modus essendi esset perfectior, & magis imitaretur Deum in essendo, quam sic ut est.

B Ad argumenta faciliter responderi potest. Ad primum, scilicet, ad bonitatem artificis pertinet facere rem meliori modo, quo potest: ergo Deus sic facere debuit, sed melius atque perfectius erat esse rerum esse totum simul, ergo sic eas producere debuit. Ad vtrumq; partem antecedentis patet responsio ex dictis: prima enim pars est falsa, scilicet, quod ad bonitatem artificis pertinet facere rem meliori modo quo potest: nam hoc dato tolleretur omnis ordo, & patet hoc in artificibus nostris: ad ipsorum enim bonitatem non pertinet omnia efficere meliori modo, quo possunt: immo esset imprudentia magna hoc efficere, quod patet, quia omnia artificialia sortiuntur formam ex fine, ad quem sunt: ideo enim serra est habens dentes, & de materia dura, quia ad secundum res duras est: malleus autem non est talis, sicut serra, quia non est ad talem finem. Ex quo nascitur quædam regula, quod artificata tanto sunt dissimilia, quanto sunt ad fines dissimiliiores, & tanto inter se similiora sunt, quanto ad fines similiores sunt, sed fines artificiorum non sunt æqualis perfectionis in bonitate, ideo non est conueniens, quod tantum laboris impendat artifex in artificiato, quod est ad unum finem, sicut ad alterum: si enim æqualiter dederit operam in omnibus artificiatis mutabit naturam rerum, cum fines inæquales perfectione æquare velit eque ad vtrumque collaborando. Vnde si aliquis scriptor sit, non pertinet ad bonitatem eius dare operam in quolibet libro quantum potuerit ad pulchre scribendum, sed in quibusdam sic, in aliis vero minus. Si autem eque in omnibus collaboret erratur in duabus: primo quia forte opus artificis, quando fit cum magna artificis sollicitudine, non est nisi ad vius perfectos: si autem grossis ministeriis illud applicare voluerimus non expedit fortassis, quia grossiori, & rudiori instrumento opus est. Secundo erratur, quia fines inæqualis perfectionis poscunt ea quæ sunt ad finem, scilicet, artificata inæqualia in perfectione, sed duo fines, aut plures erunt, ad quos scriptor scribet diuersos libros, non est ergo conueniens dare operam ad fabricandum quanto melius potuerit in quolibet horum. Istud exemplum procedit ex comparatione diuersorum artificiorum.

C Aliud autem adhuc est in codem artificiato, quod non pertineat ad bonitatem artificis quātum potuerit bene formare quamlibet partem artificiati, vt si quis pingat humanam effigiem, non est tanta sollicitudo impendenda in pingendo pedem, sicut pingendo vultum: immo si quis voluerit tantum decorum apponere pedi pecto, sicut vultui, errat contra rationem artis suæ: nam partes in toto habent ordinem in perfectione, & quia quantum ad pulchritudinem, & notificationem differendi vultus in toto homine est excellenter, ideo cum hominem intendit effigiare ars pictorum, debet magis circa vultus expressionem solicitari. Non est ergo verum, quod ad bonitatem artificis pertinet res formare meliori modo, quo possit, sed pertinet formare eas bene, vel melius secundum formationem finis, ad quem sunt, scilicet, si ad finem perfectum producantur decet eas perfectas fieri: si vero finis perfectior sit perfectiores esse decebit, cum vero finis parvæ perfectionis est, qualecumque esse iusticiens est res artificias.

Quid attinet ad bonitatem artificis.
Ad Deum autem conformiter applicandum est, scilicet, quod non producat perfectiori modo, quo possit, sed perfe-

ctori modo, quo produci possunt secundum finem, ad quem producit. Finis autem productionis rerum fuit duplex: primus ut communicaret nobis bonitatem suam, ut non solus ipse bonus foret, quia bonum secundum Dionysium libr. de diuinis nominibus sui ipsius diffusuum est. Secundus finis est ad demonstrandum nobis perfectionem suam, ad quam necesse erat, ut nos faceret intelligentes, & aliquid alterum produceret, per quod eius magnitudinem, & perfectionem in causando intelligeremus. Ad vtrumque autem sufficiens fuit, quod productum est: nam ad communicandum bonitatem suam Deus fecit res bonitas autem sua tantum communicare potuit, quantum ipse vellet eam communicari: ipse autem non dignatus est eam communicare in maiori gradu, quam communicata est, ideo sufficiens fuit has fieri res, quæ sunt, & secundum hunc perfectionis modum. Nam si perfectioris naturæ aut modi res produxisset, necesse erat naturam diuinam communicare bonitatem suam secundum maiorem gradum, quam nunc communicat. De secundo fine, qui est ostendere nobis magnitudinem suæ sufficiens fuit, quod producerentur res secundum hunc gradum perfectionis: nam diuinam perfectionem nobis ostendi tantum conuenit quantum diuina bonitas dignatur ostendere, sed Deus dignatur ad totum hunc gradum ostendere nobis bonitatem suam, ergo non fuit conueniens perfectioris gradus esendi res produci. Ad secundum argumentum, cum dicebatur ad sapientiam artificis conuenit producere res faciliori modo, &c. Respondendum est ad vtrumque partem minoris, scilicet, quod non erat facilius producere rem totam simul, quam quod habeat simultatem, & rursus suscipiat esse per partes: non enim differunt hæc, nisi quod producantur substantialia sola, vel quod cum eis producatur quædam potentialitas, quæ non eget alia productione à productione substantialium principiorum. Item ista minor peccat, quia dicit, quod ita bene res fierent si producerentur habentes totum esse simul, sicut si producerentur cum potentialitate ad recipiendum: nam si producerentur habentes totum esse simul solum haberent ea, quæ sunt substantialia speciei, cum vero producuntur potentia recipere aliquid non solum substantialia producuntur, sed etiam alia perfectiones superadditæ. Ideo dato quod esset difficilior modus producendi cum aliquid producitur cum potentialitate, ita quod exiget plures productiones, & in maiori virtute productiva: tamen deberet iste modus productionis esse in rebus.

An Deus potuerit creare res, que nunc sunt, ut haberent totum suum esse simul, & quod essent in eis omnes perfectiones, quæ nunc producuntur per motum, cum iste modus sit longe perfectior.

Quæstio XLIII.

NUNC autem cum dictum sit, quod rebus perficiendis conuenientior modus est produci cum potentialitate, quam ut habeant totum esse simul, & tamen perfectius esset si res possent omnes perfectiones quas acquirunt successivæ habere simul, sicut Deus habet: quare non factum est, ut res sic haberent totum esse simul, scilicet, omnes perfectiones tam eas, quas nunc habent simul quam eas, quas possunt acquirere.

Respondendum est secundum quosdam, quod quamquam res possunt produci in modo tam perfecto: tamen non decuit ita perfectas produci, quia ut dictum est ad finem ipsarum rerum productarum sufficit iste gradus perfectionis rerum. Sed iste modus non multum conuenit, ut declarabitur. Dicendum enim, quod quamquam Deus potuit producere perfectiores naturas, quam produxit: tamen non potest in quocunque gradu perfectionis producere. Prima pars patet, quia Deus potest facere perfectiores effectus quam hos, non quidem quod species istas, quas produxit perfectiores producere potuerit: nam species sunt numeri iuxta Aristot. in numeris autem addita una unitate mutatur species numeri, sicut binarius, & ternarius differunt in specie. Siigitur addetur alicui speciei gradus aliquis perfectionis, illa esset perfectio substantialis, & tunc variarentur naturæ specierum, gradus autem accidentalis perfectionis non adduntur speciei,

A cici, sed individuo, sed mutatur species addito gradu: alio quin homo, & asinus pertinerent ad eandem speciem, sicut albedo 24. graduum, & decem graduum, quia sicut in albide sit excessus secundum perfectionem accidentalem, ita in speciebus, est excessus secundum perfectionem substantialis, & tamen homo, & non asinus pertinet ad eandem speciem, quia habent diuersos gradus perfectionis substantialis: ergo non manet identitas speciei addito aliquo gradu vltioris perfectionis, si igitur species, quae nunc sunt produc debuissent non poterant in maiori perfectione produci, quae sunt nunc specialiter: licet Deus potuisset aliqua individua specierum harum facere perfectiora. Potuit tamē Deus producere res alias maioris perfectionis, scilicet, alias species. Posset etiam nunc vltra species eorum, quae sunt producere alias perfectiores, scilicet, vltra Cherubin, vel Seraphin: nam nondum peruererunt illæ ad terminum adæquatum potentia productivæ diuinæ. Non poterant tamen produci alia species inter has, quæ nō essent intra perfectiones omnium, quae sunt, quia species istæ, quæ sunt sicut numeri ordinata sunt, scilicet, quod sicut unus numerus excedit alium in vnitate, & non sunt aliqui numeri immediati quorum alterum, secundum duas, aut plures vnitates excedat, ita non sunt aliquæ species, inter quas alia intercidant. Et tamen posset esse vltius aliquis gradus sublatialis, sicut inter omnes numeros, qui sunt usque ad mille, vel decem millia non potest capi aliquis alius numerus præter eos, qui sunt: potest tamen vltra quoscunq; datos numeros ponit alius numerus addita vnitate, ita licet inter species, quae sunt non possit intercidere aliqua species, tamen vltra omnes quæ sunt possunt dari alia crecibiles per diuinam potentiam: Deus tamen non vult producere res in tanta perfectione, in quanta potest, quia non est expediens ad aliquid quod ipse intendat, cum sufficiat produxisse in tanta perfectione in quanta nūc sunt. Considerandum tamen, quod non potest Deus producere res sub quoconque gradu perfectionis: nam non potest producere sub perfectione infinita, etiam si ad id conaretur. Etiam aliquis hoc probabit, quia Deus infinitum ens est, necesse est autem quodlibet infinitum in perfectione esse Deum: Deus tamen non est producibilis, sed generabilis est quædam persona diuinorum, & alia spirabilis: ergo non potest aliquid infinitum in perfectione a Deo produci. Alia ratio adhuc solidior est, quia nullum ens potest aliud æque perfectum sibi producere, nisi communicando de esse suo naturali communicatione vniuoca, ergo Deus nō potest aliquid alterum æquale sibi in perfectione facere, nisi communicando esse suum: hoc autem non est per creationem, productionem, formationem, aut quamcunque factionem, sed per solam generationem: nihil igitur infinitæ perfectionis producere poterit. Antecedentis prima pars patet, quia si homo alicuius producat æquiuoca productione, scilicet, quod non sit homo non poterit esse æquale ei, vt si scribat librum, vel fabricet domum, quia non accedit hac ad æqualitatem perfectionis agentis, & sic quantum ad omnes productiones, & fabricationes, si tamen gignat aliquid illud erit æquale ei in perfectione, quia gignet alium hominem, sed non est homo excellentior homine secundum speciem, & sic nō potuit producere effectum aliquem adæquatum sibi in perfectione per aliquem modum, nisi cū genuit, ratio huius diuersitatis est, quia cum homo principiat aliquem effectum non per generationem, non principiat eum per modum naturæ, sed per modum artificis, nec communicat ei aliquam perfectionem naturæ, sed solam perfectionem artis, scil. quod recte se habeat ad finem, ad quem est secundum exemplar artificis, & habitum artis, bonitas autem artis non est æqualis bonitati naturæ, quia non est aliquis ita perfectus, quia est faber, sicut quia est homo. Et dato quod producat secundum totam perfectionem artis nō adæquari poterit perfectioni naturæ, sed homo est perfectus secundum perfectionem naturæ suæ, ergo facta ab ipso est impossibile esse æqualia, cum autem homo gigni aliquid, est productionis illius natura principiū, & nō principiat hic homo per modū artis, ideo producet aliquid æquale sibi cū communicetur ibi totum bonum naturæ producētis, ita & in cæteris nullum agens potest æquiparare sibi effectum aliquem, nisi gignat. Ex hoc sequitur, quod angeli nō possunt facere aliquos effectus sibi æquales, sicut producunt

iomines, quia angeli quidquid efficiunt principiat per modū artis, aut potentia motu per impulsionem, nihil autem signunt, quidquid ergo fecerint minus eis est, quia non est cōmunicatio vniuoca perfectionis, quæ sola constituit cōstatatem effectus ad causam. De Deo autem conformiter dicendum est, quod ipse principiat aliquid tanquam artifex & potens, & ista est cōmunicatio æquiuoca, & aliquando principiat quædam tanquam naturæ modo agens, & cōmunicatione vniuoca: primo modo est impossibile res factas esse infinitæ perfectionis. Secundo modo necesse est, quod eunq; productum, vel causatum esse æquale Deo, & consequenter infinitū. De primo patet, vt in omnibus creatis factis, & productis: Deus enim principiat hęc solum, tanquam artifex potentiam habēs, & non est ibi natura cōmunicationis principium, quia non est cōmunicatio vniuoca cum non cōmunicetur natura diuina rei factę, sed cōmunicatur aliquid alterum, ideo necesse est tunc esse minoris perfectionis effectum, quam sit Deus, quia est æquiuoca cōmunicatio. Nec solum est impossibile effectum sic esse Deo æqualem, sed etiam includens contradictionem: nam si posset Deus æquale sibi producere cōmunicatione æquiuoca per modum artis, & solius potentia illud esset Deus, quia nihil est æquale Deo, & infinitum, nisi Deus ergo posset producere Deum æquiuoca cōmunicatione, sed quod Deus Deum producat est cōmunicatio vniuoca, ergo includit contradictionem Deum producere æquale sibi æquiuoca cōmunicatione. Vniuoca igitur cōmunicatio est generatio: ideo non est possibilis alius modus, quo Deus infinitum producat large loquendo, nisi per generationem: faciendo, autem formando, aut producendo est impossibile æquale produci. Hoc modo Deus produxit large loquendo sibi æquale, quia Deus genuit alium Deum, cum pater filium genuerit, & de qualibet personarum dicitur, quod Deus sit, & filius est infinitus, atque æqualis patri: si tamen sine generatione producere voluisse non potuisset eum sibi facere æqualem, gignendo autem fecit æqualem. immo, quod amplius eis non potuit Deus gignere filium minoris perfectionis, quam ipse est, nam productio generativa cōmunicat genito naturam generantis, & totam cōmunicare necesse est: ergo non potest genus vniuoce imperfectus esse gignente, quantum ad esse specificum, quia gignens, aut totum esse dabit specificum, aut nihil, cum consistat species, & natura quælibet in indiuisibili: ergo filius genitus a Deo totam diuinam substantialiam habet, & consequenter erit æque perfectus, vt gignens. Confirmatur autem, quia cōmunicatio vniuoca facta per modum naturæ non subiicitur voluntati, sed natura est totale principium. Quod patet, quia nos non gignimus, vt volumus, sed vt natura potest: ideo quamquam filium gignere velimus contingit gigni filiam, & ē contrario, quamquam nos velimus ex coru seminali nihil gigni non est in potestate nostra gigni, aut non gigni: ideo interdum nolentibus nobis fetus nascuntur, interdum vero desiderantibus nimis, & ad hoc operam dantibus non proueniunt: si tamen generationis principium esset ars quantum ad aliquid, & voluntas fierent hęc, quæ vellemus sicut sapiens artifex producit in fabricato figuram, quomodounque voluerit: Deus autem cum genuit filium per modum naturæ genuit, ergo non suberat potestati eius perfectiorem illum se, aut minus perfectum efficere. De rebus autē aliis productis a Deo per modum artis suberat voluntati Dei perfectiores res, quam produxit producere, sed non equaliter sibi perfectas cum hoc solum fieri queat per cōmunicationem vniuocam.

Cum in Deo ars & natura sint idem realiter cum per naturam producat rem infinitæ perfectionis quare per artem non potest producere aliquid finitum.

Q V A S T I O XLIV.

SED dicet aliquis, quod non obstante, quod Deus producit res æquiuoca productione per modum artis, tamen poterit producere æque perfectas vt ipse est: nam in nobis non potest quisquam producere aliquid ita perfectum per modum artis, sicut per generationem, quia generationis est natura principium, aliarum vero productionū ars, & non est

æqualis

A

æqualis naturæ nostræ, cum sit aliquid acquisitum ab extra, & accidentale: in Deo tamen idem est natura, & ars, nec perfectior est natura arte, cum sit penitus idem realiter, ergo poterit Deus producere per artem aliqua ita perfecta, sicut per modum naturæ: immo aliquis dicit necessarium esse, quia sicut per generationem necessarium est, quod Deus gignat sibi coæqualem, & ars idem est principium penitus in Deo, quod natura, necessarium erit etiam per artem produci infinite perfectum.

Respondendum est, quod quamquam in Deo idem sit principium, natura & ars, tamen differt modus producendi, quia cum sit productio per modum naturæ fit necessario, & non subiicitur voluntati producentis producere tale, aut tantum: cum vero aliquid producitur per modum artis, quamquam ipsa sit infinitæ perfectionis, quia tamen voluntati subest potest remittere actionem, & magis perfectum aut minus producere, sic enim patet, quia agentia per voluntatem agunt aliqua perfectiora, & aliqua minus perfecta: ita cum Deus gignat filium per modum naturæ, & non subest natura voluntati: non potest producere filium magis, aut minus perfectum ad placitum, sed secundum conditionem diuinæ naturæ. Producit autem Deus res ad placitum secundum artem, ideo suberit ei magis, aut minus perfectum producere.

B

Sed adhuc dicet aliquis, quod manet dubium: nam cum ea, quæ producuntur per artem subint voluntati, & possint remitti, ita ut non sit necesse esse æqualis perfectionis res producetas cum arte, tamen potest artifex producere, cum voluerit agere secundum ultimum conatum suum res ita perfectas, vt est ars: in Deo tamen ars est ipsa substantia diuina, & est idem principium natura, & ars: sicut ergo gignit Deus infinitum per naturam, poterit producere infinitum in perfectione secundum artem, cum voluerit agere secundum ultimum conatum.

Respondendum est, quod Deus non possit producere per artem aliquid æquale ibi: nam productio artis est per æquiuocum, namquam tamen producit res aliquid perfectius se. Et patet magis, quia si produceret aliquid æquale sibi illud necesse esset Deus, quia Deo nihil æquale est, nisi Deus, quod patet in homine, & ceteris entibus, nam quodcumque est, aut æquale homini, aut perfectius, aut imperfectius. Æquale autem homini nihil est, nisi homo aliis: cetera autem, aut sunt perfectiora, aut minus perfecta. Quod manifestatur amplius, quia species iuxta Aristot. sunt sicut numeri, sed inter numeros nullus numerus potest esse æqualis alteri, nisi eiusdem speciei, vt quinario impossibile est alium numerum esse æqualem, nisi quinarium, ceteri autem sunt maiores, aut minores, ita homini impossibile est aliquid esse æquale simpliciter in perfectione extendi, nisi alterum hominem, cetera autem aut maiora, aut minora sunt, ideo si Deus aliquid æquale sibi producere debet, necesse erat, vt Deum produceret, quia nihil alterum ei æquale esse potest, sed producere Deum est producere aliquid ibi æquale uniuocum, ergo necesse est fieri per generationem, & non per æquiuocam productionem, quæ pertinet ad artem. Causa autem diuersitatis quare cum natura, & ars in Deo sint idem simpliciter, quæ producuntur per naturam sunt infinita, quæ vero per artem non possunt esse infinita est, quia non dicitur aliquid infinitæ perfectionis cum productum est à Deo modo naturæ, quia natura est ibi causa efficiens, sed quia illis, quæ producuntur per modum naturæ communicatur esse substantiale naturæ, in operatione autem per modum artis, licet principium efficiens sit æquale, tamen non communetur rei productæ natura ipsa, vel essentia. Declaratur vtrunque, nam cum aliquid gignitur per modum naturæ producitur, & est ibi natura, vt duplex principium, scilicet, vt efficiens, & vt materiale: nam si Sortes gignit Platonem, deciditur ibi semen, & postea totum, quod celebratur est opus naturæ, sed ibi est aliquid tanquam causa efficiens, scilicet, vis formativa decisa in semine est: aliquid autem tanquam naturale, scilicet, ipsa substantia feminis, siue menstrui muliebris, & communicando semen ex quo formatur fœtus dicitur generans communicare naturam suam: si autem solum aliqua vis formativa decideretur in aliquo humore, qui non esset semen, nec propinaretur membrum muliebre, non

posset fieri generatio, quia non erat ibi communicatio naturæ, tanquam in causa materiali, quamquam esset velut in causa efficienti. In Deo autem non potest esse omnimoda similitudo ad entia naturalia generantia, erit tamen per proportionem quandam largam similitudo: nam ibi non est aliquid materiale principaliter, sicut in compositis, quæ gigantur, sed sicut in hominibus dicimus, quod generans communicat genito humanitatem, vel communicat semen, quod est materiale, ita in diuinis pater communicat filio essentiam, quæ per quandam largissimam proportionem est velut materiale filij, ibi tamen nihil compositum, nec constitutum proprie dicendo: virtus autem generativa est ipsius generantis præter hoc, quod communicat essentiam, sive præter essentiam communicatam. Licet ergo ageret pater per quantamcumque potentiam, si tamen non communicaret essentiam non posset gignere filium. Cum autem Deus producit aliquid modo artis, licet potentia sit infinita secundum quain producit, tamen quia non communicat producto naturam suam, sed aliquid alterum esse extrinsecum, non est illud infinitum. Vnde dicendum, quod cum Deus productione æquiuoca aliquid caufauerit, quia non communicat illi essentiam, quantumcumque concetur illud facere perfectum, non poterit facere infinitæ perfectionis: immo includit contradictionem, quod illud infinitæ perfectum efficiat. Nec ob hoc est Deus minus potens, quia non potest infinitum in perfectione opus producere, quia ea, quæ includunt contradictionem non subsunt alicui potentiæ, sed fieri hoc includit contradictionem, quia sequeretur, quod Deus produceret alium Deum non per generationem, & quod Deus produceret Deum communicatione æquiuoca, vt supra inductum est: ergo est impossibile. Ex predictis ergo patet, quod quamquam Deus posset producere res perfectiores his, quas produxit, tamen non potest aliam infinite perfectam producere.

Respondet in forma ad titulum quest. 43. Quia sequitur, quod simul essent, & non essent, vt probat.

Q V A S T I O XLV.

C

NVNC autem applicando ad propositum dicendum est, quod non poterant istæ res, quæ nunc sunt, producere habentes esse suum totum simul, & quod omnes perfectiones, quas nunc simul habent, & quas per motum, aut successionem aliquam acquirere possunt, simul haberent: nam non poterat Deus eas sic creare, non quidem tanquam deficit ex aliqua parte, sed quia quædam contradictionem includit, nam dicebatur, quod istæmet naturæ, quæ sunt, producerentur cum omnibus perfectionibus, tam habitis, quænam quas habere possunt per motum: istæ enim acquirunt per motum varias formas, quæ sunt perfectiones, sive actuales, sive habitualiter manentes, & tamen non possunt omnes istæ manere simul in eadem re. Nam duo actus non possunt esse simul in eodem agente, sicut non potest homo simul habere duos actus intelligendi, vt patet in 3. Topicorum. Idem patet de perfectionibus habitualiter manentibus: nam interdum perfectiones sunt contrariae, & interdum corpus albedine integrum nigredine perficitur, sed non sicut contraria simul. Item nunquam sunt duas formæ accidentales eiusdem speciei in eodem individuo, vt nunquam simul duas albedines, vel duas nigredines, aut duo habitus grammaticæ. Res tamen, quæ nunc suscipiunt per motum, aut successionem aliquam partes essendi, suscipiunt multas formas eiusdem speciei, vt multas albedines, & nigredines successiones: ergo non possunt res omnes perfectiones, quas habent nunc, & quas per motum acquirere possunt habere simul, & ita nec habere totum esse simul in rebus, ita, quod non fieret aliqua acquisitione. Constat igitur impossibile fore perfectiones omnes, quæ acquiruntur in re per motum, singillatim ei insisteret totæ simul, sicut per motum adueniunt. Si igitur deberent res habere totum esse simul, & habere omnes perfectiones, quas per motum recipiunt, non sicut etiam particulariter omnes, vt acquiruntur, sed quod singulæ rei insisteret aliqua perfectione, aut paucæ, quæ eminenter continerent totam excellentiam omnium perfectionum, quæ per motum aut successionem aliquam acquiri poterant in ipsa.

F

An sic

D

E

A

An sit possibile, quod res creata habeat aliquam perfectionem totam simul, que æquivalat omnibus perfectionibus, que per motum aut successionem aliquam acquiri poterant in ipsa.

Q V A E S T I O X L V I .

SE de his dubitabit aliquis an possint stare. Et forte alius dicet, quod posset talis perfectio rei inesse, quæ omnes has eminenter contineret. Sed non stat hoc: primo, quia ista perfectio, quæ continet ceteras, aut esset substantialis, aut accidentalis: si substantialis, necessario variabit esse specificum, cum species sint, sicut numeri iuxta Aristot. & in numeris unitas addita variat rationem speciei numeri: ideo si adderetur speciebus maior perfectio specifica, quam nunc non sit maneret aliqua species de his, quæ nunc sunt: non potest ergo fieri hoc addita substantiali perfectione. Nec etiam potest fieri addita aliqua perfectione accidentalis, quia ad hoc, quod aliqua perfectio sit alicuius speciei, oportet, quod conueniat illi speciei, ideo perfectio, quæ est hominis, quamquam sit maior perfectio, quam perfectio asini; tamen non potest perficere asinum, cum non sit capax illius perfectionis, ita ad hominem aliquæ perfectiones esse possunt, quæ non conueniant naturæ humanæ propter esse valde excellentes: sicut aliqua lux est, quæ non conuenit oculo propter magnam perfectionem suam, ut lux Solis, & aliqua vox est, quæ non potest percipi ad auditu propter suam excellētiā, sed perfectio, quæ deberet æquivalere omnibus his, quas semper recipit homo, & recipere potest: necessario est æqualis omnibus his, quas suscipit, & suscipere potest: illa autem est valde magna, quæ excederet capacitatem hominis, ideo non posset homo illam habere ad hoc, quod est totus simul.

Item non potest talis forma, aut perfectio esse in homine, quia illa excideret eius capacitatē: nam natura nostra est, sicut in propriis passionibus, quæ dicunt aptitudines, & dicitur quandam capacitatē, & interdum vacuitatē, per actum autem quilibet completur vacuitas, ita ut tunc nil recipi possit ulterius, tamen non tollitur capacitas, quia semper adhuc homo est risibilis, quamquam actualiter rideat: alioquin daretur, quod aliquando homo non est risibilis scilicet cum ridet: ita cū natura nostra sit potentialis adueniente aliqua forma perfecta perficitur, & tollitur eius vacuitas, nec tunc recipi potest aliquid ultra ex ea parte, qua res perficitur, tamen non tollitur ex hoc capacitas, scilicet esse in potentia ad aliam perfectionem. Hoc dato impossibile est recipi aliquam perfectionem in natura humana, quæ æqualis sit omnibus, quas suscipit successionē, & suscipere potest: nam natura humana est nunc in potentia ad aliquam perfectionem, quæ possit eam totaliter perficere, ita quod actualiter non possit habere maiorem, & cum habuerit hanc erit in potentia ad recipiendum aliam perfectōnem æqualem huic, quæ æqualiter perficiat, & postea aliam, & iterum aliā: si autem daretur aliqua perfectio, quæ æquivaleret eminenter omnibus perfectionibus, necessario est, quod esset æqualis quatuor perfectionibus superioribus simul sumptis, sed natura nostra non potest recipere aliquam perfectionē actualiter maiorem qualibet harum, ergo non potest recipere hanc perfectionem, quæ est ad quilibet perfectionem prædictarum quadrupla.

Identidem in qualibet alia natura argendum est, quod qualibet earum est nunc in potentia ad aliquam potentiam, quæ totaliter eam perficiat actualiter, ita quod maiorem illa suscipere non possit actualiter, & tamen erit in potentia tunc ad recipiendum aliam æqualem post illam. Ergo illa, quæ æqualis est his ambabus non potest suscipi in aliqua natura, & hoc modo de qualibet earum naturarum, quæ acquirunt partes effendi per motum, est impossibile, quod habeat aliquam perfectionem totam simul, quæ æquivaleat omnibus perfectionibus, quæ acquiri possunt successionē.

Item dicendum est, quod Deus non possit causare aliquam perfectionem talem in entibus, nam Deus non potest aliquid infinitum producere in perfectione, nisi communicatione vniuoca per generationem, sed istae res non sunt geni-

tæ à Deo, sed productæ cum non communicetur eis natura diuina, ergo non poterit aliqua perfectio infinita creari, si tamen aliqua perfectio in entibus produceretur æquivalens omnibus perfectionibus, quas entia recipiunt successionē, & recipere possunt, illa esset infinita perfectio, nā supra probatum est, quod in hac necessario essent infinitæ perfectio[n]is. Patet, quia potentialitas materiae est infinita, ergo si detur aliqua una perfectio correspondens toti potentialitati materiae ad faciendum, quod ipsa non sit iam in potentia, necesse est, quod illa sit infinita: nam infinitum susceptiu[m] non satiat, nisi per infinitum susceptum. Quod autem sit potentialitas materiae infinita patet, quod nō est limitatus numerus formarum potentium perficere materiam: si autem detur limitatus numerus dabitur necessario, quod postquam peruenit materia ad illum numerum formarum, etiam si aliqua forma esset producibilis, materia non posset illa informari, sed hoc falsum est, quia tunc daretur, quod natura materia tolleretur: est enim materia pura potentia, cum autem detur, quod non sit susceptiu[m] plurium formarum, non esset potentia, sed esset constans ex actu, & potentia, & habens determinationem in natura sua.

Poten-
tiali-
tas ma-
teria
primæ
quare
est infi-
nitæ e-
cundū
opin.
Arist.

Si poneretur motus non æternus, vt fides habet, an debeamus dicere, quod potentialitas materiae sit infinita.

Q V A E S T I O X L V I I .

ALiquis autē dicet hoc sequi secundum positionē Arist. qui posuit æternitatem in motu generatione, & corruptione, & sic materia semper acquirit formas, & est in potentia ad alias: atque per æternam durationem motus necessario est recipi infinitas formas in materia, nos tamen secundum catholicam positionem non ponimus æternitatem motus, nec perpetuitatem, quia nec semper fuit, nec semper erit, id eo non erit infinita potentialitas materiae.

Respondeandum est, quod siue secundum positionem Aristot. siue secundum catholicam veritatem necesse est potentialitatem materiae esse infinitam, id est, quod sit in potentia ad infinitas formas. Nam licet materia non semper suscipiat formas, tamen in æternum formarum susceptu[m] est: ergo non est ad formas determinatas in potentia. Nam secundum positionem catholicam materia nō destructur, cum nos qui materiales sumus in æternum mansurismus, ipsa quoque elementa post diem iudicij, & quietem cœlorum manebunt, & tunc materia est in potentia ad formas infinitas. Positio autem Arist. ad hoc solum addebat, quod in materia recipi- rentur formæ infinitæ, quia motus erat ab infinito, & in infinitum, & in motu est recipere, ergo recipi- rentur formæ infinitæ. Secundum positionem catholicam non poterit dici, quod materia recipiat formas infinitas, cum motus ab infinito sit, nec in infinitum, tamen materia est in potentia ad formas: nam materia semper est in potentia ad formas quā docunque est.

Nam licet post diem iudicij non fiat motus, nec adueniat formæ, in materia tamen possent recipi formæ, quia nihil repugnat materia recipere formas post diem iudicij sicut nūc recipit: Nam queritur an Deus post diem iudicij possit aliquam formam materiae imprimere: & an materia possit illa recipere: si dicatur, quod potest, ergo est in potentia. Si forte dixeris hoc esse, quia omnia sunt respectu Dei in potentia obediens, & tamen potentia materiae est potentia materialis, & non obediens. Respondendum est, quod etiam materia hoc habet respectu aliorum naturalium agentium: nam post diem iudicij non fiet motus in materia, quia stat cœlum, & cetera inferiora naturalia agentia, & tamen si rursus moueat cœlum, vel calidum agat in frigidum, vel ē contrario fit in materia motus, & suscipientur formæ, & tamen, materia respectu agentium naturalium non est in potentia obediens, sed in potentia naturali, ergo erat in potentia ad illas formas, quas reciperet postea per motum: nam si non esset in potentia ad illas, antequam reciperet eas non posset recipere: ergo cum in æternum materia duret, & quandoconque potest recipere formas naturali actione: necessariū est, quod ponatur potentialitas in materia ad illas formas in æternum. Data igitur positione catholicā, si deberet satiari potentiali-

F

A

tas materię, necesse est infinitas formas produci in illa. Amplius autem dato, quod materia non semper durat et, sed haberet temporalem durationem, sicut animalia, & plante, adhuc esset potentialitas materię infinita; vt dato, quod materia solum duraret per mille annos queritur, an esset potentialitas sua finita, aut infinita: si esset finita, necesse esset, quod daretur formę determinatę in materia, vsq; quas posset recipere scilicet in tanto, vel tanto numero: tunc queritur, an esset in potentia ad suscipiendum plures formas, aut non: si dicatur quod sic, ergo non est determinata capacitas materię illis formis, sed adhuc plures recipere potest, quocūq; aut dederis determinata semper hoc modo queritur, ideo nūq; satisfacies, nisi dixeris, quod est infinita potentialitas materię. Item si contedas, quod habet determinatas formas, quas suscipere potest, & non est ad plures in potentia non poterit stare, quia ad formam est motus, vel immediate, sicut in accidentalibus, vel mediate, vt in substantiali, & sicut sunt formę acquirendę determinatę, ita sunt motus determinati ad has: tunc queretur, an agētia naturalia possunt mouere aliis motibus quam eis, quibus mouerunt materiam ad illas formas, & necessarium est, quod concedas motus alios posse fieri ab agentibus naturalibus præter hos, qui sunt, & tunc necesse est, vt materia aliter, & aliter mota recipiat aliam, & aliam formam: nam cum motus sit via ad formam, & variatis viis necesse est variari terminos, si totaliter variantur viæ, ita erunt diuersae formę per diuersos motus alios acquisibiles, ad quos necessario ponetur materia in potentia. Non possunt ergo assignari certae formae in materia, sed necesse est ponit potentialitatem infinitam. Sed aliquis tunc arguet, quod hoc dato sequeretur infinitas in rebus, infinitum tamen nihil est secundum Arist. potissimum in entibus infra primam causam. Nam de prima infinite catholici concedunt, & assertunt, sed posita infinita potentialitate materię, poneretur infinitas in aliis. Respondendum est, quod potentialitas materię est infinita, nō quidem quod materia habeat potētiā ad aliquid infinitum id est ad aliquam formam infinitę perfectionis, sed est potentialitas infinita id est ad infinitas formas quarum nulla est infinitę perfectionis. Sed arguetur, quod etiam ista potentialitas nō sit infinita id est ad formas infinitas, quia materia non potest recipere infinitas formas cum daretur infinitum in actu: ergo non est potentialitas ad infinitas formas.

Respondendum est, quod materia non potest recipere simul formas infinitas, sed bene per successionem, & sic nō est in potentia ad formas infinitas in actu, sed in successione. Sed adhuc dicetur, quod non possit esse materia in potentia ad formas infinitas, quia potentialitas naturę non est ad impossibile, sed esse aliquando per successionem formas infinitas est impossibile, quia quocunque dentur semper sunt finitae, quia non sunt plures quam pertransitae sunt, ergo non erit potentialitas materię ad infinitas formas.

Respondendum est esse potentialitatem materię ad formas infinitas, & quod formae infinitae sunt naturaliter potētiales: nō quidem quae pertransitae sunt: nam illae nō sunt infinitae, sed dicuntur infinitae secundam quod sunt in successione, & sunt multae pertransitae, & nunquam transire desinunt, & non solum materia est in potentia ad eas, quae pertransitae sunt, sed etiam ad eas quae pertransire possunt: nam si non esset materia in potentia ad illas, nō possent transire, quia nihil potest agere causare in passio, nisi quod potest recipere passum, sed id, quod potest recipere passum est id ad quod passum est in potentia: ergo infinita potentialitas est.

An sit possibile actualiter esse in materia potentialitates infinitas ad infinitas formas.

Q V A S T I O X L V I I I .

Sed adhuc dicitur, quod non possit stare hoc modo: nam si infinita est potentialitas materię, quomodoque ponantur forma, necesse est, quod ponantur potentialitates in materia infinitę: nam ad quamlibet formam suscipiendam, & quae suscipi potest est aliqua potentialitas materię, & non est eadem potentialitas ad omnes, sed secundum quod differunt formę ita differunt potentialitates ad illas, sed dicimus

materiam esse in potentia ad infinitas formas, ergo sunt in ea infinitę potentialitates, & iste in actu essent. Nam materia actualiter est, & actualiter habet omnes suas proprietates, nā nunc ipsa est in potentia ad omnes formas susceptibiles, ideo si potentialitas infinita esset materię, nunc actualiter infinitas haberet potentialitates, & sic infinitum secundum numerum esset in actu, quod includit contradictionem, nā ex quo actualiter est, infinitum non est. Aliquis forte respondabit, quod esse infinitum in actu, quod est actus scil. infinitę formę vel naturę est inconveniens esse, non tamen infinitum, quod est potentiale, quia non ponunt potentialia actum sicut dicimus, quod quamquam sit impossibile actualiter esse homines infinitos, tamen in potentia successiū non repugnat. Respōdendum est, quod possibilitas, vel impossibilitas ista confurgit ex eo, quod est ponit infinita in actu, vel non: nā infinitas in actu est impossibilis: si autem daremus actualiter infinitos homines esset infinitas in actu: si autem dicamus posse esse infinitos homines, non ponimus in actu infinitatē: ideo secundam concedimus, quoniamque autem nos demus infinitatem in actu, est impossibile: si autem diceremus materiam habere infinitas potentialitates, que connumerarentur, esset numerus earum infinitus, & quamquam ipse nō essent actus, vel actualitates, essent tamen in actu, sicut supra declaratum est, cum dicebatur de compositis ex actu & potentia, & hoc sufficiebat ad ponendum numerum infinitum: ideo non potest stare ista responsio, nec dicendum est in materia esse infinitas potentialitates. Alter dicendum est, quod materia est in potentia ad formas infinitas, tamen non habet actualiter infinitas potentialitates. Et posset respondere aliquis, quod materia est in potentia ad formas infinitas, per cādem potentialitatem, licet in formis sint diuersae potentialitates ad informandum, & hoc, quia materia est fundamentū relationis huius. Et quamquam multiplicentur termini ad quod refertur fundamentum alicuius relationis, non multiplicatur respectus in fundamento: sicut aliquis est pater, quia habet filium, & est in eo una relatio paternitatis tanquam in subiecto, vel fundamento, si autem mille filios habuerit, non habet mille paternitates, sed eadem paternitate est omnium ipsorum pater: filij tamen habent diuersas filiationes. Ita dicitur de materia, quae est fundamentum huius potentialitatis respectiū, quod habet potentialitatem; & per illam potest recipere quaeque adueniant ei, licet formae recipiēdæ singulas habeant potentialitates ad informandum.

Sed ista responsio non stat, quia si materia haberet uniuersalitatem respectiū, quae referretur ad omnes, & infinitas formas: non multipliaarentur illae aduentientibus formis, sicut qui pater est unus filij, quamquam postea alios gignat, non innascitur ei alia noua paternitas, sed per eam quae, referebatur ad primum filium, refertur ad ceteros. In materia tamen non est sic possibile, nam quando aliqua forma aduentura est materia, & disponitur materia ad illam agentem, habet actualē respectum ad illam formam producendam, & tunc cum perierit forma illa, periret tota potentialitas ad illam formam, & postea suscipitur alia forma factis dispositiōnibus, ad quam rursus materia habet potentialitatem. Non potest autem esse eadem potentialitas, quam habet ad formā istam, & quam habuit ad præcedentem, cum illa penitus perierit.

Aliter ergo assignanda est potentialitas materię, & dicendum est non esse actualiter in materia infinitas potentialitates ad formas infinitas, non solum, quia ponit infinitum in numero actualiter, sed etiam quia repugnat ex parte formarum: nam si darentur infinitae potentialitates, cum illae essent in materia, & inter se essent distinctae, & qualibet earum dicatur esse ad determinatam formam, necesse esset, vt formae infinitae essent determinatae ad esseendum, sed hoc etiam impossibile est, nam quod nunquam futurum est non potest determinari, id est designari, tanquam distinctum à ceteris, sed infinita nunquam futura sunt, ergo designari nequeunt. Patet antecedens in secunda parte, nam quamquam motus protendatur in infinitum & tempus, nunquam tamen infinitum tempus pertransiit, aut motus, sed quidquid pertransiit, finitum est, vocatur ad infinitum in motu, & tempore pro partibus, quae in successione sunt, & non sunt pertransitae, sed in quantum semper transeuntibus aliquibus partibus

motus

Deter-
mina-
tio
ne
moto-

F

D

E

Inq. 39

A motus & temporis, nunquam desineret, istud igitur secundum quod aliquid vocatur infinitum non est determinatum, nec est possibile, quod unquam eueniat, aut designetur, immo includit contradictionem, quia tunc esset possibile, quod infinitum aliquando esset finitum, & tunc non esset infinitum. Dicendum igitur necessario est, quod materia habet potentialitatem ad infinitas formas, & tamen non habet infinitas potentialitates.

B Pro quo considerandum, quod in materia ad recipiendum formam naturaliter ponuntur duo scilicet potentiae, & appetitus scilicet posse recipere formam, & appetere formam: si enim aliquid horum tollatur, non recipiet materia formam aliquam, aut non erit receptio naturalis, si enim tollatur potentialitas nunquam recipiet, si vero tollatur appetitus, quamquam materia reciperet, non recipere naturaliter, quia quod contra inclinationem alicuius est, violentum est, & violentum est contra naturam, cum non conferat vim passum. In eo tamen quod est secundum naturam, est principium operacionis illius, vel passionis, quam habet, cum natura sit principium motus, & quietis, ut patet 2. Physi. De potentia dicendum est, quod est duplex scilicet potentia materialis absoluta, & potentia materialis respectiva. Idem de appetitu scilicet quidam absolutus, & quidam respectivus. Nam ad potentialitatem appetitus sequitur significatio. Potentialitas multipliciter dicitur, appetitus quoque multipliciter praedicari necesse est, potentialitas autem est quaedam absoluta, non quidem quod proprie potentialitas unquam absoluta sit, quia contradictione includit, nam quocunque potest recipere, necesse est, quod aliquid recipere possit, ergo ad alterum est, sed vocatur potentialitas absoluta, secundum quod est ad terminum non determinatum, vocatur potentialitas respectiva, secundum quod refertur a determinatum terminum, vtrumq; est in materia prima, ipsa enim est in potentia ad recipiendum, & non magis unam quam alteram, sed quamcunque: posse autem recipere inest materia, quia ipsa secundum se non habet aliquem actum, id est actualitatem, vel determinationem naturam, ut homo dicit entitatem determinatam, & sic de ceteris. Entitas autem materia solum est, secundum quod per actum aduenientem determinatur incerta natura, & sic materia prima est in qualibet specie compositorum, nullam tamen illorum determinat sibi secundum se: ideo ut persiciatur est in potentia ad recipiendum id, per quod determinetur in esse, cum per se non habeat illud. Quod autem materia prima non magis determinetur ad hanc formam, quam ad illam, patet, quia determinatio materiae ad formam est per dispositiones induetas in materia: nam alias dispositiones requirit anima rationalis in corpore, & aliam anima plantarum, & aliam formam lapidis, vel auri. Ad illa ergo pertinet determinare materiam ad talam, vel talam formam, ad quae pertinet inducere dispositiones has: ista autem sunt agentia naturalia, ergo ipsa disponunt, & determinant materiam ad hanc, vel illam formam.

C Et non potest materia per has dispositiones habere potentiam ad omnes formas: nam in dispositionibus conuenientibus formae lapidis impossibile est platem, aut animal gigni, aut è contrario: ideo materia secundum dispositiones forme lapidis non est in potentia ad formam humanam, aut arboris, sed istae dispositiones causantur ab agentibus naturalibus, ergo materia ex se non est determinata ad hanc vel illam formam, ideo licet materia secundum se sit in potentia ad formam, & ad omnem formam: tamen non est in potentia ad hanc vel illam formam, nisi ex determinatione naturalium agentium, & ista est potentialitas respectiva: materia igitur habet potentiam absolutam ex se sine agente naturali scilicet posse recipere formam, & consequenter appetitum absolutum, qui est appetere recipere formam, respectuum autem potentiam, & appetitum non consequitur materia, nisi ex actione naturalium agentium disponentium eam. Per primam potentialitatem dicitur materia posse recipere omnium formam, tamen non habet potentialitates ad diuersas formas, sed unica potentialitas non habens aliquem terminum distinctum, sicut interdum nos volumus aliquid universaliter, dicentes quod volumus bonum, & non determinantes hoc bonum, vel illud. Et secundum hanc potentialiam materia potest recipere infinitas formas, & habet potentiam

D ad infinitas formas, quia etiam si infinita euenerint suscipiatur. Tamen secundum hanc potentialitatem ad nullam earum habet actualem respectum, & ista potentialitas absoluta est proprie passio materiae, quia inest sibi ex se, & non determinatur ex aliquo extrinseco. Potentia autem respectiva, quia determinatur ex aliquo extrinseco, non potest esse propria passio materiae, quae semper insurget ex principiis rei, vel ex natura eius. Et quamquam secundum istam potentialitatem sit materia in potentia ad infinitas formas, tamen non sequitur esse infinitas potentialitates in actu: nam secundum hanc potentialitatem nulla est potentia determinatae formae, quia hoc pertinet ad potentiam respectivam, per potentiam autem respectivam non potest esse materia in potentia ad infinitas formas, quia potentia respectiva materiae est per dispositiōnēm materiae: nam cu causatur in materia dispositio ad formam unam est in potentia ad illam formam, sed in materia non potest esse simul, nisi dispositio ad unam formam, ergo non potest simul habere materia, nisi unam potentiam respectivam. Quod patet quia dispositio, secundum quam introducitur, & manet forma asini, est distincta à dispositione, quae requirit forma humana, & sic de ceteris. Ita ut quot sunt gradus formarum tot sunt gradus dispositionum, ergo non potest esse simul in materia, nisi dispositio ad unam formam, & consequenter non erit potentialitas respectiva, nisi ad unam formam, quod intelligitur de substantialibus. Non est autem inconveniens simul esse in potentia ad duas formas materialia, quarum altera substantialis, & altera accidentalis sit, etiam si sit utraque accidentalis, dum tamen debeant accipi diuersis motibus, ut si aliqua ad alterationem, & alia ad augmentum vel diminutionem pertineat, & sic in diuersis modis alterationum: non est autem aliqua forma aliquando in materia, ad quam non sit prius materia in potentia respectiva habendo dispositiones illius præuias, nisi sit forte forma introducta supernaturaliter, quia huiusmodi introducuntur in materiam non preexistentibus dispositionibus. Et dicitur esse materia ad has in potentia obeditiva, sed non in potentia naturali. Potentia autem obeditiva non est respectiva, sed absoluta: omnes autem reliquias formas cum materia acquirat naturali modo est prius ad illas in potentia naturali respectiva, & adueniūt ista potentia respectiva ex tempore, quia nihil est ista potentia respectiva, nisi quidam respectus, secundum quem refertur ad determinatam formam. Est autem determinata forma ex dispositionibus, sed dispositiones causantur in materia ab extrinseco ab agentibus naturalibus: ideo & respectiva potentia. Et iste licet sint infinitae, nunquam tamen sunt simul, sed successive adueniunt materiae, & sicut dispositiones successive causantur: potentia respectiva autem absoluta unica est, quia non habet aliquem terminum, ad quem referatur ex cuius multiplicatione multiplicetur. Et sic non ponetur aliqua infinitas in potentialitatibus materiae actualiter. Est tamen potentialitas materiae infinita id est ad infinitas formas, quia secundum potentialitatem absolutam, quae est indeterminata potest recipere quacunque formam aduenientem: potentialitates autem respectivas sunt infinitae, sed non sunt simul, sed potius sicut materia quotidie nouas formas suscipit, ita & nouas dispositiones, per quas acquirit nouas potentias ad formas. His datis repetatur supra positum argumentum scilicet Deus non potest producere aliquid infinitae perfectionis productione aequiuoca: sed forma, vel perfectio, quae aequiuale omnibus perfectionibus, quas materia suscipit, & quas suscipere potest, est infinita: ergo Deus non potest illam producere. Prima pars iam probata est: secundum patet aliqualiter ex dictis scilicet quia si aliqua perfectio in materia produceretur, que maneret tota simul, & aequiualeret omnibus perfectionibus, quas materia potest acquirere, cum potentialitas materiae sit infinita, ut probatum est, illa esset infinita perfectionis: nam infinita potentialitas non potest repleti, nisi per infinitum receptum. Vcl infinita capacitate non aequiuale, nisi infinitum in perfectione communicabile materiae. Cum enim potentialitates materiae sint infinitae respectivas, licet non ita aequaliter, & quilibet illarum potentialitatum est ad formam alicuius perfectionis, omnes simul sumptu facient infinitum in perfectione: forma tamen infinita perfectionis, nec à Deo potest produci, nec si produceretur in materia recipi posset.

D

E

F

In qu.
46. in
3. rati
ue prin
cipali.

52

A
f. a qn.
38 v/
nunc.

Ex superioribus igitur patet, quod non poterant res produci habentes totum esse simul, ita ut essent tantę perfectionis, sicut nunc sunt: si vero producerentur, haberent substantia, quae sunt tota simul, & potentialitatem ad recipiendum aliquid, sed nihil reciperent, & sic essent multo imperfectiora, quā nunc sunt, non fuit ergo rebus conueniens alias modus essendi, quam iste, quem habent.

An aliqua res possit minorem durationem habere,
quam Deus.

Q V A S T I O X L I X.

HÆC autem dicta sint quantum ad proprietatem unam instantis eternitatis scilicet quod est per se non habens habitudinem aliquam ad aliam durationem, sicut instantia copulativa, & diuisiva habent positionem in tempore, sed est tanquam si esset per se unum instans non existens inter partes temporis, illud enim non esset ante aliquā partem temporis, nec aliqua pars temporis esset ante illud, ita ante eternitatem nihil est, & post ipsam nihil erit. Alia conditio instantis eternitatis est, quod ipsum sit manens: nam instantia temporis transiunt, quia cum facit unum instans, esse deficit, & nunquam amplius est, & ob hoc plura instantia sunt, quia nullum est manens, instans autem eternitatis est non deficiens: ideo non possunt esse multa instantia, nam dum unum instans est, non est aliud, & dum una pars temporis est, non est alia, sed illud instans, quod manet semper est, ergo solum unum est, & res quę in instanti illo est, non est deficiens, alioquin daretur duratio rei sine re durante. Nec tamen ex conditione manentis instantis eternitatis res, quae est in illo instanti sic est, sed quia res esse manens habet, & indeficiens instans mensurans, necesse est manere, cum mensura adæquetur mensurato. Et ex hoc necesse est instans eternitatis non habere positionem in tempore, sicut instrumenta copulativa, & diuisiva: nam ista necesse est transire, quia si semper essent, nunquam esset tempus, cum inter partem temporis, & aliam partem sit instans, & non esset pars temporis sequens, donec desinaret esse instans, & cum illud instans semper esset, nunquam sequens pars temporis esset: eternitatis autem instans coexistit toti temporis, nec etiam totum tempus illi æquatur, ergo non habet positionem in tempore eternitatis.

C Ex predictis de eternitate sequitur, quod non potest aliqua res minorem durationem habere, quam Deus, quod patet, quia nulla res potest habere esse minoris durationis, quā in instanti: tota autem duratio Dei est in unico instanti, ergo nulla res minorem poterit habere durationem. Maior patet, quia instans est indiuisibile, nihil autem potest esse minus indiuisibili cuius partes nullae sunt. Minor patet, quia esse Dei est totum simul, & sic in quolibet instanti capitur: alioquin si detur, quod non habeat totum in quolibet assignato instanti, & habeat aliquid, non habebit totū esse simul, quod de Deo probatum est, & est ista natura.

Et non potest dici, quod Deus habeat esse in quolibet instanti planum, & tamen duret per multa instantia: nam hoc includit contradictionem, quia duratio, quam habet in secundo instanti, non est in primo: alioquin primum, & secundum instans sunt idem, quod est falsum. De rebus autem durantibus patet, quod nulla res sit, quae habeat esse minus, quā in instanti: cum non sit aliquid minus instanti: immo nulla res est per se, quae duret per solum instans, sed necesse est durare aliquanta temporis morula, vel successione qui. Nec obstat si dicatur, quod mutatum esse durat solum instanti, quia non habet partes in quibus sit successio, cum sit indiuisibile. Quia mutatum esse non est aliquid per se, sed est terminus motus, Deus autem per se existens non durat, nisi unico instanti, ergo nihil minus esse habere potest.

Sed aliquis dicet, cum nihil habeat minorem durationem Deo, quare semper est Deus dum res sunt, & non est quaelibet res semper cum Deus est.

Respondendum est, quod ex hoc non est argueda maior, aut minor duratio secundum extensionem. Instans enim eternitatis non est maius, aut minus aliquo instanti temporis, quia quodlibet est in indiuisibili, sed differunt instantia nostra ab instanti eternitatis quantum differt motus à reper-

manent: res autem permanens etiam si indiuisibilis sit semper est, res autem mota, etiam si magnam habeat extensionem, tamen aliquando tota pertransita est, ita instantia nostra, quae sunt in tempore sunt in fluxu quodam, cum tempus causetur per fluxum, vel sit ipse fluxus instantis, & tempus quamquam habeat extensionem, quia tamē transit modicum durat. Instans autem eternitatis est manens, ideo quamquam indiuisibile sit, tamen maior duratio est omnibus aliis, aut non deficit cum alia deficiant.

Simitudo autem huius est si assignemus punctum in plano, & super illum fiat motus, & super totum aliquid planum: ille punctus, qui est indiuisibile manet durando, & totū planum durat, & id quod transit super punctum plani in transitu durat scilicet semper dum transit. Hic autem nihil magis durationis habeat diuisibile manens durando scilicet totū spatiū, vel tota terra, quam punctus, quia sicut in eternum tota terra durare potest, ita & punctus signatus in plano. In transcendentibus autem est differentia, quia cum transierit aliquid diuisibile super indiuisibile signatum in plano durabit in transiendo dum singulæ eius partes transiunt per illud indiuisibile, & quanto illud diuisibile fuerit manus, tanto durabit magis transiendo super indiuisibile. Ut si aqua extensa per quinque leucas debeat transire partculatum super aliquę punctum assignatum in aluco fluminis, & si duo pedalia aquæ transire debent super idem indiuisibile non erit equa duratio transitus utriusque super illud indiuisibile: nam maius magis transiendo durabit, & minus diuisibile minus durabit transiendo. Cum autem transferit indiuisibile super indiuisibile transibit in indiuisibile, sed cum aliquid est in successione, magis durat indiuisibile, quam indiuisibile, & maius indiuisibile magis durat. Cum vero est aliquid manens, tantum durat indiuisibile, sicut indiuisibile, & ē contrario. Ita est de instanti eternitatis, quod ipsum est manens, ideo tanta est duratio eius quamvis cuiuscunque indiuisibilis permanentis si esset. Et in durationibus successibus, sicut tempore & instanti, quia instantia sunt indiuisibilia minus durant, quam indiuisibilia. Partes temporis: si tamen tempus esset manens, nihil magis duraret magna temporis pars quam parua, & nihil magis pars temporis, quam instans, sicut non durat magis tota terra, quam punctus. Comparando autem permanentia contra successiva, dicendum quod magis durat quodlibet permanens, etiam si sit indiuisibile, vt punctus, quam quocunque successuum quantumvis magnum, dum tamen non sit infinitum. Quod patet in exemplo dato scilicet transire aqua quinque Leucarum, in magnitudine super aliquem punctum aluei, magis durabit punctus in essendo, quam aqua in fluendo, etiam si sit aqua mille leucarum magnitudine adhuc magis durabit punctus, quam aqua in fluendo, si tamen fuerit aqua infinita tantum durabit aqua in fluendo, quantum punctus in essendo permanenter, quia aquę infinitę transitus super aliquid indiuisibile non poterit esse, nisi in infinito: esse autem punctum manens est infinitum, vel nunquam deficiens manendo, & quia unum infinitum non est maius altero, sunt ista duo non se excedentia in essendo. Et sic ista duo conformantur in quantitate durationis, quia quod unum consequitur fluendo alterum consequitur permanendo, licet non pertineat ad eundem modum essendi. Ita se habet instans eternitatis ad instantias temporales, & ad partes temporis, quia illud instans indiuisibile est secundum substantiam, sed instans temporis durat per indiuisibile, instans autem eternitatis, nunquam definit esse, quia manet instans eternitatis, & transit instans temporis, sicut indiuisibile assignatum in aluco, super quem transit aqua non est magis alio indiuisibili signato in aqua transiente, sed indiuisibile, quod indiuisibiliter transit super illud indiuisibile, id est non est aliqua duratio habens partes dum unum indiuisibile transit super alterum. Ita etiam instans eternitatis se habet ad partes temporis, quia licet partes temporis sint diuisibiles, & instantes illud indiuisibile, tamen non tantum durat partes temporis fluendo, quantum durat instans eternitatis manendo, sicut cum aqua unius leucæ in magnitudine transit super indiuisibile assignatum in aluco, illud indiuisibile, quia est manens semper durat: aqua autem unius leucæ magnitudine non semper durat transiendo, est tamen maior aqua, quam illud indiuisibile: ita instans eternitatis, quia est manens, & maius

D
Instant
nihil
differe
ab in
stanti
eterni
tatis.

E

F

in du-

A in duratione quam partes temporis quamquam illæ sunt maiores extensio[n]e large loquendo, si tamen partes temporis essent infinitæ secundum eandem quantitatem, tantum durarent fluendo quantum instans æternitatis manendo, sicut aqua infinita fluendo tantum durat, quantum indiuisibile signatum, super quod sit fluxus in manendo, & hoc modo æternitas, & infinitum tempus æquantur in duratione, si esset tale. Ex hoc patet, quare cum in Deo sit vnicum instans, & illud sit indiuisibile, sicut instantia nostra, est maioris durationis illud, quam quæcunque instantia nostra, quare cum duratio nostra sit temporalis, qua habet extensio[n]em, & duratio Dei indiuisibilis, maior est duratio Dei duratione nostra, totum enim hoc prouenit, quia instans suum est permanens.

Quare instantia nostra transiunt, & instans Dei permanet.

Q V A E S T I O L.

B **S**ed quæreret aliquis cum nos habeamus instantia, & Deus habeat aliquid instans, quare instantia nostra sunt transiuntia, & instans Dei est permanens? Respondendum est duas esse causas. Prima est, quia instantia nostra habent positionem in tempore, instans autem æternitatis nullam habet positionem, quod vero est in tempore, necesse est fluere, sicut ipsum tempus, in quo est, sicut punctus, qui est in linea mota ad motum ipsius linea mouetur, quia alias dato puncto non moto necesse est, vel quod linea nō moueretur, vel punctus separaretur à linea. Ita & de instanti partes temporis fluunt, quia totum esse eius in fluendo est, ideo instans quod in eo habet positionem, sicut punctus in linea necessario fluet. Si autem sit instans præter partes temporis non habendo positionem in illis, non necessario fluit, sicut punctus cum est in linea ad motum linea mouebitur: si tamē punctus per se sit, non habet aliquid, propter quod moueretur necessario, ita de instanti habete positionem in tempore, & de eo quod est sine tempore. Instans autem æternitatis non habet positionem aliquam in tempore, ideo non est succedens, & transiens.

C Alia autem causa permanentia instans æternitatis est potissima conditio illius esse, cuius est mensura: nam mensura semper de conditione mensurati cum illud sit: esse autē Dei cuius æternitas est mensura est permanens, & totum simul: necesse est igitur, vt instans æternitatis permanens sit: non enim sufficit ad hoc, quod instans Dei habeat maiorem permanentiam & durationem, quam tempora nostra, quod sit manens, sed quod sit indeficiens, nam multa sunt permanentia, quæ habent totum esse simul, & tamen minoris durationis sunt quibusdam successivis, quoniam non sunt indeficiens: sicut comparando ea, quæ non mouentur localiter ad ea, quæ mouentur localiter, dicuntur hæc, quæ non mouentur habere totum esse simul, quæ verò mouentur habent esse in successione, & tamen aliquando indiuisibile assignantur super quod transiunt omnes partes rei motæ deficiet priusquam deficiat motus rei, & tunc erit maior duratio rei fluens non infinitæ, quam permanentis.

Accipiantur etiā proprie res, quæ sunt permanentes quātum ad esse: nam & ista sunt defectibiles, ut homo habet totum esse suum simul quantum ad esse hominem, sicut habet Deus, & tamen illud deficit: si tamen permanentia non deficerent, non desineret esse hominis, cū enim in homine duplex esse scilicet esse hominem, & esse album, nigrum, musicum, felicem, doctum, vel insipientem. Primum est totum simul, & permanens. Secundum est in successione, & continua acquisitione, & deperditione, & primum semper manet: quandiu homo est, & tota vita mensuratur vno instanti, quantum ad esse hominem, & tamen cū homo moritur non solum desinit esse, secundum quod est in successione, sed etiam primum, quod est totum simul, quia homo non est homo, postquam est mortuus, ergo quod est totum simul deficit: ideo secundum esse, quod est in successione, nunquā deficeret, nisi deficeret primum esse, quod est fundamentum omnium accidentalium, & hoc modo id quod est manens, durabit minus, quam aliquid fluens, vt esse hominem, quod est manens non durat semper, cum durant mille anni. Illud ergo instans vnicum, quod mensurat esse hominem totum

simul est, & est idem pro tota vita: tamē deficit, quia esse hominem, quod est mensuratum, quamquam simul totum sit, deficit. Instans autem æternitatis est vnicum, & indeficiens, quia esse illud, cuius est mensura, quia est perfectissimum, est indeficiens. Pater igitur ex præcedentibus quare instans æternitatis est manens, cum instantia temporis nostri sint transiuntia, & quare cum duratio Dei sit tota simul & indiuisibilis, est semper durans, & durationis nostræ, quæ non sunt minores, non semper sunt. Et sic de duratione Dei vere dici potest, quod non potest esse aliqua duratio minor illa, quia indiuisibili nihil est minus: duratio autem Dei indiuisibilis est, ideo nulla minor, nec esse, nec intelligi potest. Rursus tamen ista duratio indiuisibilis maior est omnibus durationibus non quidem proprio loquendo, quia indiuisibile nō est maius, aut minus aliquo diuisibili, aut indiuisibili: si tamen esset maior haberet plures partes eiusdem extensis: quarum nulla est in instanti, sed quia permanendo semper vnum, & idem subsistit non acquirens alias partes durationis dicitur maior duratio, quam temporis cuius acquisitione continua est, tamen aliquando est finis. Sicut dicimus maior est duratio puncti manentis, quam transitus aquæ magnitudinis quinque leucarum. Comparatur enim duratio manens ad durationem transiuntis rei secundum æquuocum.

An Deus sit ante creationem mundi, vel ante diem iudicij, seu ante aliquam rem, & an sequatur, quod Deus sit ante omnes creaturas, quia creavit illas.

E

Q V A E S T I O L I.

Amplius autem considerandum est ex radice æternitatis, quod Deus non est ante aliquam rem, non fuit enim Deus ante formationem mundi, nec ante passionem Christi, nec est ante diem iudicij, non est autem maior difficultas in uno, quā in altero, quia si Deus non est ante formationem Adæ conformiter stabit ipsum non esse ante diem iudicij. Quod autē non sit ante aliquid horum patet, quia prius & posterius considerantur in tempore Deus autem nō est in tempore, ergo non est ante rem aliquam, vtraque pars antecedentis est nota. Item Deus habet totum suum esse simul ex conditione æternitatis, sed prius & posterius tollunt simultatem, ergo non potest esse ante aliquam rem. Et declaratur magis: Deus enim erat cum formatus fuit Adam: queritur ergo an tunc haberet totum esse suum simul, an non: si dicatur, quod non, ergo non est æternus, sed durat in tempore. Si autem habet totum esse simul: ergo tunc cum Adæ formabatur, erat totum esse Dei & non præcesserat ante formationem Adæ aliqua particula esse eius, quia tunc cum aliquid de esse esset, & aliquid præcessisset nō esset totum esse simul. Idem argumentum est, quod non sit ante passionem Christi, & quod non sit ante diem iudicij, & generaliter de omnibus: non poterit enim dici de aliquare, quod Deus sit ante illam. Aliquis autem dicet, quod quamquam Deus non habeat anterioritatem ad aliquam rem secundum tempus, habebit tamen secundum æternitatem scilicet quod tempus fuit, in quo esset Deus, & non esset res, ideo non præcessit creationem rerum tempore processit tamē secundum aliquam prioritatem æternitatis scilicet quod secundum aliquid, quod sit in æternitate, Deus præcesserit res, quia tunc Deus erat, & res non erat. Sed adhuc non stat. Pro quo sciendum, quod secundum Arist. 4. Phys. prius & posterius sunt proprietates temporis, ideo cū aliqua comparanda sunt secundum prius, & posterius comparantur secundum rationem temporis. Amplius autem ad hoc, quod fiat comparatio necesse est ponit vniuersationem, quia comparatio debet participare aliquam unam naturam, secundum quam comparentur: ubi autem non est vniuersatio, non est vna natura: ideo si aliqua in tempore comparantur, scilicet secundum prius, & posterius, necesse est, quod vtrunque in tempore sit, alioquin non comparabuntur, vt si duo quorum alterum nigrum, & alterum album est in albino comparentur: non enim stabit comparatio, ita si duo sint, quorum alterum sit in tempore, & alterum non: ista nō poterit comparari secundum prius, & posterius, ita vt dicatur alterum altero prius esse: huiusmodi est de Deo, quia nō est in tempore, res vero naturales sunt in tempore, ergo non

e. ratio
de qua
etiam
sup. q.
20. &
21. 22
23.

F

A

54
est Deus ante istas res, nec post istas. Et iste locutiones non sunt nobis difficiles, nisi quia non confueimus eas in vsum habere, sed magis oppositas, sed sicut est de loco, ita est de tempore, cum amba sint conditiones naturalium entium, & consequuntur se ista tria scilicet quae locantur, mouentur, & que mouentur sunt in tempore, & conuertitur consequentia in omnibus iuxta Arist. 4. Phys. sed de Deo non concedimus, quod sit in loco per se, nec per accidens: ergo non est in tempore, & ita de proprietatibus loci, dicimus res locatas magis, aut minus occupare, & quia Deus non est in loco de ipso satis concedimus, quod non magis occupat spatij, quam homo nec minus, ita de tempore oportet negari proprietas eius, scilicet prius, & posteriorius, ita ut non dicamus, quod Deus sit ante aliquam rem, vel post. Non est igitur Deus prior re aliqua quantum ad prioritatem temporis, ergo necesse est si habet aliquam prioritatem, quod illa sit secundum ævum, aut secundum æternitatem, sed etiam non est in his. Nam Deus non est in ævo cum sit mensura durationis angelorum, ergo quamquam sit prius, & posteriorius in ævo, tamen Deo non potest conuenire: sicut nec conuenit prioritas, aut posterioritas, quia sunt mensuræ rerum succendentium: solum autem conueniet id, quod in æternitate, cum ipsa sit mensura esse Dei. Et ita dicunt, qui ad plura se aduertere putant: scilicet, quod Deus præcedat nos, secundum prioritatem æternitatis, licet non secundum prioritatem temporis. Sed includit hoc contradictionem: nam æternitas est tota simul, similitas vero excludit posterioritatem, & prioritatem, ergo secundum æternitatem nihil potest præcedere alterū: sed qui ista dicunt, nesciunt quid sit æternitas, somniantes eam velut quandam successionem temporis infiniti, iuxta modū Arist. in 8. Phys. ponentis æternitatem motus temporis, & omnium specierū, non est igitur Deus ante aliquam rem secundum prioritatem aliquam temporis, aut ævi, vel æternitatis, ergo nullo modo potest dici, quod Deus sit ante aliquam rem.

Opin.
cōmuni-
nis do-
ctorum

B

An Deus potuerit creare mundum, antequam creauit.

Q u e s t i o N I I .

Ex hoc etiam eliditur quorundam error dicētum, quod Deus potuerit creare mundū, antequam creauerit, quia nec ante potuit creare, quam creauit, nec postea. Prima pars patet, quia si ante potuisset creare, necesse erat, quod poneatur prius aliqua duratio, in qua potuisset creare, sed ante mundum non fuit aliqua duratio, quia non fuit tempus, cum tempus coperit cum ipsis rebus. Nec erat ante duratio æternitatis, quia æternitas non est prior aliqua re, vt probatum est. Et non solum non fuit aliqua duratio ante mundum, sed etiam non potuit esse, nam si aliqua fuisset ista erat tempus, quia non poterat durare mundus, nisi in tempore, cum æternitas non possit esse mensura mundi, qui habet successionem, ævumque non est mensura huius, quia est mensura rerum habentium successionem sine motu, sicut sunt angeli. In mundo tamen sunt res habentes successionem, & motum. Nulla ergo mensura esse poterat mundi, nisi tempus, sed ante mundum non potuit esse tempus. Quod patet, quia tempus est passio motus, ideo impossibile est esse sine motu, est aut motus conditio corporalium entium, ergo includebat contradictionem esse tempus ante creationem rerum, sed non est aliqua prioritas, aut posterioritas, in qua mundus creari potuisset, nisi in prioritate temporis, ergo impossibile fuit mundum prius creari, quam creatus est. Secunda pars sic. quod non potuit creari, posteaquam creatus est, patet: nam si daretur, quod crearetur postquam creatus est, darentur anni aliqui; vel menses ante creationem mundi, in quibus non fuisset mundus, sed hoc includit contradictionem, quia non est tempus sine motu, & motus sine rebus corporalibus, ergo necesse est quod tempus non fuerit ante mundum creatū, & sic semper mundus necessario creari debuit in primo instanti temporis. Hæc autem vera sunt, nisi forte Deus aliquam vnam rem creasset, & illa non esset mundus, esset tamen corporalis, cu[m] illa necessario esset motus, & tempus, & postea per magnas temporum durationes poterat mundus creari, & hoc modo verum erat, quod poterat mundus creari, ante quam creatus est, vel post, sed in creatione rerum non sic accidit, quia ea,

quæ Deus pure creauit simul creauit, quæ vero fuerunt producta, facta vel formata postea distincta sunt, & tamē ad tollendum omnes cauillationes dicēdum est, quod id quod primo creatum est non potuit prius creari, nec posterius quam creatum est.

Quare scriptura sepe loquitur Deum esse ante omnia, & Christus etiam dixit antequam Abraham fieret, ego sum.

Q u e s t i o N I I I .

Sed aliquis arguet contra prædicta cum dixerimus, quod Deus non est ante aliquam rem, quia scriptura sepe loquitur Deum esse ante omnia, & Christus dicit de seipso. Ioā. 8. Antequam Abraham fieret ego sum. Respondendum est, quod Deus non sit ante rem aliquam, scriptura tamen vtitur modo figurali, & grossolоquendi: non quidem, quia scriptores rudes fuerint, cum dictante Spiritu sancto locuti fuerint, & potissimum, quia Christus interdum loquebatur, ipse enim dixit antequam Abraham fieret ego sum, sed ideo factū est, quia sacra Scriptura data est, vt à nobis intelligeretur, & quia quædam de Deo prolatæ secundum veritatem, & modum ineffabilia erant scilicet quia vel non inuenirentur verba significativa illorum, secundum proprietatem suam, vel interdum si inuenirentur, intelligi difficultia forent, scriptura autem omnibus se communicari voluit, ideo tali modo locuta est, quo intelligi ab omnibus poterat, & quia nos temporales sumus & secundum cōditionem temporis intelligimus, locuta est per temporis proprietates scilicet prius & posteriorius. Sed adhuc instabatur, quod Deus creauit hęc oīa, ideo necesse est, quod esset ante illa: non enim potest intelligi, quod causaret cū nondū esset. Respondendum, quod Deus dum creauit mundum erat, & cum aliquid agit est, quia includit contradictionem aliquid esse agens, & non existere, sed non est necesse, quod esset, antequam causaret, quia & in naturalibus sic est, quod aliquæ causæ sunt, quæ non preceduntur duratione suos effectus, sicut apertio fenestræ est causa subintractionis radiorum, & tamen idem instans est apertio, & subintractionis, ita generatio radiorum est causa illuminationis diaphani, sed in eodem instanti illuminatur diaphanum, in quo dignitudo radij, cum generatio radij sit instantanea, & diffusio lucis identidem fit in instanti. Ergo conueniens erit, quod Deus causet, & non fuerit antequam causet, hoc autem est ad elidendam consequentiam. Ad veritatem tamen rei aliud est respondendum scilicet quod Deus non est ante rem, quam creat, vel producit, non quidem tanquam tunc esse incipiat quando agit, sicut ipsum, quod fit esse incipit, sed quia quamquam semper sit, tamen non est in eo, quod fit ante, vel post, cum non habeat aliquam successionem in essendo. In causis autem naturalibus, cum causa non est ante effectum incipiunt esse simul causa & effectus, vt idem instans est, in quo primo lucis subintractionis est, & fenestræ apertio, sed Deus quamquam non sit ante rem, quam facit tamen non incipit esse, quando incipit effectus, & hoc sufficit, ac si esset Deus per mille annos ante quamcūque rem creatā ab eo, ideo cum dicimus, quod Deus non est ante res, quas causat, non est dicendum, quod se habent ad eas, sicut apertio fenestræ ad subintractionem lucis, vel generatio radiorum ad illuminationem diaphani. Sed adhuc arguetur, quod Deus sit ante quamlibet rem scilicet Deus est, quando formatus fuit Adam, & formatio Adæ fuit ante diluvium, ergo Deus fuit ante diluvium, & sic arguetur de qualibet alia re, quod fuerit ante illam. Respondendum est, quod Deus non est ante aliquam harum, & neganda prima pars antecedentis scilicet quod Deus erat, quando formabatur Adam. Nam illud quando aut signat instans temporis, in quo formatus fuit Adæ, vel tempus illud, aut signat instans æternitatis, in quo Deus est, & illud semper est: si primo modo est illa prima pars falsa, quia Deus non est in illo instanti, vel in illo tempore, nā sicut Deus non est in tempore, cum non sit ens habens motū, ita non est in aliquo instanti temporis, quia illa habet positionem in tempore, vt supra declaratum fuit. Esse autem Dei non habet positionem aliquam in tempore, quia tolleretur sic multisæ æternitatis, potissimum, quia si Deus esset in aliquo instanti temporis, necessario deficeret, sicut duratio instantis signatiū in tempore transit in

D

Deus
non est
anter
quam
creat,
ide
supr. q.
20. 23.

F

indi-

A indiuisibili: ergo proprio loquendo non erat Deus, quando creatus fuit mundus, quia ly, quando supponit ibi pro quodam instanti temporis, & est terminans sicut linea habet pūctum terminantem à parte ante & post, & post illud instans fuit tota continuitas temporis, sicut post punctum terminantem lineam à parte anteriori est continuitas linear. Ita non potest dici, quod Deus erat, quando creata est anima Adænam ibi, quando necessario dicit instans temporis, vel xui, quia anima non potest creari in instanti æternitatis, cū non possit esse in instanti æternitatis. Cum tamē res creatur est, & illud instans creationis est instans esse rei genitæ, sed res creata nō manet in æternitate, ergo non creatur in instanti æternitatis, & sic de qualibet alia re. Non est igitur dicendum de Deo, quod si quando aliquam rē creat, vel facit. Si autē ly, quando, dicat instans æternitatis, in quo Deus semper est, est verum, quod Deus erat, quando crebat mundum id est erat tunc in æternitate, in qua semper est, & tunc falsum est, quod illud quando erat ante diluuium, aut ante aliquam rem. Sed primus modus respondendi melior est: nam cum dicimus Deus erat, quando crebat seculum, quamquā capiamus ibi instans æternitatis pro esse Dei, tamen etiam necesse est accipi instans creationis mundi, cum dicitur quando crebat, & illud est instans temporis, nec est Deus in illo, & sic dicendum est, quod proprio loquendo, Deus non est, quando aliqua res est, quamquā ex modo loquendi vulgari concedantur. Concedendum tamen est, quod Deus semper est id est in tota æternitate: sicut enim cum aliquis in toto tempore est, dicitur esse semper: ita si fuerit in toto anno, dicitur esse semper, vel si fuerit in tota æternitate dicitur esse semper, cū quodlibet horum sit mensura entium, sed Deus est in tota æternitate, ergo semper est: non tamen ob hoc concedendum est, quod sit in qualibet parte temporis, vel saltem in aliqua, quia non accipitur ibi semper, vt distributuum temporis, sed æternitatis, ideo nulla pars temporis est sub illo semper.

An Deus sit post creationem mundi, vel post diem iudicij. Et an sequatur, quod Deus sit post aliquam rem, quia semper est durans, & nunquam deficit.

Q V A E S T I O L I I I I .

A MPLIVS autem dicendum est, quod sicut Deus nō est ante aliquā rem, ita nec est post aliquam rem scil. quod Deus non est post creationem mundi, nec post passionem Christi, aut post diem iudicij, quod patet, quia Deus habet totum suum esse simul, sed Deus erat quando mundus creatus est accipiendo negatiue scil. quod tunc non erat nō ens: ergo non est post creationem mundi, sicut enim creatio mundi non est post creationem mundi, ita esse Dei, non est post creationem mundi, ita esse Dei totum erat, quando creatio mundi erat post totum autem esse rei nihil est de re. Sed dicit aliquis, quod, quamquam esse Dei non sit principaliter post aliquam rem, quia ipse est ab æterno tamen aliquo modo esse Dei erit post res, sicut si aliquis durat per mille annos, & alij incipiunt esse post ipsum per centū annos, & finiunt ante ipsum per centum annos, ille dicitur esse simpliciter ante omnes, quia tunc ipse esse habet, quando nemo aliorum habet, ita de Deo, quia res definit esse, & Deus nō definit, ergo dicitur esse post eas. Respondendum est hoc esse in rebus habentibus durationem extensam, quæ secundum vñā partem suæ durationis poslunt præcedere alias res, & secundum illam partem durationis erunt posteriores: in Deo tamen non stat, quia totum esse eius est simul, ideo vel secundum totum præcedet omnes res, vel secundum totum subsequetur, sicut de indiuisibili, quia vbi cūque est, vel totum est, vel nihil de illo, ita de pūcto in linea: nam totus est ante lineam, vel totus post lineam: sic duratio Dei est tota simul, & in indiuisibili, ideo vel tota precessit res, vel tota subsequitur, sed non potest vna pars eius præcedere, & alia subsequi, quoniam est contra naturam æternitatis, & tamen secundum veritatē nec præcedit esse Dei res, nec succedit ad res, quia habitudo præcessionis, vel consecutionis dicit quendam ordinem, qui præsupponit tempus, sicut prius, & posterius, vt supra declaratum est.

Sed adhuc arguetur, quod esse Dei sit post res, quia Dei s

est dum quælibet res est accipiendo large, & desinente esse illius rei nō definit esse Dei, ergo est post rem illam, quia hoc sufficit ad esse aliquid post alterum.

Respondendum est negandum esse antecedens scil. quod Deus sit dum res est, quia per ly dum, aut importatur tēpus, aut instans temporis, sed quantum ad vtrunque est falsum, quod Deus sit, dum res est, quia ipse non est in a liquo tēpore, quia non est de mobilibus. Etiam non est in aliquo instanti temporis, quia tunc esset in tempore cum instati, vel si in solo instanti, esset duratio eius deficiens: ideo cum non dicatur de Deo proprio, quod sit dum res aliqua est, non dicatur de ipso proprio, quod sit post rem, & sic non est Deus ante creationem mundi, nec post creationem mundi, nec cū erat creatio mundi, & concedende sunt omnes istæ, atque quod non sit Deus in tempore, aut aliqua parte temporis.

Sed aliquis arguet dicens, quod si Deus non est ante rem, nec post rem, nec cum re, ergo nunquam est.

Et concedenda est consequentia, quia Deus nūquam est, est enim nunquam distributuum cum negatione pro partibus temporis, & in nulla earum Deus est, ergo nunquam est.

B Sed arguetur Deus nunquam est, ergo non est. Respondendum non valere consequentiam, teneret enim in eis, quæ esse suum habent in tempore, & hæc si in nulla parte temporis sunt nunquam sunt, & consequenter non sunt: Deus autem non habet aliquatenus esse in tempore, ideo non tenet consequentia. Velut si arguatur in loco, Deus non est, nec ibi, nec illic, & sic inducendo, ergo in nullo loco est, & tunc Deus in nullo loco est, ergo non est, nemo dicet tenere consequentiam, quia Deus non est in loco: & eodem modo non est in tempore, quia esse in tempore, & loco, & moueri se cōsequuntur, vt patet 4. Phys. Et non solum in Deo non tenet ista consequentia, sed etiam in angelo: Angelus non est in aliquo loco, ergo non est, ita tenet: Angelus non est in aliquo tempore, ergo non est. Patet ergo de Deo qualiter non sit in aliqua parte temporis, & quod nunquam sit, & tamen semper est.

Recolligit dicta à q. 17. usque nunc, scilicet de modo essendi Dei, vt postea dicat de modo cognitionis eius.

Q V A E S T I O L V .

C **E**xprædictis autem patet, quia Deus sit præsens cuilibet rei: nam esse Dei est totum simul non habens anterioritatem, nec posterioritatem, & tamen nunquam esse definit, ideo ad quilibet rem totus præsens est, non quidem secundum aliquod instans temporis, vel particularitatem, in qua Deus coexistat rei, sed secundum hoc, quod nulli rei definit esse præsens. Et hoc modo dicimus Deum esse in toto tempore negatiue scilicet quod nullum tempus est, in quo Deus esse definit, nullum instans, & sic concedemus Deum esse in omni loco id est quia licet non sit in aliquo proprio, tamen nullus est cui definit Deus. Et licet aliqua res sit in successione motus, vel successiue sine motu, Deus tamē est illi totus præsens sine successione, & motu: immo ipsi successioni, & motu Deus est præsens inquantum non est absens in aliqua parte successionis, vel non deficit alicui rei succedenti: vnde status esse Dei est totus præsentarius, & cuilibet rei coexistentis.

Ex hoc sequitur, quod nihil est Deo præteritum, & nihil futurum, sed omnia ei præsentia sunt, ideo creatio mundi, & formatio Adæ non sunt Deo præterita, & aduentus Antichristi, & dies iudicij non sunt Deo futura, sed sicut me esse, vel me dicere nunc est præsens Deo, ita creatio mundi, & dies iudicij sunt præsenta Deo. Sed aliquis dicit, quod si creatio mundi, & dies iudicij Deo præsentia sunt, ergo nunc præsentia sunt, si nunc præsentia sunt, ergo nunc sunt, sed ista non sunt nunc, ergo nec præsentia Deo.

Respondendum, quod præsentia sunt Deo, & tamen nō sequitur, quod nūc præsentia sint, nec quod nunc sint, quia sunt præsentes Deo secundum præsens Dei, quod est æternitas, quia quandocunque sint non possunt esse extra durationem æternitatis, quia cum dicantur præsentes Deo res, necesse est ad ipsum præsens Dei referri, & illud instans non determinat sibi heri, vel hodie, aut aliquam partem temporis,

*Non
valet
Deus,
nūquam
est, ergo
nō est.*

E

F

A vel diuisibile tēporis, aut indiuisibile, ideo licet omnia Deo præsentia sint, non dicuntur præsentia secundum hoc instans, vel illud, aut hunc diem, vel alterum, quia Deus in nullo horum est, & tamen hæc, quæ præsentia Deo sunt ad præsens Dei referri debent, ideo licet formatio sœculi, & Antichristi aduentus, atque dies iudicij sint præsentia Deo, tamen non sunt nunc præsentia Deo, nec sequitur, quod nunc sint. Immo proprie loquendo impossibile est, quod aliquid sit Deo præsens nunc, quia tunc necesse erat, ut tam Deus, quam id quod ei erat præsens esset nunc. Sed falsum est, quia Deus non est in nunc temporis, sicut nec in tempore, sed accipitur large scilicet quod Deus est nunc præsens nobis, vel nos sumus nunc præsentes Deo, id est non definitus esse præsentes Deo in isto nunc, vel Deus non definitus esse nobis præsens in nunc, licet non sit in nunc. Nos tamen dicimus esse præsentes Deo absolute scilicet secundum instans æternitatis illius, & tunc accipitur proprie ex parte Dei: nos tamen non sumus proprie in instanti illo æternitatis, quia non conuenit nobis mensura æternitatis & cōsequenter non sumus in ea, sed ita dicimus esse nos in æternitate, sicut Deo dicitur esse in tēpore, vel in instanti temporis id est non deficit dum hæc sunt: ita & nos sumus in æternitate, quia esse nostrum non deficit dum æternitas est, quia alias daretur, quod quando æternitas esset nostrum esse non esset, & sicut dicimus omnia Deo esse præsentia, ita concedendum est, quod omnia semper sunt Deo præsentia. De his supra magis declaratum est. Ex his aliqualiter patet de conditione æternitatis Dei quomodo sit status eius totus præsentarius, & indeficiens, & de comparatione esse eius ad res.

De modo intelligendi Dei. Et an intelligat solum seipsum, & nihil præter ipsum, ut Philosophi dixerunt. Et si intelligit alia: an unico actu pluribus. Et an per species representatiwas rerum, vel per seipsum tanquam exemplar omnium.

Q V A S T I O L V I .

C **N**VNC vero cognito ex parte modo essendi Dei, cognosci potest faciliter modus cognoscendi eiusdem: nam idem modus est cognoscendi cius, & intelligendi, cum in Deo omnia idem sint, & sunt ipsum esse Dei: nam velle cius est suum intelligere, & suum esse, & cetera, quæ in eo ponuntur: alioquin dabitur compositio, vel diuersæ dictates, quorum vtrunque est inconueniens. Et tunc, quia esse Dei totum simul est, necesse est quoque intellectiōnem Dei totam esse simul: ita quod non intelligat Deus prius creationem Adx, quam Antichristi formationem, & diem iudicij. Nam data prioritate, & posterioritate intellectiōnis, necesse erat dari diuersitatem actuum intelligendi, & tunc cum illi sint in Deo erunt ipsemēt Deus, & si illi sunt diuersi, erit quoq; in Deo essendi diuersitas, & ob hoc necesse est poni in Deo vnicum actum intelligendi, & illum instantaneum: alioquin dabitur diuersitas essendi. Quod autem sit actus ille instantaneus, & indiuisibilis, patet, quia Deus non potest intelligere, nisi cum est, sed Deus totus est in indiuisibili: ideo necesse est intellectiōnem suam totam esse in instanti. Ex hoc sequitur, quod per eundem actum intelligendi Deus intelligit præmissas, & conclusionem, & non habebit distinctas cognitiones sicut nos. Primo, ut proprie loquamus Deus non intelligit, aliquam propositionem, ut præmissam, & aliquam ut conclusionem, sed omnes eodem modo, quia esse præmissas, & conclusionem pertinet ad viam sciendi, secundum quod præmissæ sunt aliquid præcognitum. Ex quo infertur conclusio, cum omnis cognitionis, siue notitia ex præexistenti sit cognitione, iuxta Arist. I. posteriorum in Deo autem non est via introducēdi, & inducēdi aliquam notitiam: ideo non reperitur ibi ratio præmissarum, & conclusionis, sed omnia sunt simul cognita, & æqualiter cognita illi. Item Deus per eandem intellectiōnem intelligit hominem, & leonem, hominem currere, & hominem esse fælicem, & sic de ceteris. Nec distinguendum est aliquid intelligibile in Deo ab alio, nec versatur nunc circa vnum intelligibile, & postea circa aliud, quia tunc aliquid Deo decederet, & aliquid adueniret, quod est falsum, sed omnia simul intelligit. & sem-

D per illa intelligit. Contra hoc arguet aliquis silicet, quod licet obiectum cum intelligatur determinat sibi vnum actum intelligendi scilicet ut si nos intelligamus hominem, & si intelligamus syllogismum non est idem actus intelligendi de vtroque, sed alio actu intelligo hominem, & alio actu syllogismum, sed Deus intelligit omnia, ergo necesse est, quod tot actus intelligendi habeat, quot sunt obiecta intelligibilia. Respondendum est, quod si Deus intelligeret omnia, quæ sunt per species ipsorum entium, necesse esset, ut tot intellectiones haberet quod essent obiecta: nam intellectus mouetur ab specie obiecti ad intelligendum illud, sed non est idem motus, vel immutatio spiritualis, quam facit species hominis in intellectu, & species lapidis, ergo cum concurrat species intelligibilibus, & potentia intellectiva ad actum intelligendi, necesse erat secundum pluralitatem specierum representantium obiecta multiplicari actus intelligendi: sed in Deo non est iste modus, quia in eo non solum non ponuntur diversæ species obiectorum, per quas intelligeret, sed etiam non est possibile ponni aliquam, quia tunc Deus esset passiuus, quia recipit aliquid, quod est extra naturam suam. Etiam non esset ens perfectum, quia perficeretur per species aduentientes agentes in potentiam eius intellectuam.

Item poneretur compositio, & multa alia inconuenientia.

E Item sequeretur, quod non esset totus simul, quia antelligeret per illas species, & non posset per illas intelligere simul: cum vnitati potentia corresponteat actus vnitatis, & intelligendo per illas omnes haberet plures actus. Nec valet si aliquis dicat Deum habere plures actus simul, & excedit conditionem potentiarum nostrarum. Non enim potest excedere in hoc, quia nec nos Deo nunc, aut vñquam dedimus, aut concessimus simul duos, aut plures actus, quia ponemus pluralitatem, & compositionem aliquam: ideo vnicum dicimus actum Dei, si actus dici valeat, & ille non distinguitur realiter ab essentia. Si tamen ponemus in eo species stellarum rerum, & per eas intelligere necesse esset, quod aut non haberet simul totum suum esse & intelligere, aut simul haberet plures actus, quorum vtrumque est impossibile: ideo non est ponenda in Deo species alicuius obiecti, sicut est in nobis ad intelligendum, sed quæcumque intelligit per se intelligit. Aliqui autem philosophorum aduententes ad modum nostrum intelligendi per immutationem factam à speciesbus, dixerunt, quod Deus non intelligebat aliquid præter seipsum, & in illa intellexione fruebatur se tanquam reperiens in se maximum bonum, quod ipse est. Et dicebat hoc, quia si susciperet species ad intelligendum, vilesceret intellectus diuinus, qui perficeretur à rebus extrinsecis, & esset passibilis, inquantum intelligeret recipiens alterum, & quia si aliquid præter seipsum intelligeret, necesse esset, quod illius haberet speciem, & quacumque specie data Deo erat magnum inconueniens, quia sequabantur prædicta nullam ei dederunt. Et ob hoc dixerunt, quod non intelligebat angelos, nec cœlos, aut elementa, vel aliquid, sed se solum esse putabat. Et isti omnem præscientiam, & prouidentiam Dei, atque regimen in his inferioribus abstulerunt. Nec solum dicebant Deum non intelligere, quæ erant, aut quæ fiebant, immo quod nesciret an aliquid fieret, vel an aliqua essent agentia, vel passiva. Ecce isti volentes evitare vnum inconueniens, quanta inconuenientia intulerunt. Nam Deū satis ignorantē faciunt, cum eū nescire fateantur, an aliquod ens præter ipsum sit, nec de hoc dubitantem, aut inquirentē, sed cum ignorantia nulla magna perfectio est. Item q; nos eum in hac parte excederemus, qui non metipso cognoscimus, & cetera, quæ extra nos sunt, & ipsum quoque ipse aut præter se nihil nouit. Fortassis igitur maius videbitur inconueniens, q; Deus nihil nisi se intelligat, quam q; species recipiat, per quas cuncta intelligat. Isti tamen philosophi, in hoc q; à Deo species intellectuas significatiwas rerum eliminant, recte agunt, q; autem cum nihil præter se intelligat dicentes, errant nimis, sed ex impotentia dandi medium hoc prouenit. Putant enim necessarium esse, aut q; præter se nihil intelligat, aut q; omnium eorum, quæ intellexerit species habeat. Sed nihil stat, nam Deus omnia intelligit, sed nullam speciem rerum habet ad intelligendum, sed ipsemēt est species omnium rerum, quia est in mēte diuina exemplar omnium entium, quod necessarium erat ad producendum res. Nā sicut artifex

A artifex nihil producere potest extra, nisi præconceperit ideā fabricādorum, vel exemplar, ita & Deus nihil potuisset producere, nisi eorum certissimam haberet ideam, sed producit cuncta, ergo cunctorum ideam habet. Per hanc autem sicut cuncta perfecte, & sine errore concepit ad productionem, concipiet nunc ad intellectionem. Nec erit necessaria aliqua species rerum harum ad mentem diuinam traducēta, nisi forte quis dicat, quod Deus ad formandas res etiam species aliunde assumperit. Sed non potest stare, quia cum Deus creauit orbem nullus ens erat præter Deum, ergo nihil erat unde Deo accipere posset species, per quas intelligeret res, quas producturus erat, nisi ip seipso haberet, necesse est igitur, quod in seipso habuerit, & sic nunc ad intelligendum hæc omnia non egebit aliqua specie rei alicuius ab extra. Et illa idea omnium rerum, vel ideæ pluraliter si dicere volumus in Deo sunt, non quidem quod sint aliquid distincte ab essentia eius, vel intellectu, aut voluntate, sicut species, quas in nobis ponimus esse distinctas ab intellectu nostro, sed sunt id est ipsa mens diuina, quia præter seipsum Deus nihil habere potest, aut recipere, sed nos ex modo intelligendi nostro dicimus ideas in Deo esse, cum potius ipsæ Deus sint. Ad harum vere idearum positionem à fide catholica cōp̄slimur, vt patet Ioan. i. cum dicitur. Quod factum est, in ipso vita erat id est omnia, quæ facta sunt, in Deo viuebant id est cuncta producta in tempore vitam aliquā, habebant in ipso, quia erat in eo figura omnium, & illa est figura viuens scilicet ipsa mens diuina, & ob hoc euangelista, quamquam nobis videatur improprie locutus, propriissime tamen expressit dicens vita erat, & non viuebant: nam dicendo, quod factum est, in ipso viuebat, signatur ex modo loquendi diuersitas inter Deum, & id quod erat in eo viuens. Cum vero dicitur. Quod factum est, in ipso vita erat, signatur identitas cū illud sit vita, scilicet ipsa mens Dei, quæ est viuens scilicet ars viuens: per has igitur ideas viuentes Deus intelligit, ideo non sunt necessariae species rerum illi. Amplius autem si vellemus magis accedere ad proprietatem diuini esse, non solum non sunt species in Deo, sed etiam includit contradictionem esse aliquid tale, quia Deus est ipsamēt intelligētio sua, cum non distinguitur in eo potentia ab esse, & actus à potentia scilicet non distinguitur deitas à voluntate, & voluntas non distinguitur à volitione: sed ad esse deitatem non requiruntur species, sed ipsamēt sola deitas: ergo ad intellectionem Dei nihil erit necessariū de speciebus. Ecce igitur qualiter Deus omnia intelliget, non quidem per species representatiuas ipsarum rerum, sed per seipsum tanquam exemplar omniū, &, quia mēs Dei, per quam Deus intelligit est unica species, actus erit unicus: sicut cum nos intelligimus per unicam speciem non est necesse esse plures intellections. Nec solum id, per quod Deus intelligit est unicum scilicet mens diuina, sed etiam est ipsamēt intellectio, ideo non multiplicabitur intellectio, quamquā plura sint intellecta. Et sic patet, quod actus intelligendi Dei, est unicus, & semper est atque indubibilis, & per illum omnia intelligit, & ille actus nunquam replicatur, sed semper id est, & manens sicut ipsa deitas semper manet, cui identificatur.

An Deus intelligat aliquid, vt præteritum, vel futurum, vel omnia, vt præsentia.

Q V A S T I O L V I I .

A MPLIVS autem ex præcedentibus patet quod Deus non intelligat aliquid, vt futurum vel præteritum, sed omnia intelligit, vt præsentia. Et patet, quia sicut est esse Dei, ita est intelligere eius: sed Deo nihil est futurum, & nihil est præteritum, ergo non potest aliquid intelligere præteritum, aut futurum, sed præsens. Patet hoc quia quandounque alter intelligitur res, quam se habet ad ipsum intellectum est intellectio falsa: sed omnia Deo se habent, vt præsentia, ergo intelligitur, vt præsentia, alioquin falsum intelligeret, quod patet in intellectu nostro: dicitur enim præterita est creatio mundi, quia esse habuit aliquando, & non coexistit præsenti nostro, ergo præterita est respectu nostri. Ob hoc cum nos intelligimus creationem mundi si intelligimus eam præsentem, vel futuram false intelligimus, quia non se habet sic

ad nos, sic autem adūetus Antichristi est nobis futurus, quia est aliquando esse habiturus, & nō coexistit præsenti nostro, ideo si intelligamus, vt præteritum false intelligimus, vel si, vt præsentem. Ita de rebus ad Deum necesse est, vt ipse intelligat eas, vt se habent ad ipsum, & si aliter intellexerit, errabit intellectus eius: sed res ad Deum habent se, vt præsentes, & nulla est, quæ hoc modo non se habeat, quia dictum est supra, quod esse Dei non est ante alias res, nec est post alias res: esse ante illas est res esse futuras, sicut esse nostrum est ante esse Antichristi, quod est nobis futurū. Esse post alias res est, esse eas præteritas: ergo nulla res præterita est Deo, aut futura: ergo erunt præsentes, si igitur Deus intelligat illas res, vel futuras, vel vt non præsentes ei scilicet futuras, errabit, cum ei vere præsentes sint.

Sup. q.
20 si.
G 14.

Arguit contra prædictam conclusionem.

Q V A S T I O L V I I I .

A LIQVIS arguet contra hoc scilicet quod non intelligat Deus omnia, vt præsentia, quia cum al. t. r intelligimus, quam res est false intelligimus, quia ab eo, quod res est, est oratio vera, vel falsa, vt dicitur primo Periher. sed rerū quadam sunt præteritæ, quedam præsentes, quedam futuræ: qui ergo intelligit omnes per modum præsensis erat, Deus igitur non intelliget sic.

Ad hoc aliquis respondebit, quod intellectus non consequitur modum rerum intellectarum, quia aliqua res est quāta, vel alba, sed non intelligitur sic ab intellectu sub illa quāitate, & albedine, & tamen ab oculo necessario accipitur sub quantitate sua, & albedine: non enim res intelligitur ex conditione esse sui, sed ex conditio potentiæ, & cognoscētis. Nam si ex conditione sua cognoscētur, necesse est eodem modo cognosci, sed non eodem modo iudicat de homine sensus, imaginatio, ratio, & intelligentia, sed aliter, & aliter, quia sensus formam unam, & particulariter: Imaginatio formam sine materia tamen cum conditionibus materia. Ratio ipsam universalē in conditionem in particularibus sine particulari conditione considerat. Intelligentia autem solam ipsam rei formam formaliter considerat, nihil abstrahendo, nec respiciendo individua, vt ait Boetius de consolatione, lib. 5. prosa ante penul. & penult. dicens ergo de Deo, quod quamquam nō intelligat res sub conditionibus suis, sed secundū quod conditio diuini intellectus recipit, non errabit, & sic poterit intelligere res præsentialiter, quæ præsentes non sunt.

Sed in hoc considerandū est, quod potentia non cognoscere res eo modo, quo sunt stat dupliciter, quia aut se tenet iste modus ex parte potentiae iudicantis, aut ex parte rei. Si primo modo intellectio vera est. Si secundo modo falsum intelligitur, ut pote intellectus concipit hominem, qui consistit materialiter, & quantus est, atque albus: potest concepire eum aliter, quam est dupliciter: uno modo quod non cōcipiat eum esse quantum, nec album, nec particulariter existentem, & tunc tenet se ex parte intellectus ista conditio, quæ non apprehendit res sub conditionibus particularibus, & in hoc non est falsitas, quia non est affirmatio, nec negatio: si tamen teneat se hoc ex parte rei cōcepta scilicet quod intellectus concipiens hominem dicat cum non esse quantum, nec album scilicet quod in re non sit quantitas, nec albedo est false intelligere. Ita est de ratione, quæ concipit universalē, & tamen in rebus non subsistit aliqua quidditas universalis, sed quidquid subsistit particularē est. Illud tamē particularē ratio apprehendens nō apprehendit sub conditionibus particularibus, sed naturā solam individui considerat, & illud est de universalē, si tamen ratio apprehendēs universalē diceret id quod in re apprehendit nō esse particularē, falsa esset conceptio. Ita de Deo, non concipit res, sicut sunt quantum se tenet modus iste ex parte potentiae apprehendentis, sed non prout se tenet ex parte rei apprehensionē. s. quod Deus apprehendit oēs res præsentialiter, nō quidē quod ipse pñtes sint, qui est modus ex parte rei, sed quod modus intellectus eius iste est, sicut intellectus apprehendit hominem sine calore: nō quidē, q homo omni calore careat, sed quia mod⁹ apprehendēti intellectus iste est, quod cognoscētres immaterialiter

A

Sed adhuc magis clare dicendum est, quod intellectus diuinus cōcipit omnes res præsentes ei, quia sic vere sunt præsentes, & ab existentia rei, vel nō existentia accipitur veritas, sicut in intellecione nostra, & non est hic totaliter sicut in exemplo superiori, quia intellectus noster potest concipere hominem sine albedine, vel non apprehendendo quantitatem, & tamen rursus potest cōcipere hominem cum albedine, & cum quantitate: Deus autem non potest huiusmodi, quia concipit res omnes per modum præsentis, & nō potest concipere non præsentes scilicet præteritas, vel futuras, ideo dicendum, quod Deus res omnes præsentes intelligit, quia ei vere præsentes sunt. Et sic nos erraremus si intelligeremus aliquid esse futurum, quod præteritum est, & præteritum q̄ futurum est, ita est de Deo: si intelligeret aliquid præteritum, vel futurum, quia ei omnia præsentia sunt, vt supra declaratum est. Sed dicet aliquis, q̄ non sunt omnia præsentia Deo, quia tunc sequeretur, quod omnia essent præsentia inter se: nam quæcūque vni, & eidem sunt eadem, inter se sunt eadē, vt patet 2. Elenchorum, sed cursus hominis, qui est nunc est præsens Deo, & Antichristus est præsens Deo, ergo cursus, qui est nunc, & Antichristus est præsentes inter se. Sed falsum est hoc: ergo nō sunt Antichristus, & iste cursus præsentes Deo.

Vide
infra
q. 58.

B

3 argu.
princi-
pale cō-
tracō-
clusio-
nem.

Respondendum est non tenere consequentiam, quia nō accipitur præsentialitas secundum idem: nam cum dicitur, quod cursus hominis, qui est nunc est præsens Deo, non dicitur ei præsens, secundum istud nunc temporis: ita q̄ cursus sit in isto nunc, vel in isto tempore, & Deus sit in eodem nunc vel tempore, sed accipitur præsentialitas ista secundum nunc æternitatis, in quo Deus est proprius, & iste cursus est large in illo in quantum non deficit, dum æternitatis est. Idē modus est, cum dicitur, quod Deo est præsens Antichristus: nam secundum instans æternitatis accipitur ista præsentialitas. Cum vero concluditur ergo cursus iste, & Antichristus sunt præsentes inter se, non dicitur de præsentialitate, secundum quam comparabantur ad tertium, sed de præsentialitate, quæ pertinet ad tempus, vel instans temporis, ideo non valeret: si tamen cōcluderetur de præsentialitate eadem, tenebat consequentia scilicet si referrentur inter se secundū præsentialitatem, quam habent in æternitate erit verum scilicet quod Antichristus, & iste cursus sunt præsentes inter se quantum ad instans æternitatis, ita quod respectu illius præsentes sint, & erit sensus, quod quilibet eorum sit præsens illi eadem instanti æternitatis, & hoc verum est, quia eidem totaliter æternitati est præsens creatio mundi, cui est præsens aduentus Antichristi. Et hoc modo non sequitur inconuenientē ponendo omnia esse Deo præsentia.

Sed adhuc arguet aliquis, quod non sint omnia præsentia Deo, quia quod non est, non est præsens, sed Antichristus non est, ergo non est præsens Deo. Item creatio mundi nullo modo est, ergo nequaquam erit Deo præsens.

Respondendum est hic committi fallaciam, potest distinguiri utraque præmissarum. Prima scilicet quod non est non potest esse præsens Deo, potest dupliciter intelligi est, aut pro esse, quod est in præsenti, aut pro esse qualitercūque, aut quomodo cūque. Si primo modo est falsa propositio, quia ad esse præsens aliquid Deo, nam oportet quod sit in nunc temporis, quod est istud præsens, quia Deus non determinat sibi aliquid nunc temporis, in quo sit, cum non sit in tempore, nec in instanti temporis, si eudem Deus esset in instantibus temporis, neceſſe esset, vt quādūcūq; esset, Deo præsens esset in instanti temporis, quod est nunc, vel quomodo cūque diceretur esse ei præsens. Sed Deus nihil horum sibi determinat, ideo non habet maiorem conuenientiam ad Deū tps præsens quām præteritum quā futurū: si ergo quod nūc est Deo præsens dicitur, identidē dicitur ei præsens, quod futurū est dum tamen aliquando esse habeat, & quod in præteritum abiit, quia aliquando esse habuit. Ad esse ergo præsens Deo, requiritur q̄ res sit aliquando, sed q̄ nunc, vel ante aut postea non requiritur, sed quodcūque sufficit. Si accipiatur secundo modo, s. quod non est, non est præsens Deo, est verū: quia quod nūquā habet, i. in nulla parte temporis, vel æui non habet aliquam præsentialitatem ad Deum. Minor quoq; distinguenda est scilicet Antichristus non est, quia aut accipit pro esse, q̄ est nunc, id est, q̄ non est nūc, aut pro esse simpliciter, s. quod nequaquam habet esse in aliqua parte tē-

poris, vel æui. Primo modo est vera, & tamen tunc non valet consequentia, quia licet non sit nunc, est tamen præsens Deo cum nō magis Deus sibi determinat pro esse suo istud instas, q̄ futurum, vel præteritum. Si accipiatur secundo modo est falsa, quia Antichristus est cū aliquādo esse habiturus est, & quia secundū illud esse erit ei præsens, & instans Dei secundū quod Antichristus erit præsens Deo, est id quod nunc Deus habet, dicitur simpliciter de Antichristo, quod sit præsens Deo, q̄q̄ non concedatur, quod sit præsens nūc Deo, & hoc modo omnia sunt præsentia Deo tam ea, quæ præsentia sunt secundum conditionem temporis quam præterita & futura. Quia esse præsens Deo aliquid est habere aliquam præsentialitatem ad illud instans æternitatis, quod est mensura Dei, sed illud quando cūque est, ergo quando cūque res fuit est præsens æternitati & Deo. Nec solum sunt præsentia Deo sed et semper, & simul sunt præsentia, vt sup. declaratum est. Et q̄q̄ vna res sit ante alterā, tamen non est prius præsens Deo, quia id secundū quod est Deo præsens non est aliquid instas durationis rei, sed instans æternitatis Dei, ad quod res aliquo modo comparantur, & quia istud semper idem est, & totum simul non habens aliquid præcedēs, nec subsequens: necessē est vt illorum, quæ secundum illud idem instans æternitatis sunt Deo præsentia nullum sit prius præsens ei quam alterū. Licet enim ista vera sit, quod vna res sit prius altera; tamen nō est verum, quod vna sit prius quam altera, quia esse prius, & posterius accipitur in rebus secundū cōditionem sui esse, & quia suum esse est in tempore, quod habet prius, & posterius erunt res inter se secundum prius, & posterius, sunt autē præsentes ad Deum nō secundum conditionem sui esse, sed secundum instans æternitatis Dei, & quia in illa nō est prius, & posterius impossibile est, quod vna res prius habeat præsentialitatem ad Deum quam alia, nec Deus poterit intelligere vnam carum, vt prius præsentem sibi quam aliam, ad veritatem enim propositi onis requiritur veritas rei, sed in re non est aliquid prius Deo præsens quam aliud, ergo nihil est prius intellectum à Deo quam aliud, vt præsens.

Et secundū hoc satis patet responsio ad quascūq; calūrias: nam Deus intelligit rem sicuti est, ideo non fallitur. Et cum intelligit omnia, vt præsentia verum est, quod ad eum sunt, vt præsentia. Nam licet in scīpīs ad conditionem temporis relatae non sint præsentes, tamen ad Deum relatae præsentes sunt. Vnde intelligit Deus res, nō quidem sicut se habent simpliciter in scīpīs, sed sicut se habent ad eum.

*Quartum argumentum principale cōtra conclusionem positam q. 57.
similiter quintum argumentum, & sextum refelluntur.*

Q V A E S T I O L I X .

SED tunc dicet aliquis, quod non stabit, quia quando cūq; referatur, semper recipit eandem prædicationem, si autem prædicatum sit respectuum referendo ad vnum aliquid, forte erit prædicatio vera. Ad alterum autem referendo erit falsa, vt hominem esse absolutum, ideo siue comparatur Plato ad Deum, siue ad lapidem, semper dicitur homo esse patrem est respectuum, ideo Plato comparatus ad Sortem forte erit pater, sed comparatus Demoflhenem nō erit pater, sed hominem esse est esse præsentem, & esse est aliquid absolutum, ergo nihil magis res dicentur esse præsentes, si comparentur inter scīpīs, quām si comparentur ad Deum, vel quodcūque ens. Falsum erit igitur, quod res comparatē ad Deum sunt præsentes semper, comparatē autem ad scīpīs non sunt præsentes.

Respondendum est, quod in prædicatis absolutis ad quodcūque comparentur res semper sortiuntur idem prædicatum, sed esse præsens, non est aliquid absolutum. Quod patet, quia quacūque res est præsens non dicitur præsens in scīpī, sed alteri est præsens: si tamen esse præsens esset aliquid absolutum in scīpī esset præsens, sicut Sortes in scīpī est homo, & non ad alterum. Etiam quicunque est præsens dicitur esse præsens secundum aliquid, quod nō solum est in ipso, sed etiam in alio, scīl. secundum aliquid instans in quo comparantur res præsentes. Hoc dato patet, quod res sunt præsentes Deo, vel non repugnat esse præsentes Deo quamquam nō sint præsentes inter scīpīs, sicut Sortes non est nūc præsens

D

Effeta
sēs Deo
quid sit
Apprie.
In q. 20
21. 22.Brevis
fol. ad
l. argu.
sup. q.
58.

F

A Præsens Platonis, quia non est nunc Plato: est tamen præsens Demostheni. Nam præsens Platonis non est nunc, in quo est præsens Sortis, & Demosthenis: si tamen præsens Platonis esset nunc sicut Sortes est præsens Demostheni, ita esset præsens Platonis.

Cofert ad solu- rationem argu- matis.

Ita est de Deo, quia præsens suum, quod est æternitas est cum præsenti cuiuslibet rei, ideo omnia ei necessario præsentia sunt, sed præsentia rerum non sunt eadem, & præsens unius rei non est cum præsenti omnium aliarum, ideo non poterunt esse inter se præsentes, & Deo necessario sunt præsentes. Si autem detur oppositum necesse est, quod dicamus præsens Dei non esse cum præsenti cuiuslibet rei, & tunc Deus non semper erit, quod falsum est, cum esse Dei sit in terminabile & totum simul.

Sed adhuc instabitur fortius, quod non possint omnes res esse præsentes Deo, quia non solum non sunt omnes res in inter se præsentes, quod est respectuum, sed etiam non sunt in seipsis habentes aliquid esse: ergo nec poterunt esse præsentes respectu Dei, sicut si Sortes non esset homo, sed lapis, non poterit esse homo respectu Dei. Ita cū esse præsens presupponat ens, & omnes res non sunt nunc entia in seipsis, nō poterunt esse entia in comparatione ad Deum, & consequenter non poterunt ei esse præsentes.

B Respondendum est hic committi fallaciam, cum dicitur, quod res non habent esse in seipsis, ergo nō habent in comparatione.

Concedendum est enim esse, quod sit absolutum, & si res non habet esse in seipsa, non habet aliquo modo esse in comparatione ad Deum, ut quia chimera in se nullam entitatem habet in comparatione quoque ad Deum ipsa non erit ens.

Et tamen cum dicitur, quod multæ res in seipsis non habent esse aliquid: est duplex sensus. Vno modo, quod nullum esse habent absolute sumendo, nec comparando ad hoc tempus, nec illud vel aliqua signata instantia, & quæ isto modo nō habent esse nunquam esse habere possunt, & hæc solum sunt entia prohibita, vel impossibilia, de quibus prouisum est, quod nunquam esse habent.

Alio modo accipitur de multis rebus, quod non habent esse in seipsis, scilicet quod non habent esse in præsenti, licet aliquando haberunt, vel aliquando habituræ sunt. Primus modus est absolutus, quia negatur esse absolute non comparando id ad aliquid tempus, & isto modo non est verum de Sorte motu, quod non est in seipso, quia solum tollitur ei, quod non sit nunc; tamen aliquid esse habet cum aliquo tempore fuerit, & sic huiusmodi res erunt præsentes Deo, & in se sunt entia, licet non sint, nunc entia.

C Si autem accipiat secundo modo non esse, id est, non esse nunc est respectuè sumptum, quia licet res talis in respectu ad istud nunc non habeat esse, habuit tamen respectu alicuius nunc, & tunc licet respectu huius nunc nō sit res: ens non tolletur quin sit ens, & quin sit præsens Deo, cum alteri instanti præsens fuerit. Et si illud instans, cui sortes mortuus erat præsens maneret, Sortes esset præsens illi, sed perijt, ideo non est ei Sortes præsens. Et quia instans vnicum Dei, quo est cuicunque rei præsens est, cum semper sit, & illud nō deficit, & Sortes mortuus illi instanti fuerit præsens, manet autem illud idem, immo totum simul, quod tunc erat: ergo in toto illo instanti verum est, quod Sortes est præsens Deo, & sine aliqua connotatione est, ista vera de Sorte mortuo, quod Sortes est præsens Deo. Nec accipimus de anima, quæ semper manet, sed de toto composito, quod aliquando vixit. Ideo ad formam argumenti respôdetur, cum dicebatur nullæ res possunt esse præsentes, nisi sint entia, sed res multæ non sunt nunc entia, ergo non sunt nunc præsentes: dicendum quod non bene concluditur, quia non sumitur totum in conclusione, quod samebatur in minori, quia dicebatur res non sunt nunc entia, & tunc debebat concludi, ergo non sunt nunc præsentes, vel nunc præsentes Deo, & vtrunq; verum est, quia non est concedendum, quod omnia sunt nunc Deo præsenta, sed est concedendum, quod omnia sunt Deo præsenta.

D Et si dicas si non sunt nunc præsenta, in quo sunt præsenta? quia præsentialitas dicitur ad nunc.

Respondendum est, quod res sunt præsentes Deo secun-

dum aliquid nunc, sed illud non est nunc nostrum, sed nunc eternitatis, & ob hoc quamquam non sint in nunc, præsentes sunt. Si autem volumus concludere simpliciter sine nunc, nō ponatur nunc in minori, & tenebit argumentum, ut si dicatur: Nulla res potest esse præsens, nisi sit ens: sed multæ res sunt, quæ non sunt entia: ergo multæ res non sunt præsentes Deo. Tunc illatio est bona, sed minor est falsa, quia nulla res est, quæ non sit, quia negatur ibi entitas simpliciter rebus, id eo tunc in nullo tempore erant: tamē verum est, quod multæ res sunt, quæ non sunt nunc, & sic patet, quod Deus intelligit res, vt sunt, scilicet sicut se habent ad ipsum, non autem vt sunt ipse, id est, sicut sunt ex conditione temporis, quia ad eum non se habent sic. Sed adhuc aliquis arguet, quod Deus non intelligat omnia ut præsentia, quia tunc non distingueret de illis, quæ essent præsentia, & quæ essent præterita aut futura: nam cum rerum quedam sunt præsentes, aliæ autem præteritæ, & quedam futuræ sint, qui omnia ut præsentia intellexerit errabit, quia nō distinguunt in eis prius, & posterius sicuti in ipsis est: Deus tamen non fallitur in conditione rerum cognitarum, ergo non cognoscit omnia, ut præsentia.

Respondendum est, quod cognoscere omnia, ut præsentia stat dupliciter, quia aut iste modus est ex parte potentie cognoscentis, scilicet ei se habeant res præsentialiter, sicut ad intellectum se habent res vniuersaliter, aut consideratur ex parte rerum cognitarum, scilicet, quia intellectus ille indicet præsentialitatem esse ex parte rerum cognitarum: ita quod ille sint præsentes, & istud falsum est, ita de intellectione diuina dicendum, quod cum dicitur Deum cognoscere omnia sibi præsentia, attenditur ista præsentialitas tamquam quedam conditio modi intelligendi Dei, cui nihil potest esse futurum, aut præteritum, quia totus simul & semper est. Et non accipitur ex parte conditionis rerum, scilicet, quod Deus intelligit omnes res esse præsentes, quia eas, quæ præsentes sunt, intelligit esse præsentes quæ vero futuræ sunt iudicantur ab eo future, & sic de præteritis.

E Alio modo dici potest, quod Deus intelligit omnia ut præsentia, & intelligit ea, vt sunt: nam res considerantur dupliciter, aut comparate ad Deum: aut relate ad conditionem temporis, in quo sunt: si primo modo omnes res sunt vere præsentes Deo sine aliqua fictione intellectus nostri, quia veraciter instans illud vnicum eternitatis in quo Deus est semper durat, & illud est, in quo ipse semper præsens est: ergo vere res sunt ei præsentes, & semper præsentes, & sic intelligit omnia esse sibi præsentia, immo si intelligeret aliquid nō esse sibi præsens false intelligeret, velut si ego intelligerem creationem mundi esse futuram, quia sicut mihi verè præterita est creatio seculi, ita omnia sibi verè præsentia sunt, & quia intellectio mea complexionis est falsa, quia aliter quam res ad me se habeat iudico: ita Deus si iudicaret aliquam rem esse sibi futuram, cum nulla ei futura sit, erraret. Si autem res consideraretur in seipsis, nō sunt omnes præsentes, sed quedam, & aliæ futuræ, & quedam præteritæ, & tunc intelligit Deus eas futuras præteritas, & præsentes. Cum tamē dicitur, quod Deus intelligit omnia, ut præsentia sibi tangitur modus, qui est ex parte cognitionis Dei, & non conditio rerum cognitarum, & ille est præsentialitas, & sic verum est quod res, quæ sunt præsentes præteritæ, & futuræ intelliguntur à Deo ut præsentes, sicut res, quæ sunt particulares intelliguntur à nobis vniuersaliter: non tamen conceditur, quod res præteritas, & futuras Deus cognoscit esse præsentes: multum enim differunt iste duæ propositiones, scilicet Deus cognoscit omnia ut præsentia, vel Deus cognoscit omnia esse præsentia, quia prima tangit conditionem intelligentis, secunda conditionem rei intellectæ. Et hoc modo Deus cognoscens omnia præsentialiter non perturbat conditionem rerum, sed eam, quæ secundum tempus est præsens iudicat esse præsens, eam autem, quæ secundum tempus præterita, vel futura, est, talem esse iudicat.

Septimum argumentum principale contra conclusionem positam q.57. Atque item octauum, & nonum argumentum reprobantur.

Q V A E S T I O L X .

SED adhuc aliquis arguet non esse omnia praesentia Deo, sed aliqua præterita, & futura. Quod patet, dies iudicij est, & ille est futurus, ergo est Deo futurus. Identidem creatio mundi est, & illa est præterita, ergo est Deo præterita. Respondendum est non valere consequentiam formaliter, sicut nec valet ista: Aduentus Antichristi est, & ille est futurus, ergo aduentus Antichristi est futurus Antichristo. Sed falsum est, quia ipsi erit præsens aduentus suus, cum ipse erit, qui veniet. Identidem ista consequentia non tenet: Formatio Adæ est ens, & formatio Adæ est præterita, ergo est præterita ipsi Adæ. Nam formatio Adæ non est præterita ipsi Adæ formata, quia ipse erat dum formabatur, quia quod gignitur, cum gignitur genitum est.

Eodem modo non sequitur, quod formatio Adæ sit præterita Deo, vel aduentus Antichristi sit futurus. Fundamentum autem huius est, quia non est futurus Antichristo aduentus suus, quia idem erit instans, vel tempus in quo erit aduentus Antichristi, & Antichristus, ita idem instans fuit formationis Adæ, & ipsius Adæ formati: ita cum tunc sit instans illud unicum, in quo Deus est, quamquam nunc futurum sit Antichristum esse venturum, tamen Deo, qui tunc totum esse suum habebit, & præsens, non est aduentus Antichristi futurus, sed præsens. Si autem detur oppositum, scilicet, quod aduentus Antichristi sit Deo futurus, necesse est, quod aut non sit tunc Deus, cum Antichristus fuerit, aut non habeat eandem partem essendi, vel idem instans, quod nunc habet. Sed utrumque falsum est: primum quidem, quia esse Dei est indeficiens: secundum autem, quia esse Dei est totum simul, & necesse est esse idem instans Dei, quod nunc habet, & quod semper habebit.

De formatione Adæ identidem dicendum est, quod non sit Deo præterita, quia cum illa erat, Deus erat: et illud instans mensurans esse tunc habebat, quod nunc & semper habet: alioquin dato quod illa præterita sit Deo, dicetur, quod Deus aut tunc non erat, aut non habebat eandem particulam essendi, & idem instans essendi quod nunc habet, sed utrumque est, vt patet ex predictis, quia Deus semper est, & semper idem esse, & totum simul habet.

Sed adhuc alio modo arguetur, quod nō omnia sint præsentia Deo, quia creatio mundi in comparatione ad Deum est, & creatio mundi est præterita, ergo creatio mundi Deo est præterita. Identidem de futuro, aduentus Antichristi in comparatione ad Deum est, sed aduentus Antichristi est futurus, ergo aduentus Antichristi Deo est futurus, vel in comparatione Dei est futurus.

Respondendum est nō tenere consequentiam, quia peccatur per fallaciam accidentis, cum per id quod cōuenit interfert, quod non conuenit, vt cum dicitur: Tu cognoscis Corriscum, & Corriscus est veniens, ergo tu cognoscis venientem. Consequens est falsum, & fallacia accidentis: ita enim est in his exemplis sicut in argumento de Corisco, quia huic quod est me cognoscere Corriscum accedit cum esse viuentem, ideo si per hoc inferatur aliquid peccatur per fallaciam accidentis: ita hic creatio mundi in comparatione ad Deum est: huic enim accedit eam esse præteritam, vel futuram, quia istae res sunt præteritæ, vel futuræ secundum cōditionem temporis, & Deus non cognoscit eas secundum conditionem temporis, sed secundum simultatem eternitatis, ideo cognitioni suæ, quam de rebus habet, accedit quod res illæ cognitæ sint præteritæ, vel futuræ, quia non cognoscuntur in rationibus his, nec facit hoc magis, aut minus ad esse cognitas à Deo. De Antichristo enim venturo per accidens est aduentum hunc futurum esse ad cognitionem Dei, quia non cognoscit eum sub ratione futuri.

Ex predictis patet, quod sicut Deo nihil potest esse præteritum aut futurum, sed omnia qualitercumque se habeant sunt præsentia, ita non poterit intelligi aliquid ab eo, nisi per modum præsentis.

Sed adhuc arguetur, quod non intelligat omnia per modum præsentis, quia multa sunt futura & præterita, sed ista nō habent modum præsentis: ergo false intelligit, si intelligat ea per modum præsentis.

Respondendum est, non valere consequentiam, quia nō accipitur id in conclusione, quod in minori sumebatur, sed deberet sic concludere, sed multa sunt præterita, & futura, & illa non habent modum præsentialitatis ergo Deus false intelligit, si intelligat ea habere modum præsentialitatis. Vel si vult accipere in minori, sicut accipiebat in conclusione, debet sic argui: Multa sunt præterita & futura, & illa non habent modum præsentialitatis ad Deum: ergo Deus false intelligit, qui illa per modum præsentialitatis intelligit. Sed nunc licet teneat consequentia, antecedens tamen falsum est, scilicet, quæ præterita, & futura, non habeant ad Deum modum præsentialitatis, nam nihil est quantumcumque futurum, vel præteritum, quod ei præsens nō sit cum semper sit, & totum esse suum simul habeat, & includit contradictionem aliquid ei præteritum esse, vel futurum, vt ex predictis patet. Ideo quomodoquaque arguatur de præterito, & futuro cognitis à Deo ad tollendum simultatem, & præsentialitatem intelligendi Dei: caendum est, quod dicamus Deum intelligere præterita, & futura, vt præsentia: sed non quod dicamus intelligere præterita, & futura esse præsentia, quia primum est verum, secundum autem includit contradictionem, quod patet quia quæ nondum sunt cum ad Deum præsentialitatem habeat, dicentur futura esse, vt præsentia, & quæ iam fuerunt ad esse Dei præsentialitatem habent, vt patet ex dictis, ergo intelliguntur, vt præsentia. Secundū est impossibile, scilicet præterita intelliguntur à Deo esse præsentia, vel futura intelliguntur esse præsentia.

Decimum argumentum principale contra conclusionem positam qu. 57. Et an Deus possit intelligere præteritionem, & futuritionem, vt præsentia, & an sint vere præsentia.

Q V A E S T I O L X I .

SED adhuc arguetur, quod Deus non possit intelligere omnia vt præsentia, quia Deus intelligit præteritionem, & futuritionem, & ista non possunt intelligi per modum præsentis: non est autem dicendum, quod Deus non intelligat futuritionem, & præteritionem, quia ista sunt entia, Deus autem omnia entia intelligit, nedum hæc, sed etiam non entia possibilia esse, & non entia impossibilia esse.

Respondendum est, quæ Deus intelligat omnia entia per modum præsentis, etiam futuritionem, & præteritionem, non potest autem aliquid vere intelligi à Deo per modum præsentis, nisi sit vere præsens sit, ideo necesse est concedi, quod futurio, & præteritio Deo præsentia sint, & tunc intelliget eā per modum præsentis. In quo considerandum est, quod cū dicimus Deus intelligit Antichristi aduentum futurum, vel ipsum Antichristum, qui futurus est, aut accipimus à Deo cognitum esse ipsum Antichristum, qui dicit quoddam ens abolutum, quod non dicit specialiter aliquam cōnotationem temporis, aut dicimus cognitum esse à Deo Antichristum, vt futurus est, vel dicimus cognitum esse ipsum ratione futuritionis. Quodlibet istorū est ens, ideo necessario à Deo intelligitur per modum præsentis, & necesse est quodlibet esse præsens, & sic concedendū est quodlibet horum esse præsens Deo. De primo, quod est Deum cognoscere Antichristū, vel aduentum Antichristi absolute non comparando ad aliquam cōnotationem manifestum est, quæ possit cognosci per modum præsentis, quia Deo est præsens quocunq; sit, & nō dicit aliquam rationem contrariā præsentialitati, & sicut vere præsens est, ita vere intelligi potest à Deo, vt præsens ei. Secundū erat, quæ intelligeret Antichristum esse futurū, vel sub ratione futuri, & hoc eodem modo debet esse præsens Deo ad hoc, quæ intelligat sub ratione præsentis, & verum est, quæ est præsens. Sed sciēdū quæ Antichristū esse futurum, vel sub ratione futuri, dicit duo; vnum negatiū, & vnu affirmatiū, s. quod Antichristus nūc non habeat esse, & aliquādo habeat esse post hoc. Primum, quia negatiū est non est ens, & cōsequenter nō habet aliquam præsentialitatem ad Deum, habet tamē præsentialitatem per suum oppositū: sicut enim rectus est iu-

A est iudex sui, & obliqui iuxta Aristot. quinto Physicorum, ita & habitus est iudex sui, & priuationis, & affirmatio est index sui, & negationis. Et sicut licet vtrumq; extremum contradictionis non existat, & tamen vtrunque cognoscitur, scilicet, vnum per alterum, ita cum affirmatiuum, vel posituum Deo praesens sit: negatiuum quanquam secundum se non intelligatur, intelligitur per positionem aliquam quae est iudex illius, & illa est praesens. Sufficit autem hoc, quod id quod intelligitur per modum praesentis sit Deo praesens, nam cum nunc esse sit aliquid, & sit Deo praesens: Antichristum non esse nunc intelligitur per hoc quod est nunc esse, & est ens atque Deo praesens.

B Secundum est posituum, scilicet, quod Antichristus habeat esse aliquando postea, & istud est Deo praesens: nam illud quando; in quo habebit esse Antichristus praesens Deo est, sicut istud praesens, vel instans, quod est nunc, & esse, quod tunc habebit Antichristus, Deo praesens est cum illud vere praesens erit, & Deus est vere praesens illi praesenti secundum illud instans durationis, per quod nunc est praesens.

C Tertium erat quod ratio futuritionis sit Deo praesens. De hac posset dicere aliquis, sicut de esse futurorum, quod importat duo, scilicet, non esse nunc, & postea esse: vtrunque est Deo praesens. Primum non per se, sed quod suum oppositum affirmatum, & hoc sufficit ad hoc, quod intelligatur per modum praesentis. Secundum per se ipsum est praesens, quia est posituum: & quanquam non sit praesens secundum conditionem temporis, est tamen praesens Deo secundum conditionem aeternitatis.

D Aliter & manifestius dici potest, quod præteritio, & futuritio sunt rationes pertinentes ad relationem: nam non est aliquid futurum, nisi secundum quod refertur ad praesens, & idem de præterito, & non haberet esse aliquid præteritum, & futurum, nisi secundum quod referuntur ad praesens, ut declaratum est supra, & ista est propria conditio relatiuum inductu de omnibus his tribus, quod Deo presentia sint, sed id, quod Deo praesens est potest ab eo intelligi, vt praesens, ergo omnia intelligi possunt a Deo, vt presentia. De præterito autem similia exempla ponendi deberent, & idem modus probandi est per omnia, ideo dicendum, quod Deus intelligit futurum per modum praesentis, & esse futurum per modum praesentis & ipsam futuritionem, & præteritionem per modum praesentis.

*Solutio
ta ita
dubita-
tionis,
in q. 39*

E præteritione, quod sit praesens. Nec existimet aliquis ista esse absurdum, tanquam prædicentur opposita de oppositis, scil. praesens de præterito & futuro: nam futuritio, & esse in præsenti non sunt opposita, licet futuritio, & præsentialitas opponantur: ideo futuritio nunquam erit præsentialitas, & tamē erit in præsenti. Ita dictum fuit supra latè de potentialitate, & actu, quod potentialitas est in actu, vel est actualiter, & tamen potentialitas non est actus, vt hominem posse currere, est nunc, & ista est potentialitas, sed hominem posse currere non est actus, & ista potentialitas necessario est in actu, nam si non esset in actu non posset nunc Sortes currere, vel esse niger, posse autem hec est per potentialitatem: ergo ista est in actu, & impossibile est potentialitatem esse in potentia, quia tunc non esset aliquid, per quod res sit in potentia ad potentialitatem. Sicut ergo potentialitas, & esse in actu non sunt opposita, sed potentialitas est actus: ita præteritio, & futuritio non sunt contraria ad esse in actu, sed præteritio, & futuritio sunt contraria ad præsentialitatem, & sicut potentialitas ad aliquid non est in potentia, sed in actu; ita futuritio non est futura, sed praesens: & sicut impossibile est potentialitatem esse in potentia, quia non esset aliquid, per quod res esset in potentia, ita futuritio non potest esse futura, quia tunc nihil esset, per quod res esset futura. Ita quoq; de entibus potentialibus dicitur, quod illa non sunt in actu accipiendo potentiale pro forma, quæ recipi potest, & non pro subiecto receptio, & tamen esse in potentia est actualiter, vel in actu, vt Sortes est in potentia ad esse album, & hoc est actualiter, tamen Sortes non est actualiter albus. Potentiale ergo non est in actu, sed esse potentiale, vel esse in potentia est in actu. Ita id quod futurum est, non est praesens, sed esse futurum est praesens, & non potest dici esse futurum, quod sit futurum, tamē non dicetur, quod esse futurum sit esse praesens, ideo non opponuntur esse futurum, & esse in praesenti, sed esse futurum, & esse praesens, & opponuntur futurum, & praesens. Et sic patet inductu de omnibus his tribus, quod Deo presentia sint, sed id, quod Deo praesens est potest ab eo intelligi, vt praesens, ergo omnia intelligi possunt a Deo, vt presentia. De præterito autem similia exempla ponendi deberent, & idem modus probandi est per omnia, ideo dicendum, quod Deus intelligit futurum per modum praesentis, & esse futurum per modum praesentis & ipsam futuritionem, & præteritionem per modum praesentis.

*Tria
næbra
supra-
dicta
sunt
Deo
praesen-
tia.*

V undecimum argumentum prius, duodecimum deinde ac 13. propo-
nuntur, quæ videntur facere contra conclusionem posi-
tam quest. 57. & singula refelluntur.

Q V A E S T I O LXII.

S Ed adhuc arguet aliquis, quod non intelligat Deus omnia per modum praesentis, quia Deus intelligit Sortem non in ratione praesentis, ergo non intelligit Sortem, vt praesentem. Probatur antecedens, quia Deus intelligit omnia, & Sortem esse, & non per modum praesentis est aliquid, quia esse per modum præteriti, vel futuri est aliquid, & iste non est modus praesentis, ergo non intelligit Sortem per modum praesentis.

F Respondendum, quod in ipsis propositionibus est fallacia compositionis, & divisionis: quia cum dicitur Deus intelligit Sortem non per modum praesentis: ista determinatio, scil. non per modum praesentis potest determinare illud verbum intelligit, vel quoddam participium subintellectum, scil. entem, vel existentem. Si primo modo est proposition falsa, scil. quod Deus Sortem intelligat, & non per modum praesentis: & hoc est falsum, quia cum Sortes sit praesens Deo, si intelligatur ab ipso aliter quam per modum praesentis est error. Secundo modo est sensus, Deus intelligit Sortem non per modum praesentis, sed per modum præteriti, vel futuri: quia futurus, vel præteritus est & tunc est sensus, quod Deus intelligit Sortem, qui est præteritus, vel futurus, & eum esse præteritum, vel futurum & hoc verum est.

Et neesse est concedi hoc modo, quod Deus intelligat Sortem, vel Antichristum non per modum praesentis, quia istud est aliquid ens, quæ omnia dicimus intellecta a Deo. Et quandocunq; tales propositiones ponantur, concedenda sunt, si ille modus teneat se ex parte rei intellectæ, sed non ex parte intellectus Dei.

A Si autem referatur ad diuinam cognitionem, probato-nes nō procedunt, quia tunc deberet sic fieri probatio, Deus intelligit omnia, & Sortem intelligi à Deo, & non per modum præsentialitatis, est aliquid: ergo hoc Deus intelligit. Sed tunc minor est falsa, scil. quod Sortem intelligi à Deo, & non per modum præsentis, est ens: non est enim ens, cum nihil intelligat, nisi per modum præsentis. Et in casu posito, cum refertur modus ille ad rem intellectā, verum est, quod Deus intelligit Sortem non per modum præsentis, id est, qui non habet modum præsentialitatis, & hoc Deus intelligit per modum præsentis: nam Sortem non esse præsentem nō solum Deo præsens est, cui omnia quandocunq; sint præsen-tia sunt, sed etiam nobis præsens est, quia Sortem, vel Anti-christum non esse præsentem est nunc, & nobis præsens, si-cut dicebatur, quod Antichristum esse futurum est præsens, & creationem mundi esse præteritā est præsens. Quodeun-que autem Deo præsens est, per modum præsentis intelligi-tur ab eo, sicut nos cum verè intelligimus omnia, quæ nobis præsentia sunt, per modum præsentis intelligimus.

B Sed adhuc arguet aliquis, quod non intelligat Deus omnia, vt præsentia, quia tunc intelligeret in ratione præsentis omnia, quia ista idem sunt: quo dato sequitur, quod solam rationem præsentis Deus intelligit. Patet consequentia, quia si aliquis intelligit omnia, quæ sunt in ratione entis, vel sub-stantia non considerando aliquam aliam rationem non in-telliget aliquid in ratione humanitatis, aut asinilitatis, & sic de cæteris; & tunc sequitur, quod iste non omnia intelligit, quia ratio humanitatis, lapideitatis, asinilitatis aliquid est, & tamen non intelliguntur: ergo si Deus intelligat omnia in ratione præsentis, solam rationem præsentis intelliget, & nō intelligat omnia, sed hoc est falsum: ergo nō intelligit Deus omnia, vt præsentia, vel in ratione præsentis.

C Respondeendum est, quod ista propositio Deus intelligit omnia sub ratione præsentis habet duos sensus: uno modo, quod modis præsentis teneat se ex parte Dei intelligentis: alio modo, quod teneat se ex parte rerum intellectarum.

Primo modo est sensus, quod Deus intelligit omnia, vt præsentia, vel in ratione præsentis, id est, quod Deus intel-ligit omnia, & illa sunt sibi præsentia, & hoc modo vera est propositio.

Secundo modo est sensus, quod Deus intelligat omnia per modum præsentis, vel in ratione præsentis, id est, quod sub hac ratione intelligat omnia, scil. de omnibus eis for-mando conceptum præsentialitatis, quem de ipsis prædicet, sicut nos interdum intelligimus hominem, & asinum in ratione cibi solum, non considerando aliam rationem, vel na-turam in eis. Et etiam hoc modo verum est, scil. quod Deus consideret omnia per modum præsentis, quia Deus intelligit habitudinem, quam omnes res habent ad ipsum, sed omnia ad eum sunt, vt præsentia, ergo intelligit omnia, vt præ-sentia sibi.

D Et si dicamus, quod Deus non intelligit omnia, vt præ-sentia, ita vt iste modus teneat se ex parte rei intellectæ, dice-tur necessariò, quod Deus non intelligat omnia sibi esse præsentia, ergo non intelligit omnia, præsentia.

E Et cum arguebatur, quod ex hoc sequeretur Deum non intelligere omnia, quia si intelligeret omnia sub ratione præ-sentialitatis: ergo non intelligebat sub ratione humanitatis hominē, & sub ratione albedinis ipsum albū, & tunc non in-telligeret omnia: neganda est consequentia, quia quanquā Deus intelligat omnia in ratione præsentis, etiam intelligit sub multis alijs rationibus, quia intelligit omnia sub ratione entis, & omnes substantias sub ratione substantiæ, & sic de cæteris rationibus intelligendi. Sub quot enim rationibus tenentibus se ex parte rerum intelligibiles sunt res, sub tot intelliguntur à Deo, & hoc per unicum actum intelligendi consubstantialē, vel qui est eadem substantia, quæ Deus, & sic Deus intelligit omnia. Si tamen cōcederemus Deum in-telligere omnia sub ratione præsentis, & non sub aliqua alia ratione, verum est, quod Deus non intelligeret, quia multe rationes manebant non intellectæ, ideo nō est concedendū.

F Sed adhuc arguetur Deus iutelligit omnia, sed intelligere per modum præteriti & futuri est aliquid: ergo Deus intel-ligit per modum præteriti & futuri: & consequenter non in-telligit omnia per modum præsentis.

Respondendum est, non tenere consequiam; quia non accipitur in conclusione, quod in minori, nec potest reduci ad formam, quia reperientur quatuor æternitatis: sed concludendum est sic: Deus intelligit omnia, sed modus præteriti & futuri est aliquid: ergo Deus intelligit modum præteriti, & futuri: vel intelligit quid est modus præteriti & futuri: & hoc concedendum est, quia sicut Deus intelligit modum præsentis, & quid sit præsens, ita intelligit modum præteritionis, & futurionis, & quid ista sint. Si autem velle-mus sic ponere in promissis, sicut concludebatur erat sic ar-gendum: Deus cognoscit per omnem modū cognoscendi, & con-tineat eminenter perfectiones omnium specierum, & crea-turarum, & aliarum rerum, & modos cognoscendi. Et quid sit conti-nere aliquid eminenter. Vbi docetur, quod una species non excedit, nec potest excedere aliam, nisi in unico gradu perfectionis. Et quod quilibet species superior eminenter omnem inferiorem speciem continet. Et quod Angelus habet perfectiones hominis, & amplius.

Q V A E S T I O LXIII.

S E D pro maiori declaratione prædictorum sciendum, p-ista propositio est necessaria, scil. Deus cognoscit omnia, & omnem modum, sed non ista: Cognoscit omnia per om-nem modum. Cognoscit enim Deus visibilia, audibilia, tan-gibilia, adorabilia, sed non per modum visionis, auditionis, odorationis, & tactus; quia nec videt, nec audit, &c.

Item Deus cognoscit omnia sensibilia, imaginabilia, & ratione cognoscibilia: sed non cognoscit sentiendo imagi-nando, ratione abstrahendo, atq; vniuersalitates efficiendo, sed sola intelligentia, quæ est gradus ultimus, & ei soli pertinet formaliter, vt ita dicam: cuncta intelligit iuxta Boetiu, de consolat. lib. 5. Prosa 4. Et utrumque necessarium est. Nam si diceremus latere Deum aliquem modum, vcl rem, quam non cognoscet, cum cognitio sit perfectio, deesset Deo aliqua perfectio, ideo tam res quā modos rerum, siue esen-do, siue apprehendendo Deus cognoscit. Secundum etiam necessariū est, scil. quod Deus non habeat omnes modos in-telligendi, & apprehendendi, id est, quod non intelligat per omnes modos, quia quidam istorum modorum imperfecti sunt, sicut sensationes, quæ non possunt fieri, nisi in præsen-tia obiecti, & paciente organo ab obiecto: Deo autem repugnat quæcunq; imperfectio, ideo nō potuit habere, nec de-cuit omnem modum cognoscendi. Habet tamen unum modum cognoscendi excellentissimum, qui continet eminenter quidquid perfectionis est in alijs modis cognoscendi. Sic est de intellectu nostro, qui non videt, nec audit, nec gustat, & tamen omnia gustabilia, audibilia, & visibilia cognoscit, & quodā perfectiori modo quām cognoscantur ab ipsis sensi-bus, & plura adhuc cognoscit, quām potentia sensitiva cognoscant. Ita modus intelligendi Dei continet omnia in-telligibilia aliorū modorum apprehendendi, & perfectius, & aliqua ultra intelligit, ideo perfectionem omnem aliorum eminenter continet, nec oportet ponи aliquos modos cognoscendi in eo, & dato, quod possent ponи, non deberent ponи.

G Si autem aliquis contendet debere ponи omnes modos intelligendi in Deo, vt perfectior sit, irrationabiliter valde loquitur. Nam tunc oportet etiā ponи omnes modos ha-bendi esse, vt perfectior sit. Nam sicut modus intelligendi continet perfectionem, ita & modus essendi, & tunc Deus habebit esse, vt lapis, & vt coluber, & vt ignis, sed ista ab-surda sunt, quia licet quilibet modus essendi horum contineat aliquam perfectionem, in quantum continet esse: tamē contineret multas imperfectiones, quarum in Deo nulla est possibilis. Sicut igitur Deus nō potest esse coluber, lapis, nec ignis, qui sunt modi essendi: ita nō potest videre, audire, ab-strahere rationem vniuersalem, cognoscere per modū præteriti, & futuri, qui omnes sunt modi cognoscendi: sed vt Deus

A Deus continet omnem perfectioem rerum sine aliqua imperfectione, necesse est dari quendam modum continendi eminentem. Et sicut dederimus in eo modū essendi eminentem, quo continet perfectiones essendi omnium rerum, & modorum suorum, sine modis essendi rerum ipsarum, sed per quendā alium modū valde distinctū, ita dabitur modus cognoscēdi eminentis, quo Deus continet omnes perfectiones aliorum modorum cognoscendi, & aliquid amplius, & tamen non habeat illos modos. Continere autem aliquid eminenter, est continere perfectionem alicuius rei non continendo ea, quae adiuncta sunt illi perfectioni. Sicut si aliquis habet mille morabetinos, habet eos realiter: si tamen habet decem duplas continet mille morabetinos eminenter, quia cōtinet quidquid perfectionis est in mille morabetinis, & ali quid amplius. Quod patet, quia perfectio mille morabetinorum est valor eorum, cōtinens autem decem duplas continet valorem mille morabetinorum, & non continet imperfectionem eorum, scilicet, nigredinem, pondorositatem magnam, pluralitatem inutiliem. Continendo decem duplas sunt perfectiones opposita, scil. quod moneta non est nigra, sicut morabetini, sed est color earum gratus, quia est color aurii, cum sit materia verum aurum: item non continent pondorositatem decem duplā in respectu ad mille morabetinos: item non continent imperfectionem magnam, quae est pluralitas magna & inutilis, cum in decem duplis, qui est parvus numerus, magna reperiatur utilitas, scilicet, valoris.

B Amplius autem continentur aliae perfectiones in duplis, quae non sunt in morabetinis, scil. utilitas aliqua ad medicinas, quia ex auro sunt, quod non est in morabetinis, & aptitudo ad picturas, quia ex auro sunt aliquæ materiae pictoriū, quod nō reperitur in mille morabetinis, & sic de multis alijs perfectionibus, quae sunt in duplis. Verè ergo continet eminenter mille morabetinos, qui habet decem duplas.

C Duo autem dicit continere eminenter, scil. tenere perfectionem alterius: secundum tenere illam sine imperfectionibus, & cum vltioribus perfectionibus. Primum est solū continere: secundū autem est eminenter. In Deo autē ista reperiuntur, tam quantū ad modum essendi, quādā ad modū cognoscēdi, quod ipse cōtinet in suo modo essendi omnes perfectiones essendi, quae sunt in alijs rebus eminenter, & in suo modo cognoscendi continet perfectionem omniū aliorum odorum cognoscendi eminenter. Et primo de modo essendi inquirendum est.

In quo est sciendum, quod species iuxta Aristot. doctrinam, sunt sicut numeri ideo sicut quilibet numerus continet quemlibet inferiorem eminenter, ita quilibet species continet omnes minores eminenter.

D In q. 43 De numeris patet, quia quinarius continet quaternariū eminenter, cum continet totam perfectionem illius, & ali quid vltra: perfectio enim numeri quaternarij sunt quatuor vnitates: has autem continet quinarius, & non cum imperfectione quaternarij, quia quaternarius continet quatuor vnitates cum præcisione, quae tollit vltiorem perfectionē quaternarij numeri. Quinarius autem cōtinet illas quatuor vnitates, sed non cum præcisione, quia præter illas adhuc continet aliam vnitatem. Necesse est autem sic esse de species, cum se habeant, sicut numeri: & numeri excedunt se per vnicam vnitatem, ita ut quilibet species numeri exceedat alium numerum immediatum in vnitate sola: necesse est igitur, vt species in substantiali perfectione se excedant, ita ut quilibet species excedat aliam vnicum gradu essentiali: si enim non excederet quilibet species aliam in aliquo gradu, necesse esset omnes species esse eandē speciem, vt supra fuit declaratum, sed excedit quilibet species aliam. Fit autem iste excessus in vnitate vnicā, scilicet, in gradu vno.

Nam si daretur, quod aliqua species excederet aliam duobus gradibus perfectionis essentialis, posset dari species materiae, quae excedetur, & excederet secundū vnum gradum.

E Item esset discontinuitas in entibus vniuersi, quia quoniamque inter aliqua, quae immediatē colligari debent, datur aliquod medium, non est ibi colligatio, & discontinuitas, quia medium intercidens tollit continuationem: res tamen vniuersi discontinuitatem habent inter se, ergo non debet excedere aliqua species substantialis alteram, nisi per vnicum

gradum substantialis perfectionis, cū immediatē sunt. Item non essent species sicut numeri, quia nulli duo numeri immediati se excedere possunt minus, quādā per vnitatem, nec etiā magis se excedunt: vnde nunquam sunt aliqui duo numeri distincti secundum speciem, qui habeant & quales vnitates, ita & in speciebus impossibile est vnam alteri esse equalis perfectionis substantialis. Et sicut non potest vnis numerus immediatus excedere alterū, nisi in vnitate, ita non poterit vna species substantialis excedere alteram, nisi in vnicum gradu substantiali.

F Ex hoc autem necesse est, quod quilibet species cōtinat omnē inferiorē speciem eminenter, quia sicut se habent numeri, ita & species, sed quilibet numerus continet inferiorē se eminenter, ergo quilibet species cōtinabit inferiorem se eminenter. Patet hoc ex descriptione huiusmodi cōtinentię: est enim continere eminenter, quando vna res continet omnes perfectiones alterius detractis imperfectionibus, & additis quibusdam perfectionibus, sed sic est de quilibet specie, q̄ excedit immediatā vnicum gradu substantiali: ergo continet omnē perfectionē illius, & aliquid supra. Continet etiam sine imperfectione, quae erant in alio, quod cōtinetur, vt sicut quinarius cōtinet quaternariū eminenter, quia omnem eius continet perfectionē, scil. vnitates illius, & nō continet imperfectionē illius, scil. præcisionē, cum quatuor vnitatis, quia adhuc continet aliam: ita species humana cōtinet omnem perfectionē repertā in specie equi, vel quacunq; alia, scil. esse animal, & habere omnes gradus potentiarum sensituarū exteriorū, & interiorū, & amplius cōtinet gradum perfectionis intellectualis. Ita Angelus cōtinet eminenter hominem, quia perfectiones illius omnes habet, sed nō cum præcisione, quia perfectiones suas habet homo alligatas motui, Angelus autem habet omnem perfectionem humanam non alligatam motui.

G Nec valet si dicas, q̄ no habet omnes perfectiones Angelus, quas homo habet, quia licet habet intelligere sicut homo, nō tamen habet gradus potentiarū sensituarū, in homine autem tam sensitiva quādā intellectua potentia inest.

H Respondendum est Angelū cōtinendo intellectū habere aliquid perfectius potentij sensitivis humanis, & intellectu simul. Quod patet, quia in homine intellectus nō est alius gradus cognoscendi distinctus à potentij sensitivis, ita quod sensitivæ nihil faciant ad intellectū, sed intellectus per se cognoscat, quae cognoscere debet nō egens sensitivis potentij, nec vtens illis, & sensitivæ per se opus suum agant, quia tunc cum intellectus sit aliquid superius potentij sensitivis, & cognoscit quādā, quae nō capiunt potentia sensitivæ, superfluent sensitivæ sufficiente intellectu ad omnia: sed ponuntur sensitivæ potentie, tanquā quidam gradus necessarij ad actum intellectus, quia sine eis intellectus nihil capiet, & ipse sine intellectu nō pervenient ad magnū gradum iudicij, sed erit sicut in pecoribus: ideo sunt potentia sensitivæ, & intellectua in homine tanquā sola intellectua, si per se posset intelligere nō presupponendo actus aliquos sensitivarū, potentiarū nec vtendo eis, aut recipiendo ab ipsis: immo perfectior foret potentia intellectua, si per se ipsum posset intelligere omnia, quae homo intelligit adiutus opere sensitivo, quādā cū egeat omnibus operationibus sensitivis, sicut perfectius est vnu hominem habere vires ad per se portandum trabem, quādā quod duo homines eam portent.

I In Angelo autem sic est, quia in eo ponitur sola potentia intellectua, tanquā cognitina, & nulla sensitivæ sunt, quia nō indiget intellectus Angelicus ad intelligendū actu potentiarum organicarū præcedentī, sed per se ipsum intelligit, nec opus est ei, vt recipiat aliquas species rerum ab extra ad intelligendū, sicut recipit homo, quia in se habet, per quod intelligit: ergo sola intellectua potentia Angelica est perfectior intellectua humana, & omnibus sensitivis eius, quae ordinantur ad eam.

J Si tamen potentia sensitivæ in homine haberent aliquem actum, qui non subordinaretur ad actum intellectus, & intellectus per se ipsum posset intelligere nō vtens, aut presupponens actum organicū nō contineret eminenter Angelus humanam perfectionem, quin potius homo esset perfectior Angelo, sed ordinantur potentia sensitivæ ad intellectuam, & omnes faciunt tanquā vnum gradū potentia intellectua

A per se potenter intelligere: ergo Angelus continebit perfectionē maiore intellec̄tus, quia intellectus suus per seipsum intelligit, quām homo, qui ad hoc indiget potentis sensitivis. Excedit autem in hoc quia homo non potest intelligere, nisi id cuius species ab extra receperit, Angelus autem non indiget ad intelligendum, vt recipiat alicuius rei speciem.

Amplius autem homo ad recipiendum perfectiones suas habet motum tanquā viam: Angelus autem sine motu recipit quidquid recipit. Ergo perfectior gradus essendi correspondet Angelo, quām homini, & continet eminenter perfectiones, quā sunt hominis, & non cum imperfectionibus, quas habet homo, scil. recipere ab extra species, & habere motum. Ita de quacunque specie ad alteram arguendum est, quōd contineat eminenter omnis species eam, quā sub ea immediate est, & omnes inferiores ad illam, quia aderit gradus substantialis perfectionis ad omnes illas.

Deus omnium specierū perfections eminenter continet.

B Deo autem conformiter dicendum est, q̄ contineat eminenter perfectiones omniū specierum, quia homo continet in se eminenter perfectionē omniū specierum rerum non animatarum, & animalium: Angelus autem continet eminenter perfectiones hominis, & consequēter minorum specierum, sed Deus continet eminenter Angelorum perfectionem, ergo continet eminenter perfectionē omniū rerum. Ethoc est quantum ad modum essendi.

An Deus contineat eminenter perfectiones omniū individuorum, sicut continet specierum. Et quod quilibet substantia, seu gradus substantiae quantumcunque minimus excedit perfectionem omniū accidentium etiam simul sumptorum.

Q V A S T I O LXXXIII.

Sed dicet aliquis, quōd ex hoc patet Deum continere eminenter perfectionem omniū specierum substantialium, sed nondū patet eum continere eminenter perfectionem omnium rerum, quia præter naturas specificas sunt individua, quorum quodlibet est tota natura speciei, & cum sint cuiuslibet speciei innumerabilia individua, erit perfectio valde magna cum totiens multiplicata fuerit, sicut perfectio duorum hominū est dupla ad perfectionē vnius, & ad perfectionem horum fortem nō erit eminenter se habens perfectio diuina, vt aliquis excogitabit. Respondendū est, quōd cum probatum sit Deum continere eminenter perfectionē omniū specierum, patet inde continere eminenter perfectionem omniū individuorū substantialē. Pro quo secundum, quōd individua non addunt aliquam perfectionē substantialē ad speciem, & multa individua simul non sunt majoris perfectionis substantialis, quām vnum, vt duo homines non continent maiorem perfectionem substantialē, quām vnum homo, etiam si sint homines infiniti: ideo qui continet totam perfectionē speciei humanae eminenter, continebit quoq; perfectionē substantialē omniū hominum. Nec valet, si dicas quōd quilibet homo habet distinctam humanitatem particularem ab alio, quia non habet aliquid humanitas istius, per quod differat ab humanitate illius, nisi numerum & signationē materiae, qua distinguitur. Ablata autē materia signata nō differenter ista duæ humanitates, sed hoc, quo differunt accidentale est, ergo nihil substantialē addit vna humanitas ad aliam, vel duæ humanitates ad vnam.

Sed adhuc dicet aliquis perfectiores esse duos homines uno homine, quia quilibet homo continet totam perfectionem speciei, ergo cum fuerit multoties facta addito vnius hominis ad alterum, duplabitur multoties perfectio specifica, & coniuncta perfectio mille hominum simul erit millecupla substantialiter ad perfectionem speciei, vel ad perfectionem vnius hominis, sicut est de binario, quia vnum binarius additus alteri facit maiorem perfectionem, quam si sit vnum binarius, & tamen ibi solum est replicatio individuorum eiusdem speciei.

Respondendum est non esse sic de individuis substantialibus, sicut de individuis numerorum, quia individua substantialia eiusdem speciei quotiescunque replicentur, nihil substantialē addunt ultra speciem, individua tamen numeri eiusdem replicata addunt aliquid ultra speciem, quod patet,

quia mille hominum non est, nisi homo, nec dicunt magis de homine quam vnu homo, sed solum addunt in numero, quod est extrinsecum ad humanitatē. De numeris est ē contrario, vt si ponantur tria individua numeri binarij addent aliquid ad speciem, quia non solum erunt binarij, sed magis facient senariū, qui est alia species distincta à binario essentialiter: in individuis ergo substantialibus additio individui ad individuum non mutat speciem, nec addit substantialē perfectionem, in numeris autem necessario mutat, ideo nō est simile. Si tamen mille hominū adderet aliquid perfectio- nis substantialis ad speciem, non essent homines, vel homo. Quod patet, quia substantialia speciei consistit in individuibili, ideo aliqua perfectione addita, necesse est mutari speciem sed mille hominum nō mutant speciem plusquam vnu ho- mo: ergo non addunt aliquam substantialē perfectionem mille ad vnum. Hoc modo patet, quōd qui continet perfe- ctionem specierum omnium eminenter cōtinebit substancialē perfectionē omnium individuorum. De perfectione accidentalī manifestum est, quōd contineat eam Deus eminenter. Nam substantialia & accidentis participant eis ināqua- liter, sicut vitis, & propago, & subiectum, & accidentis, ideo nō est eis cōmunis aliqua vna idea, sed est æquiova prædicatio, vt satis clare ponit Arist. I. Ethic. c. de vniuersali plato- nico. Ergo necesse est, quōd quæcunq; substantia excedat in perfectione omnia accidentia, nam accidentia quantūcun- que perfecta sint, nō possunt supergredi naturam accidentis, & quæcunq; substantia quantūcunq; sit imperfecta nō po- test deficere à perfectione substantiae, sed substantia excedit accidentis, ergo necesse est quamlibet substantiā excedere om- nes accidentes, ita vt omnia accidentia simul nō sint ita per- fecta sicut vna substantia quantumcunque imperfecta sit, quia sicut nullū accidentis quantūcunq; perfectionis sit potest excedere naturam accidentis, ita omnia accidentia simul nō possunt excedere naturam accidentis, & consequenter om- nia simul nō peruenient ad æqualitatem perfectionis substancialē alicuius, ita vt si ponatur vnu gradus substantialis perfe- ctionis, in quo saluetur natura substantiae, & rursus ponatur omnia accidentia ē contrario comparata illi gradui substancialē non peruenient omnia ad æqualitatem substantiae vnius gradus substantialis, sed quæcunq; species excedit omnes alias inferiores, saltem secundū vnu gradum substantialis perfectionis, ergo necesse est, q̄ quæcunq; species excesserit aliam in perfectione substantiali sit simplex excellentior illa quantū ad omnem perfectionem. Et ponatur exemplum, vt sint duæ species immediate substantiales, in illa, quā est in- ferior ponantur quotcunq; accidentia voluerimus etiam si esset possibile ibi ponit infinita, & quodlibet diceret aliquam perfectionem, & in alia quā excedit secundū vnu gradum substantialē nō esset aliquod accidentis, sed sola specifica per- fectio, istius secundæ perfectio substantialis esset maior per- fectione substantiali, & accidentalī simul sumpta prioris. Quod patet, quia quilibet substantia quantūcunq; imperfec- tia est perfectior omnibus accidentibus simul sumptis, vt probatum est, sed ista secunda excedit primam in uno gradu perfectionis substantialis, in quo saluat ratio substantiae, quia alioquin non esset ista alia species à priori, ergo iste gra- dus, in quo excedit, erit maioris perfectionis, quām omnia accidentia quæcunq; possint alicui inesse. Ideo non solum hanc speciem dicemus esse substantialiter perfectiore altera, sed simpliciter etiā erit verum. Vnde sit regula, q̄ quæcunq; species excedit aliam substantialiter, excedit eam simpliciter quantū ad omnem perfectionem inexistente, & possibile aduenire. De Deo similiter dicendum est, quōd cum ipse contineat eminenter perfectionē omniū rerum substancialiter necessario excedet eas, quantū ad omnem perfectionem, ita quod non solum perfectio Dei est maior perfectione rerum quantum ad substantialia sua, sed etiam quantum ad accidentalia simul sumpta. Hæc autē ex fundamentis naturalibus scientiæ aliquo assumpto ex fide inducta sunt. Ex prædictis patet, q̄ Deus contineat eminenter perfectionem omniū rerum quantū ad modū essendi, scil. q̄ quanquā ipse non habeat modos essendi omniū rerum, vnu habet, qui continet perfectionē quæcunq; sit in omnibus illis, & nul- lam habet imperfectionem illorum, & insuper habet perfe- ctiones alias, quā non reperiuntur in rebus.

A
Quatuor sunt modi cognoscendi, quos Deus continet eminenter, licet non cognoscat omnibus illis modis sicut nos. Et quomodo intellectus aliquando cognoscit rem absolute aliquando sub conditionibus particularibus non particulariter, sed universaliter, cum quod quid est obiectum sit intellectus, id est, universalis, & non particolare.

Q V A E S T I O L X V .

B
modo autem intelligendi Dei idem est, quia sicut Deus, licet non habeat omnes modos essendi rerum habet quandam modum quo continetur omnis perfectio aliorum mōdōrum essendi: ita licet non habeat omnes modos apprehendendi rerum habebit modū quandā vnum, quo continetur tota perfectio mōdōrum intelligendi aliarum rerum. Sunt autem modi cognoscendi quatuor, primus est sensitivus quantum ad sensus exteriores; secundus est imaginativus quantū ad sensus interiores; tertius est ratiocinatus quantū ad intellectū nostrum facientē abstractiones, & universalitates, & quantum ad angelicum intellectum; quartus modus est intelligentia quantū ad diuinam conceptionem. Quilibet horum est distinctus ab altero: nam primus est quo comprehenduntur figuræ rerum, vel accidentia in materiali substantia existentes. Secundus modus est, quo cognoscuntur accidentia rerum sine præsentia earum, & tamen sub rationibus particularibus. Tertius modus est, quo ex particularibus colligitur conceptus vniuersalis abstractione facta, & nō consideratur proprietas in præsencia subiecti, nec sub conditionibus materialibus. Quartus modus est, quo consideratur res simplicissimè, vt ita dicam, formaliter. Isto quatuor gradus ponit Boetius, de consola. lib. 5. Prosa 4. In his est regula, quod quidquid apprehenditur per priorem apprehenditur per posteriorem, & non ē contrario: ideo semper posteriores modi sunt perfectiores prioribus, nam potentia visiva, quæ pertinet ad primū gradum solum colorem, & lucē considerat, auditiva vero voces, gustativa sapores discernit, & sic de ceteris: imaginativa tamen non solū lucem iudicat, & colorem, sed etiā saporem discernit, & odorem, atq; voces: & vt generaliter dicam, quidquid omnes quinq; potentias sensitivæ exteriores iudicant, ipsa sola imaginativa diuidat, ideo necesse est esse perfectiorem quacunq; exteriori sensitiva, & hoc verum est de quacunque potentia sensitiva interiori, scil. sensu cōmuni imaginativa phantastica, astmativa, memorativa: quilibet enim harum iudicat de omnibus obiectis, de quibus quinq; exteriores iudicauerunt, ideo necesse est esse quamlibet harū valde perfectiore quacunq; exteriori. Sicut potentia auditiva est perfectior quacunq; sensitiva exteriori, si ipsa esset ad videndum, audiendum, gustandum, tangendum, & odorandum, & quilibet reliquarum ad vnicum actum esset, & ista diceretur continere omnes alias eminenter, quia continet perfectionē earum, & insuper plus. Conformiter de qualibet interiori sensitiva dicendum est, quod continet eminenter omnes sensitivas exteriores, quia quilibet de interioribus, de quibus iudicant omnes potentias exteriores, & amplius non cognoscit cum ea imperfectione, cum qua cognoscunt potentias exteriores, quia illæ solum obiecto præsente cognoscunt, interiores autem potētia nihil magis cognoscunt præsente obiecto, quam absente: immo realiter ab obiecto non potest fieri in eas aliqua specierum immediata defluxio, sed sit in potentias sensitivas exteriores, & inde in imaginativas potentias atq; organa. Non dependere autem ab obiecto actualiter perfectio quedam est, quam addunt potentias interiores super exteriores: ideo quilibet interiori eminenter continet omnes potentias exteriores. Intellectus autem qui est potētia tertij gradus continet eminenter omnes potentias sensitivas exteriores, & interiores: primo enim omnem earum perfectionem continet, secundo autem nō apprehendit cum imperfectione earum, & aliam superaddit perfectionem. Nam intellectus omnia intelligit, quæ oculis cernuntur, auditu, gustu, odoratu, & tactu iudicantur; sed nec videndo, nec audiendo hoc percipit, sed intelligendo: etiam non cum imperfectione potentiarum sensituarum exteriorum, quia illæ non perficiunt actus suos, nisi præsente obiecto: intellectus autem

D
nulla obiecti præsentialitate, vel absentia mouetur: etiam potentias exteriores cum percipiunt actualiter, ab obiecto immutantur, intellectus tamē nunquam à materiali obiecto quidquam suscipit.

E
Item continet intellectus eminenter omnes potentias sensitivas exteriores, quæ imaginativa vocantur. Nam omnes actus earum explet: quidquid enim circa susceptas species quinq; potentias exteriores agunt hoc intellectus vno actu facit, & non cum imperfectione harum potentiarum: istæ enim species materiali, licet in materia non suscipient, & in ipso subiecto, tamen sub conditionibus particularibus suscipiunt: intellectus autem conditiones particulares rei considerare potest, sed nihil considerat sub conditionibus materialibus, ita quod species rerum, per quas intelligit non repræsentat ei sub omnibus particularitatibus, sicut potentias ipsi sensitivis: cum autem intellectus iudicat de conditione particulari, non est ipsa ibi, vt conditio particularis rei intellectæ, sed vt obiectū intelligibile, cum vero apprehenditur species rerum per potentias sensitivas exteriores, vel interiores particulares conditions non sunt ibi, vt obiecta intellecta, sed vt conditiones obiecti apprehensi, & dijudicati, sine quibus conditionibus nō potest species illa repræsentare illi potentias quidquā, intellectus autem cum conditione rei particularem intelligit non eam, vt conditionem obiecti accipit, sed vt obiectum per se intelligibile. Et ob hoc conditiones particulares intellectus vniuersaliter intelligit. Et est verum illud, scil. quod intellectus semper apprehendit vniuersaliter, scil. quantum ad modū apprehensionis, licet obiectum aliquando particolare sit, & patet quomodo intellectus semper vniuersaliter rem apprehendat, scil. ipsam rem pure, sine conditionibus particularibus, & potentias omnes sensitivæ cum conditionibus particularibus necessario percipiunt. Nam cum aliquis videt Sortem videt eum esse albū, esse crispum, esse magnum, esse paruum: indutum, vel nudum: iacentem, vel sedentem: vel quiescentem, vel in motu, & sic de ceteris conditionibus, & istæ sunt conditions particulares, cum vero Sortes videtur si posset videri sine conditionibus materialibus, solum Sortes compiceretur, sed cum aliquis videt Sortem necesse est, vt hęc omnia videat, & dato, quod vellet videre Sortem qualiter est albus, & crispus, non poterit hoc solū videre, si iacet, vel stat mouetur, vel quiescit, est magnus, vel paruu, est distans, vel prope, & sic de ceteris, ideo nō solum qui per potentias sensitivas apprehendit, particulariter apprehendit, sed etiam impossibile est aliter apprehendere.

F
De interioribus autem sensitivis potentias eodem modo fit, quia sēpe repræsentantur res per somnium sub conditionibus suis particularibus magni, vel parui: loquentis vel taccentis: induti, vel nudi: quiescentis, vel actualiter moti, & sic de ceteris.

In intellectu autem est ē contrario, quia non est necesse intellectū sub cōditionibus particularibus cognoscere ipsas res. Nam tunc non posset intelligere hominē, nisi vt album, & sedentem, vel motum, & sic cum ceteris cōditionibus suis, intellectus tamen cognoscit interdum solam quidditatem, nulla posteriora cognoscendo, ergo non est necesse, quod cognoscat sub conditionibus particularibus.

Item non potest cognoscere intellectus sub cōditionibus rei materialis, sed quamcunq; rem puram considerat: nam cum intelligit per speciem hominis solum hominem intelligit, & impossibile est, quod intelligat aliquid alterum, cum verò per speciem albedinis intelligit, solam albedinem considerat, & cum per speciem crispitudinis, solam crispitudinē contemplatur, & sic de qualibet conditione materiali: ipsa enim pro se habet speciem, per quam distincte cognoscitur tanquā obiectum, & non cum eo, cuius est conditio particularis. Et ob hoc est, quod sicut cognoscit intellectus Sortem, non considerando eius albedinē, ita interdum cognoscat albedinem Sortis, nō considerando Sortem, & interdū crispitudinem eius motum, & figuram distantiam situationem, & ceteras conditions, ita vt nō magis videatur crispitudo Sortis conditio particularis, quam Sortes cōditio crispitudinis: vtrunq; enim ab altero absolutum est, & per se intelligibile. Si tamen cognoscerentur ista, vt cōditiones particulares rerum, non cognoscerentur per se, sed cum ipso, cuius sunt

A conditiones, sed cognoscuntur distincte non habendo ali- quam magnitudinem ad subiectum, cuius sunt conditiones: ergo quanquam sint particulares conditiones, tamen non comprehenduntur ut conditiones particulares, sed ut obiectum per se intelligibilia.

An intellectus cognoscit conditiones particulares sub conditionibus particularibus particulariter, & non vniuersaliter.

QVÆSTIO LXVI.

ET si objiciatur, quod sicut cum videmus Sortem vide- mus cum album, vel nigrum, sedentem, vel iacentem, magnum, vel paruum, & sic de ceteris conditionibus, ita interdum Sortem intelligimus esse album, & moueri, & esse felicem, & in scholis, vel platea, & indutum, &c. ita ut nihil differat apprehensio intellectus à iudicio sensituo in conditionibus particularibus.

Respondendum est, quod intellectus nunquam potest concipere rem cum conditionibus particularibus quod est concipere particularitatem, sed semper vniuersaliter, cum tamē ista intelligit, non apprehendit obiectum cum conditionibus particularibus, sed apprehendit obiectum per se, & conditiones particulares per se tanquam obiecta, scil. quod intellectus noster per speciem hominis intelligit hominem, & per speciem motus intelligit eum moueri, & per speciem albedinis intelligit eum album, & sic de ceteris, & tunc quælibet speciesistarum representat vniuersaliter, quia representat naturam rei sine aliquibus conditionibus: nam sicut dicimus hominem intelligi vniuersaliter cum solam eius quidditatem concipiimus, ita albedo signabit vniuersaliter, si solam naturam albedinis signet, sed sic fit, quia cum aliquis apprehendit per intellectum hominem esse album, & moueri in scholis per multas species hoc apprehendit: nam per speciem hominis iudicat hominem, & nihil amplius, & istud est concipere vniuersaliter: per speciem albedinis iudicat de albedine eius, & nihil magis, ideo vniuersaliter signat, per speciem motus iudicat eum moueri, & per speciem scholarum, & situs, vel locationis iudicat eum in scholis esse: idem enim quælibet species harum representat aliquam rem, & vniuersaliter, quia sine conditionibus materialibus, cum tamen quælibet habeat alias conditiones materiales, quod autem intellectus iudicet Sortem esse album, & moueri in scholis non est per aliquam unam speciem, quæ representat Sortem sub conditionibus suis particularibus, sed est per actum complexionis, quem facit intellectus cōponendo, & diuidendo, sicut intelligimus omnia, quæ sunt in aliquo libro non per aliquam speciem incomplexe signant, sed per complexionem plurium vocum signatarum, quarum quælibet representat naturam rei cum imponitur absolute.

Si autem aliqua esset species, per quam representaretur intellectui nostro Sortes cum conditionibus suis materialibus, necesse erat, quod per actum incomplexum cognosceret Sortem cum omnibus his. Et forte aliquis pauca cōsiderrans hæc cōcedet distinguere nesciens de actu complexo intellectus nostri, & de actu incomplexo. Sed non potest stare, quia tunc cum esset conditio speciei illius representare rem sub conditionibus materialibus, necesse erat, ut intellectus sub materialib⁹ cōditionibus intelligeret, & tamē aliquando sine cōditione aliqua materiali sola quidditatē rei intuetur.

Item si species aliqua esset, sub qua cognosceretur res sub conditionibus materialibus, necesse esset, quod cum intellectus cognoscit rem, & unam, aut duas cōditiones eius materiales, cognosceret omnes, quia species illa representaret sub omnibus conditionibus materialibus, sed potest intellectus cognoscere rem, & duas conditiones eius materiales, non cognoscendo ceteras: ergo non cognoscit per speciem aliquam representantem obiectum sub conditionibus materialibus. Patet hoc in apprehensione sensitiva: nam cum quis videt Sortem non solum videt eum esse album, sed etiam crispum, in motu, vel quiete sedentem, vel iacentem, & sic de ceteris conditionibus materialibus, & non potest cōtemplari unam quin conspiciat alteram, intellectus tamen non omnes, sed quasdam interdum considerat, & quod amplius est, si aliquis nunc intelligebat Sortem esse album, & moueri in scholis,

D poterit immediate cognoscere Sortem prout solū est albus, & tamen si eadem species est, quæ repræsentaret hoc, & illud, necesse esset, ut intellectus per eam intelligeret quidquid ipsa signaret, quia in potestate patientis non est quid, & quantum, & à quo patiatur, sed sunt hæc in potestate agentis: ergo non apprehendit sub cōditionibus particularibus intellectus.

Item si intellectus apprehenderet sub conditionibus particularibus, non posset apprehendere ad conditionem rei, non apprehendendo subiectum: sicut potentia visua cognoscens sub conditione materiali, non potest videre crispitudinem Sortis, quin videat Sortem: nos tamen interdum intelligimus crispitudinem non considerando aliquem, cuius sit crispitudo, ergo non cognoscit intellectus sub conditionibus particularibus.

Ad saluandum autem hæc duo, quomodo stent in intellectu, scil. quod interdum cognoscit rem absolute, sine aliqua conditione particulari, & interdum cum conditionibus particularibus.

Dicendum est, quod intellectus apprehendit quamcumque rem vniuersaliter, id est solum naturam rei apprehendens, & non cum conditionibus illius, & quæcumque species intellectui repræsentatur, solum ei repræsentat naturam rei. Vnde si species hominis præsentetur, solum hominem intelligit, & impossibile est aliquid ultra cognoscere, ita si opponatur species crispitudinis solam crispitudinem cognoscet. Et ob hoc est, quod interdum cognoscit intellectus crispitudinem alicuius, vel modum, non cognoscendo cuius sit motus, vel crispitudo, & tamen istæ sunt conditiones particulares alicuius. Vnde tunc vniuersaliter cognoscit istas conditiones materiales, scil. solam naturam crispitudinis, vel albedinis recipiendo, interdum autem intellectus fertur super multas species simul, & tunc per actum complexionis format conceptum compositū, scil. quod feratur super speciem Sortis, & super speciem albedinis, & motus, & distantia, & tunc prædicando alterum de altero format complexionē dicens Sortem esse album, & moueri indistincta, & non est aliqua una species repræsentans Sortem sub his conditionibus particularibus, sed quælibet repræsentat aliquam eius conditionem, & vniuersaliter, cum solam signet naturam illius conditionis, sine accidentalibus, eius: & sic quanquam intellectus concipiatur rem, & conditiones eius particulares, interdū non cognoscit rem sub conditionibus particularibus: multū enim ista differunt, quia cognoscere rem aliquam sub conditionibus particularibus, est cognoscere eam per aliquam speciem, quæ repræsentet eam cum omnibus conditionibus eius, sicut est, & hoc reperitur in sensituis potentij, ubi ipsa similitudo, qua cognoscitur res simul importat conditiones materiales eius, & non potest unum sine altero haberi, cognosci rem, & conditiones eius materiales est, quod sunt plures species, quarū quælibet repræsentet unum ens absolute, & per complexionem illarum specierum iudicat intellectus simul de re, & de cōditionibus materialibus eius, quia quædā species signat rem ipsam simpliciter, sine aliqua conditione materiali, & alia species signat unam conditionem materialem quantum ad naturam illius conditionis solum, & sic cognoscuntur cōditiones materiales rei, & ipsa res tanquam de quolibet eorum esset separata intellectio, & illud vocatur cognoscere rem, & conditiones materiales, sed non rem sub conditionis materialibus. Et hoc modo est verum, quod intellectus nunquam potest cognoscere rem aliquam sub conditionibus materialibus, sed potest cognoscere cōditiones materiales, & hoc est, quod cognoscit semper vniuersaliter, quia quæcumque rem cognoscit solum cognoscit, ut est in natura sua, sed cum plures species signantes naturas vniuersaliter coniunxerit, faciet complexionem rei cum conditionibus suis particularibus. Nam quælibet conditio particularis est aliqua natura, quæ repræsentari potest vniuersaliter, scilicet, albedo, motus, crispitudo, &c.

Item hoc modo est verum, quod intellectus solum est de vniuersalibus tanquam de obiectis, accipiendo incomplexo: quia nulla species potest intellectui repræsentare aliquid, nisi incomplexum, ut patet de qualibet specie, & illa & non poterit signare nisi visibiliter. Nam si solam speciem albedinis intellectus consideret, non poterit per eam intelligere alias cōditiones particulares, sed solam albedinis quidditatem, &

sic de

Quid
sit intel-
lectum
abstra-
here.

B

Ak
quid
est ne-
casse
ponere
intelle-
ctum
agentem
in ani-
ma.

C

Depu-
tatio-
nes spe-
cierum
sunt
sonnia
& chi-
mera.

sic de ceteris, illud autem est vniuersale. Nam in subsistendo nulla albedo est, quæ solam naturam albedinis habeat, sed superaddit conditiones alias, tamen in repræsentando species albedinis intellectui sola quidditatem signat. Et sic de quolibet necesse est, vt omne incomplexum ab intellectu acceptum sit vniuersale, id est, natura vniuersaliter considerata, & hoc sufficit ad naturam vniuersalitatis, licet id, quod consideratur, sit solū individuum. Quod autē per complexio- nem plurium signatiuarum specierum fiat aliquid conceptus complexus signans rem cum conditionibus suis particularibus, per accidens est, & sic intellectus sola vniuersalia apprehendit, & vniuersaliter, & hoc est intellectum facere abstractiones, scil. quod homo subsistit in conditionibus particularibus. Et non est aliquid homo, qui solū homo sit, sed aliquid alterum ultra hominem est, intellectus autem ex natura sua apprehendit rem vniuersaliter, vt dictum fuit, quia species repræsentativa non potest ei signare rem sub conditionibus particularibus, ideo ex natura sua intellectiva est abstractius, quia non potest cognoscere aliquid incomplexe, nisi per abstractionem. Vnde nō solum intellectus abstrahit cum cognoscit hominem, non considerando conditionē eius aliquam materialem, sed etiam cum cognoscit Sortem non cognoscendo albedinem crīptitudinē, & motum ceterasq; conditiones, in quibus Sortes subsistit. Nam hic abstrahitur res à conditionibus suis, ideo est abstractio, & hoc modo Sortes continent vniuersale, quia vniuersaliter apprehenditur. Et quia non potest intellectus apprehendere aliquam rem incomplexe, id est, cognoscere sub conditionibus suis materialibus, necesse est omnem actum incomplexū intellectus esse abstractiuum. Nec est abstrahere depurare species à conditionibus materialibus, vt quidam satis imperite phantantur: nam nec est intelligibile quid sentiant, quia cum intellectus sit potētia passiva, quomodo habebit aliquā actionē super species ad depurandū, quia iam esset passiva species, & intellectus potentia activa, sed è contrario magis ponimus, scil. intellectus esse passivum, & speciem agentem. Quod si obijcas intellectum distingui per agentem, & potentiam tanquam per diuersas virtutes, & posse agere super species.

Respondendum est non ponи intellectū agentem ad hoc, sed est quædam virtus, vel lumen, quo, cum essemus prius in potentia ad intelligendū, reduci sumus ad actum, vnde nō potest depurare speciem tollendo ei conditiones materiales, cum quibus repræsentat: nam tolleret ei naturā suam, quia vnde accepit species, quod repræsentaret Sortem, accepit etiā, qd repræsentaret sub cōditionibus particularibus Sortis. Si ergo potuerit intellectus depurare speciem tollēdo ei cōditiones particulares, quæ de natura eius fuerunt, poterit etiam tollere, quod nō repræsentet rem illam quam repræsentabit, & sic per speciem hominis non intelliget intellectus hominem sed capram, quia ita poterit eam mutare à suo signato, sicut mutat à conditionibus. Sed falsum est, magis autem, & verisimilius dici poterat, quod intellectus depuraret species à conditionibus particularibus, id est, quod quanquam species repræsentaret rem sub conditionibus materialibus, quia tamen intellectus est immaterialis, non potest per speciem illam apprehendere, nisi conditionem naturæ rei immaterialiter, id est, sine conditionibus accidentalibus. Sed de hoc super sedendum est, veritas autem modi intelligendi est, vt supra declaratum est, depuraciones ergo specierum, vt communiter quidam opinantur sonnia quædam sunt. Ex prædictis patet, quod intellectus apprehendit, sine imperfectione, sub qua apprehendunt potentiae sensitivæ interiores, & exteriores, quia cognoscit vniuersaliter, sine conditionibus materialibus, potentiae autem aliae cum conditionibus illis, & alijs imperfectionibus, quæ dicte sunt. Continet autē intellectus amplius perfectionem quandam, quæ non est in sensitivis, quia potest cognoscere multa, quæ nullatenus iudicant potentiae sensitivæ, vt substantias separatas speculatur, quas tamen non intuemur: sensitivæ proprietates quoq; substantiarum intellectu inuestigamus, quæ ad sensum non patent licet hæc omnia ortum habeant ex quibusdam, quæ sunt in sensu, multæ aliae intellectus perfectiones sunt, quæ non sunt in sensibus, ergo continet intellectus eminenter omnes potentias sensitivias, tam interiores, quam exteriores.

Quomodo intellectus diuinus excedat, seu contineat eminenter intellectum humanum, & angelicum iuxta quatuor modos cognoscendi.

QVÆSTIO LXVII.

CONFORMITER autem quartus gradus potentiarum iudicatiuarum, scil. intelligentia excedit intellectū, & continet eum eminenter, est autem in Deo solo intelligentia, hæc autem continet totam perfectionem intellectus, quæ est intelligere, quia quæcumque intellectus intelligit, & non solum quæ intelligit, sed etiam omnia, quæ intelligere potest: multa quippe intelligibilia sunt à nobis, quæ nondum intellecta sunt, Deus tamen omnia intelligit.

Continet autem eminenter aliqua Deus, quæ non intelligit humanus intellectus, nec intelligere potest, & non intelligit cum imperfectionibus, cum quibus humanus intellectus iudicat. Primum patet quia Deus intelligit quæ sunt, & quæ possibilia sunt, & etiā cuncta, quæ sunt impossibilia. Etiam Deus intelligit infinita, intellectus autē humanus nō capit infinita. Intelligentia etiam diuinam substantiam cum omni perfectione Dei intelligit, nihilq; in Deo relinquitur, quod intellectum non sit, quia alijs ex aliqua parte Deus eset ignorans, cum se non intelligeret totaliter, quod est falsum, sed Deus est infinitus, ergo infinitum plene cognoscit, nos autē licet cognoscamus Deum, quod infinitus est, cum tamen nemo comprehendit, nisi ipse seipsum. In hoc ergo intelligentia continet perfectionē, & infinitam quidem super intellectum. Secundum erat, quod nō intelligit sub imperfectionibus, sub quibus intelligebat humanus intellectus: nam cum aliquid intelligimus necesse est, vt speciem receperimus per quam intelligamus, Deus autem nihil recipit in se omnia habens, vt supra declaratum est de ideis. Item perturbatis organis, in quibus conseruantur species in nobis, intellectus non potest intelligere quidquam: in Deo autem nunquam sequitur perturbatio. Item homo cum difficultate, & studio intelligit: Deus autem sine labore. Item homini quædam sunt magis nota, per quæ deducitur in alia minus nota, in Deo autem non est aliqua via intelligendorum, sed omnia æqualiter intelligit. Item homo non potest intelligere, nisi per discursum, Deus autē simul cuncta intelligit. Item homo circa singula intelligibilia habet actus singulos: Deus autem omnia vnioco actu semper manente intelligit. Item homo intelligendo quædam habet præterita, quædam futura, alia autem præsentia: Deus autē cuncta præsentia habet, & sic de multis alijs perfectionibus intelligentia, quæ non reperiuntur in intellectu, & sic eminenter continet diuinam intelligentiam humanum intellectum.

Eodem modo ad intellectum Angelicum se habet, quod illum excedit in multis perfectionibus, tum quia plura intelligit quam intellectus Angelicus, qui Angelicus intellectus non intelligit omnia, quæ sunt, & quæ possibilia sunt, & quæ impossibilia: Deus autē omnia hæc: Angelus tamē nec ipsa omnia, quæ sunt intelligit, quia eorum quædam eis quotidie reuelantur. Item Angelus totum Deum non comprehendit, sed tantū de Deo intelligit, quantum ei Deus conatur elargiri ad eius beatitudinem. Angelus non intelligit omnia simul, quæ intelligit, sed successione.

Item angelus quotidie acquirit nouas intellectiones. Item Angelo aliquid præteritum, & aliiquid futurum est, omnia autem in Deo è contrario accidentū, & sic de multis alijs imperfectionibus, quæ sunt in Angelico intellectu, & non in diuina intelligentia.

Ex prædictis patet, quod sicut Dei modus essendi non continet omnes modos essendi realiter, sed eminenter continens omnes perfectiones eorum, ita modus cognoscendi Dei non continet aliarum rerum modos cognoscendi, sed eos continet eminenter, quia quidquid perfectionis in illis est, continet: & sic patet, quod licet Deus omnia intelligat, tamen per modum præteriti, & futuri non intelligit, quia non conuenit perfectioni eius, sed omnia intelligit per modum præsentis. Multa alia argumenta contra hoc de intellectione Dei in præsenti fieri possent, sed ex prædictis patet modus soluendi.

Colli-
git di-
cta à
q. 6.
viqua
nunc.

A

An Deus possit cognoscere aliquid, antequam fiat, & an sequitur Deus intelligit rem, antequam fiat, ergo incipit eam intelligere.

Quæstio LXVIII.

Inq. si.

AMPLIUS autem dicendum est ex prædictis, quod Deus non potest intelligere aliquid, antequam fiat. Quod patet, quia Deus non potest aliquid intelligere, nisi cum ipse est, sed Deus non est ante aliquam rem, ut supra probatum, quia non est ante diem iudicij, non ante formationem Adæ, nec est ante passionem Christi, ergo non poterit intelligere rem antequam fiat.

Item si diceremus, quod Deus intelligit rem antequam fiat, quereretur, an intelligeret dum fieret, an non: si dicitur, quod non intelligit cum sit sequitur, q[uod] intellectio Dei cessat, & interrupitur, sed falsum est, quia intelligere Dei est esse suum, & sicut esse eius nunquam cessat, ita nec intelligere, ergo intelligit rem, quando fit. His datis, sequitur quod esse Dei non sit totū simul, quia esse est intelligere in Deo, cū ergo intelligat rem antequam fiat, & quando fit, necesse est esse successionē, quia prioritas & posterioritas successionē dicunt: aeternitas autē, in qua Deus est tota simul est, ideo non poterit intelligere antequam fiat. Sed contra hoc arguetur, quia Deus intelligit omnia, & semper illa intelligit: ergo quamcumque rem ab aeterno intelligit, sed nulla res est ab aeterno nisi Deus: ergo Deus intelligit omnia antequam fiant. Quod patet, nam Deus ab aeterno est: & tunc queritur, an Deus omnia intelligat, & respondebitur, quod sic, ergo intelligit me currere, & comedere, & comedere atq[ue] bibere, quod est nunc. Et tunc queratur, an Deus ab aeterno intelligat me currere, & comedere, quod est nunc, an non, si dicas, quod non: ergo aliqua perfectio Deo adueniet ex tempore, sed falsum est, quia Deus habet totum esse suum simul, & nihil ei ex tempore aduenit, ergo ab aeterno intelligit me currere, & comedere, sed ego non curro ab aeterno, & comedo, sed nunc, ergo prius intelligit rem quam sit. Respondendum est non valere consequentiam, & cum dicatur, an Deus intelligat ab aeterno me comedere, & currere concedendum est, quod sic: cum vero dicitur, quod non est ab aeterno comedere, & currere modo coedetur: & cum infertur ergo prius intelligit rem, quam fiat, non tenet consequentia. Nam si arguatur sic, ista res est ab aeterno, & illa non: ergo ista est prius, quam illa: non tenet consequentia, quia aeternum non est prius quam temporale, vel quam, quod nunc est: teneret tamen accipiendo aeternitatē iuxta modū vulgarē, & sicut accipit Arist. 8. Physico. loquens de aeternitate motus, & mundi, quia vocatur ibi aeternitas duratio temporis infinita: nos tamen aeternitatem accipientes proprie prout est mensura essendi distincta à tempore, & aeterno, dicimus aeternitatē esse interminabilem vitam, vel durationē simul totam. Et quia simul tota est, non potest præcedere ad aliquam rem, necc succedere, quia iam non est simul tota, sed pars præcederet partem, Deus autē aeternus est, ergo non est ante aliquam rem, nec potest intelligere quidquam antequam fiat. Sed aliquis arguit contra hoc, scil. Deus intelligit rem, & non antequam fiat, ergo incipit eam intelligere ex tempore, sed in Deo nihil esse incipit, quod non fuerit, ergo antequam res fiat eam intelligit.

Dicendum, quod Deus nihil incipit intelligere ex tempore, & non solum non incipit ex tempore, sed nullo modo incipit quidquam eo, quod omnia simul sunt, sed consequentia non valet, scil. Deus non intelligit rem antequam fiat: ergo incipit eam intelligere ex tempore, quia Deus intelligit omnes res ex aeternitate, & tamen aeternitas non estante nunc, nec ante postea cum sit tota simul, ergo intelligens ex aeternitate non intelligit rem antequam fiat. Sed tunc arguitur, ista res non incipit esse ante instantis istud, & in toto tempore præcedenti non fuit, sed Deus non incipit eam intelligere antequam fiat, ergo in toto tempore præcedenti Deus ignorauit rem hanc, & sic in tanto, vel maiori tempore Deus ignorans erit, sicut sciens, quod est absurdum.

Respondendum, quod istam rem, quæ sit in isto instanti Deus non cognouit ante istud instantis, quia non cognouit illam in aliqua parte temporis, quæ præcederet hanc, nec in

aliquo instanti, quod præcederet ad hoc habendo positionē in tempore, nec in aliqua parte aeternitatis, vel tota aeternitate, quæ præcederet instantis, sed cognouit in ipsa tota aeternitate, quæ non præcedit ad istud instantis, nec subsequitur, cum sit tota simul. Et cum arguitur Deus non cognouit rem ante istud instantis, ergo in toto tempore præcedēti fuit ignorans: non tenet ista consequentia, teneret tamen, si Deus nunc, cum res esse cœpit, eam cognouisset, & in toto sequenti tempore cognitus esset, & ante istud instantis non cognouisset: sicut est de nobis, qui in tempore veritates alias acquirimus, quas prins nunquam habuimus, & postea illas scimus, dicimus enim in toto tempore priori fuisse ignorantēs, Deus tamē, sicut non cognouit rem antequam fieret ita nec cognoscit in aliqua parte temporis sequentis, nec in ipso instanti, in quo res primo est, quia Deus in aeternitate est, & in aeternitate intelligit: aeternitas autem, nec tota est in tempore, aut in instanti temporis, nec aliqua pars eius est in tempore, ideo si vellemus, satis concedere poteramus consequens, scil. quod Deus in tempore præcedenti ignorauit, non accipiendo ignorauit, id est, tunc nesciuit, & postea acquisiuit, sed ignorauit, id est, quod in præcedenti tempore non sciuit, quia Deus propriè loquendo in nullo tempore est sciens, quis Deus nullo tempore est, ergo in nullo tempore est sciens: sed in aeternitate est, & in ipsa est bonus, & infinitus, & omnia attributa: non tamen debet concedi ista propostio, quia malum sonum generat, eo quod aliter exponetur ab auditoribus communibus.

Sed adhuc arguitur cum Deus formauit Adam, an intelligebat ipsum Adam, qui erat ei simul, tunc queritur, an intelligebat aduentum Antichristi, aut non: si dicas, quod non, ergo non intelligebat omnia simul: si autē dicatur, quod tunc intelligebat aduentum Antichristi, & ille non erat tunc, ergo antequam esset, intelligebat eum.

Respondebitur, quod non intelligebat eum antequam esset, & cum dicatur, quod Deus intelligebat Adam, quando formabat, & tunc intelligebat aduentum Antichristi, concedendum est, quod quandocunque Deus intellexit Adam intellexit aduentum Antichristi, & tamen negandum est, quod Deus intelligebat Adam, quando eum formauit, quia formatio Adæ fuit in instanti temporis, & in illo Deus nec habet esse, nec intelligere, aut aliquid sui, sicut nec in tempore, & sic antecedens est falsum. Potest tamen concedi in alio sensu, scil. Deus intelligebat Adam, quando formabat eum accipiendo, quando pro illo instanti, id est, non desinebat eum intelligere tunc, & in hoc sensu est verum, quod etiam Deus, quando formauit Adam non desinebat intelligere Antichristum, sed non sequitur tunc, ergo intelligebat aduentum Antichristi antequam esset, quia ista negativa, scil. non desinit intelligere tunc Antichristum, non conturritur in affirmatiuam temporalem. Nam ista est vera in illo tempore Deus desinit esse, vel desinit intelligere, quia si detur suum oppositum, scil. in aliquo tempore Deus desinit esse, vel intelligere, sequitur quod in aliquo tempore fuit ens, & post illud desinit esse ens, quarum utraque est falsa, & tamen affirmativa est falsa, scilicet, quod aliquando Deus intelligebat Adam, ergo non conuertitur ista negativa Deus non desinebat intelligere Adam cum formauit eum, in istam affirmationem Deus intelligebat Adam, quando formabat, quia tunc, aut utraque esset vera, aut utraque falsa.

Sciendum autem circa prædicta, quod Deus intelligit omnia, & simul illa intelligit, non tamen in toto tempore, nec in aliqua parte temporis, aut in aliquo instanti intelligit, sed in ipsa tota aeternitate, quæ est simul tota, & ista coexistit toti tempori, & cuilibet parti temporis aut instanti: non quidem, quod coextendantur partes aeternitatis partibus durationis, sicut coextendantur duo magnitudines, aut duo successiva in partibus succendentibus, quia aeternitas non habet partes durationis, sed est tota simul, sed dicit coexistere toti tempori tota, & cuilibet parti temporis, & cuilibet instanti tota, quia non cessat esse in toto tempore, nec in parte eius aliqua, aut instanti, & hoc modo cum intelligere Dei sit in tota aeternitate, & illa coexistat toti tempori, necesse est, vt intelligere Dei sit in toto tempore accipiendo, quod non desinit intelligere in aliqua parte temporis, sed secundum hoc non sequitur, quod Deus intelligat rem aliquam esse antequam

D

E

Vide
sup. q.
33.

F

Deus
omnia
intelli-
git in
tota
aeterni-
tate,
& non
in tem-
pore
nece-
sari
qua par-
te tem-
poris.

A antequam fiat, immo est impossibile, quia licet partes temporis habent inter se præcessionem, & successionem, tamen aeternitas coexistit cuilibet earum tota simul, & ipsam eternitas, quæ coexistit tempori, in quo erat Adam coexistit tota simul, & secundum idem toti tempori, in quo erit Antichristus. Sicut ergo aeternitas coexistens simul tempori, in quo erat Adam non præcedit illud, sed est præsens, ita & coexistit tota simul tempori, in quo est Antichristus: ergo non præcedit magis ipsum tempus in quo est aduentus Antichristi, quā ad tempus, in quo erat Adam, ergo licet dum Deus formaret Adam, intelligeret eum, & tunc intelligeret aduentum Antichristi, quia non est illud in instanti in quo Adam formatus est, sed in aeternitate quæ coexistit illi instanti, & ipsam eternitas tempori aduentus Antichristi, ergo non præcedit intelligere ad ipsam rem, præcedet tamen, si vere esset intelligere Dei in illo instanti, in quo formatus est Adam.

Quatuor argumenta principalia contra conclusionem positam quest.
68. Et in quo sensu sacra scriptura dicat, quod Deus nouit omnia antequam fiant, & quomodo sunt pie exponenda. Et quod scientia Dei licet si causa rerum, tamen non præcedit ipsas,
& quare.

Q V A E S T I O L X I X .

B E d adhuc obiectetur, quia Daniel. 13. dicitur ex verbis Susanna: Domine, qui nosti omnia antequam fiant. Aliquis forte responderet hoc non esse verum: nam licet illa sic orando dixerit, non sequitur esse verum: multa enim hoc modo sacra Scriptura refert dicta ab alijs, quæ vera non sunt, non quidem, quod scriptura falsum dicat asserendo aliquid dictum fuisse, quod non fuerit dictum, sed quod ipsa refert mendacia, quæ alij dixerunt: sed ipsa non asserit aliquid falsum: sicut in libro Genes. 27. narratur mendaciū Iacob dicentis se esse primogenitū Isaac, & mendaciū fratum Joseph dicentium eum esse deuoratū à fera, & quod inuenient ve stem eius Gen. 37. & mendaciū uxoris Putipharis contra Ioseph Gen. 29. & plurima in alijs libris, ita potuit esse hoc. Sed non est conueniens responsio, quia sacra Scriptura tota hoc approbat, & sacri doctores. Respondendum est ergo aliter, scil. qd ista verba conceduntur ad sensum quem accipit sacra Scriptura, scil. qd Deus nouit omnia antequam fiant, id est, non cognoscit res postquam viderit, aut audierit, sicut nos, qui cognitionē ex ipsis rebus factis sumimus, scientia autem Dei non causatur à rebus, sed magis est causa rerum, vt omnes concedunt, nec etiā incipit esse in aliqua parte temporis, id autem qd nunquā fieri incipit est à tempore infinito, & est ante omnia, ergo cum scientia Dei nunquā incipiat, sed cum ipso est ab aeterno, dicitur esse antequam res fiant: non tamen accipitur propriæ, scil. qd Deus cognoscit res antequam fiant, id est, in aliquo tempore priori sive ab infinito, sive non cognoverit, quia tunc tolleretur simultas esse Dei, & sic ex aeternitate argueretur contra aeternitatem. Multæ locutiones huiusmodi sunt in sacra Scriptura, quæ conceduntur ad bonū sensum, scil. ad eum, quem vulgo facimus, & tamen proprie sumendo falsæ sunt. Sed adhuc arguetur, quod Deus cognoscit res antequam fiant, qua scientia Dei est causa rerum, & scientia nostra est causata à rebus, sed causa est ante causatū, ergo scientia Dei præcedit res responderi posset, qd quanquā sit causa rerum, tamen non oportet, qd præcedat res quia etiā in naturalibus hoc accedit, quod sit aliqua causa, quæ non præcedat causatū: sicut apertio fenestræ est causa subintractionis radiorum, & tamē in eodem instanti sunt. Generatio quoq; radiorum à corpore luminoso, & diffusio per totum diaphanū in eodem instanti sunt, vnum tamen est causa alterius, ideo non erit inconveniens, quod scientia Dei sit causa rerum, & tamē non præcedat res. Dicendū tamen est, quod licet intelligere Dei non præcedat res, quæ sunt, tamen non se habet eodem modo, quo generatio lucis, vel radij ad diffusionem per diaphanū, & apertio fenestræ ad subintractionē, quia hic causæ, & causata simul esse incipiunt, & ante hoc non erant, nec causæ. In intellectione autē diuina secus dicendum est, scil. quod non sit intelligere Dei de rebus ante ipsas res, tamen non incipit esse, cum incipit ipsa res quæ sit, quia in Deo nihil

D incipit, sed omnia ab aeterno sunt, dicitur tamen non esse ante, quia non est scientia Dei formatione Adæ in aliquo tempore, vel instanti ante Adæ formationem, quia sic tolleretur simultas, quæ facit rationem aeternitatis. Sed adhuc arguet aliquis non posse stare, queretur enim, quando Deus formabat Adam an sciuisset ante qualiter formaturus esset eum, an non, si autem non sciebat, ergo quando formabat eum, ne sciebat formare, quia artifex nesciet quid operatur, nisi præexistat idea in mente eius directiva ad operationem: Deus autem fecit omnia artificiose, quia dicit de eo scriptura Psal. 102. Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua. Ergo præexistebat in eo scientia rei fabricandæ. Ad hoc respondebit aliquis, quod non erat necesse antequam Deus formaret Adam esse in eo sapientiam de formatione illius, dumtamen esset, cum formabat ipsum, quia tunc ipsa dirigeret formationem. Dicendum est, verum esse, quod in Deo non erat intellectio, vel scientia de formatione Adæ antequam formaretur: non tamen ita conceditur tanquam incepit esse tunc, cum formabat eum Deus. Nam si tunc incepisset esse non potuisset esse principium relatum, quia tunc principiū operationis esset, sine relatione aliqua, sed non erat intellectio Dei, vel scientia de formando Adam ante ipsum Adam, quia non erat in tempore, vel parte temporis, aut instanti, secundum quam fortiretur prioritatem, aut posterioritatem, sed erat semper nunquam esse incipiens in ipsa aeternitate. Et quando arguitur, quod antequam Deus formaret Adam, si nesciebat qualiter formaturus esset, eum non sciret formare, cum formabat: negatur consequentia, quia scientia Dei de formando Adam est coeterna Deo, & semper est non habens essendi initium, & tamen non est ante formationē Adæ, immo nec ipse Deus est ante formationē Adæ, vt supra declaratum est. Sed adhuc arguetur, quia ad operationem aliquam in agentibus secundum rationem, primum principiū est intellectus iudicans, quod aliquid fieri debet, & qualiter, deinde appetitus eligit illud fieri, posteriorius autem potentia executiva efficiunt: sic enim ordinantur tria principia operativa in hominibus ab Arist. Ethic. libro 6. cum ergo Deus operetur secundum rationem, necesse est, qd prius Deus iudicauerit debere Adam formari, & elegit, & post potentia executiva formauerit. Nam Deus nihil velle potest, nisi illud prius iudicauerit, & non potest aliquid exequi, nisi illud voluerit, necesse est ergo antequam formauerit Adam fuisse scientiā de formando, id est, qd formaturus esset, & de modo formandi. Respondendum est istud argumentū dare maiora inconvenientia quam præcedentia, quia secundum præcedentia inferebatur saltem apparenter, quod scientia Dei sit prior rebus factis: hic autem concluditur, qd intra Deum sit prioritas, scil. qd intellectio, sive iudicium de faciendo sit prius volitione, & volitio sit prior operatione, scil. creatione, vel formatione, & hæc in Deo sunt. Aliquis responderet istos actus non præcedere in alterum tempore, sed natura: & sic erit simultas durationis. Sed non stat, quia si esset prioritas naturæ intra Deum aliquid esset ibi perfectius altero, quod falsum est, quia quod non esset ita perfectū, vt alterū, non esset Deus, prioritas autem naturæ non ponitur, nisi inter magis perfecta, & minus, vt in causis, & causatis. Causæ enim ex eo, quod habent aliquam potentiam super causata, quia esse conferunt, dicuntur digniora causatis, & quantū ad hoc est prioritas naturæ. Non est igitur in Deo aliqua prioritas naturæ quantū ad aliqua, quæ in eo sunt. Nec oportet ponere aliquā prioritatē in iudicio & volitione, & operatione Dei, quia in rebus, vbi sunt distinctiones reales, & est aliqua causalitas, est assignanda aliqua prioritas, in Deo autē nihil tale est quantū ad hæc: quia idem realiter in Deo sunt intellectus, & voluntas, & potentia creativa, vel productiva rerū, actus quoque, scil. iudicare velle, & producere, in quantum in Deo aliquid dicit, idem realiter sunt: ideo non oportet ponere aliquam præcessionem naturæ, & sic scire formare Adam, & velle formare Adam, & posse formare, vel ipsum formare in quantum dicit aliquid ex parte Dei sunt idem realiter, & non potest vnum præcedere alterū aliquo modo. Sed adhuc arguetur quod Deus sciat rem, antequam fiat, quia Deus multa per prophetas prædictis, & illa nouerat antequam fierent. Deus enim sciebat id, qd dicebatur à prophetis, & tamen prophetæ prænūciauerunt prius quā fieret, ergo sciebat

D

In q. st.

F In Deo non est prioritas naturæ, nec aliqua alia, nisi dicamus, vt Scetus, qd prioritas originis sed illa non est proprietas, ideo est impræpria lo cutio, ideo Athanasius dicit: nihil prius, aut posteriorius.

Deus

A Deus antequam fieret. Si detur oppositū, stabit quod Deus nesciebat quid futurum erat, quando iubebat prophetis, q̄ vaticinarent, sed hoc absurdum est. Respondendū est, quod Deus non cognoscet, quod propheta dicebant antequam fieret. Et cum dicitur, quod Deus sciebat id, quod prædicere iubebat prophetis tunc cum iubebat, potest responderi, q̄ nesciebat tunc. In quo considerandū est, quod Deus nihil vñquā locutus est prophetis, nec cuiquam in aliqua effigie apparuit quanquam s̄pē ista dicantur in veteri testamento. Causa vero huius Exo. 23. & 25. assignata est, scil. quia Deus non potest aliquid agere secundū motum cuius sunt hac, & non solum nō potest facere quæ pertinent ad motum, sed etiam non potest facere aliquid in successione, dato quod non esset motus ibi: sicut in ævo est successio, sine motu, quod competit Angelis: sed omnia hæc, quæ Deus facere dicitur Angeli fecerunt, & ipsi vocabantur Deus, de causa horum disputatum est Exodi 3. & 19. cap.

Nunc redeundo ad quod intendebatur, dicendum quod Deus nesciebat ea quæ dicebantur, quando dicebantur: nā licet ista vera sit: Deus sciebat quidquid dicebatur prophetis ab Angelis, tamen nō sciebat id tunc, quando dicebatur. Causa est, quia ista dicebantur ab Angelis, & reuelabantur, in tempore: Deus autē in tempore non habet esse, in mōtu & successione. Et non est tamen ista propositio intelligenda, scil. Deus nō sciebat quæ reuelabātur prophetis tunc, cum reuelabantur, id est, quod non sciebat tunc: tamen sciebat post, scil. quando siebant, vel quando facta erant, quia nec sciebat illa, quando siebant, nec cum facta erant, quia hoc erat scire in tempore: Deus tamen non potest habere aliquā conditionem temporalē. Si tamen concedatur, quod Deus scit rem tunc, cum sit, vel postquam facta est, cōcedendum erit, quod scit antequam fiat: sed nulla est vere proprietas sumpta. Si autem dicatur large, quod Deus sciebat ea, quæ dicebantur prophetis tunc, cum dicebātur, quia sciebat in æternitate, quæ coexistit illi tempori, in quo ista reuelabantur prophetis, non sequitur ex hoc, quod sciat rem antequam fiat, quia illamet æternitas, quæ secundum se totam coexistit illi tunc in quo reuelantur futura prophetis, coexistit tota simul illi tempori, in quo ista, quæ praedicta sunt realiter cœniunt, ideo non potest id, quod in æternitate est præcedere aliquid, quod est in tempore, quia quod in æternitate est, cum ipsa sit indivisibilis, & tota simul: sicut quod est in instanti in toto instanti est, quia non habet partes, sed æternitas coexistit toti tempori, ergo non præcedit aliquā partem temporis. Valer consequentia, quia coexistere est esse præsentem, & quia est indivisibilis, necesse est, quod secundum idem coexistat omnibus partibus temporis: ergo quod est in æternitate quanquam coexistat formationi Adæ nō præcedit Antichristi aduentum, sed ei simul præsens est, ergo scientia Dei, quæ est in æternitate, licet sit, quando dicebantur secreta prophetis, & quando res siebant, quæ reuelata erant, non præcedebat ipsas ad fieri: præcederet tamen si vere scientia Dei fuisse in illo tempore, in quo dicebātur mysteria prophetis ab Angelis, sed non fuit vere in aliquo tunc, sicut verba dicta ab Angelis, vel reuelationes factæ fuerunt in aliquo tempore, & illud tempus præcessit ad tempus, in quo res prænuntiatae euenerunt. Alij modi arguendi possunt esse contra istam partem, sed sufficiant isti.

An Deus cognoscet res postquam factæ sunt, & an sequatur Deus s̄pē in sacra Scriptura enarrat beneficia data ergo scit res postquam factæ sunt. Atque ita fiat, vt Deus non intelligat rem postquam est, nec antequam sit, nec cum est.

Q U A E S T I O LXX

A MPLIVS dicendum ex prædictis, quod Deus non cognoscit res postquam factæ sunt. Credet aliquis, cū probatum sit non esse intellectionem Dei de rebus antequā res fiant, eam esse postquam res factæ sunt: sicut nos cognoscimus res postquam euenerunt accipientes causalitatē cognoscendi ex illis, sed non conuenit Deo qui ex alio nō perficitur: cognoscere tamen res postquam factæ sunt accipiendo causalitatem ab ipsis rebus imperfectio quedam est intellectus, ideo non conuenit Deo.

Nec solum est sensus, quod Deus non cognoscet rem postquam facta est, id est, quod non incipiat eam tunc cognoscere, sed etiam, quod non cognoscet eam aliquatenus postquam facta fuerit, primū enim maioris erat imperfectio, scil. quod ex tempore inciperet scientia Dei, & nō fuisse ante rem. Secundum autem minus videbatur: nam dato, quod Deus cognouisset rem à tempore infinito elapsa ea maneret ei cognitione de illa, sed in hoc dicitur, quod postquam res est Deus non habet cognitionem de ea. Quod patet, quia si postquam est habet cognitionem de illa, aut habuit etiā antequam esset, & cum erat, vel solum postquam est: si vero dicitur, quod erat antequam fieret, & cum erat, sequitur quod sit successio in intellectione Dei cum intelligat rem in toto tempore antequam sit, & cum est atq; postquam fuerit, quo dato sequitur, quod esse Dei non est totum simul, quia esse suum, & intelligere idem sunt, sed intelligere non est simul, ergo nec esse, sed hoc est falsum, ergo non potest intelligere rem postquam est, & antequam sit, & cum est. Si autem dicitur, quod intelligit Deus postquam est solum res ipsa, etiā non potest stare, quia cadem sequuntur inconvenientia: nam si postquam res est Deus illam scit, queretur an semper postquam est illam scit, an solum aliquando: si autem semper sequitur eodem modo successio in esse Dei, & consequenter non est in æternitate.

Item si solum cognoscit Deus rem, postquam facta est, sequitur quod non sit scientia sua semper æterna, quia habet principium, æternitas autem est interminabilis, & tota simul, si autem dicitur, quod Deus cognoscit rem postquam facta fuerit, sed non semper postea, sequitur quod scientia Dei deficit, sed hoc est inconveniens, ergo non est scientia Dei postrem.

Sed aliquis arguet, quod Deus habeat scientiam rerum postquam factæ sunt, si enim Deus nesciret rem postquam facta est, nesciret enarrare beneficia impensa, quæ iam prætierunt: sed Deus multotiens in saera scriptura enarrat beneficia data vt cum dicitur: Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & ego deleui inimicos vestros, & sic est vulgatissimum in sacra Scriptura.

Respondendum est hic, sicut supra dicebatur, cum arguebatur, quod Deus cognoscet rem antequam fieret: quod Deus nunquam enarravit aliqua beneficia impensa Iudæis, quia istud erat in voce, Deus autem nunquam locutus est, nec est possibile, quod loquatur, quia ista pertinent ad motum: Angelii autem sunt, qui loquebantur enarrantes ista beneficia loco Dei. Si enim ista faceret impossibile esset cum esse æternum, quia non esset esse suum totum, quod tollit partibilitas motus. Deus autem cognoscet beneficia, quæ fecerat, & scibat, quod enarrabantur atque eo iubente siebant enarrationes, sed non erat in eo prius facere aliquid beneficium Iudæis quam scire, quod enarraretur, sed ipsum scire enarrare beneficia ab æterno est, licet enarratio esset in tempore, conferre tamen beneficia quantum ex ipso est, ab æterno est, & quasi id, secundū quod Deus dicitur conferre beneficia ab æterno in eo est, ipsa tamen beneficia conferri tempore est: sicut res creari non est ab æterno, creatio tamen in quantum dicit aliquid ex parte Dei, quoddam æternum dicit, quia non fuit alius actus subitaneus, vel instantaneus in Deo, secundum quem res crearentur, sed volitio sua efficax ab æterno. Erat enim Dei volitio, quod mundus crearetur, & ista volitio est manens in Deo coæterna ipsi, nec vñquā desinens, & secundū hanc volebat ipse, & vult in instanti primo temporis res creari: & sic licet ex parte rerum nouū aliquid fuerit creari res, & subitaneum, ex parte Dei, tamen æternum est, & semper manens. Et id, quod Deus creauit, nec est prius creatione, nec posterius, nec simul cum creatione, quia creatione fit in instanti temporis, nec in tempore aut ante tempus. Si autem conferri beneficia quantum est ex parte Dei, esset in tempore, & enarraret illa ipsem, sicut scriptura videtur signare, necessario dicitur scire res postquam factæ sunt: sed neutrum horum existit, ideo nō scit res postquam factæ sunt, licet semper eas sciat.

Sed aliquis arguet adhuc. Si Deus nesciret res postquam factæ sunt, esset toto tempore postquam factæ sunt ignorans, sed non concedimus aliquando Deum esse ignorantem, ergo sciet res postquam factæ sunt.

A Respondendum, quod non scit res postquam factae sunt: licet enim Deus sciat res, quod factae sunt, vel quod futuræ sunt, tamen non scit antequam siant, vel postquam factæ sunt, quia ista aduerbia determinant hic modum cognoscendi Dei, & signant in eo prioritatem, & posterioritatem, sed in Deo non est aliquid prioritatis, & posterioritatis, ergo propositiones cum ipsis aduerbiis semper erunt falsæ: si tamen determinent res ipsas, essent propositiones veræ: vt, Deus scit res factas, & res, quæ nondum factæ sunt. Cum autem arguitur. Si Deus non scit res postquam factæ sunt, ergo erit in toto illo tempore ignorans, negatur consequentia: teneret enim si in priori tempore sciueret, scil. antequam res fieret, & cum fiebat, sed nec ante rem sciuit nec cum ipsa fuit, vt declaratum est: ergo nō erit ignorans in reliquo tempore post facta rem. Si enim Deus in tempore scire posset, & esset aliquod tempus, in quo nesciret, recte diceretur insipiens toto illo tempore, sed in nullo tempore scire potest, quia repugnat ei habere esse, vel scire, aut aliquam conditionem in tempore, sed scit Deus rem quamcumque; semper in æternitate duratio- nis suæ, & illa non est ante rem, nec esse quidem potest, quia ipsa est tota simul, & tamen quomodo cumque; poneretur, siue ante rem, siue post rem non esset tota simul: nec semper manens. Eadem argumenta poterant fieri hic, quod Deus sciret res postquam factæ sunt, quæ siebant supra, ad inducen- dum, quod Deus sciret res antequam fierent vel quasi simili- milia, de quibus suffecerit, quod dictum est.

An Deus intelligat rem tunc cum fit.

Q V A E S T I O LXXI.

A MPLIVS dicendum est, quod Deus non intelligit rem tunc, cum fit, vel tunc cum durat, siue sit fieri, & duratio omni tempore, siue in instanti: quod patet, quia quæcunque ponatur duratio rei, si Deus in illa intelligeret ipsam rem, necessarie esset, vt tunc esset esse Dei, sed esse Dei non po- test esse in tempore, nec in instanti: ergo nec intelligere. Consequentia patet, quia esse Dei, & intelligere idem sunt. Antecedens probatur, quia si essent esse Dei esset in tempo- re, necessario esset in successione, & motu, quia tempus est mensura motus, & nunquam mensura sine mensurato repe- rietur: Deus autem nec motum nec successionem habet, quia desiceret esse eius, & acquireretur quotidie, atq; esset imper- fectum, nec posset esse æternū plenū motu, & successione.

Item non potest esse in instanti temporis, quia tunc aut esset in solo instanti, aut in instanti, & tempore, si secundū rediret inconveniens supra positum dato tempore: si autem esset in solo instanti, sequeretur, quod esse Dei deficeret, & per indivisiibile maneret, & ante ipsum esset tempus, & post ipsum tempus, quod patet, quia instantia habent positionem in tempore, sicut puncta in linea, ita quod instans copulati- um, & diuisuum duarum horarū est post primam horam totaliter, & ante secundam horam est totaliter, & in illo di- uisibili esset Deus solum, & tunc non posset in toto isto tem- pore quidquam operari, quia nequaquam haberet esse. Nunc autem quanquam non dicamus eum habere esse in tempore tamen dicimus, quod non deficit, dum tempus est, & hoc sufficit ad hoc, quod operari possit. Nunc autem si in illo in- divisiibili instanti maneret, eum quidquam facere, aut esse causam alicuius erat impossibile. Nec potest dici eum esse in pluribus instantibus sine tempore medio, quia hoc impossi- ble declaratum est supra. Etiam dato, quod impossibile es- set nihil magis de esse haberet in mille instantibus, quam in uno, quia mille indivisiabilia nullum diuisibile componunt. Manet igitur, quod Deus non possit esse tunc, quando ali- quae res est, vel sit, & consequenter nō potest intelligere eam tunc cum sit, quia ista duo idem sunt. Nec tamen est sensus huius propositionis, quod Deus non intelligit rem, quando est, quasi prius, quam esset intellexisset eam, & postquam co- perit esse desierit eam intelligere, vel quod Deus non intel- ligenter rem, antequam esset, nec cum esset: sed incepisset intelligere, postquam desierit esse, quia probatū est, quod non intelligebat eam, priusquam esset, nec postquam erat: sed est sensus, quod Deus nō intelligebat rem in tempore postquam ipsa esse desierit, nec in tempore, quo durat, quia in nullo tempore est.

D Quonodo Deus rem intelligit, cum non intelligat antequam fiat, nec cum sit, nec postquam facta est. Vbi etiam agitur dubium illud nota- bile de Ideis ad quid ponantur in Deo, & an dirigant Deum in operatione. Et in quo operatio Dei, & ars re- rum artificum differunt. Et quid est voluntio Dei proprie-

Q V A E S T I O LXXII.

SE d' aliquis quæret, si Deus non intelligit rem antequam fiat, nec cum sit, nec postquam facta est, quando intelli- geret rem, videtur enim, quod nunquam intelligere possit. Respondendum est, quod Deus nunquam intelligit rem, id est, in nullo tempore, & tamen semper intelligat quamcumque rem, quia in tota æternitate intelligit, & eternitas semper est, & nulli tempori deest: quanquam in nullo tempore, aut parte temporis est, sicut Deus in nullo loco aut parte loci est: nul- li tamen loco, aut parti locorum deest, & hoc facit eum ubique esse, quia in nullo loco est. Nec est inconveniens, quod ali- quod tempus relinquatur, in quo Deus non intelligat rem: esset enim inconveniens, si cessaret ab intelligendo, scil. si in aliquo tempore intellexisset, & postea non intelligeret, sed in nulla parte temporis intelligit, ideo totum tempus relin- quitur, in quo nō intelligit: nec tamē ob hoc in aliquo tem- pore dicimus eum cessare ab intelligendo, licet enim in nul- lo tempore intelligat, in nullo tamē tempore intelligere de- finit. Sed contra hoc aliquis arguet, scil. quod Deus intelli- get rem, quando est, vel quando fit. Nam multa sunt, quæ à solo Deo causantur, vt animæ quæ quotidie creantur: alia autem à Deo partem influenti recipiunt inquantū est causa vniuersalis necessario influens in omnia causata, sed artifex, quandocumque operatur necessario, habet ideam dirigentem, alioquin nesciret quid ageret: immo, & nesciret, an aliquid ageret: sed Deus fecit res saltē creando, ergo necessere est, qd tunc eas intelligeret, & sic intelliget, res quād sunt. Respo- dendū est igitur primo Deum esse artificem, & in se habere ideas rerum futurarū iuxta illud Ioan. i. quod factū est in ipso vita erat, id est, omnia viuebant in Deo, quæ facta sunt in re, scil. in ideis suis. Ipse igitur in agendo dirigeretur per has, alioquin nō essent in eo: quia ideæ solū sunt exemplaria, & proficiunt pro rebus, quæ sunt, vt imprimatur eis talis ima- go inquantum artifex dirigitur per illam ideam. Quan- quam de directione, quæ habet artifex per ideam, vel per ex-emplar, & de directione, quæ est per habitū artis quomodo sint distinctæ, & quomodo sint duas directiones habitus, scil. una præcedens ideam artificialis rei ad causandū ideam, & alia directio post causatā ideam, & quæ est per ideam, in quo proficiat, & quid magis habitus artis proficiat, vel idea, & quid horū sit causa diuersitatis in artificiatis pertinentibus ad eandem artem, alius erit dicendi locus. In Deo autem erant ideæ. Nec potest dici, quod inanis esset, sicut dicit Arist. de Platonica idea, quod inanis sit. Ethic. ergo proficiebant ad operationem, sed non antequam operatio sit, nec postquam facta est, quia tunc nihil dirigunt habitus artis, & idea: ergo, & quando fit, & consequenter Deus intelligeret rem, quando causa efficeret; quia ideæ in Deo ad intellectū pertinent. His tamen nō obstantibus dicendū est prout supra, qd Deus nō intelliget rem, quando fit siue fiat in instanti, siue in suc- cessione, quia tunc astringeretur ad leges temporis, quanquam nec tunc, nec alias intelligere definit, & sequerentur omnia inconvenientia supra polita. Et ad inconveniens de ideis, scil. ad quid ponantur, eum non dirigant Deum in operatione.

Dicendum est in Deo esse ideas ex necessitate artificis: potissimum cum B. Ioan. non Platonicus quidem, nec ex aliqua parte Physicus, aut Methaphysicus eas posuerit, istæ tamen nō sunt eo modo in Deo, quo in alijs artificibus, quia in cæteris sunt ideæ exemplaria quædam causata in mente artificis per directionem habitus artis, & est idea forma im- materialis rei artificialis, nec distat in aliquo alio forma, vel idea quam habet artifex in mente, & forma, quam super- ducit partibus ædificij in materia ædificabili, nisi quod forma, quæ est in mente est immaterialis, forma autem, quam causat artifex per actum suum est materialis superducta partibus ædificij, & ista idea causatur per habitum artis, quia

*Argu-
contra
predi-
ca, cu-
ius solu-
tionem
in for-
ma qua-
re 973.
Op. 75.*

A quanquam quilibet possit formare intra se quamcunque ideam ædificij, tamen non format aliquis conuenientem ideam, nisi artifex, quod in formanda ea dirigit artis habitus, utpote aliquis, qui non est artifex concipiet intra se aliquod ædificium magnæ altitudinis, & paruæ latitudinis, atq; capacitatis, & illud nō poterit consummari, vel si consummatur, nequit magno tempore durare: requirit enim conueniens ædificium certam latitudinem & cōmensuratam ei altitudinem tam ad permanendū, quā ad usum humanum: qualis tamen sit figura conueniens rei artificialis, nemo bene nouit, nisi per habitum artis, & in hoc habitus dirigit ad generationem idē vel exemplaris, & iste est modus in omnibus artificibus: in Deo autem non gignitur aliqua idea, sicut in nobis, sed ipsamet diuina mens est omniū idea, & sic nō est distincta idea ab artifice, sed sunt omnes istæ distinctiones minores distinctione reali. Et ob hoc etiā non poterit ponи habitus artis agens ad generationem id earum diuinarū, cum illæ sint aliquid non factum. Proficiunt autem istæ idea ad operationem artificis, cum est operatio, & in Deo sic est, quod idæ ad eius operationem dirigendam sunt, sicut in ceteris artificibus, sed adhuc est differētia in operatione Dei, & arte rerum artificum, quia in ceteris artificibus tunc est operatio ipsorum cum est passio rerum factarum quia actio, & passio sunt unus motus iuxta Arist. in 2. De anima, & actio & passio in motu fundantur, vt ait Gilbertus in libro sex principiorum. Et accidit hoc, quia sicut passio rerum, quæ fiunt est motus quidam, ita actio ipsorum artificiū est motus, & unus ex altero causatur: nam iuxta Arist. in prædicamentis: proprium est passionis inferri ex actione, ergo necesse est dum unum fit, alterū esse. Protenit autē hoc ex imperfectione artificum, qui sicut habent esse suum in successione, ita communicant. Deus autē nō habet aliquid esse in successione, sed totū simul in eo est quidquid est: ideo cum cōmunicat aliquam perfectiōnē non fit aliquid motus, nec pertinens ad motū, scil. mutatū esse. Deus autē est principium omniū rerum per intellectum iudicando, quod fieri debeant, quod pertinet ad prudentiā, & iudicando qualiter fieri debeant, vel quales produci debent, q̄ pertinet ad ideas, vel exemplaria, & ad habitū artis. Et etiā principiū per voluntatē eligendo producere res. Est etiā principiū per potentiam, quæ est in eo, sicut in nobis sunt potentia executive obedientes voluntati, & rationi. Et verē in Deo est iudiciū de productione rerū, & volitio, & actus producendi: sed ista sunt tota simul, quia non distinguuntur ab ipsa diuina essentia, sicut distinguuntur in nobis intelligere ab intellectu, & volitio à voluntate, & operatio executa à potentij executive. Ideo sicut essentia Dei est tota simul, ita iudiciū de producendo mundū est totum simul, & volitio de producendo, & ipsa operatio quantū ex Deo se tenet, & ista semper sunt: nam voluntas, aut volitio de creando mundum nō est magis quando creatus est mundus quā nunc. Cum enim semper Deus sit, illam semper esse necesse est.

Nec ex hoc sequitur quod mundus semper creetur, quia semper Deus habet illam volitionē: sequeretur enim hoc, si Deus haberet operationē aliquam in aliqua parte temporis, aut in aliquo instanti: sed falsum est: nam cum tunc creatus est mundus, Deus nō habebat volitionem de creando mundo, quia creatio mundi fuit in instanti temporis, quod fuit primum, & initiatū temporis, sicut punctus in principio lineæ: in instanti autem Deus non est, sicut nec in tempore, vt ex prioribus patet: sed volitio Dei est esse Dei, & Deus, ergo non erat volitio Dei de creando mundum tunc, cum creatus est. Nec est aliquando nisi accipiatur, quod tunc erat id est tunc non desinebat esse, quia semper est: & hoc modo in toto tempore est: quia in nulla parte temporis definit esse, quia semper est. Nec enim debet quisquam imaginari, quod Deus aliquando creare mundum elegerit, & postea ab hac electione cessauerit, sicut nos aliquād intelligimus, vel volumus, & postea ab intellectione, & volitione deficitus: quia in Deo quidquid est, Deus est, & non potest aliquid, quod in eo fuerit, cessare ab essendo, nisi Deus totaliter esse deficerit. Ideo necesse est dicere, quod aut nunquā in Deo fuit volitio de creando mundum, aut nunquā definit esse, sed non est dicendum quod non fuerit in eo volitio, quia sequeatur quod aliquid fecerit, quod non elegerit facere, quod

absurdum est: quia tunc sequeretur, quod aut inuitus ista egit, aut nesciens, & nō delibera, quæ duo tollunt voluntarium. Ethic. ergo in eo fuit volitio de creando mundum & consequenter necesse est, quod ista volutio semper maneat.

Ex hoc patet quod volitio de creando mundum in Deo nunquam fuit, id est, in nulla parte temporis, vel instanti, quia diuinum esse est: si tamen cōcedatur in aliquo instanti, quod Deus volebat mundum tunc creare, nō magis concedetur in uno tempore quā alio: quod patet, quia sicut Deus in æternitate huiusmodi sunt volitio, & intellectio: æternitas autē non est in aliquo tempore, aut parte temporis, tamē coexistit tota simul cuilibet parti temporis, & tota simul toti temporis, & tota simul cuilibet instanti, nec magis vni parti, aut instanti quam reliquo, ideo necesse est, quod volitio Dei de creando mundum non magis sit nūc, quā ante, vel quā post sed indifferenter coexistit omni tempori, & partibus eius. Et ex hoc sequitur, quod illa volutio non erat magis, quando mundus creatus est, quā nunc, & quam in die iudicij: alioquin dabitur, quod magis præsens sit æternitas illi instanti quā huic, quod non stat, quia ipsa est absoluta legibus temporū, & locorum. Sed dicet aliquis, si non magis erat volitio Dei de creando mundū in illo instanti quā nunc, quare magis fuit creatus mundus tunc quā nunc. Dicendum est quantum rū creationem mundi esse causam speciem quā in alijs rebus volitis à Deo, quæ quotidie eueniūt. Nam mundus non potuit creari priusquam creatus est, nec postea, vt supra probatum est: sed necesse erat cum creari in primo instanti temporis: manebit tamen argumentum de omnibus alijs rebus, scil. homo currit nūc, velle legit, & Deus hoc vult. Et ista volutio, cum in Deo dicat aliquid reale, necesse est quod ab æterno voluerit, & ob hoc non magis erit volitio Dei de cursu hominis in die iudicij, quā in die creationis mundi quā in die, quo currit. Et tunc dicetur cum Deus semper vult quod iste currat, quare nunc currit, & nō currebat à principio, vel postea non semper currat non cefante illa volitione Dei.

In q. 52
Respondendum est, quod ideo iste currit hodie, & non cras, quia licet Deus semper vult eum currere, tamen vult, q̄ solum currat hodie, & semper vult, quod hodie currat.

Et sic etiam dicetur de creatione mundi, quare non semper creatur. Respondendum est, quod semper volitionē habet de creatione mundi, vt fiat in illo instanti, & non in alio, ideo quanquā volitio de creatione mundi in Deo semper sit, quia tamen non est pro semper, non creatur semper: ideo ista propositio distinguenda est, scil. Deus semper vult creationem mundi, an semper determinet illud verbum vult, an determinet infinitū sub intellectū cū illo accusatio, creationem. Si primo modo est sensus, quod voluntas de creatione mundi in Deo est indefinens, id est, quod sicut semel vult, ita nunquam velle cessat. Secundo modo est sensus, q̄ Deus vult creationem mundi semper fieri, scil. in omni instanti, & tunc est falsum, quia nec hoc vult, nec est possibile. Item accipiendo in primo sensu Deus semper vult creationē mundi, non accipitur semper pro omni tempore, ita quod in quolibet instanti temporis hoc vult, quia in nullo instanti, aut parte temporis Deus habet aliquam actionem, aut esse: sed accipitur semper pro tota æternitate, quæ est desinens, scilicet, quod in tota æternitate Deus vult creationem mundi, & illa est vna volutio, & indivisibilis, nam est in æternitate, quæ est indivisibilis, & tota simul.

Nec est aliqua volutio longa, & continuata ab æterno in æternum per indeterminatū durationem, sicut aliqui autem non cognoscentes naturam æternitatis, sed putantes eam esse tempus infinitum iuxta positionē Arist. 8. Physic. de æternitate motus, sed est ista volutio indivisibilis, quia id quod est factum in instanti, vt ita dicam, non potest habere aliquam longitudinem, vel extensionē: æternitas autem est instantis, quia est tota simul, quod non contingit nisi in instanti, ideo volutio illa de creatione mundi est indivisibilis, & instantanea, nec est repetita, scil. vt nūc semel vult: & deinde iterum, & iterum, quia etiam hoc modo daretur successio, sed etiam hoc modo tolletur æternitas, quia necesse erat ponī tempus vbi sunt multa instantia, cum non possint immediate coniungi indivisibilia. Erit igitur æternitas instantis, & vnicum

Volitio
Dei de
crean-
do mun-
dum
nun-
quam
fuit
quia
ante
creatio-
nem,
nec post
ne
tunc.

Volitio
Dei
quod
est.

A vnicum instans: ideo volitio Dei de creatione mundi, & formatione Adæ, & qualibet alia re est indiuisibilis, & vniqa nunc quam repetita.

Velut si nos semel elegerimus, quod Sortes currat, & nuncquam in idipsum redeamus eligentes, & cogitantes. Hæc tñ æternitas coexistit toti tempori habenti magnas extensiones, etiam si esset infinitum: nec ob hoc magis indiuisibilis ipsa sit, quia hoc ex natura permanentia sibi euenit, sicut centrum terræ coexistit totum simul toti tempori, & cuilibet indiuisibili assignato in tempore, & tamen ipsum centrum terræ indiuisibile est, tempus autem ipsum in infinitum indiuisibile: ita æternitas est tota simul, & indiuisibilis, & quia permanens coexistit toti extensiōi temporis, quod est in fluxu.

B Amplius autem dato, quod volitio Dei de creatione mundi, vel de alijs rebus quæ sunt, esset in tempore, non erat necessaria, quod tunc res fieret, quando Deus haberet volitionem de re illa, quod fieret: nam & nobis sic accidit, quia nunc voluntus habere vitam æternam, sed non pro nunc, & nunc eligimus ea, quæ manè facturi sumus, sed non eligimus nunc facere, ita Deus volebat creationem mundi in aliquo instanti, tamen nō volebat pro illo, sed si hoc modo daretur in Deo non posset semper habere eandem volitionem, quia ante quā mundus crearetur, vellet quod crearetur: postquā verò creatus foret, non vellet in omnibus instantibus posterioribus, quod crearetur, sed quod creatus foret. Nunc autē nō mutatur in Deo volitio, sed id quod semel voluit, & qualiter voluit, semper vult: vnde nunquam voluit Deus mundum creandum tanquam creatio illa non assisteret ei quoniā assistit semper, nec vult illum creatum esse tanquam creatio elapsa fuerit, quia æternitati nihil absens est, sed vult creationem mundi absolute, quæ nec est præterita, nec futura, & sic strictè accipiuntur. Etiam non est ei præsens: quanquam possunt accipi istæ propositiones verè, ita quod referatur creatum, & creandum ad conditionem temporis, & non ad conditionem Dei, s. quod licet in comparatione mundi ad Deum volentem, nec creatio mundi elapsa est, nec futura, tñ ad conditionem temporis elapsa est: & hoc elapsum sicut est, Deus vult. Accipiendo tñ absolute, scil. Deus vult, quod creetur mundus: est sensus, quod mundus respectu eius non erat creatus, aut non erat creatio, & hoc est falsum: & ideo propositio talis magis est falsa strictè sumendo. Si tamen volitio Dei esset in tempore, necessario mutaretur, quia cum in hoc tempore mundi creatio elapsa sit, si Deus nunc haberet volitionē de creatione mundi, non posset esse de creatione, nisi vt præterita, scilicet, quod vellet mundum fuisse creatum. Quia tamen in æternitate est, quia nec est ante tempus, nec post tempus, non mutatur, nec mutari quidem potest, quia est in indiuisibili: in indiuisibili autem nō possunt esse contradictionia; sed neesse est solum esse alteram partem.

C Ex quo patet, quod volitio de creatione mundi non fuit ante illam, nec post, nec tunc. Quod satis ex prædictis patet, nam ista volitio est esse Dei, sed Deus non præcedit aliquam rem, vt suprà probatum est, ergo nec volitio. Etiam quia volitio Dei est in æternitate, æternitas autem est simul tota, & non habet positionem in tempore, ideo non potest præcedere aliquid, nec subsequi ad illud.

In Deo volitio de mundi creatione est semper, & illa est creatio actiua. Et quod creatio actiua in Deo non est motus, nec actio, sed aliquid semper manens. Et quod modus essendi Dei dicit duas perfectiones. Et quare res per creationem non consecutæ sint simultate permanendi sicut essendi. Demum ad quid in Deo ponuntur Ideæ, & an dirigant Deum in operatione.

Q V A E S T I O LXXIII.

S Ed redeundo ad id, quod incepseramus, dicendum, quod in Deo volitio de creatione mundi est semper, & illa productio, quæ est ex parte Dei est semper, & tota simul, nec dici debet, quod illa nihil sit: nam si non sit verum ens reale, impossibile erat, quod res productæ fuissent veraciter, vt à non ente non potest prodire quidquam, sed creari est fieri, vel aliquid in modum passionis, & res creatæ sunt maximus effectus, ideo non possunt esse à non ente. Et sic, sicut patet ex parte rerū datur creatio, quæ est modus passionis, ita in Deo

Dabitur creatio actiua, quæ non est actio nec motus, nec aliquid progrediens à diuina essentia, vel potentia productiua, sed est aliquid semper manens non magis tunc cum res creatæ sunt, quā nunc.

Et patet, quod creatio ex parte Dei non sit aliquis motus, vel actio propriè dicta, nam res creatæ, quæ sunt mobiles in creatione, non habuerunt aliquem motum, quanto minus in Deo erit motus, per quem producat?

Sed adhuc non accedit simultas recipiendi esse in rebus ad similitatem communicandi in Deo esse rebus. Nam cum communicatio illa ex parte Dei nō distinguatur à deitate est aliquid semper manens, & est tota simul, in rebus autem receptione essendi habuit aliquam similitudinem ad modum communicationis ex parte Dei, sed non potuerunt habere totalem similitudinem. Nam Deus creans res non produxit illas communicatione vniuoca, scil. communicans eis esse suum, quod est per generationem, sed æquiuocè communicauit eis perfectionem essendi quandam, quod non est esse suum, & si communicasset eis esse vniuocè, totaliter fuisset idem modus essendi in genito, sicut in communicato. Ita est in patre & filio: nam sicut pater habet totum esse simul, ita & filio cōmunicatum est totum esse simul, & sicut pater habet esse permanens est, ita & esse filij permanens est.

Res autem à Deo creatæ, quia per æquiuocam communicationem prodierunt, non consecutæ sunt eundem modum in recipiendo esse, quem Deus habuit in tribuendo: sed consecutæ sunt eum quantum ad aliquid. Nam modus essendi Dei dicit duas perfectiones, scilicet, quod totus simul est, & quod in simultate illa permanens est, ita & communicatio illa actiua prout se tenet ex parte Dei est tota simul, & est permanens: modus autem recipiendi esse à Deo ex parte rerum fuit consecutus primam perfectionem, scil. quod fuit totus simul, sed non fuit consecutus secundam, scil. quod maneat totus simul.

D E primo patet, quia creatio passiua rerum fuit receptione esse sui, & ipsa fuit tota simul, quia totum esse eis cōmunicatum, simul cōmunicatum est, & quantum ad hoc communicatio actiua, quæ se tenet ex parte Dei, nō excedit modum recipiendi, cum utrobiq; sit simultas. Nec solum fuit hoc in formis substantialibus, quæ etiam per naturam simul causantur per generationem, sed etiam quantum ad formas accidentales, quæ naturaliter non causantur totæ simul. Et in hoc creatio accepta passiua excedit in duobus generationem naturalem, quanquam vtraq; instantanea sit.

F Primò ex parte formarum substantialium. Nam in generatione quanquam formam in indiuisibili inducatur, quia ipsa non habet partes, & non potest produci diuisibiliter, tñ ad educendum formam de potentia, multæ actiones naturales successiūe præcedunt, & sic nō est penitus simultas in modo communicandi esse per generationem: in creatione autē passiua non præcessit aliqua successio.

Secundò excedit creatio passiua generationem, vel modum communicandi esse naturaliter in formis accidentalibus, quia formæ accidentales cōsequentes rem generatam causantur naturaliter per motū, & successiūe recipiuntur in subjecto: in creatione autem res fuerunt creatæ nō solum in suis substantialibus, sed etiam in accidentalibus perfectissimè, & ad istas accidentales perfectiones non præcessit aliqua successio. Ecce igitur quod creatio passiua, quæ fuit receptione esse, consecuta est modum communicationis ex parte Dei, quantum ad esse totam simul. Secundam autem perfectionem illius communicationis actiua non potuit consequi creatio passiua, quæ est in rebus: nam illa actiua communicatio est tota simul, & manens cū non distinguatur à Deo, quia habet totum esse suum permanens: creatio autē passiua non consecuta est mansionem. Nam solum fuit creatio in instanti illo primò temporis, postea verò esse non habuit, sed iam præterita est: creatio autē actiua, prout dicit aliquid ex parte Dei, non magis fuit in illo instanti, quā in isto & in omnibus, sed semper coetera Deo est, & nunq; potest desinere esse. Hanc conditionem non potuit consequi passiua creatio, quæ est modus recipiendi esse rerū à Deo procedentium. Nam hoc modo consecuta fuisset æternitatem, quod nulli rei donatur, nisi procederet à Deo vnitate, vt Filius & Spiritus sanctus à Patre, qui vniuocantur dignenti, & spiranti.

A Causa autem quare res nō consecutæ sunt modum istum effendi vel recipiendi esse, qui est Deo, in communicando est: quia conditio creatarum rerum hoc non sustulit. Sunt enim res istæ generabiles, & corruptibiles, & huic competit motus: motus tamen tollit simultatem, cùm per eum perfectiones successiū acquirantur. Necesse erat igitur, vt quidquid competeteret rebus, careret permanentia simultatis. Sed licet aliquando haberet simultatem, semper tamen eam habere non posset. Creatio autem erat aliquid totum simul, id eo si permaneret, necesse erat quod semper res haberent totum esse simul: hoc tamen repugnat rebus generabilibus, & corruptibilibus, ideo creatio, quæ erat quædam conditio rerum recipiendo esse non potuit manere, nisi per instans: alioquin si conditio, vel modus recipiendi esse in rebus permaneret totus simul, necesse erat quod esse receptum esset totum simul permanens: sed non potuit hoc esse in rebus generabilibus & corruptibilibus, ideo creatio passiva, quamquam tota simul esset, tamen non permanens nisi in indiuisibili temporis. Et ob hoc verum est, quod fuit creatio in primo instanti temporis, & nunquam postea: creatio autem actiua in quantum dicit aliquid ex parte Dei reale, quod ponere necesse est, erit totum simul: quia est indiuisibile, cùm sit in æternitate. Est etiam permanens ex conditione diuini esse, & æternitatis suæ mensuræ: ideo ista creatio actiua semper est, nec magis in illo instanti, quo creatæ sunt res quam in quolibet alio instanti. Nam propriè loquendo in nullo instanti, aut tempore est, cùm sit in æternitate: loquendo tamen largè non est magis creatio actiua ex parte Dei in instanti, quo creatus est mundus, quam in instanti passionis, vel mortis Christi, quam in die iudicij, sed semper est, cùm æternitas toti temporis, & cuilibet parti temporis coexistat, & non magis vni quam alteri.

Ideo idæ, quæ ponuntur à Deo ad dirigendum illâ creationem actiua, sicut idæ artificium, & habitus artis non magis direxerunt operationem diuinam in illo instanti, quo creatus est mundus, quam nunc, & quam in die iudicij; cùm operatio, quæ est actio actiua, semper sit, & directio sit, cùm manet operatio dirigibilis. Et sic ab æterno idæ in mente diuina operationem illam dirigunt, & nunc dirigunt, cùm semper sit: & tamen semper existens non est aliqua alia, sed eadē indiuisibilis, & instantanea, vt suprà declaratum est: semper tamen est in quantum omni tempori fluenti ipsum æternum permanens coexistit, sicut punctus rei permanentis coexistit durationi totius motus.

An Deus poterat creare, & producere res in tempore, sicut natura, vel sit necesse, quod agat in instanti. Et an creatio actiua & passiva fuerit instantanea.

Q V A E S T I O LXXXIII.

CONSIDERANDVM autem, quod illa processio regnum à Deo, quæ fuit in instanti, non potuit esse per successionem, ita quod communicaret Deus esse successiū rebus, sicut natura communicat per motum, & hoc siue poneatur successio cum motu ad communicandum esse, siue successio sine motu: nam cùm res suscipient esse per successionem necesse erat, quod in communicatione actiua ex parte Dei poneretur successio: nam successio passiva est ex actiua factio. Quæretur ergo an Deus communicaret agendo esse rebus diuisibiliter, vel indiuisibiliter, si communicaret diuisibiliter, habetur intentum, & tunc est hoc impossibile, quia cùm ista actiua communicatio sit ex parte Dei, dabatur aliqd in Deo, quod sit partibile, & hoc est impossibile, quia Deus est totus simul, & quidquid est in Deo, est totum simul, ideo non poterit esse aliquid partibile, vel in successione. Si autem dicatur, quod Deus indiuisibiliter confert esse, & tamen res illud recipiunt diuisibiliter, est impossibile, quia causatū non suscipit esse, nisi per actualē influxionem in ipsum, si ergo Deus non influit actualiter, vel nihil à Deo influitur actualiter per aliquam successionem, cùm ipse diuisibiliter causet, & illi causalitatē indiuisibili non potest correspondere, nisi aliquid indiuisibile ex parte rerum, necesse est igitur, vt in indiuisibili res esse recipiant, si indiuisibiliter Deus confert. Nam licet Deum non ponamus in tempore entem, nec agen-

tem; si tamen aliquam causalitatem passiuam eius partibilem & succendentem ponamus, necesse est aliquam actiua causalitatem partibilem ex parte ipsius assignari, licet illa non sit in tempore, sicut passiuā receptione: tamen non potest illa diuisibilitas, vel successio assignari ex parte Dei, ergo non poterat res successiū produci à Deo: ideo necesse fuit, vt productio rerum à Deo esset instantanea, & ista vocatur creatio.

D E i s t a e s t c a u s a , q u a r e D e u s n o n p o t e s t l o q u i , n e c a p p a r e r e n o b i s i n a s s u m p t a e f f i g i e a d f a c i e n d u m a l i q u i d c o r a m n o b i s , n e c p o t e s t m o u e r e c c e l o s , n e c v n u m l a p i d e m f a l t e m s p a t i o v n i u s d i g i t i , l i c e t p o t u e r i t o m n i a c r e a r e , & t a m e n s i n e m o t u p o t e r i t f a c e r e D e u s e a , q u e a l i a s p e r m o t u m f a c i e n d a e r a t , v t q u a m q u a m n o n p o s s i t m o u e r e l a p i d e m a b v n o l o c o i n a l t e r u m , t a m e n p o t e r i t s i n e m o t u f a c e r e , v t l a p i s , q u i h i c e r a t , s i t i n a l i a p a r t e m u n d i . E t l i c e t n o n p o s s i t c a u s a r i i n n o b i s a l b e d i n e m d e a l b a n d o , q u e m a d m o d u m n a t u r a f a c i t p e r m o t u m : t a m e n p o t e s t s u b i t o i n n o b i s e a m c r e a r e d e n o n e n t e , & s i c d e c a t e r i s .

Et si arguitur, quod aliquando Deus dicitur locutus, vel fecisse hæc, aut illa.

R e s p o n d e n d u m e s t A n g e l o s f e c i s s e h æ c , v t s a p e r e r e s p o n s u m e s t . D e q u o l a t è E x o d . 3 . & 1 9 . & L e u i t . 6 .

S i a u t e m a r g u a t u r , q u o d i n N o u o T e s t a m e n t o , v b i n o n s u n t v i s i t a t i i s t i m o d i t r o p i c i , d i c i t u r d e s c e n d i s s e S p i r i t u s s a n c t u s i n c o l u m b a , & v o x P a t r i s a u d i t a , s c i l i c e t : H i c e s t F i l i u s m e u s d i l e c t u s , &c. L u c a z 3 . s a t i s r e s p o n s u m e s t i n l i b r o n o s t r o d e q u i n q u e m e t a p h o r i c i s P a r a d o x i s a d i l l u s t r e m R e g i n a m C a s t e l l æ .

S i a u t e m a r g u a t u r , q u o d C h r i s t u s h o m o D e u s v e r e l o q u e b a t u r , c o m e d e b a t , m o u e b a t u r , c a t e r o s q u e a c t u s a d v e r i t a t e m o t u s p e r t i n e n t e s f a c i e b a t , & t a m e n i n e o s u p p o s i t u m , v e l p e r s o n a a g e n s , q u a m d e n o r a i n a t a c t u s n o n e r a t h u m a n a , s e d d i u i n a . E t i a m i n c o d e m l i b r o s a t i s r e s p o n s u m e s t i n t e r t i o P a r a d o x o c i u s d e m .

N u n c a u t e m c r e a t i o p a s s i u a , q u a e e s t f u s c e p t i o e s s e i n r e b u s , f u i t i n i n s t a n t i t e m p o r i s , & i n d i u i s i b i l i t e r . E t q u a m q u a c o m m u n i c a t i o , q u e e s t e x p a r t e D e i n o n s i t i n a l i q u o i n s t a n t i t e m p o r i s , cùm s i t i n æ t e r n i t a t e , & c o m m u n i c a t i o p a s s i u a f u i t i n i n s t a n t i t e m p o r i s , t a m e n c o n s e c u t a e s t c r e a t i o p a s s i u a c r e a t i o n e m a c t i u a , v t s i c u r a c r e a t i o a c t i u a e s t i n i n d i u i s i b i l i t a t e s i n s i g n i f i c a n t e s , & r e s p a s s i u a e s s e t i n i n d i u i s i b i l i t e m p o r i s , q u o d e s t i n s t a n t i , & t o t u m s i m u l : s i t a m e n D e u s c o m m u n i c a r e t e s s e i n d i u i s i b i l i t e r , & r e s f u s c i p e r e n i l l u d i n d i u i s i b i l i t e r , n o n e s s e t a l i q u a s i m i l i t u d o c r e a t i o n i s a c t i u a d c r e a t i o n e m p a s s i u a m .

S e d a d h u c a l i q u i s a r g u e t , q u o d q u a m q u a m D e u s c o m m u n i c e t e s s e r e b u s i n d i u i s i b i l i t e r , t a m e n r e s p o t e r a n t f u s c i p e r e n i l l u d i n d i u i s i b i l i t e r , q u o d p a t e t , q u i a e x i s t e n t e c r e a t i o n e , v t f u i t , c o m m u n i c a t i o D e i n o n f u i t i n a l i q u o i n s t a n t i , s e d i n æ t e r n i t a t e , c r e a t i o t a m e n p a s s i u a f u i t i n i n s t a n t i t e m p o r i s : e r g o s i c u r a n o n e x i s t e n t e c r e a t i o n e a c t i u a i n i n s t a n t i t e m p o r i s , c r e a t i o p a s s i u a e s t i n i n s t a n t i t e m p o r i s , i t a n o n e x i s t e n t e c r e a t i o n e a c t i u a i n t e m p o r e , p o t e r a t p r o d u c t i o p a s s i u a r e r u m e s s e i n i n s t a n t i , & s i n o n e s s e t h o c q u a n t u m a d f o r m a s s u b s t a t i a l e s , f a l t e m e s s e t q u a n t u m a d a l i q u a , q u a e i n d i u i s i b i l i t e r p r o d u c t i b i l i a s u n t , s c i l . q u a n t u m a d p e r f e c t i o n e s a c c i d e n t a l e s , & s i e s s e t i n d i u i s i b i l i t e r .

R e s p o n d e n d u m n o n p o t u i s s e h o c f e r i , n e c e s t v l l a t e n u s s i m i l e . N a m cùm D e u s c r e a t a c t i u e r e s i n i n s t a n t i t e m p o r i s , & r e s c r e a n t u r i n i n s t a n t i t e m p o r i s , l i c e t s i m p l i c i t e r n o n s i t s i m i l i t u d o , e s t t a m e n s i m i l i t u d o i n m o d o r e c e p t i o n i s , & c r e a t i o n i s : q u i a c r e a t i o e s t i n i n d i u i s i b i l i t a t e s i n d i u i s i b i l i t a t e , n e c e s t d i s s i m i l i t u d o , n i s i q u o d i n d i u i s i b i l i t a t e , i n q u o c r e a t D e u s e s t m a n e n s : i n d i u i s i b i l e a u t e m , i n q u o r e s c r e a n t u r e s t t r a n s i e n s , q u i a e s t i n s t a n t i p r i m u m t e m p o r i s h a b e n s p o s i t i o n e m i n t e m p o r e , v t p u n c t u s i n l i n e a , v t r u n q u e t a m e n e s t i n d i u i s i b i l e , & v t r u n q u e e s t i n s t a n t i , n e c e s t e x t e n s i u s i n s t a n t i æ t e r n i t a t i s i n s t a n t i t e m p o r i s .

S i a u t e m d i c a m u s , q u o d D e u s c o m m u n i c a r e t e s s e i n d i u i s i b i l i t e r r e b u s , & i p s e f u s c i p e r e n i l l u d i n d i u i s i b i l i t e r , n o n o m n i m o n e s s e t s i m i l i t u d o , q u i a s u p r a d a b a t u r i n d i u i s i b i l i t a t e s p r o d u c t i o n i s a c t i u a , i t a d a b a t u r i n d i u i s i b i l i t a t e s p a s s i u a p r o d u c t i o n i s : h i c a u t e a c t i u a p r o d u c t i o e s t i n d i u i s i b i l i t a s , & p a s s i u a e s t i n d i u i s i b i l i t a s .

I t e m i n s u p e r i o r i b u s c r e a t i o p a s s i u a e s s e t i n i n s t a n t i t e m p o r i s

A poris, & creatio actiua non esset in aliquo instanti temporis, tamen erat in aliquo indiuisibili, quod non erat indiuisibile temporis, ita si productio passiua poneretur indiuisibilis diuisibilitate temporis, poneretur productio actiua diuisibilis, licet non diuisibilitate temporis, sed nulla diuisibilitas, vel successio est in Deo, siue, ut conditio temporis, siue sine tempore, ergo non poterat poni diuisibilitas ex parte rerum.

Aliter arguetur, scilicet quod possit indiuisibile creans facere diuisibilitatem in re quantum ad modum suscipiendi, sicut est de motoribus localibus, quia aliqua sunt mouentia localiter, & secundum situm, tamen non mouentur localiter, vel secundum situm, sicut est de Angelis mouentibus celestes orbes, tam secundum positionem Philosophicam, quam Catholicam veritatem. Ipsi enim mouent, & tamen immobiles manent, ita Deus produceret indiuisibiliter, & tamē res producerentur diuisibiliter.

B Respondendum est non stare, nec est similitudo, quia licet Angeli mouentes non moueantur, quia etiam in rebus naturaliter aliqualiter contingit hoc, tamen sicut est successio, & partibilitas in motu creato ab Angelo, ita est successio, & diuisio ex parte causalitatis actiuae Angelii: quia Angeli mouent orbem applicando virtutem suam motu illis, & ibi non est unica applicatio, sed sicut motus continuus est, ita Angeli continuè deriuant virtutem suam in corpora cœlestia applicantes virtutem motu illis. Quod patet, quia si aliquādō Angeli desinunt mouere cœlos desinent moueri cœli, ideo ibi sicut ex parte passiuae mutationis est successio, ita ex parte actiuae motionis. Vnde applicando ad Deum hoc, necesse erat, vt sicut ex parte passiuae successionis esse in rebus erat indiuisibilitas, ita ex parte actiuae productionis.

Stat ergo conclusio, scilicet quod communicatio esse passiua in creaturis per diuinam productionem non potuit esse nisi in indiuisibili.

Quare creatio passiua est in primo instanti temporis, & creatio actiua non est in aliquo instanti, & quare non sunt semper simul, sicut in ceteris actio, & passio sunt simul.

Q V A E S T I O LXXV.

CONSIDERANDVM amplius est circa hoc. Aliqui enim assuti ad ea, quae vident existimant, quod quia creatio passiua mundi fuit in primo instanti temporis necesse esse, in illo metu instanti fuisse actiua creationem ex parte Dei, & sicut creatio mundi fuit in instanti illo, & nunquam post, ita putant creationem actiua ex parte Dei fuisse in solo illo instanti: arbitrantes, quod si ponatur semper manens creatio actiua, quod necesse sit ponit semper manentem creationem passiua, quia proprium est passionis inferri ex actione, & proprium est actionis ex se inferre passionem, iuxta Aristotelem in Prædicamentis. Ideo cum actio manserit semper ex se inferret passionem, sed creationem actiua inferre passiua manifestum est, & passiua non semper manet, sed solum in instanti primo temporis, ergo nunquam alias dabitur manens creatio actiua, alioquin dabatur quod aliquando actio sit & non inferat ex se passionem, quod est impossibile, quia tunc non esset proprium actionis ex se inferre passionem: propria enim passio semper manet, re manente, cuius est. Item hoc arguunt ex his, quae videntur: nam in naturalibus sunt causalitates actiuae, & passiuae, temporales, & aliquæ instantaneæ, & sicut passiua est instantanea, ita & actiua: & sicut passiua est magno aut paruo tempore manens, ita & actiua: ergo sic de creatione actiua, & passiua erit. Declaratur hoc, ut generatio passiua est ex generatione actiua, & sicut generatio passiua est in instanti, ita & actiua, & in eodem instanti, in quo gignens gignit, genitum gignitur, nec potest amplius aut minus durare altera, quam reliqua. Ita de causalitatibus successionis, si aliquod corpus mouetur, ibi etiam erit motio actiua, & tamdiu durat una, quamdiu altera, sicut ædificatio actiua, & passiua. Tunc enim est ædificatio passiua, quando est actiua, & tamdiu durat ædificatio domus, quamdiu durat ipsum ædificare artificis. Nec est possibile domum ædificari, quando artifex non ædificat, aut artificem ædificare, quando domus non ædificatur. Ita de creatione actiua, & passiua

D non poterit esse creatio passiua, nisi quando actiua creatio est, & non poterit esse actiua quin maneat passiua, sed in primo instanti temporis solū fuit passiua creatio, ergo ibi solū fuit actiua.

Respondendum est non stare hoc. Sunt enim hic duo inconvenientia: primum quia dicitur esse creatio actiua in primo instanti temporis, quia ibi verè, & realiter erat passiua creatio: tamen creatio actiua, sicut non potest esse in tempore, ita nec in instanti temporis, quia illa identificatur Deo, in quo non est aliquid temporale, aut instantaneum quantum ad instantia temporis, sed æternum. Secundum inconveniens est, quia dicitur, quod non manet creatio, nisi in primo instanti temporis. Nam semper manet, cum nunquam esse desinat, quia est aliquid in Deo: primum autem instans temporis esse desinet, ideo non potest esse in illo.

Argumenta non procedunt, cum dicitur quod passio interfert ex actione, & necesse est manente actione semper ex illa inferri passionem: respondendum est tenere in actione, & passione propriè dictis ex pertinentibus ad prædicamentum, quia illa fundantur in motu iuxta Gilbertum in sex principijs, scilicet, actio & passio in motu fundabitur, & aliquo modo sunt unus motus actio, & passio iuxta Arist. 2. de Anima, scilicet, actio, & passio sunt unus motus, ideo tunc propter identitatem materialem, licet formaliter differant, necesse est manente actione, manere passionem, & non manente passione non manere actionem. Creatio tamen actiua in Deo, & creatio passiua in creaturis non sunt actio & passio: nam in Deo non est aliquid actus, qui sit per modum egrediendi, sicut in naturalibus actus est à supposito, vel à forma per alium modum derivationis, tamen suppositum & forma sunt aliquid manens, actus vero non est aliquid manens, in Deo autem, quia quidquid est, ipse Deus est, necesse est, vt non sit in Deo aliqua actio, quæ sit per modum egressionis. Et licet daretur aliqua deriuatio, adhuc illa non pertineret ad motum, alioquin diceremus Deum esse motum, vel continere motum. Nec solū creatio actiua, quæ est Deus, non est motus, sed etiam creatio passiua rerum non est motus, quia non est ibi successio, cum fuerit in instanti. Item quia in motu assignatur subiectum, quod sit sub utroque terminorum, sed in creatione non erat subiectum aliquid. Nec etiam potest dici creatio mutatum esse, quia licet mutatum esse sit indiuisibile, est tamen terminus motus: creatio autem passiua non erat terminus alicuius motus, ideo non erat mutatum esse: argumenta tamen solū concludunt de actione, & passione, quæ sunt unus motus, ideo non oportet, quod quocunque est actio largè dicta creandi, sit creatio passiua rerum.

E Causa autem diuersitatis, scilicet, quare in ceteris actio, & passio sunt simul, & quamdiu durat una durat alia, & hic non est, quia in ceteris modis essendi rei factæ pertinent ad modum essendi agentis, ideo & modi communicandi esse habet se eodem modo: in Deo autem & re quam agit non est sic, quia non est idem modus essendi Dei, & rerum ab eo productarum.

F Pro quo sciendum, quod modus communicandi esse, & modus recipiendi consequuntur ad modos essendi, quia esse est fundamentum omnium perfectionum, ideo secundum modum eius cetera sunt, agere autem quomodo cumq; accipiatur est communicare esse: pati autem est recipere aliquid esse, ideo necesse est, vt isti modi se habeant secundum modos essendi rerum: si igitur cōmunicans esse, & recipiēs, id est agens & patiens habeant eundem modum in essendo, sequitur tunc modus communicationis, siue receptionis passiuae, qualis est modus communicationis actiuae. Si autem modi essendi rerum agentium, & patientium sint diuersi, consequenter erunt diuersi modi actionis, & passionis. De primo patet in omnibus rebus factis à prima causa, quia ista siue sint causæ, siue causata, habent eundem modum generalem essendi, scilicet quia nullum eorum habet totum esse simul, sed sunt in successione, siue sit ista successio cum motu, qualis est successio faciens tempus, siue sit successio sine motu, qualis est successio angelorum in quo. Ob hoc inter omnes res factas actionem & passionem similes esse necesse est, quia modi essendi non sunt diuersi, scilicet in successione, ita vt si actio sit instantanea, sicut generatio actiua, erit passio in instanti sicut passiua ge-

*Cre-
atio etiā
passiua
non est
motus.*

*F
Causa
diuersi-
tatis
quare
creatio
actiua
& pas-
siua
non
sunt
simul
sicut a-
ctio &
passio.*

A neratio, & sicut generatio radiorum est in instanti, ita diffusio eorum. Si autem actio sit in successione, erit passio in successione, & sic est de fabricatore, & re, quae fabricatur, & de motione actiua, & de motione passiua, ideo quamdiu manet vnum eorum, alterum necesse est manere. Si vero modi essendi rerum agentium, & patientium sint diuersi, necesse est actionem & passionem non esse similes, nec commanebunt, sed assignabitur esse vni eorum, quod alteri non assignatur: sic est de Deo & cunctis rebus causatis ab eo, quia modus essendi Dei est simul totum, & permanens quod est esse in eternitate. modus autem essendi rerum est in successione, siue sit successio temporis, sicut rerum naturalium, siue successio aevi, sicut Angelorum, & ob hoc cum creatio actiua sit modus communicandi esse in rebus a Deo aequinoce, & creatio passiua est modus, quo communicatur esse rebus, non erit idem modus utriusque: sed creatio actiua non est in aliquo tempore, vel instanti, creatio autem passiua est in instanti temporis solum. Etiam creatio actiua est semper manens tota in eternitate, creatio autem passiua solam est in instanti temporis.

B Recolle
ditio di-
ctorum à
q. 72.
usque
nunc.

Ex praecedentibus patet de ideis, quae ponuntur in mente diuina, quomodo se habeant in dirigendo operationem Dei, scilicet, quod directio illa semper sit, quia operatio, quae aliquid est ex parte Dei, est coeterna Deo, & non est magis uno tempore quam alio, immo propriè loquendo non est in aliquo tempore, aut instanti. Patet etiam ex predictis de intellectione Dei, scilicet quod Deus non intelligit res antequam sint, nec postquam sunt, nec tunc cum sunt, sed intelligit eas semper quando ipse est, & hoc non est intelligere ante, nec post, vel tunc: cum non sit ipse Deus in aliqua harum differentiarum modorum essendi rerum.

An cognitione Dei siue vocetur prescientia, siue predestinationis imponat aliquam necessitatem rebus, id est, an stante infallibilitate scientiae Dei sit contingentia in rebus, & librum arbitrium in hominibus.

Q V A S T I O LXXVI.

C *Vide su-
pra q.
16.*

N VNC ex predictis infertur intenta conclusio, scilicet, quod intelligere Dei non imponit aliquam necessitatem rebus, siue vocetur illud intelligere prescientia, siue predestinationis, vel prouidentia, quae sunt nomina communiter imposita: hoc tamen est, quod communiter calumniantur homines. & in hoc, vt magis declaretur, presupponendum est, quod ea quae a Deo intelliguntur necessaria sunt, nec potest Deus quidquam intelligere afferendo quod non eueniatur, & hoc est quod maximam inducebat difficultatem. Nam si concederetur quod id quod Deus intelligit, sit sicut accedit in humano iudicio, lue quidem esset: nam dato quod alicuius a Deo prescritum, siue prouisum crederemus non ob hoc existimaremus sortiri necessitatem eueniendi, nunc autem supponendum est, quod necesse sit eueniire quae Deus iudicauerit, sed adhuc non existente hoc non est necessitas eueniendi rebus.

*Necessitate
est eu-
eniire, q.
Deo in-
telligi-*

Ad quod notandum est, quod necessitas eueniendi rebus vel libertas non consideratur in actibus ipsis tunc, quando sunt, sed antequam fiant. Nam cum sunt in omnibus existendi aequalis necessitas est, ante autem quam fiant in quibusdam est necessitas, in alijs vero est contingentia, vel libertas. Patet, quia antequam homo currat, dicimus esse contingens, vel liberum, quod currat, aut non. Idem ante comedere dicimus esse contingens velle comedere. De ortu solis antequam sit, dicimus quod sit necessarium oriri solem, & hoc est verum etiam antequam oriatur. Idem de futura ecclipsi post vnum annum, aut mensem dicimus esse necessarium eueniire ecclipsim, & sic antequam res fiant, sunt quaedam liberae, & quaedam necessariae: cum autem sunt, non est vlla differentia, sed omnes sunt necessariae aequaliter. Nam sicut solem oriuntur, dum oritur est necessarium, ita hominem comedere, dum comedit, est necessarium, & hominem velle currere cum vult currere, est necessarium: nihil tamen liberius est quam actus voluntatis, sed ipse necesse est, dum est: ergo res cum sunt necessario sunt. Nec erit in hoc differentia vlla contingentis, & necessarij, quod patet, quia contradictionem includit homi-

D nem velle currere, dum vult currere non esse necessarium: nisi non est necessarium, detur quod sit contingens, & tunc contingit hominem velle currere, dum vult currere: ergo potest non currere, dum vult, sed propter possibile possum in actu non sequitur impossibile: ponatur igitur, quod homo non vult currere, sed ista contradictione, scilicet quod vult currere, dum non vult currere, oportet igitur, ut omnes actus isto modo sint necessarij, cum accipiuntur cum reduplicationibus, vel connotationibus presentia, quia tunc stat proposicio in sensu composito, & requiritur veritas utriusque: pro codem instanti: & ob hoc dicitur, quod omne quod est, dum est necesse est esse, quia cum est, non potest non esse: & hoc sufficit ad esse necessarium. Et sic cum dicitur de quibusdam actibus, quia necessarij sint, & de alijs, quod sint contingentia vel liberi, intelligitur antequam sint, quia cum sunt, omnes sunt necessarij.

E Ex hoc patet, quod omnes actus nostri aliquando sunt necessarij, quia omnis actus humanus aliquando est presentis, sed tunc est necessarius ex regula data, ergo non est aliquis actus humanus, qui evadat necessitatē alicuius temporis. Nec quis quam, qui sapit, dicit liberos fore actus humanos: ita quod semper liberi sint, sed quod antequam eueniunt non sit necesse eueniire, cum vero praeteriti fuerint, non sunt contingentia, sed simpliciter necessarij: sic ait Arist. Ethic. lib. 6. iuxta sententiam Agatonis, scilicet quod hoc solo priuatur Deus, quod non potest facere ingenita, quae iam sunt facta. Identidem autem cum sint, necesse est esse, ut inductum est. Solum ergo manet actibus nostris libertas, aut contingentia cum futuri sunt.

F *Vide su-
pra q.
16.*

Tunc queritur, cum actus nostri sint praeteriti aut presentes, sunt nec necessarij, etiam si nullus eos intelligat? Et oportet dici, quod sic. Et si quis intelligat illos, nunquid erunt necessarij? Eodem modo dicendum est necessitatem inesse. Nunquid igitur, quia res ista intelligitur, & necessariae sunt, intellectio apponit eis ullam necessitatem? Minime. Nam & si non intelligerentur, necessariae essent, velut Solis ortus crastinus non magis necessarius est, quia intelligitur, quam si non intelligeretur. Ita & de actibus nostris aliquando necessarij sunt, scilicet cum sunt praeteriti, vel presentes, & tunc dato, quod non intelligerentur a Deo essent necessarij, quid ergo confert eis ad esse necessarios, si intelligantur? Intellectio ergo divina non habet imponere necessitatem actibus nostris praeteritis, aut presentibus: quia ipsi in re necessarij sunt. Et quantum ad istos actus non magis differt Deum intelligere actus nostros quam non intelligere. Soli actus futuri nostri sunt, quibus necessitas aliqua potest imponi, cum non sint necessarij ex se, & tunc si Deus intelligit illos, & intellectio sua non potest errare, necessarij trahuntur ad certum euētum. Hoc modo tamen non potest nobis Deus imponere necessitatem, quia non intelligit aliquem actum futurum, nec est possibile, quia nihil ei futurum est, ergo non potest intelligere aliquid futurum, cum vere intelligat. Quod patet ex supradictis, cum probatum est, quod Deus non intelligit res antequam sint, sed ad hoc, quod aliquis intelligat rem aliquam esse futuram, vere necesse est, quod intelligat eam antequam sit. Ex eadem causa non potest Deus intelligere aliquam rem praeteritam, quia intelligere rem esse praeteritam, est intelligere eam postquam est, sed Deus non potest intelligere res postquam sunt, ut supra declaratum est, ergo non potest intelligere eas praeteritas.

G *In q. 70
Deus
non potest
imponere
necessitatem
actibus
nostris
intelli-
gendo
illlos.*

Ex hoc satis clare patet, quod non possit Deus imponere necessitatem actibus nostris intelligendo illos, quia modus impositionis huius erat, quod Deus intelligeret actus nostros antequam fierent determinate, ut euenturi erant, & quia ipse intelligit non potest aliter eueniire, necesse erat, ut quando eueniunt, sic eueniunt, ut Deus prouiderat: nunc tamen Deus nihil futurum potest intelligere, ut probatum est, ergo sua intellectio non potest imponere necessitatem rebus nostris magis quam si nihil intelligeret. Et non solum non imponit, immo includit contradictionem Dei intellectu imponere necessitatem aliquam actionibus: Manet autem unicus modus, quo Deus intelligere possit res, scilicet, ut presentes, sed res cum presentes sunt, necessariae sunt, quia omne quod est, dum est, necesse est esse: ideo licet intelligat omnes actus nostros, non imponet eis necessitatem, licet non possint aliter eueniire, quam ipse cognovit, quia ipse cognoscit eos, ut presentes, cum omnia presentia ei sint cum

A An. 14. Cap. 15.
Aeternitas coexistat omnibus, & quia iam ipsi in praesenti determinati sunt ad unum modum, & non possent aliter se habere quam habet intellectus diuinus, necessariò & infallibiliter intellectus non imponit eis necessitatem, quam iam in eis inuenit ex conditione praesentialitatis. Si tamē res in praesenti essent contingentes, sicut futurae sunt, Deus imponeret eis necessitatem, cum intelligeret eas praesentes, tamē in praesenti ex se necessitatem habent.

Et hoc modo saluatur libertas nostra, & necessitas atque infallibilitas cognitionis diuinæ. Nam libertas actuum nostrorum est respectu futuri, cum nondum quidquam egimus: in praesenti autem, dum res sunt necessitas est omnimoda: Deus autem non intelligit res futuras, ita ut necessitatem imponere possit, sed intelligit praesentes, cum res necessariae sunt, & tunc concurrit necessitas diuinæ intellectus, cum necessitate rerum ex conditione praesentialitatis. Et quamquam ipsa necessaria sit, nullam causat necessitatem in rebus cognitis, quia inuenit eam in illis. Nec potest per aliquem alium modum concordari contingencia actuum nostrorum, cum necessitate, & infallibilitate diuini intell. etas omnia cognoscens.

Illi autem, qui circa hanc questionem difficultatem magnâ inueniunt, patiuntur eam, nō quod in natura rei sic sit, sed ex hebetudine intellectus, quia nō cognoscunt modum effendi, & intelligendi Dei. Sicut enim nos rem aliquā nondum existētem futurā conspicimus, ita & Deum aliquid futurum iudicare credunt, & tunc insurgit nimia pugna libertatis arbitrij cum infallibilitate, & necessitate diuini iudicij, & certissimè incutibilis: nam si quis concederit Deum præcognoscere res futuras antequam fiant, & disponere de illis, quocunq; modo respondeat, erit impossibile quod euadat, quin aut arbitrij nulla sit libertas, aut diuini iudicij nulla certitudo.

Nec enim valebit, quod quidam dixerunt, scilicet Deum præcognoscere futura, sed nō ideo illa esse futura, quia à Deo cognita sunt, sed potius ideo à Deo cognita esse futura, quia verè futura erūt. Nam quoquis modo ponatur semper sequitur necessitas. Et nihil refert de aliquo consequente, an sit necessarium absolute, vel sit necessarium ex necessitate consequientia, sed ita est hic, quia quocunque dato sequitur necessitas in actibus nostris, vt in principio huius inquisitionis supra declaratum est.

Nec etiam valet si quis dicat Deum prouidere futura, & cognoscere: tamen ista prouidentia nihil necessitatis causat, dicū em sic. Ponamus nō esse præcognitionē aliquā in Deo rerum futurarum, manifestum est, quod nullus concreter imponi necessitatem aetibus nostris, & rursus ponatur esse prouidentiam & illam nihil efficere, non sequitur necessitas.

Respondendum est non esse admittendum casum: est enim impossibilis. Nam esse prouidentiam futurorum, & nihil efficere includit contradictionem, quia necesse est, vt hoc dato, vel prouidentia non sit firma nihil differens ab humana opinione, vel si firma est scientia, nō poterit quod iudicatum est, aliter evenire quam iudicatum est, & sic falsum est, quod prouidentia nihil operetur. Non est igitur aliquis modus tollendi ambiguitates istas, nisi ponendo Deum omnia intelligere, vt praesentia, & ibi esse necessitatem tam ex parte intellectus, quam ex parte rerum intellectarum. Nec iste modus ponitur quasi solum ad evitandum inconvenientia inducta, sicut interdum quedam confitemur timore inconvenientium, quæ alias nequaquam fateremur, sed magis ponitur ex necessitate rei, quia dato quod non sequeretur aliquid inconveniens ponendo Deum intelligere res præteritas, & futuras necessitas erat ponere eum intelligere solum res, vt praesentes sibi, quia ipse est aeternus. Aeternitatis autem status praesentarius est habens totum esse simul, cum nihil abscesserit, nec quidquam aduenturum sit. Si autem aliquid futurum, vel præteritum ibi intelligeret, non haberet omnia simul. Ideo cū aliquis concederit quidquam futurum sibi Deum intelligere, irremediabiliter errat in materia ista. Vnde nulla ratione ad inconvenientia respondere poterit: sicut qui cōcedit falsa principia in aliqua arte, vt in vidente falsigrapho syllogismo impossibile erit hunc respondere ad id, quod infertur.

Considerandum autem circa hoc, quod licet dicamus Deum intelligere omnia, vt praesentia sibi: tamen propriè

sumendo adhuc non est hoc verum, quia nihil est praesens Deo, ergo non potest intelligere vere aliquid per modum praesentis. Patet antecedens, quia illa dicuntur inter se praesentia, quæcumque sunt in eodem praesenti: sed nullum praesens est, in quo Deus sit cum rebus, ergo non sunt ei praesentes.

Patet hoc quia illud praesens est nunc siue instans, & de illo quæretur, an sit nunc aeternitatis, vel nunc temporis, vel æui: quia non sunt plures mensuræ durationum, sed nullum horum. Nam in nunc aeternitatis non sunt res praesentes Deo, cum in illo solus Deus sit: res autem non sunt in aeternitate. Item non sunt praesentes Deo in nunc temporis, quia in illo res sunt. Deus autem nequaquam, qui in sola aeternitate est: in tempore autem, vel instanti aliquo temporis nequaquam.

Item non est illud nunc æui, quia in æuo, nec Deus est, nec res naturales, sed soli Angeli, vt supra declaratum est: ideo nō poterunt esse praesentes secundum illud praesens, in quo neutrum est. Nam Deum in æuo esse impossibile est, cum æuum sit mensura durationis succendentis sine motu: in Deo autem nulla successio est.

Vnde strictè sumendo sicut nihil est Deo præteritum, nec futurum, quia tunc Deus esset in partibus temporis: ita nihil est ei praesens, quia tunc esset in instantibus. Quod identidem est impossibile, vt patet ex dictis: sed dicuntur omnia Deo praesentia largè in quatum nihil effugit presentiam Dei, scilicet, quod nulla duratio rei est, cui aeternitas desit, vel in qua aeternitas esse definit: & sic aeternum est, & nunquam esse definit, ideo semper est: non tamen positivè, quia ipsum aeternum, vel aeternitas sit in aliqua duratione, vel parte durationis alicuius rerum.

Sed nec ex hoc impeditur quod supra dicebatur de intellectione Dei, quod non tollat libertatem arbitrij necessaria manens. Nam non exigitur ad hoc quod res nostræ sint liberae, & Deus intelligat necessariò quidquid intelligit quod Deus intelligat omnia per modum praesentis. Sufficiet enim si intelligeret omnia per modum præteriti, quia sicut rem dum est, necesse est esse, ita & rem cum fuerit, necesse est transisse iuxta Aristot. Ethicorum: ideo dato, quod nihil Deus intelligeret per modum futuri, & praesentis, sed omnia per modum præteriti, maneret quod dictum est, & sic nō requiritur, quod specialiter Deus intelligat per modum praesentis: sed solum requiritur, quod nō intelligat per modum futuri quidquam: quia vt supra dictum est, actiones nostræ in praesenti, & præterito necessitatem habent ex seipsis, in futuro autem sunt liberae: ideo si intelligat eas Deus in præterito, vel praesenti non poterit causare in eis necessitatem, quia iam in seipsis habent, si vero intelligat eas, vt futuras causabit in eis necessitatem, quia tunc libertatem habent, & diuina intellectio infallibilis est: solum ergo est necessarium, quod Deus non intelligat res, vt futuras ad hoc, quod non imponat necessitatem in eis quomodounque aliter intelligat: sed probatum est, quod Deus non potest intelligere aliquid vt futurum, nec vt præteritum: ideo dato quod non intelligat aliquid, vt praesens, manebit quod dictum est, scilicet, quod non possit intellectio sua imponere necessitatem rebus, sed non valebit consequentia, scilicet, Deus non intelligit res, vt praesentes, ergo intelligit, vt præteritas, vel futuras, sicut non valet ista consequentia, scilicet Deus non est in isto loco, ergo est in illo, vel illo, & sic de ceteris: nam in nullo est, sed tenet consequentia in rebus corporalibus localibus, ita superior consequentia tenet in rebus, quæ sunt in tempore, & consequuntur conditiones, atque differentias temporum. Deus autem in tempore non est, ideo in nullo horum intelligit. Iste assignatus est solidissimus modus ad tollendam coactionem arbitrij, quæ sequi videbatur data prouidentia Dei, & consequenter tolluntur inconvenientia, quæ inferebantur ablata libertate arbitrij, scilicet, quod iniquæ erant leges, quod frustræ erant preces, & quod totus humanus status inordinatus, cum consituamus per hunc modum arbitrij libertatem.

(...)

In q. 17.
28.37.

In q. 23.
27.

Quæst.
præced.

2. p̄ced.

F

A

Adducentur argumenta contra decisiones questionis superioris, & soluntur, scilicet de libertate nostra.

Q V A E S T I O LXXVII.

Sed adhuc arguetur, quod datis his nō statuitur sufficiens arbitrij, quia Deus cognoscit Sortem cras cursurum, qui cras cursurus est: tunc queritur, an possit esse, quod Sortes non currat cras, an necesse est, quod currat. Si dicatur, quod potest esse, quod non currat cras, frustrabitur diuina prouidentia, quia aliud evenit, quam quod ipsa iudicauit, si autem necesse est, quod currat cras, non erit iam in libertate Sortis currere, vel non currere.

Respondendum est, quod est negādus casus, scilicet quod Deus cognoscat Sortem cursurum cras: nam licet Deus cognoscat Sortem, & cursum eius, & diem crastinū: tamen non cognoscit eum, vt cursum cras, quia iste est modus futurionis: Deo aut, quidquid est, praesens est: vel, vt magis propriè dicamus, nihil absens est tanquam præteritum, aut futurum, ergo non potest dici, quod Sortem cognoscat Deus cras cursum, sed est ei non absens: & tunc concedendum est, quod cognitio illa Dei est infallibilis, & necessaria, & cursus Sortis, qui intelligitur à Deo non potest aliter evenire, quam vt intelligitur: tamen non sequitur ex hoc, quod Deus intelligens imponat necessitatem, sed ipse cursus Sortis, vt intellectus à Deo habet in se necessitatem, quam absolutè haberet, etiam si non intelligeretur à Deo: nam cursus Sortis semper habet necessitatem, nisi vt est futurus: quia vt est præteritus necessarius est, & cum est praesens nō potest aliter se habere, vt supra declaratum est: sed Deus intelligit cursum Sortis, & non vt futurum, ergo cursus Sortis illo modo necessarius est. Et conditio intellectionis diuinæ non imponit necessitatem, quia iam est necessitas in re intellecta ex conditione temporis.

Si tamen poneretur, quod Deus intelligeret Sortem cursurum, sicut significat ista propositio, imponeret necessitatem. Et tunc ad formam argumenti respondendum est, negando quod supponitur. Cum autem confirmatur non tenet, scilicet queritur, an necesse sit Sortem cras currere, aut contingat, si est necesse, tollitur libertas: si est contingens, tollitur infallibilitas diuinæ iudicij. Dicendum, quod quocunque casu posito contingens est, & liberum Sortem currere cras, & quando dicitur: ergo non erit certitudo diuinæ cognitionis, sed poterit ad alterum fieri: respondendum est non tenere consequentiam: verum est enim si Deus intelligeret rem per modum futuri, ita quod aliquando esset ei futura, sicut nobis est futura, & tunc intelligendo infallibiliter imponeretur necessitas rei ad sic eveniendū, ne frustraretur diuina cognitionis, sed non cognoscit aliquid vt futurum, nec est possibile, vt sic cognoscat, ideo non poterit imponere necessitatem rei intelligendo illam, quia solum tempus, in quo actus aliquis libertatem, vel contingētiam habet est futurum, & ibi potest ei per aliquem intellectum imponi necessitas quam nō habet. Argumentum aut solum videbatur procedere, quia supponebat Deum intelligere Sortem cursurum, quod est modus futuri.

Sed dicit aliquis, quod non stet adhuc ista solutio, quia videtur quod Deus non possit intelligere cursum Sortis, vt aliquid praesens, si secundum rem Sortes cras cursurus sit: quia omne, quod est futurum, dum est futurū, necesse est esse futurū, sicut omne quod est praesens, dum est praesens, necesse est esse praesens: Sortem aut cursurum esse est nunc futurū, ergo impossibile est nūc esse praesens: si tamen Deus intelligeret per modum praesentis necesse erat esse praesens ei, quia alias falsè intelligeret: ideo non poterit intelligere per modū presentis, cum necesse sit illud esse futurum.

Respondendum est, non tenere consequentiam. Et cum arguitur omne, quod est futurum, necesse est esse futurum concedendum est: & cum additur Sortem cursurum esse est nunc futurum, ergo non potest esse nunc praesens conceditur. Et si concludatur, ergo non potest esse nunc praesens Deo, eodem modo concedes: & tamen adhuc semper flat, quod volumus, quia licet non sit nunc praesens, est tamen praesens: nam nec volumus aliquam rem esse nunc Deo praesentem, non solum eam, quae secundum tempus futura est

sed etiam eam, quae est in isto nunc, quia ad hoc necesse erat, quod poneretur esse Dei in isto nunc, quod Deo repugnat, vt supra declaratum est. Nam vt non est in tempore, ita nec esse potest in aliquo tēporis instanti. Sed dicimus rem quamlibet esse præsentem absolutè, scilicet, quia sunt ei res præsentes comparando ad nunc æternitatis, quamquam etiam hoc largè sumptum est. Vnde sufficit nobis ad hoc, quod intelligere Dei non imponat necessitatem cursui Sortis, qui secundum conditionem temporis futurus est, quod intelligat per modum præsentis, & sit verè præsens Deo ille cursus licet non sit nunc præsens.

Si forte aliquis vellet concludere nullo modo cursum illum esse Deo præsentem, scilicet omne, quod est futurū, dum est futurū, necessariò est futurum: sed cursus Sortis nunc est futurus: ergo non potest esse Deo præsens, vel non est Deo præsens, non tenet consequentia, qā non accipitur idem in cōclusione, quod in minori: nā in maiori, & minori ponitur reduplicatio conditionis tēporis: in conclusione aut non ponitur aliquid huiusmodi, ideo nō tenet. Si autem velimus arguere vt accipiatur in præmissis sine conditione aliqua replicationis tēporis tenebit consequentia: & tamen erit falsa aliqua præmissarum, vt si dicatur omne, quod est futurum, necesse est esse futurum: Sortem cursurū esse est futurum, ergo non potest esse Deo præsens, vel non est Deo præsens: consequentia tenet, sed maior est falsa, quia omne, quod est futurū non est necessariò futurum, nisi cum accipitur cum reduplicatione temporis, scil. dum est futurum, ideo quocunqmodo arguatur non poterit tolli Deo, quin omnia ei præsentia sint, & intelligat ea per modum præsentis, & hoc sufficit ad non imponendum necessitatem rebus quae secundum conditionem temporis necessariæ sunt.

Sed adhuc arguetur, quod isto modo non tollatur necessitas imposta ab infallibilitate diuinæ iudicij: quia non potest intelligi omne, quod est à Deo per modum præsentis, sed necesse est intelligi aliquid per modū futuri: quia omne quod est à Deo intelligitur, sed Sortem cursurum esse est aliquid: ergo Deus intelligit Sortem cursurum, & hoc est intelligere per modum futuri.

Respondendum est non tenere consequentiam, quia mutatur quid in quale, & est fallacia, vt cum dicitur, quidquid emisti comedisti: carnes crudas emisti, ergo carnes crudas comedisti. Quia cum dicitur quidquid emisti supponitur ibi quid, & non quale: cum vero concluditur ergo carnes crudas comedisti, supponitur quale, scil. esse crudū, vel crudum comedum esse. Valeret tamen si diceretur: Quidquid emisti comedisti, carnes emisti, ergo carnes comedisti. Si tamen volumus, quod concludatur quale, & nō sit fallacia est sic argendum. Qualitercumque aliquid emisti taliter illud comedisti: carnes crudas emisti, ergo carnes crudas comedisti. Sed tunc maior est falsa, quia non qualitercumque res empta est, id est, sub quacunque dispositione sit comedita est. Ita non tenet factum argumentum in Deo, quia mutatur quid in quale, quia cum dicitur, omnia, quae sunt, Deus intelligit: accipitur quid, scilicet ipsum, quod res est cum vero dicitur, Sortem cursurum esse est aliquid, non accipitur hic quid, sed quale, quod Sortes, & cursus suos dicunt res. Quod autem cursus præsens præteritus, vel futurus sit, non est res, sed quale rei, id est, modus eius, ideo nō tenebit: sicut cum dicitur, quidquid emisti, comedisti: ponitur quid, & cum subiungitur, carnes crudas emisti: accipitur ibi quale, ideo non tenet consequentia, si tamen semper tencatur quid, erit verum, & bene cōcludetur, scil. omnia, quae sunt Deus intelligit: cursus sortis est ens, siue est præsens, siue præteritus, siue futurus, ergo Deus intelligit cursum sortis. Si autem velimus accipere quale in præmissis, & in cōclusione, tenebit consequentia: sed aliqua præmissarū erit falsa, vt si dicatur, per omnem modum essendi rerū Deus ipsas res intelligit, sed cursum Sortis esse futurū, vel Sortem esse cursurum est modus cursus sortis: ergo Deus intelligit cursum sortis esse futurum, vel Sortem esse cursurum: nunc non mutatur, quid in quale, tamen maior est falsa, scilicet per omnem modum essendi rerū Deus ipsas res intelligit: nam impossibile esse demonstratum est, quia sicut intellectus noster non potest intelligere res per omnem modum suum, scilicet vt est forma in materia, sed hoc solis sensu iuspotētijs conuenit, ita Deus, cuius intellectus in infinitū distat à con-

F

z. Ar-
gumen-
princi-
pale cō-
traria,
q. dicta
sunt q.
76. de
præsen-
tia uta
te ad
Deum.

diu-

Aditionibut materiæ magis, quām intellectus noster, non poterit apprehendere per omnem modum essendi rerum, & hoc modo cūm intellectus noster quantum ad aliquid conformetur conditioni rerum materialium, quia nō habet totum esse suū simul, sicut nec res materiales, nō poterit intellectus diuinus in hoc conformari illis. Quod patet, res materiales, quia non habent totum suum esse simul, aliquādo sunt præteritæ, & aliquando futuræ, ita intellectus noster aliquid de esse suo habet præteritū, & aliquid futurum, ideo res non simul ei sunt, sed res, quæ secundū tempus præteritæ sunt, ei quoq; præteritæ sunt, & res, quæ sunt futuræ secundū conditionē temporis sunt ei futuræ, & ad hoc q; verè intelligat, necesse est, vt intelligat eas per modum futuri, & præteriti, intellectus autē diuinus q; totum esse suum simul habet, nō potest conformari in hoc rebus materialibus, vt eas futuras intelligat, vel præteritas, sicut ipsæ in se præteritæ, vel futuræ sunt, q; intellectui diuino quantū ad esse omnia simul sunt, licet in seipsis secundū conditionem temporis non sint simul. Manifestum igitur, quod nō potest Deus intelligere res per omnem modum, per quem ipsæ sunt, immo per nullum modum, per quem sunt in seipsis, sed per eum modum, quo ad Deum se habent. Omnia tamen ad Deū verè sunt præsentia, ideo ipse non potest habere alium modum intelligendi de rebus, nisi per modum præsentis, intelligendo, semper præsentialitatem ad Deum, vt s; declaratum est largè sumendo.

B Sed arguetur vlt̄rit̄, quod adhuc ista nō st̄nt, quia licet esse futurum sit conditio aliquarum rerum, tamē Deum intelligere hoc necesse est. Nam siue res siue cōditiones rerum sunt aliqua entia, sed Deus intelligit omne ens, ideo non solum Deus intelligit res, sed etiam modos, sed cursus Sortis est ens absolute, cursus Sortis esse futurū est conditio huius entis, ideo intelligit cursus sortis esse futurū, & sic semper st̄bit, quod nō intelligat omnia ut præsentia, sed etiam quēdam ut futura, & quēda:n ut præterita.

C Respondendum est, quod Deus intelligit cursus Sortis, & præteritionem eius, vel futuritionem, non tamen intelligit per modum præteritionis, & futuritionis, sed præsentialitatis modo. Consistit enim in hoc fundamētum, q; tollatur à Deo omnis præteritio, & futuritio. Cūm autem dicimus, q; Deus intelligat oīa, quæ sunt, & intelligat præteritionem, & futuritionem ipsarum rerum, non ponitur præteritio, & futuritio ex parte Dei, sed ex parte rerum, & tunc concedendum est, quod intelligat Deus hoc, non tamē concedetur, q; Deus intelligat per modum futuritionis, & præteritionis, q; tunc illi modi tenebūt se ex parte Dei, cūm modus teneat se ex parte rei, cuius est modus. Et cūm dicimus, quod Deus intelligit præteritionem, & futuritionem, quia nō intelligit eas per modum præteriti, & futuri, intelligit eas per modū præsentis, q; a verè præsentes ei sunt, nec solum ei, sed etiā nobis. Nā licet res præterita nunc non sit nec res futura, tamen præteritio, & futuritio rerum nunc sunt, & est impossibile præteritionem esse præteritam aut futuritionem esse futuram, vt suprā declaratum est satis. Cūm autem dicitur Deus intelligit Sortem cursurum, vel cursus sortis esse futurum, si ista futuritio teneret se ex parte Dei, negāda est propositio, quia Deo nihil est futurum, nec quidquam sibi futurum esse intelligit. Si autem assumatur futuritio ista ex parte rerum intellectarum quātum ad cōditionem temporis, scilicet quod res intellectæ à Deo futuræ sunt, licet non sint futuræ Deo, concederetur propositio, sicut omnia, quæ nondū sunt, comparata ad istud nunc sunt futura. Quia tamen ista propositio, Deus cognoscit Sortem esse cursurum, vel cursus sortis esse futurum significat futuritionem in cursu sortis compارando ad intellectiōnem diuinam, cūm dicatur, quod Deus intelligit illud esse futurum nunquam est concedenda: ideo concedendum est, quod Deus cognoscit cursus sortis, & futuritionem cursus illius, tamen non concedetur, quod cognoscit sortem esse cursurum, quia licet idem signari possit, tamen non est idem modus signandi, & consequenter nec supponendi: & hoc facit ad hoc, quod mutetur veritas, & falsitas propositionum.

Ex p̄dictis patet Deum non posse aliquid intelligere per modum præteriti, vel futuri, sed modo præsentis, & consequenter intelligendo non imponet necessitatē rebus ad eueniendum, quia hoc solum est quando res futura est.

Quātum argumentum principale ad idem de præsentialitate, vt suprā. Et quod præscientia & prædestinationis sunt nomina impro- prias secundū rudem modum loquendi vulgarium.

Et prouidentia Dei quid sit.

QVÆSTIO LXXVIII.

S Ed ad hēc omnia obijciet aliquis ex nomine, quod imponitur diuinæ scientiæ, quia eam præscientiam, & prædestinationem vocamus, sed ista signant antecessionem ad res, cūm res præsentes non sint.

Respondendum est ista nomina non esse propriæ imposta Deo secundū habitudinem, quam habet res, sed secundū rudem modum intelligendi vulgarium. Nam quia Deus est infinita durationis credunt eum esse ante omnia, & quia causa est omnium, & cūm omnia agat intelligens, credunt eum intelligere, & iudicare de rebus antequām fiant, sed nihil horū est. Scriptura tamen consentit huic modo loquēdi: & sic ipsa loquitur, vt intelligibile fiat nobis quod dixerit, asserens præscientiam, & prædestinationem in Deo, tamen secundū propriam rationem dicendum erat cognitionem Dei esse simplicem scientiam sine aliqua connotatione subsecutionis, vel antecessionis. Et ob hoc conuenientiū nomen est prouidentia Dei quām prædestination vel præscientia, quia prouidentia dicitur quasi porrō videntia, quia porrō affirmandi aduerbiū est, scil. quod visio Dei de rebus, quæ est iudicium non est aliquid incertum sicut opinio nostra, sed aliquid certissimum, & prorsus infallibile. Vel prouidentia dici potest quasi procul videntia, nō quod procul videat res, id est, procul antequām fiant, sed procul, id est, de excelsitudine aeternitatis suæ cernit ea, quæ temporaliter geruntur: & modus cognitionis Dei à rebus procul est, scil. longè distans à modo esendi, cūm illæ sint in successione, & motu habentes esse suum, Deus autem habet in maxima simultate esse suum scilicet totum simul, & manens: nihil autem magis distare potest, quām quod totū simul est ab eo, quod nullā partem esendi simul habet, sed omnia habet in successione. De hoc Boet. de consol. lib. 5. prosa ylta dicit, itaq; si præscientiam pensare vclis, qua cuncta dignoscit, non est præscientia quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instatiæ rectius astimabis. Vnde non præscientia, sed prouidentia potius dicitur, quod porro ab rebus infimis constituta quasi ab excuso rerum cacumine cuncta prospiciat.

Sed adhuc restat argumentum aliud, quod fortissimum est: nam quocunq; modo videatur ponere modus cognoscendi Dei, siue præfens, siue præteritus, siue futurus semper imponet necessitatem, quia ea, quæ Deus intelligit, interdum reuelat, sicut erat de Prophetis, & tunc quanquam intelligere Dei ex conditione aeternitatis totum simul est, & semper, & omni rei, & tempori sit præfens, ita vt idem intelligere numero est, quod Deus habet in creatione mundi, & in die iudicij, tamen ponatur, quod reuelatur per prophetā aliquam de perditione alicuius, vel saluatione, sicut reuelatur de alijs rebus, cūm futuræ erant, vt de destructione regnorū, vel captiuitatibus, tunc cūm reuelatum aliquid fuerit, necesse erit euenire, quia alioquin falleret scriptura diuina, quod nō sit, & tūc nihil differt: cum intelligere præsentialiter, vel alias, cūm per omnem modum necessitas imponenda sit.

Respondendum est, quod intelligere Dei nō imponit necessitatem, nec potest, quia non intelligit res futuras, in quo casu solum potest imponi necessitas, cūm tunc sit libertas, vel contingētia in rebus, & cūm intelligere istud non sit deficiens, sed coexistit omni tempori, & instanti temporis, illud idem intelligere erit coexistens diei formationis Adæ, & huic instanti temporis, & diei iudicij: & quamquam coexistat dies formationis Adæ nō eit ante diem iudicij, quia vterque præfens est, & secundū idem instans præfens eit, scilicet secundū instans aeternitatis, & ob hoc non imponit necessitatem, quia præsentialitatem non effugit: ideo cum actibus nostris diuina intellectio de eis præfens sit, sicut non poterit intelligendo præsentialiter necessitatem imponere, ita & non poterit reuelando, vel non reuelando, quia per hoc, quod Deus reuelat id, quod de me intelligit alicui, non mutatur modus cognoscendi Dei presentarius, q; a semp̄ præsen-

s. Arg.
contra
dicta,
q. 76.
de li-
bertate
nostra.

Atrialiter intelligit, sed si nō reuelaret alicui, quod de me intellegebat nō imponebat necessitatem aliquam, vt ex precedentibus patet, ideo si reuelauerit, nō imponetur necessitas, quia causa nō imponendi necessitatē nobis diuina intellectio est, quia præstantialiter intelligit; ergo quandiu iste modus intelligendi manserit impossibile est diuinam intellectionem nobis necessitatem imponere. Sed etiam si Deus reuelet alicui, quod intelligit, nō tollitur præstantialitas diuinæ intellectio, quia ea, quæ sunt conditionis diuinæ naturæ, non possunt tolli per aliquid extrinsecum: ideo etiam si Deus reuelet de nobis alicui id quod intelligit, non potest intellectio sua nobis imponere necessitatē. Nec ponitur aliquid in Deo ante rem, quamquam reuelat id, quod nos facturi sumus à principio seculi. Nam ibi reuelatio passiva estante operationem nostram, quia ei cui sit ista reuelatio operationes nostræ futuræ sunt, cùm non habeant esse totum simul, sed in successione: reuelatio tamen actiua Dei, quæ est aliquid ex parte Dei nō est ante operationem nostram, sed simul, quia quidquid in Deo est, æternum est, & manens totum simul, sicut dictum fuit de creatione actiua, & passiva. Et creatio passiva rerum solū fuit in primo instanti temporis, & creatio actiua non fuit in illo instanti temporis, nec in alio, sed semper est, scilicet nunquam deficiens. Quamquam de reuelatione actiua, ex qua est reuelatio passiva facta Prophetis, dicendum est, q̄ illa sit ante operationes nostras, quia illa nō est à Deo immediate, sed ab Angelis, vt declarat̄ est, cùm sit in locutione, & in alijs operationibus, in quibus est verus motus, in Deo tamen nō est motus, nec aliquid pertinens ad motum.

BSed alia reuelatio actiua ex parte Dei est, qua se Angelis reuelat, vt ipsi intelligent quid nobis reuelare debent, & est ibi iussio facta Angelis ad hoc, quod aliquid nobis reuelent, & adhuc ibi passiva reuelatio, & iussio sunt in aliquo instanti æui Angelorum, quia ipsi aliter recipere nequeunt, reuelatio tamen actiua, & iussio ex parte Dei nō sunt in aliquo instanti æui, quod perit, sed in instanti æternitatis, quæ tota simul est, ideo illa reuelatio, & iussio nō est magis in uno instanti æui, vel temporis, quam in alio, sed semper est.

**Anob
revela
tionem
Dei nu
bis ne
cessitas
infor
matur in
actibus
nostris.**
Sed ahuc tunc arguetur, quia licet intellectio Dei nō imponat nobis necessitatem, tamen imponitur nobis necessitas propter propositionem illam reuelatam, quæ est propositione sacræ Scripturæ, & non potest esse falsa. Nam existente aliqua propositione reuelata queret aliquis an possumus facere contrarium eius, quod reuelatum est, aut non: si non possumus facere contrarium, ergo necessitas est nobis inducta ad faciendum hoc, & non alterum, si autem dicatur, quod possumus alterum facere, sequitur quod propositione illa sacræ Scripturæ erit falsa, cùm contrarium fecerimus. Vel dato, quod non faciamus, si facere poterimus, sequitur quod non sit necessaria propositione, & tamē falsum est, quia propositiones sacræ Scripturæ necessariæ sunt, cùm dicat Christus

CLucas 21. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt: & iterum, iota unum aut apex non præterbit de lege, donec omnia fiant, & alibi: Necesse est, vt impleantur Scripturæ, Matth. 26. ergo erit necessitas ad faciendum hoc vel illud. Nec est ista necessitas solū propter propositionem, scilicet vt nō sit falsa, quia aliquis fortassis cōcederet hoc inconueniens, nec cogeretur confiteri necessitatem in operationibus nostris, sed sequetur maius inconueniens, scil. quod Deus false intelligat: nam id quod reuelatum est, est id quod Deus intelligit de nobis, sed Deus non potest intelligere falsum, ergo necesse est sic esse, vt ipse intelligit. Nam id quod Deus præstantialiter rem intelligit est quod reuelat, si ergo falsa est propositione reuelata, sequit falsum esse, & Deus præstantialiter rem intelligens falsum intelliget, ideo nō poterit esse falsa propositione illa. Quid ergo dicendum erit cum videatur tolli libertas arbitrij?

Aliquis fortè respōdebit, quod si Deus reuelaret actus nostros antequā fierent, sequeretur necessitas in operatione, & quantum ad id, quod reuelaret, carceremus libertate operandi, sed hoc non esset ex intellectione diuina, quin potius ex facta reuelatione: & ob hoc diceret, quod Deus nūquā reuelat de actibus nostris quid aut qualiter operaturi sumus, ne necessitatem imponat, sicut reuelat aliqua alia.

Dicendum est nonflare hoc, quia multa Deus reuelauit de actibus nostris antequā fierent, nec solū de his, quæ

nobis euentura erant, in quibus non consistit peccatum, aut bona operatio, sicut sunt poenitentes, & infortunia, sed etiam de actibus nostris, in quibus meremur, aut demeremur, sicut erat prænunciatum de morte Christi futura per Iudeos in Daniele, & alijs Prophetis, & tamen in hac nimis peccauerunt, quia propter hoc data est Ierusalem, & tota gēs Iudeorum in exterminium, & dispersionem per omnes gentes, atque in servitutem æternam. Ita etiam reges Persarum, & Chaldaeorum, atque Assyriorum peccabant inferentes bella, & spoliantes Israëlitas, vt patet Isa. 10. & Abacuc 2. quia eis poenæ ibi infliguntur, & tamen ista prænunciata erant in multis Prophetis. Sic quoque calamitas Iudeorum in Ægypto fuerat prænunciata Abrahæ, vt Genes. 15. & tamen peccauerunt Ægyptij opprimendo eos, & ex hoc puniebantur. Hoc ergo falsum est, scilicet, quod nihil de actibus nostris reuelatum sit antequā fiant. Etiam falsum dicit, scilicet quod si reuelarentur, imponeretur necessitas actibus illis, de quibus reuelaretur. Nam tunc ista peccata magna populorum, & gentium, quæ Prophetis à Deo reuelata sunt, necessariò eueniunt, quia reuelata erant, quod valde est magnum inconveniens: nam tunc non erat iustum hæc puniri, sed punita sunt.

Aliter ergo respōendum est, quod multa de actibus nostris reuelata sunt, & tamen ex hoc non imponitur nobis aliqua necessitas agendi sic vel aliter. Et si queratur postquam reuelatio aliqua facta est, an possumus nos contrarium facere eius, quod reuelatum est, vel non, si possumus facere contrarium, ergo poterit falsificari propositione reuelata, si autem non possumus, erit coactio agendi, & adempta erit libertas. Dicendum est, quod postquam reuelatum est aliquid de actibus nostris, nos non possumus facere contrarium eius, quod reuelatum est: nō quidem quod sit in nobis aliquid principium determinatum ad vnam partem contradictionis, & nō ad alteram, sicut in agentibus secundum naturam, sed quia propositione illa reuelata non habet modum futuri, sed præteriti. Et est sensus, quod sicut, cùm actualiter aliquid operamur, non possumus contrarium agere, quis quodlibet, dum est, necesse est esse, & non est nobis exinde aliqua inducta necessitas operandi: ita in propositione reuelata. Nam veritas propositionis illius dependet ex veritate conceptus reuelantis, scilicet si verè concepit ille, qui primò reuelat, est Deus, cùm ipsa res, quæcumque est præfens, & quia ipse eam ita cognoscit, sicut præfens est verè cognoscit, & quia tunc, dum fit non potest aliter esse, quam vt est, & Deus concipit rem, vt in præsenti, ideo conceptum à Deo non potest aliter esse, ita igitur si aliquam propositionem exprimat assignatiuum conceptus sui erit illa necessaria, sicut conceptus signatus est necessarius, & tamen conceptus signatus non est necessarius propter se, sed quia res concepta necessaria est: ita ergo propositione signis illud non erit necessitatem impensis, sed assignans necessitatem, quæ est in re. Et consistit in hoc virtus solutionis, quia propositiones reuelatae non sunt, vt de futuro, sed vt de præsenti, quia ipsæ habent originem à veritate conceptus præsentis: nam propositiones reuelatae à Deo originem sumunt, & Deus cognoscit veritatem rerum vt præsentem, quia verè sibi præfens est: ita ergo iste propositiones signant veritatem rei præsentis. Et tamen quia non fuit in vocibus nostris tale idioma, quod signaret conceptum diuinum eo modo quo in Deo est signauit modo, quo apud nos intelligi poterat: & nos non poteramus intelligere rem præsentem, nisi cùm est in nunc temporis, ideo reuelata propositione signat per modum futuri. Veritas prædicatorum appetit, quia voces sunt signa conceptuum nostrorum iuxta Aristot. Perihermen. Scilicet sunt ea, quæ sunt in voce, eorum quæ in anima sunt passionum note: ergo ad hoc quod voces verè signent, necesse est, vt illud signent, quod nos conceperimus, & quomodo nos concepimus, sed omnis conceptus diuinus est præsentarius, quia res conceptæ sunt ei præsentes, ergo propositione reuelata signans conceptū eius necesse est, vt referatur ad eum modum signandi, quem conceptus diuinus habet scilicet ad præstantialitatem, ideo quamquam signet futurum tamen æquipollit præsenti diuino: tamen illud non potest signari per aliquid verbum nostrum, ideo ponitur propositione vt futura. Si autem reuelationes fierent de rebus, quādo res actualiter sunt, & propo-

D

E

F

A sitiones signantes essent de praesenti, reuelatio non imponebat aliquam necessitatē rei reuelatae, quia iam erat necessitas in re reuelata, ita cum propositiones reuelatae sint tanquam de praesenti, quia signant conceptum diuinum, cui res concepta est praesens, & necessaria, tamen non imponit necessitatē, sed ipsa res signata est necessaria, quia est praesens, & non potest aliter euenire, quam signatur per illam propositionem, non quidem in quantum est de futuro, quia sic tolleretur simpliciter libertas arbitrij, sed in quantum aequipollat praesenti propositioni, quam Deus habet de rebus intellectis, quae ei praesentes sunt, & quia illa est necessaria ex conditione praesentialitatis, ista quoque erit necessaria ex aequipollentia ad illam, quia pro nullo alio istam, quam illam diuinam praesentialitatem accipimus.

B Et non potest aliqua necessitas sequi in operationibus nostris propter veritatem propositionis huius: nam si diceremus, quod necessitate erat nos aliquid operari, quia a Deo praescitum erat, tolleretur nostra libertas, vel Deus poneret in nobis aliquid, per quod nos determinaret ad volendum unam partem, & non possemus velle aliam, & propositio determinata non necessitat nos nisi Deus aliquid in nobis agat, per quod necessitemur, sed cum Deus intelligit omnia, non imponit necessitatē ad hoc, quod frant, cum praesentariē intelligat, & cum reuelat nobis, nihil aliud reuelat, nisi quod intelligit, ergo ad veritatem propositionum reuelatarum non causat in nobis necessitatē, quia illae non signant necessitatē futuri, sed presentis, sicut ipsa diuina propositio, quae est de praesenti, cui ista aequipollent, licet per alium modum signandi.

An voluntio Dei imponat aliquam necessitatē rebus, id est, an aliquid necessariō eueniet, non ex eo, quia Deus illud præcognovit, sed quia voluit. Et quod Deus non potest aliquem indurare, & cogere ad faciendum aliquid per modum intellectus, nec per modum voluntatis. Et quod induratio seu obstinatio in malum propriè sit, firmatio autem seu confirmatio sit in bonum.

Q V A E S T I O L X X I X.

C Inq. 13 D Ecognitione ergo diuina patet, quod non imponat necessitatē aliquam rebus cognitis: immo est impossibile per cognitionem eius necessitari res ad aliquid, & sic habetur unum de duobus membris suprà positis a principio, scilicet quod si Deus necessitat res ad aliquem modū, aut necessitat eas per modum intellectus, aut per modum voluntatis.

E De modo intellectus patet, quod non sit necessitas, unde cum dicitur hic Domini enim sententia fuerat ut indurarentur corda eorum, non est sensus, quod indurarentur Chananiæ isti ut pugnarent contra Israel, quia Deus intelligebat hoc eos volituros: ideo necessariō vellent, & hoc esset indurari. Alio modo poterat intelligi hoc per modum voluntatis, scilicet quod fuerit sententia Domini, ut indurarentur Chananiæ, & propter hoc indurati fuerint, & magis hoc significat quam primum, quia sententia ad voluntatem pertinet, quia sententia non est iudicatio, vel sensus circa aliquam rem, sed diffinitio iudicis, quae ad voluntatem pertinet: ideo enim sic aut sic diffinit, quia sic, aut sic vult, nec diffinit, quia sic intelligit, sed quia sic vult. Et isto modo dicendum est, quod Deus posset aliquem indurare, vel cogere ad faciendum aliquid, nam si Deus vellet, quod aliquis peccaret fornicando, aut aliquid aliud faciendo, necessitaretur ad faciendum illud mouendo eum, ita ut non esset compos sui, sic enim dæmones interdum per opera sua homines in infamia vertunt inducentes ad libidinem, ut patet in vita B. Hilarionis monachi, & declaratum fuit latè Exod. 22. c. quanto magis poterat Deus vrgere hominem, quem cōtinue dominatur, ita ut non esset ei nullus vigor resistendi, nec voluntas ad hoc, sed potius maximum bonum indubitatissime videretur.

F Nec est de voluntate diuina, sicut de intellectu, quia intellectio non imponit necessitatē, cum intelligat res praesentes, & in praesenti res necessariae sunt, quia tunc sunt, & dum sunt, necesse est esse. Sed adhuc dato quod intelligeret per modum futuri, & diuina intellectio aliquid efficeret in rebus, ut necessariō esset, esset necessitas consequentia, scilicet Deus intelligit, & non potest frustrari intellectio sua, ergo

D necessariō eueniet, quod intelligit, volūtas tamen directē imponebat necessitatē, si vellet. quia ipsa est causa directē rerū, quae sunt ideo si ipse vult, quod aliqd fiat, necessitē est ut illud fiat. Vnde si voluisset directē, quod Chananiæ indurarent, necessitē erat eos indurari cū nihil ei resistere queat. Et accipit hic velle Dei nō pro quacunq; volitione, omnia enim quae sunt, vult, quia nihil eo inuitio fieri posset, sed quædam vult, quia iubet ea fieri, & determinat ea facienda, alia autem vult, quia permittit, ut nos illa faciamus: & ob hoc non est in omnibus æquale, scilicet, ut quidquid Deus voluerit, necessarium sit, sed quidquid ipse voluerit iubendo, vel determinando sic debere fieri. Sed hoc modo non potest intelligi, quod fuerit sententia Domini, ut indurarentur corda Chananaeorum, scilicet quod ipse directē vellet indurare illos, & contra Israel pugnare, quia tunc ipse eos cogerebat ad malum, quamquam ad hoc aliter fortè dicetur infra.

E Dicendum tamen est de omnibus, in quibus est peccatum, & induratio, quod non indurantur homines ex sententia Dei, quasi Deo iubete, & determinate volente hoc, quia tunc Deus vellet directē malum, quod est falsum.

F Item esset iniquus, quia homines obstinatos aeternaliter puniunt, & tamen ipse eos induraret, cum ex sententia eius indurarentur, sicut rei ex iudicis decreto puniuntur: ergo ipse causaret culpam, & poenam, quod est inconveniens: ideo dicendum, quod Deus hoc modo neminem indurat.

G Aliter potest accipi induratio hominum extra sententiam Dei, & dicuntur indurati, quia a proposito suo moueri nequeunt, & sanum consilium non recipiunt, sicut omnium durorum conditio est difficiliter aliquid recipere, & quamquam aliquis in utroque scilicet bono, & malo fixus esse possit, & poterat quantum ad virtutem vocabuli in utroque induratus homo dici, tamen voluit, ut in malum tantum induratos dicamus. Cum vero aliquis a bono proposito immobilis est, nullis blandimentis fallacis seculi, aut ministris cedens, non dicitur induratus, sed firmatus, vel solidatus. Et sic dicebat B. Agatha: mens mea supra petram solidata, & in Christo fundata.

H Fit autem induratio ista in malo directē a' voluntate nostra adhærente alicui bono corruptibili, indirectē autem fit a Deo permittente nos cadere, & non subleuante per gratiam. Ad bonum quippe, quod est vere bonum, & spirituale, cum magna difficultate mouemur, sed potius in delectabili inclinamur, quae non sunt vera bona, ad volendum autem bonū aliquod ex charitate, vel qualiter oportet, ut mereamur, non possumus moueri ex nobis, sed mouemur ex gratia adiutorice, quae vocatur gratia præueniens, & pulsatrix, & si ista non pulsat cor nostrum, impossibile est nos moueri in aliquid bonum. Sic patet Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere, id est, aliquid opus bonum meritorum nisi ego vos mouero ad operandum: & si nunquam Deus nos mouere vellet, nunquam esset possibile nos bonum facere meritorie, & si aliquod tempus fuerit, in quo mouere nos non vult, impossibile est tunc benè nos operari. Non tamen est necesse tunc operari malū faciendo aliquem actum positium, quia licet priuatio, vel absentia gratiae tollat bonū, quod per eam fieri debebat, tamen non est præsentium determinatiū ad aliquem actum positium malum, immo est impossibile, quod actus positius principietur, nisi a principio positivo, absentia autem gratiae est principium priuatuum, ideo principiare non potest, sed actus mali, quos non facimus, dum sumus priuati gratia, sunt ex inclinatione mala nostra, quae non frenatur alicui cœlestis gratiae retinaculo.

I Cū non possumus agere bonum, nisi Deus gratiam dederit, quare punit nos si non egerimus bonum.

Q V A E S T I O L X X X.

J S Ed tunc dicet aliquis, cum nos non possumus facere bonum, nisi Deus dederit gratiam, nec hoc subiacet nobis, quare Deus nos punit, si non operamur bonum?

K Aliquis respondebit, quod Deus non punit nos, quia non facimus bonum, sed quia malum facimus: ad faciendum autem bonum necessaria est gratia, sed ad non faciendum malum

non

A
An
Deus
puniat
nos, q.
non fa-
cimus
bonum
vel fa-
cimus
malum.

non est necessaria, ideo subest nobis non facere malū, quam obrem cùm malum fecerimus iustè puniri.

Sed ista responsio non stat, quia secundūm hoc nunquām essent peccata secundūm omissionem, sed per commissionem, falsum tamen est, quia interdū nihil agentes peccamus mortaliter, quia non agimus, quod agere tenemur, & tamen non possumus agere bona ista, ad quae tenemur, nisi gratia præuenir, ergo punimur, quia non facimus, & non quia facimus malum, cùm nullum malum hic fiat, nisi accipiat malum facere pro omissione boni necessarij, & hoc est contra distinctionem eorum, qui dicunt ad bonū agendum est necessaria gratia, sed ad non agendum malum non est necessaria.

Item non potest stare, quia interdūm bōnum, & malum in actibus reperitur tanquā contrarietas immediatorum, & tunc necesse est alterum eorum accipi, sed bonum non potest accipi sine gratia: ergo necesse est nos malum operari, nisi gratiam habuerimus, vt patet in obedire, vel non obedi- re, continere, vel non continere, data enim materia aliqua, in qua obediendum sit, ibi necesse est, quod obediamus, vel non obediamus, sed obedire non possumus, quia bonum nō est, nisi gratia præueniat, ergo necessariò malum agemus, idem qui non habet vxorem, aut continebit, vel non continebit, sed continere non potest nisi data gratia, ergo cogetur non continere, cùm sint contradictoria, maximē est hoc in diligere, & non diligere, & necesse est de quolibet, quod diligat, vel non diligat, sed quicunque Deum non diligit, in morte manet, patet I. Ioan. 4. eodem modo de proximo: non possumus tamen diligere, nisi Deus mouerit, ergo necessitatur peccare.

Item non solum Deus punit nos, quia peccamus, vel quia bonum non agimus, sed etiam quia gratiam non habemus, vnde si quis moriatur sine charitate, Deus cum æternaliter damnat, ergo non subest nobis saluos effici, sed si Deus vult dare gratiam, poterimus saluari, si autem non det, erit impossibile: & ista est sententia Saluatoris, Matth. 19. cùm Apostoli mirarentur, de difficultate salvationis dicitur, auditis autem his discipuli mirabantur valde dicentes, quis ergo poterit saluus esse? aspiciens autem Iesus dixit eis: Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autē omnia possibilia sunt, & tūc manet magis difficultata questio, scil. quare Deus punit peccantes, cùm non possint bonum facere, & interdūm necesse sit peccare, nisi gratiam dederit.

Aliter ergo respondendum est, quod directe non est salus nostra in manibus nostris, vel immediate, vt melius dicitur, quia salus non est sine gratia, ipsa autem à Deo datur, ergo salus nostra non est in manu nostra, & hoc signat præallegata auctoritas Saluatoris: est tamen secundariò salus nostra in potestate nostra, quia quādocunq; voluerimus, poterimus habere salutem, quā est per gratiam.

Pro quo sciendum, quod gratia, quę nos facit gratos Deo, & dignos vita æterna habendo ipsam, vocatur gratia gratum faciens, & ista habetur ab homine per conuerzionem in Deū per aliquem motum cōtritionis de peccatis, vel per aliquam dilectionem, sed iste motus non potest haberri, quia est opus bonum nisi Deus mouerit nos: & quia motus iste ex gratia fit, vocatur iste instinetus gratia pulsatrix, vel præueniens, & ista semper assistit omnibus hominibus pulsando eos, vt moueantur ad bonum, & si assentiant huic motui, bonum operantur atque recipiunt gratiam gratum facientem, si verò recusant subdere se huic pulsatiua gratia, non recipiunt secundam gratiam, nec iustificantur. Et ista gratia pulsatiua omni tempore assistit cuiilibet homini pulsans ad bonum, vt patet Apocal. 3. cap. scilicet, ecce ego sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & coenabo cum illo, & ipse mecum: cùm ergo sit gratia ista semper pulsans, in potestate nostra est quocunque tempore acquiescere illi, & acquiescentes iustificantur, atque accipimus gratiam gratum facientem, ideo in potestate nostra est semper gratiam habere, vel si eam perdiderimus, in potestate nostra est iterū recuperare, & ob hoc si aliquando peccamus, vel non habemus gratiam gratificantem, iustè damnamur à Deo.

Cum gratia Dei pulsatiua omnes semper tangat, & pulset, quare quosdam mouet, vt assentiant, alios non, & quare quosdam mouet remissē, alios acriter. Et quod in materia prædestinationis non oportet plus inuestigare, quam ad sobrietatem sapere oporteat. Et vnde sit quod multi sunt in vita æterna, qui grauius peccauerunt, quam multi, qui sunt in inferno.

Q V A E S T I O LXXXI.

SE D adhuc dices cùm ista gratia semper pulset, & indifferenter omnes homines, quare quidam assentiant, & alii non, & ipsem homo, interdum mouetur à gratia pulsatrice, & interdum non.

Respondendum est, quod gratia pulsatiua mouet, sed nō vrget, nam, & ipsa gratia gratum faciens, quę in nobis interdum est, & charitas perduntur non assentientibus nobis incitationi illarum, quāto magis pulsante gratia, & nondum recepta est enim gratia naturam perficiens, sed nō mutans, vel cogēs: sed natura nostra est libertas: gratia verò perficit libertatem, vt per eam liberiū feramur in verè bonum, quām aliás ferremur: tamen nō mutat naturam libertatis, si tamen gratia necessariò moueret hominem ad bonum, postquam aliquis gratiam suscepisset, impossibile esset cum male operari, & consequenter impossibile esset aliquem Christianum male facere, quia in baptismate gratiam suscepisset, sed potest habita gratia perdi, & gratia pulsatrix repugnari potest, etiam si valde magna sit, ita vt interdum homines amantes terrena molestè valde ferant, quod à Deo ad bonum incitantur, & vellent non moueri ad illud bonum, quia desiderant frui delectabilibus, quę concupiscunt, vel iam amāt, & quia stimuli mouētes ad bonum eos in fruitione honorū, quibus vacare volunt retardant, vel distrahunt, & isti sunt, de quibus dicit Iob 21. c. qui dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, quis est omnipotēs vt seruamus illi? & quid nobis proderit, si orauerimus eum? In his autem quod gratia nihil operetur, causa plana est.

Sed adhuc sunt alij, qui gratia Dei non repugnant, & tamen non mouentur ab ea ita, vt à peccatis discedant, & in his alia causa inquirenda est.

In quo sciendum est, quod gratia pulsatrix est aliquod instrumentum diuinæ actionis in nos, & est sicut agentia naturalia: quædam enim agentia sunt, à quibus potest passiuū immutari, alia verò sunt à quibus nequaquam potest, sicut si aliiquid sit valde remissē frigidum, non poterit immutare passiuū ad frigiditatem, si verò fuerit fortius immutabit, & ita de ceteris qualitatibus. Ita gratia pulsatiua interdum fortis est, & interdū parua, cùm verò fortis, mouet, si autem parua fuerit, nō mouet, & sic quidam sunt, quos licet semper tagat gratia pulsatiua, tamen nunquām mouentur, quia remissē pulsantur: interdum autem gratia pulsatiua ita fortis est, vt homines velut inuitos trahat, & tunc quicunque pulsatus ab illa mouebitur. Et est quemadmodum in amatoribus, qui interdum ita vehementer incitantur amore, vt magis furere, quām amare videant. Et de ista gratia dicebat Christus Ioh. 6. Nemo potest ad me venire nisi pater meus traxerit eum, id est, non potest aliquis venire ad diligendum me, vel sequendum doctrinam meam, nisi pater meus traxerit eum, scilicet per gratiam pulsatiuam, quasi inuitum ferens quod trahere est. Sed adhuc queret aliquis cùm Deus gratiam pulsatiuam circa omnes exhibeat, quare quosdam ita remissē mouet, vt ex ea non moueantur in bonum.

Ad hoc iam difficultius est respondere, quoniam abscondita sunt ab oculis nostris, soli Deo perfecta seruata cognitione horum, quę circa nos agere velit. Sed dici potest quod gratia ista interdum circa quosdam hominum parua est, vt non moueantur per eam, sed cadant in quādā vitia, & sic humiliores, & cautores postea resurgent, atque occasione accepta meliores fiant, quām futuri essent, si non cecidissent, in quibusdam autem ista gratia pulsatiua parua est, quia peccata eorum demeruerunt eam sic esse, scilicet vt talis esset, per quam ad bonum nō mouerentur. Sed tunc dicetur, quare quibusdam incidentibus in parua peccata Deus dat eis paruan gratiam pulsatiuam, ita vt nūquām resurgent, sed sic pereant, alijs verò interdū incidentibus in magna peccata dat

gratiam

A gratiam vehementer pulsantem, & trahentem, ita ut in malo permanere nequeant. Respondendum est huius solam causam esse diuinæ voluntatis beneplacitum, nec potest peccatorum magnitudo assignari causa, quia multi sunt in vita æterna, qui valde grauius peccauerunt multis, qui in gehenna tenentur: sed illi ad extremum gratia pulsatrice proficiente in eis conuersi sunt: alij vero in malo permanentes in gehennali incendio mancipati sunt, Deus tamen in hoc differendi rationem ex scipso sumit. Nam quosdam ex infinita largitate sua prædestinavit ab æterno esse conformes imagini filij eius ad Roma. 8. & isti licet in plurima mala inciderint, salvantur, quia Deus illis gratiam pulsantem exhibet sufficientem, alij vero sunt quos Deus non elegit, & hi quanquam aliquando mouentur ab eo efficaciter, tamen non semper, sed ad ultimum non mouentur, prædestinati autem mouentur. Sic dicitur Act. 13. cap. cum prædicarent Paulus, & Barnabas inter gentes dicitur, & crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam, quasi dicat, ceteri non crediderunt quanquam prædicaretur eis, quia non erat gratia motiva, quæ eos fortiter urgeret. De prædestinatis autem quomodo fiant a Deo, scilicet an sit necessitas in eis ad saluationem, & si est homo prædestinatus antequam natus, vel prædestinatur in ipsa morte, & de similibus dicitur ad Roma. 8. vel. 9. vel Act. 13. cap.

B *Quid sit modus indurationis in obstinatis, & quid Gentiles senserint de fato, & prouidentia rerum. Et quod quicunque indurationem patitur illam demeretur, sed non omnes qui merentur eam patiuntur illam. Et quod induratio duplicitur intelligitur. Et quæ sit causa harum indurationum.*

QUESTIO LXXXII.

C **E**x his quæ dicta sunt de gratia pulsativa patet modus indurationis, nam indurantur homines cum in malo fuerint, cum gratia pulsativa non fuerit, vel si parua est, ita ut moueri nequeant ab ipsa, quia tunc cum ad bonum sine gratia illa peruenire nequeant, manebunt necessariò in malo, & perdentur. Et sic duo sunt ad indurationem, primum est hominis iniquitas, qua fertur in bonum defectibile, secundum est gratia pulsatrix imperfectio mutare non valens: primum est directum, secundum indirectum, secundum tamen fortius est quam primum, quia etiam si homo sponte se ferat in mala, si Deus eum vehementer tetigerit in uitum trahet, obstinatio ergo ab homine, & a Deo causalitatem habet: quicunque tamen indurationem patitur illam demeretur: nec tam omnes, qui merentur eam patiuntur illam, & quidam de electis incident in grauissima peccata, quibus demerebantur ob durationem, quia tamen secundum propositum Dei vocati sunt sancti, iuxta Apostolum, haec omnia eis in bonum proficient. Diligentibus enim Deum omnia in bonum cooperantur: & hoc modo Deus dicitur in scriptura indurasse corda hominum, quia subtrahit eis gratiam, scilicet non apponendo eam per quam ad bonum deuenturi esent, & non dicitur de hominibus quod seipso indurant, quæ licet ipsi faciant ad indurationem directè, quia tamen ipsam indurationem absentia motricis gratia sufficienter efficit, a Deo induratio denominatur, cum ab eo gratia sit.

In praesenti autem cum dicitur, quod fuit sententia Domini, ut corda ipsorum Chananæorum indurarentur, potest intelligi induratio ista dupliciter, uno modo, sicut nunc dictum est, scilicet quod Chananæi isti desiderabant pugnare contra Israel, & Deus non dedit illis gratiam pulsatrix ad mouendum in contrarium, vel fuit valde parua, ita ut mouere eos non posset: & hoc erat ex sententia Dei, id est, quia Deus determinauerat eos non mouere in contrarium, quia peccata eorum hoc demerebantur.

Alio modo potest intelligi, quod Deus indurauerit directè Chananæos istos pugnantes, & dato quod forte ipsi inclinarentur ad non pugnandum, & petendum misericordiam ab Israëlitis, ut sic manere possent, sicut manserunt Gabonites, qui confederati fuerunt Israëlitis, ut patet supra 9. vel sicut manserunt multæ gentes Chananæorum ad occidentem, ut patet infra 13. & Iud. 3. quæ non pugnauerunt contra Israëli-

tas, sed quia Deus volebat conterere istos Chananæos, quia peccata sua erant grauiora peccatis aliorū Chananæorum populorum, & quæsiuit Deus occasionem contra eos ad occidendum, & fuit hoc indurando corda eorum, ut pugnarēt, & sic caderent in manu Israel, & non mererentur misericordiam aliquam, sicut populi, qui non pugnauerant. Inter istam autem indurationem, & primam multum differt, quia prima non est a Deo directè volita, nec ipse incitat hominem ad actum illum, in quo induratur, quia ille est actus peccati, & peccatum non est a Deo directè volitum, sed cum homo hoc voluerit Deus interdum non adiuuat eum efficaciter ad execundum, vel resurgendum, & consequenter iuduratur in peccato.

Secundus modus indurationis est directè a Deo volitus, & hoc est quod homo non assentit alicui recto consilio, & prudenter humana, quod ei feliciter prouentur erat, sed mouetur pertinaciter in aliiquid, ex quo eius sequitur dura calamitas, & forte ad tale non mouetur iste, qui nunc mouetur, quia non consueverat ad talia moueri, sed Deus vult punire eum propter peccata sua, & ob hoc mouet eum in aliiquid, & quasi in uitum ducit, ut faciat, vel desideret id, ex quo sequitur ei magna pena in ultionem scelerum, & in isto casu non est in potestate nostra effugere indurationem Dei, sed etiam si contraria velimus faciet nos indurari, quia isto modo vult nos punire. Et in isto casu homines ducunt non a seipso, sed quasi a fato, iuxta modum loquendi Gentilium Poëtarū, ut introducit Seneca in tragœdia 5. quæ dicitur Oedipus quandam horum loquentem de fatis illis, scilicet:

*Fatis agimur cedite fatis
Non solite possunt curae,
Mutare rati stamina fusi.
Quidquid patimur mortale genus
Quidquid agimus venit ex alto.
Seruatq; sua decreta colus
Lachesis: dura reuoluta manu.
Omnia certo tramite vadunt
Primusq; dies dedit extreum.
Non illa Deo vertisse licet
Quæ nexa suis currunt causis
It cuig; ratus prece non vlla
Mobilis ordo, multis ipsum
Timuisse nocet, multi ad fatum
Venere suum fata dum timent.*

Nos tamen non contentimus huic modo penitus in aliquo casu, cum isti dicant seriem fatalem esse aliiquid quod Deo etiam non licet immutare, sed nihil tale est: si multitudine tamē erat, quia sicut isti ponebant fatalem dispositionem esse nobis ineuitabilem, ita cum Deus nos indurare vult, ut incidamus in aliquas promeritas calamitates, etiam si multum in aduersum conemur non poterimus evitare indurationem illam, & sequentes, inde penas, sicut morbi nobis in penam peccatorum nostrorum eueniunt, sed etiam si conemur effugere illos, non poterimus.

F Causa diuersitatis inter modum istum indurationis, & superiore est, quia induratio prima est ad peccatum, & illud non est a Deo volitum directè, ideo est in nobis principiū indurationis, scilicet quod nos peccemus in aliquo, & Deus postea gratiam efficaciter adiutricem non impendat. In isto secundo modo non est induratio ad peccatum, sed ad faciendum aliiquid, quod malum non sit, & tamē inde nobis sequatur magna pena, & talia a Deo volita sunt directè, quia sicut ipse vult penas nostras, quæ sunt aliquod bonum, & non includunt rationem mali, vel deformitatis aut odij diuini: ita vellet directè illum actum, per quem peruenimus in penas illas, cum in eo fuerit peccatum nullum: & in hoc secundo modo dici poterat de Chananæis istis, quod indurata sunt corda eorum scilicet, quod Deus directè voluit indurationem eorum cooperando ad eam potissimum, & non per alicuius gratia subtractionem, vel non appositionem, sed mouendo eos pertinaciter ad pugnandum contra Iudeos, ut morentur, & hoc non est inconveniens confiteri de Deo, quia non mouebat eos hic ad aliquod malum, cum pugnare contra Israëlitas Chananæos esset licitum, ut supra declaratum fuit, & tamen Deus interdum mouet hominem ad aliiquid quod licitum est, ut agendo illud pereat.

Et tunc exponetur litera ista sic, ut iacet scilicet.

Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum.

Id est isti Chananæi, qui congregati sunt contra Israelitas ad aquas Meron, erant magis peccatores alijs populis Chananæorum, & Deus volens eos punire incitauit illos, ut pugnarent contra Iudeos, & in hoc proposito indurauit corda eorum, scilicet quod non possent moueri ad oppositum, quamquam essent aliquæ rationes, quæ sufficienes ad mouendum ipsos erant, scilicet quod viderant stare solem paulò ante hoc spacio vnius diei quoque Israelites caperent quinque reges latentes in spelunca, & vlcifcerentur se de hostibus suis: ipsi autem, quia non assenserunt indurati dicebantur, & hoc fuit ex sententia Dei, quia ipse specialiter voluit indurationem illam.

Et pugnarent contra Israel, & caderent. Iste est modus, velut si quis volens punire aliquem non potest punire, nisi sit iratus, & querit actionem aliquam, ut sit iratus illi atque eum puniat. ita de Chananæis: si enim ipsi fuissent in humilitate pententes misericordiam ab Israelitis, sicut fecerunt Gabaonites non habuisset Deus occasionem irascendi, & reliquisset eos immunes à poena: vel si fortè nō moti fuissent in bellum contra Iudeos, sicut reliqui de Chananæis qui manserunt post mortem Iosue, ut patet infra 13. & Iudic. 3. cap. isti enim quamquam non petierunt fœdus ab Israel sicut Gabaonites, quia tamen non fuerunt moti contra eos in pugnam non perierunt. Cùm autem isti pepuli, de quibus in litera dicitur mouerant pugnam contra Israel necesse erat, ut perirent, quia Deus promiserat Israelitis, Exod. 23. quod obseruarent præcepta eius, destrueret omnes hostes eorum, & esset hostis inimicorum Iudeorum: sed isti infestabant Iudeos, ideo necesse erat, ut Deus traderet Chananæos in manus Iudeorū, ne permitteret Iudeos in manus hostium. Et isti modi querendi occasionem ad puniendum aliquem frequentati sunt à Deo: ita cùm vellet punire Philistinos in manibus Iudeorum dedit in corde Samsoni, ut acciperet vxorem de Philistijim ut ab eis offensus percuteret eos plaga magna: & ista erat occasio ad puniendum. Sic patet Iudic. 13. cùm dicitur: Dixitque Samson ad patrem suum: hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis: parentes autem eius nesciebant, quod res à Domino fieret, & quereret occasionem contra Philistijim.

Et non mererentur villam clementiam, id est, ideo indurauit eos Deus, ut non mererentur clementiam Dei, & saluarentur in vita temporali. Si acciperetur hic primus modus indurationis, qui est cùm indurantur homines in peccatis, nō erat ista litera exponenda sub habitudine causæ finalis scilicet, quod ideo indurati sunt, ut non mereantur misericordiam. Sed exponeretur consecutiū: sed indurata sunt corda eorum in peccato, & non mererentur villam misericordiam, id est, ex induratione factum est, ut non mereretur misericordiam: quia solum est misericordia Dei super illos, qui ad eum in corde tribulato conuertuntur. Indurati autem nō conuertuntur, quia alias indurati non essent: ideo sequitur, quod non mereantur misericordiam in remissionem culparum: neminem tamen Deus indurat in peccatis, ut non mereatur misericordiam, & remissionem culparum, quia ista esset iniquitas magna, & non sequeretur iusta punitio. In duratione autem secunda ista conceduntur, quia induratur homines secundo modo in aliquo opere indifferenti, quod eis licitum est, ut illud faciant ad hoc, quod inde sequatur eis magna damna: & tunc Deus indurat aliquid, ut non mereatur misericordiam scilicet remittendo ei poenas debitas: nam si non induraretur in actu illo posset flecti ad contrarium, & sic non puniret: Deus autem vult tamē punire, quia peccata sua exigunt, & Deus iudicat nō debere huic poenam remitti: ideo indurat in eo inducendo indurationem, quæ est poena, ut sequatur alia poenitatis, quæ ex induratione prouenit, & quia hic per indurationem non incidebant Chananæi in culpam aliquam, sed in peccatum directe Deus fecit ad eorum indurationem, ut sic essem indigni misericordia Dei, quam mereri potuissent, si non indurarentur: sed petiissent forte fœdus aliquod, sed Israelites non licebat facere fœdus cū eis, ut patet Deuter. 2. cap. Deus tamē non dedisset eos in manus Iudeorum, nisi ipsi mouissent pugnam, sicut non dedit Philistinos, & Sydonios ceteros, qui habitant ad occidenta-

lem plam terræ Chanaan, de quibus infra 13.

Ac perirent, scilicet quod indurati, & pugnantes perirent deleti gladio Iudeorum.

Sicut præcepérat Dominus Moysi, id est, sicut prædixerat scilicet quod delerentur Chananæi à facie Iudeorum. Alio modo intelligitur, sicut præcepérat, id est, quod compleuerunt Israélites hoc præceptum Dei ad Moysen: iussérat enim Deuter. 20. quod de Chananæis neminem vivere permetterent non potentes eos accipere in tributarios, vel seruos, aut sub aliquam conditionem pacis.

In tempore illo venit Iosue, & interfecit Enacim de montanis Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni monte Iude, & Israel, urbesq; eorum deleuit. Non reliquit volum de stirpe Enacim in terra filiorum Israel absq; ciuitatibus Gaza & Geth, & Azoto, in quibus solis reliqui sunt. Cepit ergo Iosue omnē terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen, & tradidit eam in possessionē filiis Irael secundum partes, & tribus suas. Quieuitq; terra à pralijs.

In illo tempore venit Iosue. Istud tempus, in quo Iosue interfecit Enacim, id est, gigantes de montibus fuit tempus intermedium bellorum. Nam pugnando contra reges istos, qui conuenerant ad aquas Meron contra eum, durauit magno tempore, ut patet supra, cùm dicitur: multo tempore pugnauit Iosue contra reges istos.

Quo tempore Iosue venerit contra Enacim.

QVÆSTIO LXXXIII.

ET dicitur in tempore illo, ut non intelligatur quod Iosue expletis pugnis contra reges, & loca omnia, contra qua

pugnaturus erat venerit contra Enacim, qui habitabant in montibus, sed tempore intermedio hoc fecit, scilicet cùm iret contra loca aliqua, in quib; erant Gigantes delebat urbes cū ipsis Gigantibus: fit tamen mentio specialiter de pugna contra Gigantes: quia ipsi erant robustiores, & timuerat eos validè Iudei: vnde propter eos explorantes quos misit Moses anno secundo ab exitu de Aegypto in terram Chanaan murmurauerunt, & populu murmurare fecerunt, ex quo secuta est dilatio introitus in terram Chanaan usq; ad annum 40. de quo Num. 13. cùm dicitur: Populus, quæ asperimus procreata statuta est: ibi vidimus monstra quædam filiorū Enac de genere Giganteo, quibus cōparati quasi locustæ videbamur. Ad demonstrandum autem nunc magnitudinem potentia subiectientis Gigantes imperio Iudeorum, subditum, & expressum fuit de deletione Gigantum.

Iosue venit, & interfecit Enacim de montanis. Exprimitur de montanis, quia fortè non erat in toto Israel Gigantes, nisi in montanis, præter Gigantes, qui erat in urbibus Philistinorum, quæ nondum captæ fuerant, de quibus infra. Vel dicitur de montanis, quia isti erant potentissimi, qui morabatur in locis fortioribus, & pugna contra hos acrior erat: prium tamen melius est.

De montanis Hebron, & Dabir, & Anab. Ponuntur ista tres urbes specialiter, quia in eis magis habitant Gigantes, quam in alijs urbibus montanis Chanaan.

An Iosue deleuerit Gigantes urbis Hebron, vel Caleb. Et an Dabir sit una vel duæ.

QVÆSTIO LXXXIIII.

SED de Gigantibus urbis Hebron arguetur, quia infra 14. dicitur, quod petierit Caleb urbem illam à Iosue, ut si forte posset inde delere gigantes, & dicitur, quod deleuit eos inde, & cōmemorantur tres scilicet Sesai, Thulmai, & Hayman, ut patet infra 15.

Aliquis respondebit, quod Iosue deleuit gigantes de montanis Hebron, sed non de ipsa urbe Hebron, Caleb verò occidit gigantes, qui erant in urbe Hebron. Sed litera non consentit hoc innuens gigantes istos deletos à Iosue habitasse in urbibus, cùm dicitur immediate, urbesq; eorum deleuit.

Aliter

A Aliter ergo respondendum est. Et dicit Nicol. q[uod] uod hoc intelligitur quantum ad partem, quia aliqui gigantes manserunt in vrbe Hebron, quos Caleb postea occidit, vt patet infra 15. Vel aliter dicit, quod fuit istud factum à Caleb: tamen ascribuntur omnia Iosue, quia erat princeps.

B Sed primum non stat conuenienter, scilicet quod quosdam de gigantibus occiderit Iosue, & quosdam Caleb, quia in vrbe Hebron solum erat tres gigantes, scilicet Sesai, Tholmai, & Hayman, vt patet Num. 13, nam cum iuerunt exploratores in terram Chanaan, & venissent in Hebron, retulerunt se vidisse hos tres gigantes, hos tamē postea deleuit Caleb, vt patet infra 15. vbi nominantur, & Iud. 1. ergo nō deleuit partem gigantium Iosue de vrbe Hebron, sed omnes eos deleuit Caleb, ideo magis videtur secundus modus, scilicet quod cum esset Iosue princeps exercitus Israel attribuuntur ei omnia bella, & magnalia facta, aliqui tamē de Iudeis fecerūt aliqua notabilia sicut Caleb oppugnans Hebron, & Othoniel oppugnans Dabir, quae vocatur Cariath Sepher, vt patet inf. 15. Sed tunc obiectetur de vrbe Hebron, quia Iosue cepit eam, vt patet supra praeced. ca. & fuit hoc immediate post stationem Solis. Ad hoc dici posset, quod cepit aliquam partem vrbis, quae erat in plano, arces autē vrbis, quae erat in montibus nō cepit, & ibi manserunt gigantes, quos postea deleuit Caleb, & hoc posset habere fundamentum ex litera hac, cum dicāt, quod deleuit Iosue Enacim, id est, gigantes de montanis Hebron, & Dabir, scilicet quod isti habitabant in montuosis partibus vrbium, & tunc referretur hoc ad Caleb quāquam attribuatur Iosue, quae erat princeps Iudeorū, tamen non fuit ipse in bello cōtra gigantes hos, & id quod habetur praeced. c. attribuetur Iosue, scilicet quod ipse illud fecerit satis citò post stationem Solis, & hoc est secundū sententiam quae ibi dicta est. Sed tūc restat argumētū de vrbe Dabir, & gigantib[us] eius, qui dicuntur hic capti à Iosue, & deleti sunt ab Othoniel fratre Caleb iuniore, vt patet infr. 15. & Iud. 1.c. & tñ etiam de ista vrbe Dabir dicit sup. etiam q[uod] capta fuerit, & deleta à Iosue. Aliquis fortè respondebit alia esse Hebron, de qua dicit quod cepit eam Iosue, & aliam de qua dicitur, quod cepit eam Caleb, & sic de vrbe Dabir. Sed hoc nō stat, q[uod] quando sunt plures ciuitates habentes idē nomen scriptura ponit nomen illud cum connotationibus, vt intelligatur de qua vrbe dicitur, sic ut patet de Bethoron, quae erat duplex, scilicet Bethoron superior, & inferior, & cum exprimitur de eis ponuntur ista cōnotata, vt patet inf. 16. & 18. c. sed de Hebrō, & Dabir nunquā ponitur cum aliqua connotatione, sed simpliciter, ergo videtur, quod nō sint diuersæ vrbes. Item patet esse easdē, q[uod] sicut praeced. c. dicit, quod expugnata Hebron iuit Iosue in Dabir ad oppugnandū eam, ita inf. 15. cum dicitur de Caleb, & Othoniele oppugnatibus vrbes Hebron, & Dabir, dicitur quod post Hebron ascenderunt in Dabir: idem patet Iud. 1.c. Item patet hoc firmius ex regibus ciuitatum harum, quia seq. c. cum ponantur reges occisi, solum ponitur de vrbe Hebron unus rex, & de vrbe Dabir aliis rex, si tamē fuissent plures vrbes non computarentur ijdē reges. Item patet, quia iste vrbes pertinebant ad tribum Iuda, vt patet hic, cum dicatur in montanis Hebron, Dabir, & Anab, & in omni monte Iudei & Israel, & tamen cum computantur ciuitates Iudei, infra 15. solum computatur vna Hebron, & Dabir, & Anab, ergo non erant diuersæ vrbes. Ideo dicendum necessariō quod eadem est Hebron, & Dabir, de quibus dicitur hic, & de quibus praeced. c. & de eisdem dicitur inf. 15. & Iud. 1.c. Hoc dato si dicitur de Hebron, quod oppugnata à Iosue quantum ad partem quandam, & postea capta est à Caleb reliqua pars, dicendum erit eodem modo, quo capta fuerit Dabir quantum ad aliquid à Iosue, & quantum ad aliquid ab Othoniele: sed ista non stat conuenienter, quia litera praeced. c. videtur sonare, quod totaliter fuerit capta Hebron à Iosue, cum dicatur, Ascendit in Hebron, & pugnauit contra eam, & percussit in ore gladij, regemq[ue] eius, & omnia oppida regionis illius vniuersasq[ue] animas, quae in ea fuerant commoratae, non reliquit in ea villas reliquias. Si tamen mansisset superior pars vrbis, & gigantes in ea, non diceretur conuenienter, quod non dimisit fuissent villæ reliquiae. Identidem de vrbe Dabir dicitur ibidem, quod non dimisit ibi Iosue villas reliquias: è contrario autem infra 15. videtur signari quod Caleb totaliter ceperit vrbem Hebron, vbi dicitur, quod He-

D brodata est in possessionem Caleb, & deleuit ex ea tres gigantes. Magis autem signatur hoc infra 14. cùm dixit Caleb ad Iosue: da mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt, & vrbes magna atque munitæ: si forte sit Dominus mecum, & potuero delere eos.

E Et adhuc clarius signatur hoc Iudic. 1. vbi dicitur, quod post mortem Iosue ascenderunt in pugnam contra Chanaeos, & vna de ciuitatibus captis dicitur fuisse Hebron: ergo non ceperat eam Iosue.

F Aliquis fortè respondebit, quod iste sunt eadem vrbes, scilicet Hebron, & Dabir quāquam multoties nominentur, sed dicet quod capta sunt totaliter à Iosue, sicut signatur praeced. cap. & totaliter capta sunt à Caleb, & Othoniele. Sed primò cepit eam Iosue, & vastauit occisis habitatoribus: deinde cum Iudei non habitarent in illis, redierunt aliquæ de gentibus, & populauerunt eas, & contra hos iterum pugnauerunt Iudei: & tunc Caleb cepit Hebron, & Othoniel cepit Dabir. Simile fuit de vrbe Asor: nam ipsa primò capta est à Iosue, atque combusta, vt patet supra in litera: postea tamen Gentiles redierunt ad eam, & habitauerunt ibi, atque fuit ibi caput regni sicut consueverat esse antiquitū: nam ibi habitauit rex Labin, cui seruierunt Iudei annis decem, de quo Iudicium quarto cap. eadem tamen est Asor, de qua hic, & Iudicium quarto, vt probatum fuit hic: ita ergo poterat esse de his vrbibus, vt cum capta essent iterum habitarentur à Gentilibus. Sed non stat, quia si Iosue totaliter deleuisset vrbem Hebron, & Dabir, tunc non potuisset iterum delere gigantes, qui in ea erant Caleb, sed deleuit, vt patet infra 15. ergo non deleuit Iosue illam: & eodem modo de Dabir dicendum est.

G Respondebit aliquis quod Iosue deleuit Hebron non dimittēs in ea villas reliquias, vt patet praeced. cap. tamen postea redeuntibus Gentilibus ad habitandum in ea regressi sunt aliqui de gigantibus, & hos deleuerunt Caleb, & alij Israelite postea, de quo infra 15. cap.

H Sed non potest stare, quia illimet gigantes, quos occidit Caleb in vrbe Hebron, scilicet Haiman, Tholmai, Sisai, vt patet infra decimoquinto, erant ante aduentum Iosue in terra illa: immo antequām aliquo modo Israelite introirent in terram Chanaan: nam exploratores missi ab Israelitis anno secundo ab exitu de Ægypto venientes in Hebron, viderunt hos gigantes, vt patet Numer. 13. ergo si Iosue deleuisset Hebron non dimittens in ea villas reliquias, non potuissent in secunda vice isti tres gigantes deleri à Caleb: sed deleti sunt, ergo Iosue non cepit vrbem Hebron non dimittens in ea villas reliquias.

I Sed adhuc aliquis calumniabitur, dicens quod Iosue totaliter deleuit omnes habitatores Hebron non dimittens in ea reliquias: isti tamen tres gigantes fugerunt inde tempore belli Iosue, & postea reuersi habitauerunt ibi, atque mortui sunt in bello facto à Caleb.

J Sed hoc non stat, quia quando facta est pugna, de qua dicitur praecedenti cap. contra Hebron, nemo fugere potuit, qui euaderet, sed omnes, qui ibi prius habitabant deleti sunt, vt patet cum dicitur ibidem, regem quoque eius, & omnia oppida regionis illius vniuersasq[ue] animas, quae in ea fuerant commoratae non reliquit in ea villas reliquias. Cum ergo tres isti gigantes habitauerint in Hebron ante hoc, & tunc habitaret, necesse est, vt perierint in bello illo, de quo dicitur ibidem, & Iosue nō occidit illos: ergo illud bellum, quod ponitur praeced. cap. quamquā dicatur factum à Iosue non fuit factum ab eo, sed à Caleb, & Othoniele, & alijs Israelitis post mortem Iosue.

K Dicendum igitur quod bella, quae ponuntur praeced. cap. quantum ad duas vrbes Hebron, & Dabir non fuerunt facta à Iosue, nec viuente eo, sed post mortem eius, cum consuissent Israelite Dominum, quis esset dux Israel in bello, & respondit quod Iudas. Et tunc Caleb tanquam princeps Israelite, quia princeps erat in tribu Iuda cepit aliquas vrbes, de quibus Iud. 1. & principaliter cepit vrbem, quae ei signata fuerat in possessionem, scilicet Hebron, Othoniel quoque frater eius minor cepit vrbem Dabir, quae erat prope Hebron, vt patet ibidem. Hic tamen narrantur facta ista à Iosue: quia intentio sacrae Scripturæ erat attribuere

Dōcto-
rū re-
spōnsio.

Intētio
sacra
litera.

A

omnia facta magnalia de captione terræ Chanaan Iosue: quia ipse fuerat constitutus dux ad introducendum populum in terram illam, & ad capiendam, atq; sorte diuidendam, vt patet Deuter. 31. & supra 1. & quia id quod alij sine eo fecerunt, fuit valde paucum, attribuitur solum Iosue. Ne tamen prorsus lateat veritas rerum gestarum, postquam dictum fuerat istud fuisse factum à Iosue, describuntur specialiter auctores huius, de quo infra 15. & Iudic. 1. cap.

Amplius pater hoc, quia ista, quæ dicuntur hic de destructione Gigantum habitatiū in montanis Hebron, & Dabir nō possunt pertinere ad Iosue, sed ad Caleb, & Othonielem, vt declaratum est, tamen ista dicuntur hic de Iosue: consimiliter ergo de eis, quæ habentur præced. cap. dicendum videtur, quod facta fuerint à Caleb, & Othoniele, quantum ad urbem Hebron, & Dabir, & secundum hoc ponitur hic anticipatio, vt attribuatur Iosue, cum tamē postea fuerint facta hæc, vt patet infra 15. & Iudic. 1.

Arguit tribus argumentis contra predictam responsionem afferendo quod necesse sit pertinere ad Iosue eorum deleitionem urbium.

Q V A E S T I O LXXXV.

B

SE dicitur in contrarium quod necesse sit pertinere ad Iosue, & non posse hic reperiiri aliquam anticipationem, aut recapitulationem: quia supra præcedenti capitulo ponuntur aliqua, quæ repugnant anticipationi, & recapitulationi, sed necesse est esse ordinem rectum, quia dicitur, quod de Eglon ascendit Iosue in Hebron: necesse est igitur, quod ipse de Eglon in Hebron ascenderit: si autem attribueretur Caleb: necesse esset quod ipse ascenderit de Eglon in Hebron.

Item dicitur, quod de Hebron reuersus est Iosue in Dabir: necesse est ergo pertinere ad idem tempus, & nō esse anticipationem.

Item quia dicitur ascendit illuc cum omni Israel, sed manifestum est non posse intelligi de Caleb, quia ei specialiter tradita est Hebron, & ipse cum familia sua expugnauit. Sic enim petiuit à Iosue, vt daret ei Hebron, vt si fortè Deus adiuuaret eum, & posset delere habitatores Hebron: nō ascenderit ergo cum eo omnis Israel, & consequenter non est aliqua anticipatio.

Respondendum est satis magnam esse difficultatem circa captionem, & deletionem harum duarum urbium, scilicet Hebron, & Dabir, & hoc insurget ex modo loquendi scriptorum sacrae Scripturae, qui interdum non multum curantes distinguere modos loquendi, magnas induxerunt legentibus difficultates, & ambiguities veritatum, sicut hic. Nam præced. cap. & hic manifeste videtur litera innuere Hebron, & Dabir captas fuisse totaliter à Iosue: & quod nullus alias quidquam in hoc egerit, infra decimoquinto, & Iudicum primo, manifeste videtur innui quod Caleb cepit Hebron, & non Iosue: & in eisdem cap. videtur Othonielem cepisse urbem Dabir, & non Iosue: & si quælibet harum literarum per se esset, nemo de veritate earum ambiguus foret, quia lucide videntur innuere, quod continent: cum tamen eas contuleris in alterutrum manifesta videtur contradic̄tio, & si aliquam earum conatus fueris exponere reducendo ad alterius sensum, non videtur expositio, sed sententiarū violenta retorsio, quia tamen in sacra scriptura nulla falsitas est, & consequenter, nec contradic̄tio, quia quæ contradicunt simul vera non sunt, oportet hæc loca concordari, vt possibile sit.

*Concordia literarum.**Ad 1. argumentum.*

Et quamquam videatur litera aliqualiter pati vim, tamen ex hoc non est argendum prauam esse sententiam: quia aliter non videtur modus concordandi. Et dicendum, vt supra tactum est, ea quæ dicta sunt, præced. cap. de captione Hebron, & Dabir non fuisse facta à Iosue, sed ab Othoniele, & Caleb.

Et cum primò dicitur, quod ascendit Iosue in Hebron ad capiendum urbem, dicendum quod non ascēdit ipse, sed Caleb: tamē attribuitur Iosue ex causa dicta, scilicet quod omnia notabilia gesta ei volebat sacra Scriptura attribuere quantum ad captionem terræ Chanaan.

Et cùm arguitur, quod si esset anticipatio necesse erat, vt ascenderet in Hebron Caleb. Respondendum est esse verum, quia quando cepit eam, ascendit illuc, vt patet infra 15. & Iudic. 1. & cùm dicitur quod de Eglon ascēdere debebat in Hebron, sicut dicitur supra quod non conuenit Caleb: quia ipse non cepit Eglon, sed Iosue.

Respondendum est quod non notatur ibi ordo preci-
sus, ita quod de Eglon immediate ascēsus fuerit ad Hebron, sed est sensus quod primò capta est Eglon à Iosue, & poste aliquanto tempore capta est Hebron ascēdente illuc Caleb.

Cum vero arguitur de Hebron in Dabir ascendisse Iosue manifesta est solutio ex supradictis: quamquam arguens putat in hoc esse magnum vigorem, quia notatur hic ordo, scilicet, quod de Eglon fuerit ascensus in Hebron, & inde fuerit reuersus in Dabir: ergo si Eglon, & Dabir captæ fuerunt antequam Othoniel, & Caleb ficerent, quod dicitur infra decimoquinto, necesse est quoq; captam esse Hebron, cum fuerit intermedia harum duarum urbium: sed argumentum istud non habet tantum vigorem, quia arguens putat indubitate urbem Dabir captam fuisse à Iosue: iedoc falsum est, vt declaratum fuit: quoniam Othoniel frater Caleb cepit eam, vt patet infra 15. & Iudic. 1. ideo cùm arguitur, concedendum est quod de urbe Hebron itum fuit in urbem Dabir immediatè: sed non iuit illuc Iosue quin potius post mortem suam Othoniel, sicut dicitur primo cap. Iudicum, quod iuerunt Israelite in Hebron cum Caleb ad habitatores Dabir: & cùm diceret quod qui caperet Dabir, haberet filiam eius in uxorem, cepit urbem Othoniel frater ipsius Caleb. Et non est inconueniens hic fieri recapitulationem, vel anticipationem, quia non solum enarratur hic, & præceden. cap. id quod habetur infra 14. & 15. sed etiam in eisdem cap. enarratur quod habetur Iud. 1. cap.

Cum autem vltimò arguitur, quod nō potest intelligi de Caleb, quia hic dicitur, quod ascēdit cum omni Israel in Hebron, sed Caleb non ascēdit illuc cum toto Israel, sed cum familia sua, vt patet infra 14. Respondendum est, quod Caleb petierat urbem illam in hereditatem, & non solum eam, sed etiam totum montem, in quo erat ista vrbs, & erant ibi aliae vrbes, atq; loca: quod concessit Iosue, vt patet infra 14. sed tunc Caleb intendebat per seipsum cum familia sua oppugnare vrbes illas, postea tamen supersedit, & mortuo Iosue consuluerunt Israelite Dominum quis esset dux in bello, & respondit quod Iudas, id est, tribus illa, & quia non poterat tota vna tribus esse dux bellī, sed necesse erat ponere aliquem unum virum, positus est Caleb, qui erat de nobilioribus in tribu illa, atque fuerat semper serenus vir, & tunc expugnatis quibusdam urbibus dicitur quomodo totus exercitus iuerit ad Chananæum qui habitabat in montanis, & ibi cepit ciuitatem Hebron atque delevit tres Gigantes ex ea, de quibus Iudicum primo, & tamen ista vrbs dicitur capta à Caleb: & deleti illi tres Gigantes, infra 15. quod esse non potest, nisi quia Caleb erat dux: & dicitur ipse delevisse quod delevit totus suus exercitus. Et satis colligitur ipsum fuisse ducem, Iudic. 1. quia cùm dictum fuisse, quod exercitus delevit Hebron, & perrexit in Dabir, quæ vocatur Cariathlepher, subiungitur, quod dixerit Caleb, qui percutserit Cariathlepher, & valauerit eam, dabo ei in uxorem Axam filiam meam: si tamen ipse non fuisse dux exercitus non habuit set auctoritatem ad dicendum hoc, nec quisquam fuisse motus ad verbā sua ad pugnandum contra Dabir: & sic patet, quod Caleb cum toto Israel, id est, cum tribu Iuda, & Simeon, quæ tunc fuerant congregatae perrexit in Hebron, & Dabir. Et dicebatur pergere cum toto Israel, quia Iudas erat dux bellorum à Domino constitutus, & poterat reliquum Israel congregare quando vellet: solum tamen vocavit ea vice Simeonem, quia volebat capere loca sita intra sortem suam, vt patet infra decimoquinto: nam ea, quæ habentur Iudic. 1. pro maiori parte ad tribum Iuda pertinent: Simeon autem erat intra tribum Iuda, vt patet infra 19. ideo cum folium vocavit ad bellum: tamen illæ duæ tribus poterant vocari totus Israel. Patet igitur quid dicendum sit circa urbem Hebron, & Dabir quomodo, & à quo captæ fuerint. Si quis autem voluerit partem alteram fouere, dicens illa, quæ dicuntur præcedenti cap. & hic intelligi de Iosue, scilicet,

quod

D

Ad 2.
argum.F
Caleb
in ca-
peione
Hebro
orat
dux.

A quod ipse ceperit istas duas vrbes, non poterit concordare literam horum duorum capitulorum, scil. præcedentis, & huius cum litera 14. & 15. & cum litera primi cap. Iudic. nec poterit respondere ad inconuenientia.

Hebron, Dabir, & Anab. Istæ tres vrbes sunt in sorte tribus Iuda, vt pater infrà 15. & duæ harum captæ sunt à Caleb, scilicet Hebron, & Dabir, & deleti fuerunt Gigantes earum ab his. Anab verò capta est à Iosue, & deleuit ipse Gigantes. Attribuuntur tamen omnes tres ipsi Iosue ex causa suprà assignata. Ponitur de Gigantibus horum trium locorum specialius, quam de alijs Gigantibus, quia plures Gigantes erant in vrbibus illis, & montanis earum quam in reliquis vrbibus terræ Chanaan.

Et de omni monte Iuda & Israel. Id est, etiam deleuit Iosue omnes Gigantes, qui habitabant in montanis Iuda, id est, in sorte Iuda, quæ vocatur terra Iuda, & de omni monte Israel, id est, de tota terra montuosa, quæ cecidit in sortes Israel. Rlikwæ tribus præter Iudam vocantur Israel, quia licet ipse Iudas etiam esset de Israelitis: quia tamen erat maxima tribuum, & honorabilior, accipiebatur tanquam distincta à ceteris, & reliquæ appellabatur nomine communis Israel. Fuit autem magis consueta ista nominatio postquam facta est diuisione regnorum, cùm decem tribus recesserunt cum Hieroboam. Manserunt autem duæ, scilicet Iudas, & Benjamin cum rege Roboam filio Salomonis, 3. Reg. 12. cap. & decem tribus vocatæ sunt Israel, duæ autem vocatae sunt Iuda, & hunc modum seruat sacra scriptura in 3. & 4. libris Regum, & in Prophetis, atque alijs posterioribus libris historicis. Sed hic non distinguitur Israel, & Iuda hoc modo, quia nondum facta extiterat hæc diuisione, quæ postea multo tempore celebrata est post Salomonis mortem. Etiam non accipitur hic sicut ibi: nam facta diuisione illa decem tribus vocabantur Israel, duæ autem vocabantur Iuda, scilicet Iudas, & Benjamin: nunc verò sola tribus Iuda vocata est Iuda, & reliquæ tribus vocantur Israel. Ille modus fuit etiam obseruatus ante diuisionem regnorum in libro Regum 2. cap. 24. vbi cùm descripsi iussisset Israel totum populum, Iobab descripsit per se viros Iuda, & per se viros Israel, id est, omnium aliarum tribuum: idem patet 2. Regum 19. cap. vbi cùm reduceretur rex David post mortem Absalonis in domum suam, à cuius conspectu fugerat, viri Iuda iuerunt ad reducendum eum, non vocatis viris Israel. Et dicitur quod Israel conquestus est contra viros Iuda, & locutus est ibi Israel, quasi unus vir ad Iudam: Decem partibꝫ maior sum ego apud regem: magisq; ad me pertinet David.

Vrbesq; eorum deleuit. Scilicet in quibus habitauerunt Enacim, id est, Gigantes. Est enim Enacim nomen commune signans Gigatēm, & singulare eius est Enac, & sic dicitur Numer. 13. quod Sisai, Tholmai, & Haiman erant de stirpe Enac, id est, Gigas. Habitabant isti in vrbibus Hebron, Dabir, & Anab: & has deleuit Iosue, scilicet duas earū Caleb, & Othoniel, & vnam Iosue, vt suprà declaratum est. Multæ quoque alia vrbes, & oppida erant in montanis Iuda & Israel, in quibus erant Gigantes, & illæ quoque deletæ sunt: cùm dicatur suprà, de Hebron, Dabir, & Anab deleuit Iosue Gigantes, & de omni monte Iuda, & Israel.

Non reliquit nullum de stirpe Enacim in tota terra filiorum Israel. Id est, non dimisit aliquem de Gigantibus in tota terra, quæ Iuda tradenda erat. Accipitur terra filiorum Israel dupl. vno modo pro terra, quam acceperant de manu Chanañorum, & in hac non fuerat relictus aliquis de Enacim, & non solum de his, sed etiam de alijs hominibus nullum reliquit, quia cùm delebat aliquam vrbem, dicitur quod non dimittebat in ea villas reliquias, vt patet præcedenti cap. & hic. Alio modo potest accipi terra filiorum Israel pro tota terra, quæ debebatur Israelitis ex promissione diuina, licet non esset tradita, & ista erat tota terra Chanaan, quam eis promiserat Deus, & de hac accipitur hic. Quod patet, quia dicitur immidiatè: Abiqt; ciuitatibus Gaza, Geth, & Azoto, in quibus solis relicti sunt: & tamen nondum fuerant captæ vrbes istæ, nec tempore Regum erant captæ cum Saul, & David pugnauerint contra istas vrbes Philistinorum: si tamen non essent istæ vrbes de terra filiorum Israel, non conuenienter dicceretur absque ciuitatibus Gaza, & Geth, &c. quia exceptio nunquam fit nisi de illis, quæ directè sub regula includi de-

babant. Et hoc attribuitur Iosue, quod nō reliquerit aliquos Gigates in terra Israel, sed non fecit ipse totum, cum Othoniel deleuerit Gigantes, qui erant in Dabir, & Caleb occiderit Gigantes, qui erāt in Hebron, vt suprà declaratum est, sed attribuuntur omnia Iosue ex causa suprà assignata. *In q. 33*

Quare hic multi Gigantes ponantur, cùm Nume. cap. 13. solum tres ponantur. Et quod Exploratores Moysi non viderunt omnes Gigantes, & vrbes terræ Chanaan, sed tantum Hebron.

Q V A S T I O L X X X V I .

QUÆRERE taliquis quomodo hic ponantur multi Gigantes aum Numer. 13. lustrauerunt exploratores terram Chanaan, non inuenierunt, nisi tres, scilicet Sisai, Tholmai, & Haiman. Fortè aliquis respondebit, quod Gigantes, qui etant in alijs vrbibus nondum nati fuerant, cùm exploratores introierunt in terram Chanaan, sed solum erant tres nominati in vrbē Hebron, ideo de his solum retulerunt. Et videbitur fortè alicui hoc probabile, quia inter ingressum exploratorum in terram Chanaan, & ingressum Israelitarum postea fluxerunt anni quasi triginta nouem integri, & in his nasci poterant Gigantes, & effici viri magni. Antecedens patet, quia in principio anni secundi ab exitu de Ægypto, scilicet elapsis tribus mensibus anni illius, aut quasi, misit Moyses exploratores de Cadesbarne in terram Chanaan, vt probatum fuit Numeri decimotertio, sed ipsi Israelitæ non ingressi sunt in terram Chanaan transeuntes Iordanem usque ad principium anni quadraginta vnius die decimo mensis primi, vt patet suprà quarto, ergo à missione exploratorum usque ad hunc introitum effluxerunt anni triginta nouem, decimis mensibus duobus, & dimidio, aut tribus.

Item quia Gigantes de his vrbibus deleti sunt postquam petiuit Caleb à Iosue dari sibi Hebron, in qua erant Gigantes, vt si posset inde delere Gigantes, sed à tempore, quo venerunt exploratores in terram Chanaan usque ad tempus, quo Caleb petiit Hebron, fluxerunt anni quadraginta quinque, quod patet infrà decimoquarto, vbi dicit Caleb se fuisse quadraginta annorum, cùm missus est de Cadesbarne ad explorandum: & tunc cùm loquebatur erat octuaginta quinque, ergo quadraginta quinque effluxerant, in quibus multi Enacim nasci potuerant.

Dicendum est non stare, quia si in alijs vrbibus Chanaan præter Hebron non erant Gigantes, quando exploratores venerunt, non nascerentur postea, quia tempus Gigantium fuit ab exordio seculi, & decrescente seculo deficiebant Gigantes, ita quod rari de eis nascebantur: si ergo quadraginta annis ante introitum Israelitarum in terra Chanaan nulli Gigantes ibi erant, præterquam in vrbē Hebron, quomodo est verisimile ex non Gigantibus postea Gigantes fuisse natos? nequaquam.

Sed dicendum est quod tempore, quo exploratores Israelitarum iuerunt in terram Chanaan, erant multi ex Gigantibus, sicut fuerunt in ingressu eorum, sed exploratores solum retulerunt de tribus Gigantibus vrbis Hebron, quia non viderant alios. Nam exploratores Iudæorum non ambulauerunt totam terram Chanaan, ita quod perambularent omnia loca: nec etiam lustrauerunt totam terram in circuitu perambulantes quatuor latera terræ Chanaan, & peruenientes à puncto in punctum, vt probatum fuit Numeri decimotertio, sed ingressi sunt per partem meridianam, & ascenderunt directè ad partem aquilonarem terræ illius, & per eandem viam redierunt, vt patet Numeri decimotertio, cùm dicitur: cumque ascendissent, explorauerunt terram à deserto Sin usque Roob intrantibus Emath: tamen desertum Sin est in latere meridianæ terræ Chanaan, & Emath est in latere septentrionali eiusdem Numeri 34. ideo non poterant videre exploratores Gigantes, qui erant in vrbibus Geth, Gaza, & Azoto: quia istæ vrbes sunt in extremitate partis occidentalis terræ Chanaan apud mare occidentale, vt patet infrà decimoquinto, & ob hoc mare illud occidentale terræ illius, de quo suprà primo vocatur mare Palestiniorum, id est, Philistinorum: quia ipsi sunt, qui habitan-

A bitabant coniunctissimi apud mare illud, de quo Exodi 23. sed exploratores ascenderunt directe de parte meridiana in partem septentrionalem terrae Chanaan: ergo non intraerunt in urbes Philistinorum Geth, Gaza, & Azoto, ut vide re possent Gigantes. Item non viderunt Gigantes, qui erant in urbibus montanis Iudea, & Israel, quia in ciuitates raro, aut nunquam introibant timore habitatorum terrae, & ne cognoscerentur tanquam exploratores terrae, sed ascendebant in montes altissimos, & inde contemplabantur habitudinem terrae; sic enim iussuerat illis Moyses Numer. decimotertio, scilicet, cumque veneritis ad montes considerare terram qualis sit, & populum, qui habitator est eius &c. Vnde dicendum quod exploratores non introierunt in aliquam aliam urbem, in qua essent Gigantes, praeterquam in Hebron, & forte in nullam aliam ingressi fuerunt nisi in Hebron, quia litera Num. 13. de nulla alia ciuitate mentionem agit quod introierint in eam, nisi in Hebreo, & quod ibi viderint tres Gigantes.

Quomodo tempore ingressus Israelitarum in terram Chanaan potuerunt esse multi Gigantes, cum dicatur Num. 13. quod solus Og restiterat. Et quod apud Hebreos tria sunt genera Gigantum, quorum aliqui semper fuerunt in terra Chanaan usq. ad tempora David.

QVÆSTIO LXXXVII.

B ED adhuc queret aliquis quomodo stare possit hoc de Gigantibus his, quod fuerunt multi tempore ingressus Israelitarum in terra Chanaan: nam Deuteronomij tertio dicitur solus quippe Og restiterat de stirpe Gigantum: ergo non fuerunt aliqui alii post eum. Nec valet, si quis respodeat quod tempore, quo mortuus est Og rex, de quo Deuter. 3. nemo restiterat de Gigantibus, sed post eum nati fuerunt alii. Nam etiam ante eum erant Gigantes isti tres, scilicet Sisai, Tholmai, & Haiman: quia isti erant in Hebron antequam irent illuc exploratores Iudeorum, & ibi viderunt eos exploratores, Numer. 13. & fuit hoc in secundo anno ab exitu de Aegypto, ut declaratum fuit eodem cap. Postea autem in anno quadragesimo occisus est Og rex Basan cum toto populo suo, & tunc dicitur quod solus Og restiterat de stirpe Gigantum, Deute. 3. cap. ergo ante eum erant tres Gigantes in Hebron: post eum quoque isti tres Gigantes manserunt in Hebron, quia deleti sunt a Caleb, ut patet infra 15. & Iudicum 1. cap. ergo non restabat solus Og de stirpe gigantum.

Item quando introierunt Israelitæ in terram Chanaan erant multi gigantes in terra Chanaan in Gaza, Geth, & Azoto, & in alijs montanis Iudea, & Israel, de quibus dicitur quod deleti fuerint tempore Regum Israel: ergo non stat quod solus Og restaret de stirpe gigantum.

C Respondendum est, quod tempore Og regis Basan erant multi gigantes, & post eum fuerunt: & secundum literam nostram difficultissimum esset saluari inconuenientia: nam licet litera nostra transtulerit Hebraicam veritatem & sensum, tam non obseruauit proprietatem sermonis, ex quo sequitur difficultas.

Ad quod considerandum est quod apud Hebreos distinguuntur tria genera gigantum: primi vocantur Emin, secundi vocantur Enacim, tertij appellantur Raphaim.

Primi sunt minores, secundi maiores, tertij maximi. Primi non sunt gigantes propriè de stirpe gigantum, sed sunt viri excellentis staturæ super alios homines communes, sicut cum est aliquis populus, in quo cōmuniter omnes viri sunt celsioris staturæ quam in alijs populis: isti quidem non sunt propriè gigantes, quia non sunt nati de gigantibus, nec pertinuerunt ad magnitudinem giganteam. Iffos vocant Hebrei Emin, id est, facientes pauere, vel terrorem incutientes, scilicet quia magnitudine sua alios timere faciunt. Isti sunt minores gigantibus veris, de quo Deut. 2. cap. scilicet Emin primi habitatores eius populus magnus, & validus: & tam excelsus, ut de Enacim stirpe quasi gigantes videretur, & essent similes filiorum Enacim.

Secundi gigantes erant veri gigantes, & isti vocantur Enacim, quia de genere gigantum sunt ad giganteam cœlitudini-

nem attingentes, sed adhuc isti non tenent extremum gradum in magnitudine.

Tertius modus Gigantum est, qui vocantur Raphaim: & isti secundum quantitatem sunt maiores ceteris Gigantibus ad stupendam magnitudinem. De isto tertio modo Gigantum erat rex Og. De secundo autem erant tres Gigantes, qui erant in Hebron, & Gigantes, qui erant in Geth, Azoto, & Gaza, ceterisque montanis urbibus Iudea, & Israel: ideo vocantur hic in litera Enacim, & de nullo illorum dicitur quod esset de Raphaim. Cum dicitur Deuteronomij tertio de Og regre Basan, quod erat de genere Gigantum solus restans: in Hebreo dicitur de stirpe Raphaim: & in hoc determinat magis interlitera Hebraica quam nostra. Verum est enim, quod tempore Og multi de Gigantibus restiterant: nemo tamen restiterat de genere Raphaim. Et cum arguitur de tribus gigantibus Hebron, & urbis Dabir, & Anab, & Geth, Azoto, atque Gaza, dicendum quod erant gigantes de genere Enacim, sicut dicit litera Hebraica, & litera nostra aliquiliter declarat, quia licet Deuter. 3. non dicat regem Og esse de stirpe Raphaim, sed protulit nomen commune Gigantum, tamen aliquiliter declaratur hic, & sequenti cap. nam vbiunque litera nostra de his Gigantibus Hebron, & reliquarum urbium loquitur, vocat eos Enacim, secundum cōfuetudinem vocis Hebraicæ, ut patet 13. & hic: sed cum dixit de rege Og sequen. cap. vocavit eum reliquias stirpis Raphaim, cum dixit: Terminus Og regis Basan de reliquijs Raphaim, qui habitauit in Astaroth.

E Alio modo responderi potest quod apud Hebreos nomine commune gigantum est Enac, & pluraliter Enacim, & Og rex, quia Gigas erat de Enacim, erat sicut gigantes de omnibus sunt: quia tamen Raphaim erat quidam modus specialis gigantum, de quibus erat Og rex, dicitur quod solus Og restiterat de stirpe gigantum, scilicet qui erant Raphaim. Melior tamen litera fuisse nostra, Deuter. 3. si dixisset, solus quippe Og restiterat de stirpe Raphaim.

Absque ciuitatibus Geth, Gaza, & Azoto. Id est, de omnibus ciuitatibus, quas habituri erant Israelitæ, scilicet quæ pertinebant ad terram Israelitarum, dato quod non habuissent adhuc eas, exclusi erant Gigantes, praeterquam de his urbibus usque ad magna tempora. Nam tempore David erant adhuc gigantes, ut patet de Goliath Philistino, qui erat gigas, ut describitur mensura eius, 1. Regum 17. erat autem de urbe Geth.

Item de his urbibus supererant alii gigantes, qui pugnauerunt contra David quasi in extremo vitæ eius, 2. Regum vigesimo primo cap. & in his urbibus semper fuerunt gigantes, nec penitus deleti sunt ab Israel, quia non sunt captiæ urbes istæ à Iudeis, sed manserunt in terra sua gentiles, licet aliquando subiecti fuerunt dominio Iudeorum, scilicet tempore Salomonis: tamen non fuerunt penitus deleti, nec captiæ sunt urbes eorum. Erant autem istæ tres urbes, quæ hic nominantur de urbibus Philistinorum, & erant regales: Philistini enim circa mare occidentale terræ Chanaan habitabant, ut patet infra 15. & dividuntur in quinq; ciuitates principales, & quinque reges, scilicet Gazeos, & Azozios, & Achalonitas, Getheos, & Acharonitas, ut patet infra decimotertio, & sunt ciuitates eorum quinque principales, scilicet Geth, Gaza, Azotum, Acharon, Achalon, ut patet 1. Regum 6. cap.

Gigantes non erant in omnibus urbibus terra Chanaan.

QVÆSTIO LXXXVIII.

S ED aliquis dicet, quod non solum de his tribus urbibus non fuerunt exclusi gigantes, sed etiam de multis alijs, quia Iudei non potuerunt excludere gigantes, nisi de urbibus illis, contra quas pugnauerunt, & quas ceperunt, sed multæ aliae fuerunt, quas non ceperunt, scilicet tota Galilæa, & terra Philistinum, & Sidonum, multæ aliae gentes, de quibus infra 13. cap. ergo etiam de illis non excluderunt Iudei gigantes, sicut nec de Geth, Gaza, & Azoto.

Respondendum est, quod gigantes non erant in omnibus urbibus terra Chanaan, sed in quibusdam carum, ideo inter omnes urbes captas à Iosue solū tres specialiter nominatae

A natæ sunt habentes Gigantes, scilicet Hebron, Dabir, & A-nab, vt patet hic: consequenter autem in locis, quæ nondam acquisita fuerant ab Israelitis manerūt Gigantes, sed non in qualibet vrbe, sed in quibusdam earum, & istæ fuerunt tres, scilicet Geth, Gaza, & Azotum: & ob hoc expressæ sunt. Et quanquam quinq; essent ciuitates Philistinorum, quæ capta non fuerant, tamen in solis tribus erant Gigantes, in nullo autem aliorum locorum relicti erant Gigantes: & sic verū est quod Gigantes non fuerunt relicti post bella Iudæorum, nisi in tribus vrbibus.

Cum autem arguitur non tenet argumentum, quia si hic diceretur, quod Iudæi excluderunt de omnibus ciuitatibus Gigantes præterquā de Geth, Gaza, & Azoto teneret argumentum, scilicet quod non potuissent excludere Gigantes de vrbibus illis, contra quas nō pugnassent, nec obtinuerent eas: non dicitur tamen quod excluderunt, sed quod non reliquerunt. Et verum est, quia ipsi non poterant relinquere Gigantes vbi non erant, & quia in tota terra Chanaan non erat Gigantes nisi in locis, de quibus Iudæi excluderāt illos, & in tribus ciuitatib; his, scilicet Geth, Gaza, & Azoto: conueniēt dicitur, quod non reliquerunt Israelitæ in tota terra sua, siue in tota terra Chanaan aliquos Gigantes nisi in tribus istis vrbibus.

B In quibus solis relicti sunt. Rari erant Gigantes. Nam de Raphaim, qui erant valde magni Gigantes, nullus iam restabat, quia cūm mortuus est rex Og, perijt totum illud genus: de stirpe illa nemo iam esset nisi ille, vt dicitur Deutero. 3. solus quippe Og restiterat de stirpe Gigantum. De alijs autem Gigantibus, qui vocantur Enachim rarissimi erant, ideo non erant in singulis vrbibus, sed de tota terra, quæ capiēda restabat in solis tribus vrbibus, scilicet Geth, Gaza, & Azoto reperiuntur.

C Omnis & vna seruus sepius tribus pro genere singularium & ac comode Cepit ergo Iosue omnem terram. Non est sensus quod totam ceperit Iosue, quia latissima terra derelicta est Chananæorū, quam non ceperit Iosue, nec ceperunt reges Iudæorū, sed man sit semper in possessione Chananæorum. Nam & tempore Saluatoris erant aliquæ de Gentibus Chananæorum in partibus Tyri & Sidonis, quia prædicante eo, venit quædam mulier de Chananæis, dicens: Miserere mei Domine fili Dauid, quia filia mea male à dæmonio vexatur, Matth. decimo-quinto. Sic etiam dixit Deus ad Iosue, infrā decimotertio, senuisti, & longæus es: terraque latissima derelicta est, quæ needum est forte diuisa. Et post mortem Iosue ista terra relicta est, vt patet Iudicum 3. cap. Sed dicitur cepisse omnem terram, quia maximam terræ Chanaan partem ceperit: si enim conferatur pars terræ capta à Iosue ad nondum captam, maior erit pars capta, & scripturæ modus iste est, vt non semper ponat vniuersalitatem propriæ, sed pro multis locutio fit vniuersalis, licet non possit distribui in quælibet particularia.

D Alio modo potest dici, quod ceperit Iosue omnem terram, scilicet, quæ suprà posita est. Vel potest referri ad immediata, scilicet quod Iosue ceperit omnem terram non simpliciter, sed sicut præcepit Moyses, id est, sicut prædixerat Dominus Moysi. Est autem modus iste, quod Deus promisit se traditurum totam terram Chanaan in potestate Israel, sed dixit quod non traderet eam totam simul, scilicet uno anno, quia latissima erat, & multiplicarentur bestiæ contra Israelitas, qui pauci erant à principio non potentes eam totam replere, sed paulisper, & per partes datus erat eam, vt patet Exodi 23. cap. & Deuteronomij 7. & tunc est sensus, quod Iosue ceperit omnem terram eo modo, quo dixerat Deus Moysi, scilicet non totam simpliciter, sed tantam, quæ sufficiebat ad habitationem Israelitarum. Sed iste sensus aliquiliter est retortus. Etiam non est verus, quia non solum Iosue acquisivit totam terram, quam Israelitæ tunc poterant implice, sed etiam multas vrbes, quas non poterant habitare, & ob hoc multæ ciuitates accipiebantur ab Israelitis, quæ immediate creabantur, vt patet suprà, scilicet omnes ciuitates, quæ erant in plano, & non erant fortiter munitæ. Causa autem quare hoc factum fuerit, ibi declarata est, ideo primus sensus est melior, scilicet quod ceperit omnem terram, id est, magnam partem terræ.

E Sicut locutus est Dominus ad Moysen. Id est, sicut prædixerat Deus, scilicet quod traderet totam terram in potestate Is-

rael, & quod Iosue caperet eam atque diuideret, vt patet Numeri 27. & Deuteronomij tertio, & trigesimo primo, & compleatum est quod prædixerat Deus, sed posteà magis compleatum est.

Et tradidit eam in possessionem filiis Israël. Nō enim cepit, nisi vt traderet eis, & cum accepta est tradita est illis. Fuit autem ista traditio per diuisionem sortiariam: & ponitur per anticipationem, quia in fratre de diuisione agitur à cap. 15. usque ad 20. Tunc enim tradita est illis ad possidendum, quia antequam diuisa esset sorte, licet capta esset, nemo determinatè possidebat pro induiso facta autem diuisione, cui libet prouenit determinata hæreditas.

Secundum partes & tribus suas. Id est, non dedit totam terram omnibus indifferenter possidendum, sed secundum tribus & partes, id est, cui libet tribui data est una pars distinguita à ceteris tribubus. De locis autem, quæ erant in sortibus harum tribuum, & de terminis possessionis cuiuslibet earum habetur in fratre à cap. 15. usque ad 20.

De modo diuisionis terre inter Israelitas. Et diuisio Israelitarum per familias, domos, viros, &c.

Q V E S T I O L X X X I X .

D ICITVR secundum partes & tribus, quod referri potest ad duo: uno modo quod partes accipiātur hic pro ipsis portionibus hæreditatis prouenientibus cui libet tribuum, & dicitur secundum partes & tribus, id est, facta est traditio possessionis secundum partes & tribus, id est, secundum partes assignatas singulis tribubus.

Alio modo quod accipiātur partes pro familiis tribuum: nā Israelitæ sic se habebant, quod omnes descendentes à Iacob habebant unitatem aliquam, generis secundum quod descendebant ab aliquo uno capite, vel trunco: deinde quia tota ista descensio facta est per duodecim filios descendentes immediate à Iacob sortiūt descendentes nomē ab ipsis, anquā à duodecim capitibus immediatioribus: & omnes, qui descendunt à quolibet horum filiorum dicuntur pertinere ad unam tribum, & hoc modo sunt duodecim tribus Israel.

Deinde accipiuntur alia diuisiones specialiores secundum capita cognitionum specialiora, & vocantur istæ speciales cognitiones familie: & sic quilibet tribus continet familias quatuor, vel quinque aut plures, aut pauciores: de omnibus familiis singularium tribuum habetur Numer. 26. singulatim.

Deinde adhuc in familiis sunt alia diuisiones specialiores, & illæ vocantur domus. Non quidem vt domus dicit unitatem cœconomiae habētis sex terminos, scilicet virum, & uxorem, patrem, & filium, dominum, & seruum iuxta Aristotelem 1. Politicorum cap. 2. sed ad hanc congregationem pertinent plures cœconomiae facientes unitatem eorum, qui descendunt ab eodem aucto, vel proaucto. Et isti non vocantur secundum Aristotelem domus sicut vocat sacra Scriptura, sed dicitur communicatio homogalactarum, siue collactaneorum 1. Politic. 1.

Sunt autem homogalactæ descendentes ab eodem gene-re non remoto, & dicuntur ab homos quod est unum, & gala, quod est lac, quasi unius lactis, id est, quia veniunt ex eodem sanguine, & eodem materno lacte nutriti sunt: & vocantur Latinæ collactanei, id est, habentes simultatem in lacte.

F Ultima est diuisio virorum, & non accipiuntur viri pro singulis viris, sed pro singulis cœconomis: & quia quilibet cœconomia habet unum virum, qui est cœconomus, id est, dispensarius, siue paterfamilias, dicitur communicatio unius viri.

Istæ diuisiones siebant inter Israelitas, secundum modum sacræ Scripturæ: & patet manifestè suprà septimo, cūm sorte inuentum est facinus Achan. Et dicitur: Applicuit Iosue Israel per tribus suas, & inuenta est tribus Iuda, cūm iuxta familias esset oblata inuenta est familia Zare, illam quoque per viros offerens reperit Zabdi: cuius domum in singulis diuidens viros reperit Achan. Diuisiones autem communes sunt tribus in familias, & familie in domos. Et

Domus quia continentur.

F

Quidunt homogalactarum.

A sicut quælibet tribus continet multas familias, ita quælibet familia continet multas domos, & quælibet domus multas economias, siue viros. De his etiam Numeri 1. & 2. cap. Hoc dato erit sensus, quod tradidit Iosue totam terram Israëlitum in possessionem secundum tribus, scilicet cuilibet tribui assignando partem suam, & secundum partes, id est, secundum familias, scilicet portionem prouenientem cuilibet tribui diuidendo in multas portions secundum numerum familiarum, & deinde diuidendo portions familiarum in portions domorum quoque proueniretur ad singulas economias.

De his autem diuisionibus sola diuisio facta per tribus descripta est hic ad auctoritatem, ut sacra Scriptura illi diuisioni auctoritatem perhiberet, cuius auctoritas solidissima est: ceteræ autem diuisiones scriptæ sunt pro familijs, & domibus: sed non fuit descriptio illa in sacra scriptura posita, quia magnam diuagationem, & inutilem fieri necesse erat ad tot partitiones, & iste sensus est conuenientior quam primus.

Et quieuit terra à prælijs. Id est, terra Chanaan quieuit à bellis, cum facta est ista diuisio. Nec tamē prorsus quieuit à bellis, quia postea facta sunt alia bella.

Quanto tempore Israëlitæ pugnauerunt, & quando cessauerunt bella, & quomodo diuisa est terra. Et quomodo intelligitur quod tempore Iosue cessatum est à bellis.

B

Q V A E S T I O X C .

Ad huius evidentiam considerandum est, quod terra Chanaan fuit acquisita à Iosue per multa bella, ut dictum fuit: & non tota quidem, quia magna pars relata est, ut patet infra decimotertio. Durauerunt autem bella ad acquisitionem hanc quasi annis septem, ut satis colligitur infra decimoquarto: nam ab ingressu Israëlitarum in terram Chanaan usque ad tempus ipsum transierant quasi septem anni integri, ut ibi declarabitur: & tamen nondum penitus cessauerant bella, nec diuisa fuerat terra, cum tunc Caleb petierit sibi dari H̄bron in possessionem. In hoc autem tempore septem annorum pugnauerunt Israëlitæ quasi continuè: nam cum aliqua bella fecissent, modicum requiescebant, & resumptis viribus, iterum redibant in bellum: cum verò consummasset aliquod bellum, redibant omnes bellatores in Galgalam. Fuit enim status Israëlitarum hoc tempore, quod primo tempore manebant omnes in campo, quasi in expeditione, & fuerunt castra posita in Galgalis, ubi primò castrametati sunt Israëlitæ die qua transierunt Iordanem, ut patet supra 4. & 5. & ibi erat locus conueniens, & pascua pecorum, & ad mansionem totius populi, scilicet mulierum, parvulorum, & senum, cumque ad bellum profici vellet contra aliqua loca manebant castra in Galgalis, & ibi totus populus: soli verò bellatores viri cum duce suo Iosue ibant in pugnam, qua finita reuertebatur in Galgalam ad locum castrorum, ut requiescerent ibi quoque iterum belligerandum foret: sic patet præcedenti cap. ubi dicitur de reuersione in Galgalam, & ante hoc etiam iuerunt in urbem Hay, ut patet supra octauo, & postea regressi sunt in Galgalam. Nam ibi reperierunt eos Gabaonitæ venientes ad Iosue, de quo supra nono: & inde ipsi iuerunt in urbes quatuor Gabaon, ut patet eodem cap. sed post hoc Gabaonitæ redeuntes ad Iosue cum opprimerent à quinque regibus Amoritæ inuenerunt cum rufus in Galgalam, supra decimo. Verisimile fortassis erit, quod postquam Iudei cepissent aliquod de locis terræ Chanaan, in quibus populus vtcumque colligi posset colligeretur ibi, & viri pugnatores irent ad bellum iuxta modum suum, sed tunc loca illa, in quibus morabantur, non pertinebant specialiter ad aliquem, cum postea tota terra sorte diuidenda foret: durauit autem hoc quamdiu Iosue pugnauit contra reges, qui congregati fuerant aduersus eum ad aquas Meron, quod bellum fuit multorum temporum, ut patet supra.

Quo consummato in fine septem annorum incepit Iosue diuidere terram forte: & primo data fuit possessio duabus tribubus & dimidia, scilicet tribui Ruben, & Gad, & di-

midia parti Manasse: & hoc ante transitum Iordanis ad Solis ortum. De modo autem diuisionis, quam partem quælibet trib' acceperit de his duabus, & dimidia, habetur Deuteronomij tertio & quarto, & infra decimotertio. Fuit autem ista diuisio facta per Moysen, ut patet præallegato capitulo, & suprà primo, deinde fuit facta distributio pro tribu Iuda, cui data est magna fors, quia erat magna tribus. De cuius terminis & ciuitatibus infra decimoquinto. Et quia erat fors ista valde magna & tribus Simeon erat parva, fuit recepta in parte fortis huius, & assignata fuerunt ei loca, ut patet infra decimonono. Deinde fuit data alia portio tribui Ephraim, de cuius terminis, & vrbibus infra decimosepto, postea data est alia fors dimidia tribui Manasse, quæ non acceperat possessionem ante transitum Iordanis, & de hac habetur infra decimoseptimo. Manent autem sex tribus sine sortibus, scilicet Benjamin, Nephthali, Aser, Zabulon, Isachar, Dan: & aliquanto tempore post superiores sortes congregatus fuit totus populus in Silo, ubi fixerunt tabernaculum Dei, quod prius erat in castris Galgalæ: & dixit Iosue quod non pigritarent Israëlitæ ad diuisionem sortium suarum. Miserunt autem de singulis tribubus viros, qui considerarent omnia loca, & magnitudinem regionum, & diuidenderat atque descriptum deferrent ad Iosue, cumque factum esset ducta est descriptio in Silo coram Israël, & ibi data sunt sortes super diuisiones terræ factas, & accepit quælibet de sex tribubus residuis sortem unam.

De sorte tribus Benjamin cum omnibus prædictis infra decimooctavo. De sorte autem quinq; tribuum infra decimono, fors aut tribus Simeon ponitur inter eas inf. decimono, sed ista iam dicta est pertinere ad sortem tribus Iuda, in cuius medio suscepta est cognatio Simeon, & tunc incepserunt Israëlitæ habitare singillatim per sortes suas. Et quamquam dicitur hic diuisa est terra per tribus & partes, & quieuit terra à prælijs: tamen prius quieuit terra à prælijs, quam fieret aliqua diuisionum harum. Et dicitur quod quieuit à bellis, quia facta diuisione sortium non pugnauit Iosue ultra contra Chananæorum populos residuos, sed quieuit in senectute sua usque ad mortem: erat enim iam grandævus, ut patet infra decimotertio, scilicet Iosue senex, & prouecta ætatis erat, dixitque Dominus ad eum: senuisti & longæus es, terraque latissima derelicta est, quæ necedum est forte diuisa &c.

Non tamen est sensus quod cessauerit prorsus terra à bellis, quia post mortem Iosue pugnauerunt Israëlitæ sèpè contra Chananæos, & cœperunt ciuitates alias, ut patet Iudicum primo & decimooctavo cap. sed in tempore Iosue nullum prorsus post hoc fuit bellum. Et dicitur cessasse à bellis, scilicet continuè, quia tempore, quo Iosue pugnauit ad capiendam terram Chanaan contra reges suprapositos erant bella continua, & manebat totus populus semper in expeditione quasi nullum officium haberent nisi pugnare: licet aliquando requiescerent ad resumendum spiritus reuertentes in castra in locum Galgalæ, ut suprà dictum est.

Cum verò terra diuisa est, & habitari cœpit ab Israëlitis, licet aliquando bella fuerint, tamen non erant continua, sed vacabat populus alijs operationibus, scilicet agriculturæ, & occupationibus necessarijs ad vitam, ita ut iam ista non vocarentur bella respectu illorum primorum continuorum.

Quando incepit obligare lex Mosaycæ quo ad ceremonialia. Et potissima ceremonia in quo consistebat.

Q V A E S T I O X C I .

CONSIDERANDVM autem circa hoc quod à tempore, quo dicitur hic: & quieuit terra à prælijs, cœpit obligatio legis Mosaycæ, quantum ad ceremonialia: nam quantum ad moralia semper fuit ab orbe condito.

Obligatio iudicialium fuit etiam in deserto à primo die, quo data sunt, de quo latè declaratum est Numer. 15. cap. cærimonialia tamen non obligauerunt usque ad ingressum in terram Chanaan, nec etiam immediate post ingressum, sed postquam data est pax, ut patet Deuteronomij duodecimo, cum dicitur: Non facietis ibi, id est, in terra Chanaan, quæ nos hic hodiè facimus singuli, quod sibi rectum videtur: nondum

A nondum enim venisti usque ad præsens tempus ad requiem & possessionem, quam Dominus Deus datus est vobis: transibitis Iordanem, & habitabitis in terra, quam Dominus datus est vobis, ut requiescatis a cunctis hostibus in circuitu, & absque timore habitetis in loco, quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen eius ibi, illuc omnia quæ conferetis.

B Rationes autem quare non erat iustum cærimonialia obligare ante habitam pacem positæ sunt, Numeri 35. cap. Et fuit propriè ista obligatio non ab eo die, quo data est pax vniuersalis: sed à tempore quo totus Israel congregatus tulit tabernaculum Domini in Silo, & fixit illud ibi, de quo infrà decimoctauo. Quod patet, quia potissima cærimonialia consilicabant in sacrificijs & ritibus sacrificiorum: sed sacrificia non poterant fieri, nisi in loco, quem Dominus elegisset, ut patet 12. & solennitates requirentes sacrificia necessariò sicut festum phase, & oblationē: sicut ipsummet festum aymorum non poterant obseruari nisi in ipso loco, quem Dominus elegisset, ut patet Deuter. decimosexto, sed antequam poneretur tabernaculum in Silo, nondum fuerat locus aliquis electus ad ponendum illud: immò semper erat in castris cum toto populo Isral in Galgalis, vel mouebatur ad ad alia loca, ad quæ totus populus diuertisset: ergo non fuit obligatio cærimonialium usquequid possum est tabernaculum in Silo: & ista est conueniens limitatio, nec calumniabilis.

C A P V T XII.

HI sunt reges, quos percusserunt filii Israël, & possederunt terram eorum trans Iordanem ad Solis ortum, à torrente Arnon usq; ad monte Hermon, & omnem orientalem plagam, quæ respicit solitudinem. Sehon rex Amorhaeorum, qui habitabat in Hesebon, dominatus est ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, & media pars in valle: dimidijs Galaad usq; ad torrentem Ieboc, qui est terminus filiorum Ammon: & à solitudine usq; ad mare Ceneroth contra Orientem, & usq; ad mare deserti, quod est mare salissimum, ad orientalem plagam per viam, quæ dicit Bethsimoth, & ab australi parte, quæ subiacet Aseroth usque Phasga, terminus Og regis Basan, de reliquijs Raphaim, qui habitauit in Astaroth, & in Hedrai, & dominatus est in monte Hermon, & in Salecha, atque vniuersa Basan usque ad terminos Gessuri, & Machati, & dimidia pars Galaad: terminos Sehon regis Esebon. Moys s famulus Domini, & filii Israël percusserunt eos, tradiditq; terram eorum Moyses in possessionem Rubenitis, & Gaditis, & dimidia tribui Manasse.

Videtur in quo statu. **H**I sunt reges. In superioribus posita sunt bella facta tempore Iosue, hic ponitur quidam bellorum epilogus, & hoc ad victoriæ magnitudinem signandam: est enim victoriæ magnitudo, cum quis multos principes & potentes deicerit, quod fuit in victoria Israel de Chananæis: & ad hoc ponitur numerus regum occisorum in captione terra Chanaan. Et hæc in duas, quia primò ponuntur reges occisi à Moysi. Secundò describuntur reges percussi à Iosue ibi. **H**I sunt reges, quos percusserit Iosue.

Reges occisi à Iosue. Et quot reges esse poterant in terra Chanaan, & quantæ fuerit magnitudo regni Asor.

Q V E S T I O I.

CIRCA primum considerandum, quod plures reges occisi sunt tempore Iosue quæ tempore Moysi, non quidem quod sanctior esset Iosue, & ob hoc magis traderentur hostes in manus eius, sed quia Moyses non introiuit in terrā Chanaan ultra Iordanem, ut posset pugnare contra Chana-

næorum reges, sed solùm introiuit in primam partem terra Chanaan, vbi habitabant quidam de Amorrheis: & quia ibi nō habitabant, nisi duo reges Amorrheorum, scilicet Sehon, & Og non potuit alios occidere: mortuus autē fuit Moyses ante transitū Iordanis super verticem Phasga, in transitu montis Nebo, & sepultus fuit in valle terra Moab, ut patet Deut. 34. cui succedit Iosue transiens Iordanem: & iste pugnauit contra Chananæos, occiditq; triginta & vnum reges ex eis: alij autem relicti sunt reges, tamen illi non fuerunt traditi Israelitis tempore Iosue, quia Deus noluit, ut patet sequen. cap.

Hi sunt reges, quos percusserunt filii Israël. Scilicet omnes infra positi immediate: secūs de alijs. Ethic non agitur de omnibus tam occisis in ducatu Iosue, licet omnes occisi sint à filiis Israël.

Et sciéduum quod isti reges non erant magni reges, sicut nunc sunt obtinentes regna magna, & prouincias, sed quilibet Dominus vnius vrbis magnæ erat rex. Nam in tota terra Chanaan, quæ occupata fuit ab Israelitis: erant triginta tres reges, scilicet duo reges ante Iordanem, & triginta & vnum post transitum Iordanis, ut patet hic: & adhuc restabant alij reges in terra Chanaan, quorum terram non acceperat Israélita in possessionem. Nam sola terra Philistinorum, quæ erat quædam pars terræ relicta, diuidebatur in quinque reges, ut patet seq. cap. scilicet Gazeos, Azotios, Gethæos, Acharonitas, Aschalonitas. Et hoc quia ciuitates terra Philisthij erant quinque principales, i.e. Regum 6. essent fortè in tota terra Chanaan plures quæ sexaginta reges: tota tamen terra triginta trium regum possessa est à Iudeis, & tamen vnum rex erat omniū ipsorum, nec tamen erat magnus rex valde: & ipsa tota terra possessa à Iudeis non est magna quantitatis, quamquam erat satis populosæ tempore suo: vnde magis isti reguli, quam reges appellatur: sic dicitur infra de regibus terra Philistinorum, quod in quinque regulos diuiditur, seq. cap. & sic dicitur Ioan. 4. quod erat quidam regulus in Capharnaū, cuius filius infirmabatur. Inter hos tamen reges maioris potentia, & maioris terræ erant rex Og, & Sehon habitantes ante transitum Iordanis quæ ceteri. Quod patet, quia in terra illorum duorum regum recepta est multitudo duarum tribuum, & dimidiæ sufficienter: scilicet Ruben, & Gad, & medietas Manasse, ut patet Deut. 3. & hic. In terra autem regum triginta & vnum, de quibus hic, solum habitauerunt nouem tribus, & dimidia: & adhuc quedam tribus harum non habebant sufficiētem locum manendi, sicut fuit de tribu Ephraim infra cap. 17.

Sed huius fortè est causa, quia rex Sehon, qui erat in montibus occupauit magnam partem regni Moab. Nam & ipsa ciuitas Hesebon, quæ erat metropolis regni Sehon, fuerat regni Moab cum magna alia parte, de qua Numeri 21. & postea rex Moab petebat loca illa ab Israelitis indicens cis bella, nisi restituuerent loca: de quibus est pulchra responsio iuridica Iepte Galaditæ iudicis Israël: & postea ex hac causa nolente Israël restituere bella facta sunt, de quo Iudicum 11. cap.

De regno Asor, in quo dominabatur Iabin etiam dicendum est, quod erat magna potentia: quia nongentos currus falcatos habebat, quod designabat valde magnam potentiam: de quo Iudic. 4. sed ista tanta potentia non erat de solo regno Asor, sed de alijs vicinis regnis: & magnitudo regni Asor nō erat in latitudine regionis aut pluralitate vrbium, sed in magnitudine auctoritatis, & iurisdictionis: alijs enim regnis vicinis ius dicebat, & tenebantur ei ad quedam tributa, de quo præcedenti cap. dicitur. Asor inter omnia regna hæc antiquitus principatum tenebat: & quod non erant omnia regna de magnitudine regni eius, sed omnia tenebantur regi Asor ad aliquam subiectionem: ideo nō videtur quod regnum Asor esset tantum in latitudine regionis & pluralitate locorum, sicut aliquod de duabus regnis regum Amorrhœorum comorantium ante Iordanem ad Solis ortum, scilicet Sehon, & Og.

Quos percusserunt filii Israël. Occidentes eos in bello. Nam licet in pugna quibusdam nationibus nefas videatur reges occidere, si capi possint: Iudei tamen occidebant illos, quia præceptum erat illis, quod omnes occiderent, & non poterant quempiam eorum interposito aliquo pacto seruitutis, vel tributi vitæ donare, qā obligabatur occidere omnes tam

A viros quām foeminas, magnos & paruulos, Deute. 20. & quia Saul reliquit viuentem regem Amalechitarum Agag, de quibus iussit Deus, quod delerent eos, incurrit iram Domini, quod Samuel vidēs, irruit in Agag regem, & trucidauit eum coram Saule, I. Regum cap. 15. Et ob hoc Iosue in omnibus bellis reges occidebat, quin potius sāpē quodam alio in honestiori genere mortis eos cruciabat, sicut fuit in rege vrbis Hay. Nam cūm cæterum populum eius gladio occidisset: regem ipsum patibulo appendit in introitu vrbis suæ, supr. 8. Identidem, & quinq; reges Amorrhæorum, qui conuenerat in pugnam contra Gabaon, quando sol stetit: postea fugiētes atq; latentes in spelunca vrbis Macea reperit Iosue atq; affixit patibulo, prius faciens calcari colla eorum à principibus Israeli supr. 10. Eodem modo filij Israël post mortem Iosue, cūm pugnassent cōtra Adonibezech, qui erat in Bezech, abscederunt summitates manū & pedum eius, qui postea mortuus est in Ierusalem, sed hoc merito ei prouenerat, quia 70. reges comedebant panem sub mensa eius amputatis summatis manuum, & pedum, Iudic. I.

*Ad qd
pugna-
bāt Is-
raelita.
contra
Chana-
neos.*

B *Et possederunt terram eorum.* Ad hoc principaliter pugnabāt Israelitæ, vt terra Chananæorum in iura eorum cederet, quia eis promissa erat ad habitandum: eam tamen obtinere non poterant, nisi excluderent Chananæos atque occiderent. Et dato quod Israélitæ potuissent accipere terram Chanaan non occiso aliquo Chananæo, vt si Chananæi vellent libenter cedere, ita vt daretur eis vita, & relinquenter terram, non licebat Iudeis, quia tenebātur eos occidere. Hoc autem pactum inire nō poterant, immò ejcere cogebātur gentes extra terram Chanaan, cūm ex aliqua causa contra eas pugnarent, Deuter. 20. Etiam non cōueniebat Israelitis, quia dato quod abire permetterent Chananæos, illi rursus confirmati auxilio confinium gentium irruerent in Iudeis, atque molestarent bellis & occiderent. Nec rursus licebat Iudeis initio pacis scedere relinquere aliquos de Chananæis in terra, quam habituri erant posita conditione de tributo soluendo: immò si aliquos dimitterent, essent Iudeis tanquām clavi in oculis, & lanceæ in lateribus, & quod Deus cogitauerat facere Chananæis, faceret Iudeis, Numer. 33. Et dij Gentilium essent eis causa ruinæ, Iudic. 2. cap. Ideo omnino tenebantur exclude-re occidendo omnes Chananæos de terra: neminem vitæ donando.

*Situs
terræ
Chana-
neorū*

C *Trans Iordanem ad Solis ortū.* Determinatur situs terræ possesse acceptæ de manu regum horum, scilicet quod erat ante transitum Iordanis ad orientalem partem eius, & hoc quia isti duo reges dicti sunt solum, quos occiderunt Israélitæ tempore ducatus Moysi: horum autem terra ante transitum Iordanis erat, vt patet Numer. 32. cap. Et cūm dicatur trans Iordanem additur ista determinatio ad Solisortū, quia esse trans Iordanem indifferens est, cūm enim trans dicatur relativè, illi, qui sunt ad vnam partem Iordanis dicent alios, qui ex alia parte manent, esse trans Iordanem, & hi è contrario dicent alios esse trans Iordanem, cūm non sit aliqua ratio determinationis, quare pro vna parte dicatur trās, & pro alia non, cūm fluuius nō habeat naturaliter determinatas denominations sit, scilicet ante, & retrò, sursum, & deorsum, sicut est in animali, vel in mūdo propter alias virtutes, que apparent in partibus. De hoc magis dictum est Nume. 3. cap. ideo de habitantibus apud Iordanem ad partem orientalem eius, dicitur aliquando quod sunt trans Iordanem, vt patet suprā primo, & Nume. 32. quia dixerunt duæ tribus, & dimidia se habere possessionem suam trans Iordanem ad orientalem partem eius. Rursus in eodem capitulo accipitur trans Iordanem pro habitantibus ad occidētalem partem, vbi manebant nouem tribus, & dimidia, & sic dixerunt duæ tribus, & dimidia, postquām possessionem suam accepissent. Nec quidquam quærimus trans Iordanem, quia iam habemus possessionem nostram in orientali eius plaga. Et ibi necessariò accipitur, trans, pro parte occidentali, alias falsum esset, quia ipsi nihil quererent trans Iordanem, cūm contrarium expresserint, dicentes, scilicet quia iam habemus possessionem nostram in orientali plaga eius, & quia dubitaretur quam habitudinem dicebat ista dictio trans, adiungitur alia determinatio situs, scilicet ad partem orientalem & occidentalem, sicut patet suprā 5. cap. cūm dicitur: Postquām audierunt reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad oc-

D

identalē plagam, & tunc necessariò datur intelligi terra illa, in qua habitauerunt duæ tribus & dimidia. Aliquando ponitur determinatio ad orientalem partem, sicut hic, & tunc indubitanter accipitur solum pro terra duarum tribuum, & dimidiæ, quæ fuit Sehon regis, & Og.

Ad Solis ortum.

Terra orientalis quare sic vocetur in terra Chanaan. Et an sit simpliciter aliqua terra orientalis. Et situs India & Paradisi terrestris.

Q V A S T I O II.

NON quod esset in terra orientali hoc, vt apud Indiam, sed denotat positionem: nam quilibet locus, qui propinquior est terræ orientali, vocatur orientalis respectu alterius loci, qui non est ita propinquus, ideo in ipsa extremitate occidentalis plagæ adhuc aliquid vocatur orientale respectu alterius: simpliciter autem nulla terra est oriens, cūm dicatur orientalis terra, quia est apud locum ortus Solis: nullus tamē locus determinatus est in celo, vbi fiat ortus Solis, sed quilibet horizon habet suum ortum, & occasum, ita vt nullus punctus sit in toto circulo Solis, qui nō sit Oriens, & Occidens, quia in eo Sol existens alicui terræ oritur, & alicui terræ oscumbit: nos tamen vocamus terram aliquam orientalem simpliciter, quia est ad vnam extremitatem orbis per longitudinem, & ultra illam procedendo nullam aliam habitatam reperimus regionem ab ea parte, qua Sol contra nos venit: huiusmodi est India, quæ est in toto orbe extrema prouincia procedendo versus ortum Solis. Nam licet Paradisus terrestris vltior sit versus caput orientis, cūm Ganges, qui est vnum de quatuor fluminibus ortis de fonte Paradisi intret per frontem orientalem Indiæ: tamen non computatur inter terras habitatas, quia nulli nostrum peruenire illuc datur: hic autem accipitur ad ortum Solis, id est, versus partem orientalem, quia pars illa, quæ est trans Iordanem possessa à duabus tribubus, & dimidia est magis accedens ad Orientem, quām terra trās Iordanem, in qua sunt tribus nouē & dimidia, quia in ordine longitudinis mundi distinguuntur istæ duæ partes Iordane intermedio.

F

*Arnon
gdsit*

A torrente Arnon vsque ad montem Hermon. Hic ponuntur terræ acceptæ à Iudeis, & victoriā habitam de duobus regibus Amorrhæis: & ponitur primò tota terra duorum regum cum terminis suis: deinde ponitur terra cuiuslibet horum duorum regum per se, ibi. Sehon Rex. Primò dicitur, quod terra habita per mortem horum duorum regum fuit à torrente Arnon vsque ad montem Hermon. Torrens Arnon est terminus orientalis terræ huius. Mons Hermon, scilicet extremitas montis huius est terminus occidentalis terræ horum duorum regum, & ponuntur etiam isti termini, Deute. 3. & sequenti cap. atque infrā 17. est autem Arnon scopolus altissimus, vel magis est ciuitas posita in altissimo, & apud eam fluit torrens magnus dividens terram Moabitum, & Amorrhæorum. De hoc Numeri 21. dicitur: siquidem Arnon terminus Moab dividens Moabitas, & Amorrhæos. Et sunt duo termini, scilicet Arnon & Aroer, vnuis est terminus intra terram Amorrhæorum. Et aliis intra terrā Moabitum. Arnon est intra terrā Amorrhæorum, vt dicitur Nume. 21. cap. scilicet Arnon prominet in finibus Amorrhæi. Aroer autem est in terra Moabitum, vt quidam dicunt.

*Aroer,
quām
ciuitas
sit.*

Sed falsum est, quia Aroer est ciuitas in terra Sehon regis, & in ea habitauerunt filii Gad, vt patet Nume. 32. cūm dicitur, igitur struxerunt filii Gad Dibon, & Astaroth, & Aroer, &c, & quia ambo sunt termini, aliquando terra ista dicitur terminata à torrente Arnon, vt patet hic, & aliquando ab Aroer, vt patet Deuteronom. 2. & sicut Iordanis est orientalis frons terræ nouem tribuum, & dimidiæ, ita torrens Arnon. Vtterius est terminus orientalis terræ duarum tribuum, & dimidiæ: vnde cūm Israélitæ venientes de solitudine per partem orientalem ingressuri essent terram regum Amorrhæorum, & Moabitum, ingressi sunt in urbem Arnon Moabitum, quæ est coniuncta torrenti Arnon, vt patet Deute. 2. & inde voluerunt intrare apud urbem Arnon terræ Amorrhæorum, vbi in scopolis latuerunt Amorrhæi, vt transentes Iudeos incautos occiderent, sed Deus fecit, quod scoluli altissimi, qui ex vtraque parte strictæ via prominebant incli-

intermedium duorum laterum, Septentrionis, scilicet, & Austr.

A inclinarentur, & coniungerentur ad opprimendum Amorrhæos, qui medij latuerunt, quo factò transierunt Iudæi. De hoc Num. 21.c. Terminus Occidentalis terræ huius est mons Hermon, qui non ponitur in transuersum tanquam claudēs latus Occidentale terra horum duorum Regum, sed est vna pars eius tangens terram horum duorum Regum in parte Occidentali, magis est enim Iordanis terminus Occidentalis, cùm ponatur terminus Orientalis terræ nouem tribuum & dimidiæ, Numer. 34. & tamen istæ duæ terræ sunt immediatè sibi inuicem, & iste fluuius claudit in transuersum. Nam descendit de radicibus montis Libani à parte Septentrionali, versus Meridianum, vt declaratum est suprà tertio capitulo. Mons autem Hermon descendit à Septentrione in Meridiem, ita vt possit esse proprius terminus Occidentalis claudens tanquam latus terræ illius, sed peruenit longitudine eius ad Occidentem versus. Est enim Hermon apud montem Libanum, & est in Septentrionali parte terræ nouem tribuum, & dimidiæ, vt patet præcedenti cap. cùm dicatur plurimi de regibus, contra quos ibi pugnauit Iosue, habitabant ad radices montis Hermon, & iste mons prouenit usque ad mare Occidentale terræ Chanaan, ubi est extremitas sua Occidentalis. Porrigitur autem in Orientem per totum latus Septentrionale terræ Chanaan nouem tribuum, & dimidiæ, & extremitas sua Orientalis est, ubi incipit terra duorum Regum Amorrhæorum. Et sic mons Hermon est terminus Occidentalis terræ huius duorum Regum in extremitate sua Orientalis, sicut est de duobus regnis habentibus se secundum distantiam longitudinis ab Oriente in Occidentem, qd id quod est extremitas Occidentalis vnius, est extremitas Orientalis alterius, & è contrario. Iste mons Hermon variè nuncupatur. Nam quidam eum Hermon vocant, sicut apud Hebreos vocatur: alij verò vocant eum Sarion, scil. Sidonij: Amorrhæi vocant eum Sanir, vt patet Deut. 3.

B *Et omnem Orientalem plagam, quæ respicit solitudinem. Iste etiā sunt termini duorum regum Amorrhæorum, & sunt ab Oriente in Occidentem, sed descripti fuerunt hic termini ab Oriente in Occidentem per latus Septentrionale, nunc describuntur per reliquias partes: nam Arnon in Orientali plaga est terra duorum regum Amorrhæorum, & Hermon est in parte Occidentali, sed solum tangit in Occidente, ubi est contactus Occidentis & Septentrionis, reliqua autem pars Occidentalis, quæ declinat versus austrum, non habet terminum in Hermon, sed magis in Iordanem: ideo dicitur: Et omnem Orientalem plagam. Non quidem terra duorum regum Amorrhæorum, quia tunc modicum acciperetur de terra illa dicendo omnem Orientalem plagam.*

C Item quia videretur ex hoc, quod ultra torrentem Arnon esset aliquid de Orientali parte terre duorum regum Amorrhæorum, sed falsum est, quia ibi est principium Orientale terræ illius, cùm inceperint ibi Israëlitæ ingredi in terram Amorrhæorum, Num. 21.c. sed dicitur: omnem Orientalem plagam, quæ respicit solitudinem, id est totam terram Orientalem respectu terræ nouem tribuum, & dimidiæ: nam istæ duæ terræ contingunt se in extremitatibus suis Iordanem intermedio, & terra duorum Regum est plaga Orientalis ad totam terram nouem tribuum, & dimidiæ, ita vt dici possit Orientalis plaga terræ ipsius, quia cùm tota ista terra esset eiusdem gentis, computatur in una, vt in ea illa pars, quæ est ultra Iordanem, in qua manet duæ tribus & dimidia est Orientalis ad reliquam terram, & dicitur Orientalis, quæ respicit solitudinem, id est desertum, quia ista terra Amorrhæorum terminatur ad partem Orientalem in deserto. Nam torrens Arnon, & ipsa ciuitas Arnon, atque Aroer sunt in parte Orientali terra huius. Et ultra loca ista versus Orientem non erat immediate regnum gentis alicuius, sed solitudo magna, quæ erat Arabica, & per eam veniebant Iudæi quoque introierunt in ciuitatem Ar Moabitum, vt patet Deut. 2. & in terminos Arnon, Num. 21.cap. Et est sensus, quod non solum erat terra duorum Regum ab Arnon usque montem Hermon, quod est computare ab Oriente in Occidentem per latus Septentrionale, sed etiam tota plaga Orientalis, quæ erat respiciens solinem, id est tota terra interiacens Iordanem, & solitudini habendo Iordanem ab Occidente, & solitudinem ab Oriente, & ista est terra duorum regum Amorrhæorum computando ab Oriente in Occidentem per latus Meridianum, vel per

Et non accipitur hic solitudo pro deserto Sin, quod ponitur terminus Meridianus terræ Chanaan in tribus nouem & dimidiæ, de quo Num. 34. nam ista solitudo nullo modo contingit terram duorum regum Amorrhæorum: non quidem ab Oriente, cùm sit latus Meridianum terræ nouem tribuum, & dimidiæ, quæ est Occidentalis respectu prædictæ terræ: nō est etiam Occidentalis huic terræ duorum Regum solitudo illa, quæ est frons Orientis terræ nouem tribuum, & frons Occidētis duorum regum Amorrhæorum, siue duarum tribuum, & dimidiæ: solitudo tamen Sin est latus Meridianum terræ nouem tribuum, & dimidiæ, Num. 34. ergo non est latus Occidentale terræ duorum regum Amorrhæorum: solum enim posset contingere in latere Meridianio, si vllatenus contingret, ita vt latus Meridianum terræ tribuum nouem, & dimidiæ extenderetur versus Orientem, & esset etiam latus Meridianum terræ duorum regum Amorrhæorum, cùm terra istæ continua fint.

Sed hoc non stat, quia latus Meridianum terræ duorum regum Amorrhæorum, est terra Moabitum, & non tangitur in latere illo ab illa solitudine, quod patet, quia terra Moabitum & duorum regum Amorrhæorum in Oriente simul incipit, cùm Arnon torrens diuidat inter utramque. Per eam intrauerunt Iudæi venientes de parte Orientali solitudinis. De quo Deut. 2. cap. Vrbs Arnon est prima in terra Amorrhæorum regum, & illa est in confinio Moabitum, vt patet Num. 21. ergo duæ frontes Orientales horum regnum sunt simul ad partem Orientalem. Deinde porrigitur terra Moab versus Occidentem, & terra duorum regum Amorrhæorum, & ultra terminatur in Iordanem. Quod patet, quia cùm Israëlitæ essent apud Iordanem in campis tribus Moab, & posse in planioribus locis terra Moab magis appropinquantes Iordanem, vt patet Numer. 33. cap. & sic patet frontes Orientales terræ Moab, & duorum regum Amorrhæorum esse simul, & frontes Occidētis etiā esse simul, scilicet in Iordanem, quod istæ duæ terræ coextenduntur se tangentes in lateribus, sed terra Moab est magis Meridiana, quam terra duorum regum Amorrhæorum, vt satis appareat ex terminis Occidentalibus, quia terminus Occidētis terræ duorum regum Amorrhæorum est in monte Hermon, qui est latus Septentrionale terræ nouem tribuum, & dimidiæ, & terra Moab habet Occidentem suum apud Iordanem ad vada eius, & hoc est magis ad partem Meridianam, cùm Iordanis fluat de Libano versus Meridiem ad mare mortuum, quod est in valle Sodomorum, vt colligitur suprà 3. & ex dictis ibidem patet, & Sodoma est ad partem Meridianam terræ Chanaan, cùm mare in quo erat Sodoma, vocetur mare solitudinis, vt patet suprà tertio, id est quia est iuxta desertū Sin, quod est in latere Meridianio terræ Chanaan, vt patet Num. 34. terra ergo Moab est magis Meridiana quam terra duorum regum Amorrhæorum, quod satis etiam patet in libro nostro de descriptione terræ Sanctæ: sed terra Moab, & duorum regum Amorrhæorum coextenduntur simul à fronte Orientali usque ad Occidentalem simul inchoantes, & simul desinentes, ergo non potest solitudo aliqua tangere terram duorum regum in latere Meridianio, sed solitudo ista, quæ accipitur hic, est in latere Orientali ante urbem Arnon, per quā veniebant Iudæi, cùm introierunt terram duorum regum Amorrhæorum.

F *Sehon rex Amorrhæorum. Hic ponitur determinatè de limitibus terrarum istorum duorum regum Sehon, & Og, per quæ distinguebatur terra regis vnius à terra alterius. Et primò dicitur de rege Sehon, qui erat magis Orientalis, cùm perueniret regnum eius usq; ad Arnon, quæ erat cōiuncta deserto in extremitate Orientali totius illius terræ. Et vocatur rex Amorrhæorum Sehon: non quod ipse fuerit rex omnium Amorrhæorum, quia etiam Og erat rex Amorrhæorum, cùm vocentur isti duo reges Amorrhæi, vt patet suprà 2. & Deut. 3. etiam præter istos erant alij reges Amorrhæi à parte Iordanis Occidentali, vt patet suprà 5. cùm dicitur: Postquam audierunt cuncti reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad Occidentalem plagam, &c. quælibet enim gens harum septem habebat multos reges. Qui habitauit in Hesbon.*

Hesebon, quanam ciuitas sit, & eius situs. Similiter & Arnon.

Q V E S T I O III.

ISTA fuit ciuitas metropolis in terra regis Sehon, & non pertinebat ad terram Amorrhæorum, sed ad Moabitam: Sehon tamen rex eam cum magna alia parte terræ Moab cepit, vt patet Num. 21. & ibi ponuntur carmina proverbia temporis illius de captione urbis Hesebon ab Amorrhœis. Et quia ciuitas ista præcipua erat in tota terra regis Sehon, habitabat ibi principaliter, sicut rex Og habitabat in Astaroth, vt patet Num. 21. & Deut. 3. atque hic.

Dominatus est ab Aroer. Hic ponitur terminus regis Sehon ab Oriente. Nam sicut Arnon ponitur ab Oriente, ita & Aroer est ciuitas Ar. De Aroer quidam dicunt esse in terra Moab, alij autem in terra Sehon Amorrhœi. Sed non multum constat de alterutro, nec multum refert: tam secundum veritatem est in terra Amorrhæorum, vt patet Num. 32. quia in ea habitauerunt filii Gad: nam quomodo cunque ponatur necesse est esse Aroer in terminis regni Sehon, & Moab ad diuidendum: sed magis dicitur pertinere ad Amorrhæos, quam ad Moabitam: est autem Aroer ciuitas in ripa torrentis Arnon, & ipse torrens magis diuidit quam aliquis locorum, scilicet Arnon, & Aroer, quia torrens Arnon erat aliquid communis utriusque regno, cum medietas eius pertineret ad Moabitam, & medietas ad Amorrhæos. Arnon autem & Aroer est ciuitas Ar, quanquam essent in finibus regnum, non erant communes, sed pertinebant ad aliquod determinatum in regnis.

Quæ sita est super ripam torrentis Arnon. Ideo ista ciuitas est terminus Orientalis terræ Sehon regis, quia est sita super ripam torrentis Arnon, qui est in parte Orientali diuidens inter Moabitam & Amorrhæos. An tamen sit sita super ripa torrentis illius ex parte regni Moab, vel ex parte regni Amorrhæorum, non patet, sed magis videtur ex parte regni Amorrhæorum. De hoc Deut. 2. & 3. & seq. c. Sciendū de torrente Arnon, quod ipse est fluvius nominatus Arnon, sed istud nomen prouenit ei ex ciuitate quadam, quæ est apud illum in finibus Amorrhœi, de qua dicitur Num. 21. quod Arnon prominet in finibus Amorrhœi.

Et medio partis in valle. Hic ponitur terminus præcisus dominij regis Sehon. Dictum fuit, quod dominatus est ab Aroer, quæ est sita super ripam Arnon, id est apud ripam, credet aliquid, quod nihil magis haberet Sehon ultra Aroer. Et respondeatur, quod etiam dominatus est media partis in valle, id est, habuit in dominio suo medianam partem vallis: est sensus, quod fluvius Arnon erat in quadam valle secundum conditionem aquarum, quæ non possunt esse nisi in locis humilioribus, cum aqua non sit terminabilis termino proprio, sed termino alieno, quia non est solida, & tamen est grauis. Illius autem vallis medietas pertinebat ad regnum Moabitum, & medietas ad regnum Amorrhæorum, quas partes distinguerebat fluxus aquarum: ipsa etiam aqua ex media parte possessa est a Sehon rege, quia quando cunque flumina diuidunt agros, sunt communia, quia quilibet habet partem eorum de conterminantibus, dicitur quilibet habere medium rei. Et ita erat, quod medium fluminis, quod erat in valle pertinebat ad Moab, & medium pertinebat ad regem Sehon. Patet etiam iste sensus Deut. 3. cum dicitur: Machir quoque dedi terram Galaad usque ad torrentem Arnon medium torrentis, & finit usque ad torrentem Iaboth.

Dimidijs Galaad. Est Galaad propriè mons, & aliquando accipitur pro terra. Est enim Galaad quidam mons ante Iordanem ad partem Orientalem eius, in quo Laban & Jacob inierunt foedus: nam cum Jacob occulte duxisset duas uxores suas filias Laban, & cuncta quæ possidebat de Mesopotamia: cognito hoc Laban persecutus est eum, & comprehendit in monte illo: ubi eum occidisset, nisi apparuisset ei Dominus nocte præcedenti, iubens ne quidquam mali inferret Jacob: ibi autem facientes conuiuum inierunt pactum. Et quia nullus erat testis huius rei, fecerunt in signum quandam acerum lapidum, quem quasi in testem poluerunt, & ob hoc vocauit vterque montem illum secundum proprietatem linguæ

Caput XII.

suæ: Iacob enim secundum linguam Hebraicam vocauit illud Galaad, id est acerum testimonij. Laban autem vocauit illud cumulum testis, secundum linguam Syriacam. De hoc Genes. 31. cap. Et quamquam à principio Galaad solum motum illum signauerit: tamen postea tota terra adiacens utrumque vocata est terra Galaad, & est satis magna terra. De hoc Deut. 3. scilicet: Omnes ciuitates, quæ sita sunt in planicie, & vniuersam terram Galaad: si tamen terra Galaad in cedetas pertinebat ad regem Sehon Amorrhæorum.

An medietas Galaad pertineret ad regem Og, vel ad Moabitam.

Q V E S T I O IIII.

DE reliqua medietate Galaad aliquis dubitat ad quæ pertineret, scilicet ad regem Og Amorrhæorum, vel ad Moabitam, qui erant contermini regi Sehon.

Pro quo sciendum, quod cum tota terra adiacens monti Galaad utrumque vocetur terra Galaad, diuiditur terra Galaad in duas medietates per ipsum montem Galaad, quia tota terra adiacens ex una parte eius vocatur medietas Galaad, tota autem terra adiacens ex altera parte vocatur alia medietas Galaad: una medietas harum pertinebat ad regem Sehon, reliqua autem ad regem Og, vt patet Deut. 3. scilicet: tulimus in tempore illo terram duorum regum Amorrhæorum. & sequitur: Omnes ciuitates, quæ sita sunt in planicie, & vniuersam terram Galaad: si tamen aliqua pars terræ pertineret ad Moabitam, illam non acquisiuerint Israëlitæ, quia de terra Moab, Ammon, & Idumeæ, quæ erant apud terram Chanaan iussit Dominus Israëlitis, vt nihil caperent, nec committerent bellum contra eos, quia non erat eis de illa datus, nec pedis vestigium, vt patet Deut. 2. cap. sed acceperunt totam Galaad, quarum medietas pertinebat ad regem Sehon, ergo reliqua medietas pertinebat ad regem Og.

Item patet hoc magis, quia dicitur Deut. 3. quod medietas terræ Galaad data est tribu Ruben, & Gad, reliqua autem medietas data est dimidijs tribui Manasse. Quod etiam pertinet alia medietas ad regem Og, patet eod. c. cum dicitur: Reliqua autem Galaad, & omnem Basan Og, tradidi media tribui Manasse.

Item patet in litera, cum dicitur quod Og dominatus est in monte Hermon, atque vniuersa Basan usque ad terminos Gessuri, & Machati, & dimidijs partis Galaad. *Vsg, ad torrentem Iaboth.* Iste torrens est, ubi Jacob luctatus est cum Angelo, vt patet Gen. 32. & non multum distat a Iordanem & monte Galaad: a Iordanem enim duobus milliaribus distat, vt patet in libro de descriptione terræ Sanctæ: est autem iste torrens Iaboth in terminis terræ Ammon, vt patet Deuteronomij secundo, scilicet absque terra filiorum Ammon, ad quam nos accessimus, & cunctis, quæ adiacent torrenti Iaboth: unde Iaboth est circa Iordanem, vel est circa partem Septentrionalis, vel saltem venit de illa: nam terra duorum regum Amorrhæorum coniungitur terræ Moabitum in latere Meridiano. Ammonitis autem coniungitur ex alio latere, scilicet Septentrionali. De isto torrente quidam dicunt, quod fuit mutatum nomen eius, quia prius vocabatur torrens, deinde quod apud eum angelus cum Jacob luctabatur, vocabatur torrens Jacob.

Qui est terminus filiorum Ammon. Eis est terminus a latere Meridiano, & terræ regis Sehon est terminus a latere Septentrionali, quia est medius in utramque terram, sicut si columnæ aliqua fuerit inter duos habentes se lateraliter, si vni fuerit dextra, alteri erit sinistra necessariò, si facies ad eandem partem conuerterint.

Et a solitudine vsg, ad mare Cenereth. Hic accipitur solitudo aliter, quam supra, quia ponitur terminus Occidentalis terræ regis Sehon: ipsa enim magnam habet longitudinem, scilicet ab Aroer usque ad montem Hermon, qui est ab Oriente ad Occidentem per latus Septentrionale: per latus autem Meridianum non est tanta longitudine regni huius, quia regnum Og regis interponitur ante Iordanem. Hic autem cum dicitur a solitudine, ponitur terminus Occidentalis in transuerso, & incipit a solitudine, & finit in mari falsissimo. Solitudo enim est, ubi latus Occidentale regni Og

B

C

Gala-
ad qd
fit.

D

E

*Vbi la-
cob est
luctau-
cum an-
gelo.
Situs
Iaboth.*

F

con-

coniungitur lateri Occidentali, & non est ista solitudo, quæ prius accipiebatur, quia illa erat ad partem Orientalem terræ huius apud Arnon, & Aroer in ingressu regni Amorrhœorū, & Moabitarum, nec potest hic accipi pro solitudine, quæ est desertum Sin, quia ista est ultra mare falsissimum, de quo infra dicitur: computatio tamen, quæ hic habetur, finitur in mari falsissimo, quia ibi est coniunctio lateris Meridiani, & Occidentalis terræ huius.

Vñque ad mare Cenereth. Istud est in latere Occidentali terræ duorum regum Amorrhœorum: est tamen contra Orientem terræ nouem tribuum & dimidiæ, quia sunt iste due terræ coniunctæ secundum longitudinem, ideo necesse est, ut Occidens vnius sit Oriens alterius, & vocatur mare Cenereth, quod alio nomine vocatur à B. Matthæo mare Genesareth, vel stagnum Genesareth, & vocatur mare Galileæ, & mare Tyberiadis, quod idem est, vt patet Ioan. 6. ca. Sæpe autem Christus apud istud mare prædicauit, & in hoc mari fuit, cùm dormiebat super cervical nauis, & insurrexit tempestas, dixeruntque ei discipuli: Domine salua nos, perimus. Matth. 8. & in hoc apparuit in quarta vigilia noctis, cùm visus est discipulis esse phantasma, & dixit Petrus: Domine si tu es iube me venire ad te super aquas, Matth. 14. Vocatur autem istud mare Cenereth à quadam villa, quæ est apud eum dicta Cenereth, & postea tempore Saluatoris vocata est Tyberias ab Imperatore Tyberio, qui in iuuentute sua ibi conuersatus est, sub quo mortuus est Saluator anno 18. eius. Nam anno 15. illius imperij Ioannes cœpit prædicare baptismum pœnitentia, vt patet Luc. 3. & tunc baptizatus est Christus, vt in eodem capitulo, atque prædicare cœpit, cuius prædicatio duravit per tres annos nondum completos, vt plurimorum opinio est. Alij verò dicunt per tres & dimidium non compleatum, sed quidquid sit in 18. anno Tyberij mortuus est, vel quasi, & istud nomen Tyberiadis missit communiter ciuitati & mari. De hoc mari Cenereth dictum est præcedenti capitulo, & magis suprà 3. *Cōtra Orientem.* Non est sensus, quod mare Cenereth sit ad Oriētem terræ duorum regum Amorrhœorum, vel terræ regis Sehon, quia Aroer est in Oriente illius. Mare autem Cenereth est ad Occidentem terræ huius, vbi coniungitur terra illa terræ nouem tribuum, & dimidiæ, sed vocatur contra Orientem, id est contra Orientem totius terræ Iudeorum. Nam accipiendo esse eandem terram omnium tribuum duodecim, erit mare Cenereth non in Oriente eius, sed contra Orientem. Nam in Oriente erit Arnon, & Aroer, cùm nihil ultra sit: sed mare Cenereth est contra Orientem, quia magis appropinquat ad Orientem terræ illius, quam ad Occidentem. Vel dicitur infra Orientem respectu terræ nouem tribuum, & dimidiæ, & tunc verum est, quod non solum ad Orientem, sed etiam in Oriente sit, quia ipsum mare Cenereth est in extremitate terræ nouem tribuum ad partem Orientalem, Num. 34. c. & hoc in coniunctione lateris Orientalis ad Septentrionale.

Et vñq. ad mare deserti. Istud est mare Sodomorum, quod vocatur mare deserti, quia est apud desertum Sin: nam vallis, vbi erat Sodoma cum alijs ciuitatibus quatuor miserabilibus, erat valde delectabilis, & irrigabatur Iordan: erat sicut Paradisus Domini ingrediéibus ex Ægypto antequam subuerteretur, Gen. 13. cap. postea verò cuersa est, & facta est mare, & transit per eam Iordanis, sicut prius, atque stagnatur ibi. Et quia est in coniunctione lateris Orientalis, & Meridiani terræ Chanaan, est coniuncta deserto Sin, in quo latus Meridianum coniungitur Orientali, Num. 34. cùm dicitur: pars verò Meridiana a solitudine Sin incipiet, & dicitur ibi incipere pars Meridiana, quia ibi terminatur latus illud Meridianum, & coniungitur Orientali, sicut in tetragonis ibi latius incipit, vbi alteri lateri coniungitur. In hac litera continuatur latus Occidentale terræ duorum regum Amorrhœorum, & quia sicut in tetragono quolibet latus tangit duo latera, ita latus Occidentale, quod est vnum de quatuor lateribus cuiuslibet regionis necessario coniungetur duobus lateribus alijs, scilicet Septentrionali, & Meridiano. Incœpit autem ponere litera latus istud describens à parte Septentrionali ad Meridianam, & incipit istud latus in solitudine, quæ est apud montem Hermon, & deinde descendendo versus Meridiem, & mare Cenereth, sicut præcedenti capitulo declaratum est, cùm magis procedatur ad Meridiem, est

mare solitudinis, id est, mare Sodomorum apud desertum Sin.

Loca ista non multum distant à Ierusalem: nam mare Sodomorum, vbi prius fuit Pentapolis ciuitatum istarum quinque à Ierusalem, non distat 13. leucis integris, sicut patet ex libro de descriptione terra Sanctæ: mare quoque Genesareth non multum distat. Est autem ista regio maritima in Zabulon, & Nephthali fortibus, & de hoc dicitur Isa. 9. Primo tempore allœuata est terra Zabulon, & Nephthali, nouissimè agrauata est via maris Galilææ Gentium. Et magis declaratur hoc Matt. 4. vbi exponit de Christo ista auctoritas, & dicitur, quod finito iunio Christus audiens, quod traditus esset Ioannes recessit in Galilæam, & relictæ ciuitate Nazareth venit & habitauit in Capharnaum in finibz Zabulon, & Nephthali, vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: terra Zabulon, & terra Nephthali via maris trans Iordanem Galilææ Gentium: populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbra mortis lux orta est eis. Et immediatè dicitur, quod cœpit ambulare apud mare, scilicet apud mare illud Genesareth, quod ibi dicitur, & est mare Galilæa. Apud istud mare duobus milliaribus à Tyberiade, sive Cenereth, à qua appellatur istud mare, est castrum quoddam nomine Magdalum, à quo Maria Magdalena appellatur. Quatuor milliaribus ab eadem urbe Tyberiade, vel Cenereth Bethulia ciuitas est, de qua erat Judith, qua Holophernem occidit. Quatuor quoque millarijs à Tyberiade est ciuitas Nazareth, in qua Christus natus est in pueritia sua, & est Nazareth in Galilæa apud mare illud, & ob hoc habuerunt Iudei occasionem dicendi, quod Christus non erat Messias, quia de Nazareth non erat venturus Messias, vt patet Ioan. 7. cùm dixerunt ad Nicodemum: Nunquid tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide: quia Propheta à Galilæa non surgit. Sexto milliario à Nazareth est Cana Galilææ, de qua Ioan. secundo, vbi factæ sunt nuptiae, quibus Christus interfuit conuertens aquam in vinum. De hoc loco fuerunt Philippus & Nathanael, quibus Christus locutus est, de quo Ioan. primo in fine. Duobus millarijs à Nazareth, & sex milliaribus à Tyberiade ciuitas est nomine Sephoris, de qua oriunda fuit Anna mater beatæ Virginis. Vno milliario à Nazareth contra Meridiem est locus excelsus, de quo Nazareni quidam voluerunt præcipitare Saluatorem emulantes prudentiam eius, & ille transtiens per medium illorum, ibat, vt patet Luc. 4. ca. Quarto milliario à Nazareth est mons Thabor, vbi Saluator noster coram Petro, Iacobo, & Ioanne transfiguratus est, & resplenduit facies eius, sicut sol, de quo Matth. 17. cap. Quarto milliario ab hoc loco, de quo dicitur, scilicet Tyberiade, sive Cenereth est Dothaim, in quo loco reperit Ioseph fratres suos pascentes greges, cùm dixerunt: Ecce somniator venit, & vendiderunt eum Isimahelitis, qui eum duxerunt in Ægyptum, de quo Genes. 37. capit. De his omnibus in libro de descriptione terra Sanctæ. Et sic patet de latere Occidentali terræ duorum regum Amorrhœorum.

Quod mare falsissimum. Istud mare Sodomorum multis nominibus vocatur.

Primò dicitur mare solitudinis, vt patet hic, & Numeri 14. capit. & hoc, quia est apud solitudinem Sin, quod est in libro de Divisione terra Sanctæ, dicente lacum Asphaltidis dividere Iudeam, & Arabiam. Sed desertum Sin est in soliditudinibus Arabicis, quia in eis sunt omnes mansiones, quas Israëlitæ fecerunt in annis quadraginta post transitum maris rubri, tres autem mansiones factæ ante mare rubrum, vt patet Num. 33. non sunt in soliditudinibus Arabicis, sed non posset dividere lacus ille inter Arabiam, & Iudeam, nisi esset apud solitudinem Sin.

Vocatur etiam mare falsissimum, vt patet hic, & Numeri 34. & causa est, quia cùm de conditione cæterorum marium sit habere sedem ex causa, quam ponit Aristoteles tertio Meteor. Istud tamen mare magis falsum est, quam cætera: causa est ex natura sulphuris. Nam non fuit mare hic, (licet Aristoteles hoc existimet in tertio Meteor.) semper, vt patet Genes. tertiodécimo, quia antequam subuerteret Dominus Sodomam, irrigabatur terra illa, sicut Paradisus Domini. Quia tamen factum est mare submersis cœlitus ciuitatibus quatuor, missis desuper igne & sulphure, vt patet

D

Distan-
tia in-
ter Ie-
rusalem,
& So-
domam.

De ma-
re Galil-
æa, &
de locis
per qua
Christus
ambu-
lauit,
& quid
ibi se-
cit.

E
Maria
Magda-
lena,
quare
sic ap-
pellatur

Locus
originis
B. An-
na ma-
tris B.
Virgi-
nis.

F

Sodo-
morum
mare
multis
nomini
bus vo-
catur.

Genes.

A
Descri-
maris
Sodo-
mari.

Genes. 19. mansit semper natura ignis in loco, & aqua illa est quasi decocta, & quia ibi erat ante hoc multum bitumen, illud decoquitur, & spissatur aqua, ita ut nihil possit in ea lauari, sed vestes iactae in eam magis sordidantur, quam lauentur, vt ait Aristoteles 3. Meteor. vbi de isto mari loquitur. De bitumine quod fuerit ante multum in valle illa, quae nunc est mare, patet Genes. 14. vbi dicitur de Regibus, qui iuerunt ad pugnandum contra quinque reges Sodomorum, & ceciderunt multi de pugnatoribus in puteos bituminis, & nunc in ripa maris illius reperitur multum bituminis, & alumen: nam & bitumen cum a calore interiori accenditur, crat super aquas, & ibi colligitur, vt ait Isidor. Etymol. 13. Et de hoc in libro de descriptione terrae Sanctae. Nomen autem conuenientissimum mari huic fuit vocari salissimum, quia nihil salius potest esse ex igne, & sulphure manente ibi adhuc in virtute.

Amplius vocatur mare mortuum, vt patet supra 3. quia ibi nihil viuit, sed etiam pisces nulli geniti sunt, nec est possibile gigni, & si aliunde adducti ibi ponerentur, non superuierent, quia conditio aqua ex condensatione repugnat eis, magis autem ex natura sulphuritatis, & ignis. Etiam vocatur mortuum, quia nihil in eo viuens mergi potest: unde si lucerna ardens superponatur aquae non mergeretur: si vero extincta fuerit illico, vt in alijs aquis fundum petit.

B Alij autem vocant illud mare salinarum, sed non est tam visitatum nomen: redit tamen ad id, quod dictum est, quod est mare salissimum.

Amplius vocatur mare Sodomorum, quia in Pentapolii est, id est in valle, in qua prius fuerant quinq; ciuitates Sodomorum: vna tamen nunc superest, scil. Segor, quae non est in valle, sed in ascensi quodam, & illa saluata est precibus Loth, Gen. 19. cap. Vocabatur autem usq; hodie oppidum Palmæ. De hoc in libro de descriptione terræ Sanctæ.

Item vocatur mare diaboli, quia eius instinet illæ quatuor miserabiles ciuitates Sodoma, Gomorrah, Schoim, & Adama perseverantes in turpitudine sua, igne sulphureo cõcrematæ sunt, & in mare illud verse. Vocatur etiam lacus Asphaltidis secundum modum loquendi Isidori 13. Etymologiarum, & aliorum chronographorum, sic enim vocat eam Solinus in Polihistor. capitulo de Iudea, de hoc dicit: Asphaltitis bitumen gignit, animal non habet, nihil in eam mergi potest, tauri etiam, chamæ que impunè fluitant. Apud illud mare salissimum decimo millario contra Occidentem est vrbs Hebron, quæ fuit data sacerdotibus in sortem, vt patet infra 21. in ea quoq; fuerunt gigantes tres, Num. 13. & infra 15. In ripa huius marii mortui est ciuitas Segor, quæ eausit sententiam celestem precibus Loth, & in ascensi Segor est effigies vxoris Loth versa in statuam salis, cuius vestigia usque hodie patent.

C Ad plagam Orientalem. Eodem modo est hic exponendum sicut supra, cum dicebatur de mari Cenereth, quod erat ad partem Orientalem: non est enim ad Orientem terra duarum tribuum & dimidiæ, sed potius ad Occidentem, cum terminus Occidentalis terra huius sit Iordanis. Quod patet, quia cum exirent de terra illa Israëlitæ, transferunt Iordanem, & tunc intrauerunt in terram nouem tribuum, & dimidiæ, quæ cum accepissent possessionem suam, dixerunt se habere possessionem in Orientali plaga Iordanis, & non querere aliquid veterius in terra trans Iordanem, sed est sensus, quod sit ad Orientalem plagam terræ totius nouem tribuum, & dimidiæ, sicut patet Num. 34. cum dicitur: habebit terminos iuxta Orientem mare salissimum. Et non solum est in latere Orientali, sed etiam in latere illo, vbi coniungitur latus Orientale Meridiano, vt patet cod. cap. cum dicitur: Pars Meridiana incipiet a solitudine Sin, quæ est iuxta Edom, & habebit terminos contra Orientem mare salissimum, id est pars Meridiana coniungitur lateri Orientali in mari salissimo. Vt potest accipi hic tota terra Chanaan, quam possidebant duodecim tribus Israël. Et in hoc verum est, quod mare salissimum erat contra plagam Orientali, quia magis appropinquat Orienti, quam Occidenti.

Per viam, quæ dicit Bethsimoth. Hic designatur coarctatio terminorum terræ duarum tribuum, & dimidiæ, nam cum peruenisset latus Meridianum terræ nouem tribuum, & dimidiæ per latera solitudinis Sin usque ad mare salissimum,

crederet aliquis quod extenderetur per lineam rectam sic, quo usque perueniretur ad Orientalem partem duarum tribuum & diuidiq; vt si esset terra Chanaan quadrata quomodo unque habens latera recta. Et ad hoc respondet quod non, sed terra ista coangustatur ex mari salissimo usque in Orientem suum, & terminus coarctans prouenit de mari salissimo per viam, quæ dicit Bethsimoth. Est enim Bethsimoth penultima mansio Israëlitarum circa Iordanem in cœstribus terræ Moab intra ipsam terram Amorræorum, & apud eam est Belsathim. De his duabus mansionibus ultimus habetur Num. 33. Causa autem huius coarctationis terminorum terræ duarum tribuum, & dimidiæ est, quia terra Chanaan est latior in parte Occidentali, quam in Orientali, & tota terra nouem tribuum, & dimidiæ ab Occidente usque in Orientem suum in fine montis Hermon, & in mare salissimum non coarctatur, velut si quis faciat unam figuram quadratam, vel quadrangulum regulare, cuius omnia quatuor latera æqualia sint, vel saltē duo æquentur duobus: deinde cum peruetum fuerit ad principium terra duarum tribuum & dimidiæ coarctantur termini: velut si quis per unum latus quadratum, vel quadranguli protrahat triangulum æquilaterum, vel non æquilaterum, tunc non erit æqua amplitudo, sed semper stringetur spatium quo usque perueniat ad conum. Pro hoc describatur una figura primò quadrangula ad signandum terram Chanaan nouem tribuum, & dimidiæ, & super unum latus versus Orientem protrahetur trigonus ad signandum capacitatem terræ Chanaan in duabus tribus, & dimidiæ, & pro hoc primò assignantur quatuor puncta mundi, Oriens, Occidens, Septentrionali, & Meridiano, & describantur in quatuor locis oppositis, sicut se habent in mundo, & tunc versus ista quatuor puncta distanter in medio formentur quatuor latera quadranguli in æqualia quidem, sed duo duobus æqualia sint: & tunc latera, quæ fuerint ad punctum Orientis, & Occidentis sint minora, & tamen inter se æqualia: latera ad Septentrionem, & austrum erunt maiora, & tamen inter se æqualia. Ratio est, quia maior est longitudine Chanaan in latere Septentrionali, & Meridiano, quam in Orientali & Occidentali: deinde in latere quadrati huius, quod est versus punctum Orientis formetur trigonus cuius sit basis ipsum latus, & siue fit æquilaterus, siue isocheles non curandus, & in isto trigono est terra duarum tribuum, tunc describantur loca in lateribus quadrati & tricorni: in latere enim Occidentali quadrati ponatur mare Mediterraneum, siue Palestiniorum, quia iste est terminus Occidentalis terræ Chanaan, vt patet Exodi vigesimo tertio, & Deuteronomij undecimo, & supra primo. in latere Meridiano in extremitate, vbi coniungitur lateri Occidentali ponatur terra Philistinorum, quia ipsa est in angulo contactus laterum, vt patet sequenti capitulo: in processu lateris ipsius Meridiani versus Orientem ponatur desertum Sin, quia ista solitudo est in latere illo, vt patet Num. trigesimo quarto: in latere autem Septentrionali quadrati huius ponatur mons Hermon, & Libanus, & in coniunctione lateris occidui, & Septentrionalis sit mare, in latere autem Orientali, vbi coniungitur lateri Septentrionali ponatur villa Enan, quæ est extremitas, vt patet Num. trigesimo quarto, deinde descendendo contra Meridiem in ipso latere circa medium lateris ponatur mare Cenereth, deinde Iordanis magis descendendo. Vbi autem terminatur latus Orientale coniunctum Meridiano ponatur mare salissimum, quia sic se habet. De hoc Numeri trigesimo quarto. Deinde intra factum trigonum super latus Orientale huius quadrati ponatur terra duarum tribuum, & dimidiæ: super latus autem tricorni, quod nascitur de contactu lateris Meridiani ipsius quadrati ponatur terra Moab: ipsa enim coniuncta terra Chanaan nouem tribuum, & dimidiæ in Oriente, scilicet, quod vbi est Oriens terræ Chanaan est Occidens terræ Moab: & hoc est super Iordanem apud mare salissimum. Quod patet: nam vada Iordanis transmittunt in Moab, vt patet Iudicum capitulo quarto. Etiam quia mons, in quo Balaam ariolus constituit aras ad sacrificandum, & maledicendum Israëlitis, est in terra Moabitæ, vt patet Num. vigesimo tertio, & vigesimo quarto, vocatur enim mons Phegor, vt ibidem patet, & vigesimo quinto cap. Et istud est super Iordanem contra lacum Sodomorum: nam ibi usque hodie spelunca nomine Carnis demonstratur, in

D

E
Figura
terra
duarū
regum
amer
rhœnū
S. cor
terra
chana
an.

Vide in
frat.
q. 16.
q. 15.
q. 4.

F
Villa
Enan.

S. mons
Phegor.

A in qua Balaam ad maledicendum Israëlitas, vt inde castra eorum videret, stetit, & locus ille pro vehementi prærupto excusus dicitur. De hoc in libro de descriptione terræ Sanctæ. Et sic frons occidentalis terræ Moabitum occupat partem quandam frontis orientalis terræ nouem tribuum, & dimidiæ in modum trigoni, donec perueniatur in conum, & est ista via, quæ dicitur hic de mari salissimo in Bethsimoth, si autem procederetur directe de mari salissimo esset ingressus per terram Moab. In latere aliquo trigoni opposito, scilicet, Septentrionali ponatur torrens Iaboth, & terra Ammonitarum. Nam iste torrens diuidit terram regum horum ab Ammonitis, vt patet supra in litera, & Deuteronomij secundo capitulo, in cono autem, vbi terminantur duo latera ista trigoni protractæ de quadrato ponenda est ciuitas Aroer, vel Arnon, quia ista sunt in orientali parte terræ duorum regum Amorrhæorum. Et quamquam lignentur istæ figuræ recti linea: non est imaginandum esse penitus recti lineas, sed ad instar figurarum istarum aliqualiter considerandæ sunt istæ terræ. Plures autem ponentur ciuitates, & loca vel regiones in lateribus figurarum harum, & magis notificarent situm terræ Chanaan: sed ad hoc opus erat esse figuram magnæ continentiae, vt distincte cognosceretur situs eorum, sed sufficerint hæc. *Et ab australi parte.* Supra positi fuerunt termini orientales, & occidentales, atq; septentrionales terræ duarum tribuum, & dimidiæ, vt distinguitur ab aliis regionibus: hic autem ponitur terminus australis, & causa est, quia superiores termini magis pertinebant ad regem Sehon quam ad terram regis Og. Nam ad terminum occidentalem, qui est Aroer, vel Arnon non accedit terra regis Og: terminum etiam septentrionalem, quæ est terra filiorum Ammon, & torrens Iaboth, quoisque perueniatur ad montem Hermon in latere occidentali, non videtur tangere regnum Og, & sic extenditur regnum Sehon ab oriente per latus septentrionale filiorum Ammon. Terminus autem occidentalis aliqualiter pertinet ad Sehon, sed magis ad regem Og, qui occupabant partem meridianam, & occidentalem. De meridiana, siue australi dicitur hic: de occidentali patet, quia ipse est dominatus etiam in monte Hermon, vt patet infra, sed mons Hermon est latus occidentale terræ duorum regum Amorrhæorum, & orientale terræ nouem tribuum & dimidiæ, & est in coniunctione lateris occidentalis cum septentrionali, vel quasi. Cum ergo illuc perueniret regnum Og, magis occupabat reliquam occidentalem frontem, quæ declinat versus meridiem, scilicet, apud mare Cenereth, & Iordanem, & apud mare Sodomorum. Ab austro autem erat maior pars terræ regis Og. Patebit autem figura diuisionis regni Sehon à regno Og, si trigonus assignatus in latere quadrati diuidatur in duos trigonos, licet inæquales, & hoc à medietate, vel quasi lateris meridiani, super quod erat Moab protrahatur linea una ad latus occidentale, vbi coniungitur latus illud septentrionali vel quasi, & erit unus trigonus duo trigoni. Horum trigonorum ille, cuius basis est linea, quæ erat basis ipsius magni triongi, & erat latus orientale quadranguli, & cathecus suus est medietas lateris meridiani non peruenientis ad conum orientis est regnum Og. Alius autem partialis trigonus continet regnum Sehon; hic autem ponitur terminus australis totius iustius terræ duarum tribuum & dimidiæ. Et iste assignatur tanquam limes regni Og, vbi coniungitur regno Moab: regnum etiam Sehon coniungitur regno Moabitum, cum dicatur Numeri vigesimo primo, quod torrens Arnon diuidit inter Moabitas, & Amorrhæos: potissimum, quia magna pars regni Sehon pertinuerit ad Moab, & bello capta fuerat Numeri vigesimo primo capitulo, ideo necesse est coniungi in latere meridiano: quin potius in medietate eius, aut quasi qui peruenit usque ad orientem ad ciuitatem Aroer, & ad ciuitatem Arnon. Reliqua medietas lateris meridiani terræ Moab, quæ porrigitur ad occidentem usque ad vada Iordanis, & mare Sodomorum, coniungitur regno Og, vt patet hic.

Quan-
tum de
latere
meri-
diano
terra
Moabi-
tarum
con-
tra re
Inum
Og.

Ab australi parte, quæ subiacet ab Asedoth usque Phasga. Hic ponitur quantum de latere meridiano terra Moabitum continet regnum Og. Et dicitur quod ab Asedoth usque Phasga. Est enim Asedoth nomen proprium secundum quod inuita litera nostra: in Hebreo autem potest accipi indifferenter pro communis, aut proprio: potest enim signare vicos, vel

villulas, vel potest accipi pro nomine alicuius urbis, vel regionis. Melius est, quod sit nomen proprium, quia si esset nomen commune, non posset poni tanquam terminus, quia terminus est aliquid certum, cum ponatur ad determinandum regiones: si tamen esset nomen appellatum non conueniret, quia appellativa signant vniuersaliter, & signata paria sua ubique sunt, & sic non posset conuenienter dari terminus alicuius regionis. Quamquam forte potest esse, quod istud nomen Asedoth secundum suam originem sit appellatum, & tamen ponatur pro nomine proprio, sicut frequenter fit in nominibus locorum, quia aliqua nomina, quæ alias erant appellativa imponuntur locis, potissimum, cum nomina propria locorum sunt composita. Tunc tamen illa appellativa non manent tanquam appellativa, sed tanquam propria, cum aliquid determinatum signent. Et sic est hic: impossibile est enim accipi Asedoth pro nomine appellatio, quamquam ex origine sit appellatum. Est autem Asedoth in latere meridiano terræ duarum tribuum, & dimidiæ, quod est latus septentrionale Moabitum, & est contra orientem, vbi coniungitur regnum Sehon regno Og regis, & est locus in trigono maiori, de quo in latere meridiano protrahitur hypothemusa ad basim, scilicet, ad latus occidentale. Et ut clarius dicatur, pars magis orientalis in regno Og est Asedoth, & inde prouenit latus usque ad Iordanem, vbi finitur regnum hoc, & est pars occidentalis, & est ista linea longitudinis ad latus meridianum, quod coniungitur terræ Moab, vocaturque trigonus minoris cathecus, & terminatur in Phasga, quæ est apud Iordanem. Est enim Phasga quidam collis altissimus in monte Abarim in transitu Nébo, vbi Moyses stetit, vt contemplaret inde totam terram nouem tribuum & dimidiæ, quam Deus Israëlitis datus erat. Sic patet Deuteronomij trigesimo quarto, & ibi vocatur Cacumen Phasga, quia ad maiorem altitudinem huius collis excelsi ascendit Moyses, vt videret terram, & ibi mortuus est.

E
*Quid
sit Pba
q4.*

An Phasga esset apud Iordanem, super quo obiit Moyses.

Q V E S T I O V.

IS T A autem Phasga est apud Iordanem, quod patet, quia Israëlitæ accesserunt ad ultimam mansionem deerti, quæ est Belfethim, vt patet Numeri 33. cap. antequam moreretur Moyses: ipse enim descripsit omnes, & tamen ista mansio est apud Iordanem, cum etiam numeratio populi facta à Moyse, & Eleazarō fuerit super Iordanem, vt patet Numeri vigesimo sexto, ergo ibi fuit Moyses, & tamen cum esset in hac mansione, ascendit in Cacumine Phasga, & mortuus est, vt patet Deuteronomij trigesimo quarto, ergo Phasga erat apud Iordanem. Nam si Phasga distaret inde, dixisset Deus vade in Phasga, & morere ibi: tamen dixit, ascende: ac si staret Moyses ad radices Phasga, ergo erat apud Iordanem coniuncta ultima mansione, quæ est Belfethim. De hoc patet Deuteronomij 3. cum dicitur: Ascende in Cacumine Phasge, & circunfer oculos tuos, &c.

Et adhuc magis exprimitur Numeri vigesimo septimo, cum dicitur: Ascende in montem istum Abarim, &c. si tamen non esset Moyses apud eum, cum ista locutus est Dominus, non diceretur in montem istum, ideo necesse est ponni apud Iordanem Phasga, & consequenter erit in extremitate lateris occidentalis regis Og.

Item est Phasga coniuncta terra Moab, immo pars ipsius est pertinens ad terram Moab, & pars ad terram regis Og, sicut cum aliquis mons diuidit duo regna, vel provincias, cuiuslibet est aliquanta pars montis, ita de diuisione facta per flumina, sicut dicebatur supra de diuisione terræ Sehon regis, à Moabitum per torrentem Arnon medium, & quod inmediatas illius pertineret ad Amorrhæum, & medietas ad Moabitas.

Et patet magis, quia cum mortuus est Moyses in Phasga sepeliebat eum Deus, & dicitur quod sepeliebat eum in valle terræ Moab, vt patet Deuteronomij trigesimo quarto, & tamen non vocaretur vallis terræ Moab, nisi aliqua pars illius Phasga, in qua erat Moyses cum mortuus est, pertineret ad Moabitas. Et adhuc magis patet, quia cum Israëlitæ circa

A Iordanem fuerint in duabus mansionibus, scilicet, in Beth-simon, & Belsethim, dicebantur esse in campestribus terræ Moab, & postea in planioribus locis Moab, vt patet Numeri trigesimo tertio capitulo, & tamen tunc erant apud montem Phasga, partim ad Moabitam, & pro maiori parte eius. Descensus autem illius collis versus terram regis Og pertinebat ad regnum Og, & quia dependebat à monte illo, qui erat pro maiori parte Moabitum, dicebantur campestria, & planiora loca esse Moabitum, vbi erant Israëlitæ cum manebant apud montem Phasga, terminus meridianus, vbi coniungitur latus meridianum regni Og lateri occidentali, scilicet, Iordan, vel mari Sodomorum. Est autem ista Phasga in extremitate lateris meridiani, vbi coniungitur occidentali apud Iordanem, & apud mare Sodomorum, vt patet Deuteronomij 3. cum dicitur: Et terminos Cenereth vsq; ad mare deserti, quod est falsissimum ad radices montis Phasga, ergo marc istud est coniunctum monti Phasga.

Og quia
re voce
car rex
Basan.

Terminus Og regis Basan. Id est, ista duo loca supra dicta sunt termini regis Og ab australi plaga, scilicet, vbi coniungitur latus australis orientali in Asedoth, & vbi coniungitur latus meridianum occidentali in Phasga. Vocatur Og rex Basan, non quod nullam terram haberet præter Basan, quia habebat multas alias, vt patet hic, & Deuteronomij tertio, sed vocatur rex Basan, quia ibi erat sedes regni eius, vel quia erat terra præcipua in regno suo, & antiquitus atque directius pertinens ad dominium eius. Sic dicitur rex Castellæ, & Legionis, quia Legion est vna regni metropolis. Sic etiam dicebatur de Sehon, quod esset rex Hesbon Deuteronomij secundo, & Numeri vigesimo primo, & trigesimo secundo, tamen præter Hesbon ipse habebat multas vrbes: metropolis tamen regni erat Hesbon.

Notan
dil de
Basan

Sciendum quod Basan non est hic nomen vrbis vnius sicut Hesbon. De Hesbon patet, quod sit vrbs, quæ olim fuerat Moabitum Numer. 21. cap. Basan tamen regio satis magna est, sic vocatur Deuteronomij 3. scilicet, reliquam Galaad & omnem Basan tradidi dimidiae tribui Manasse, & iterum ibidem: Cuncta Basan vocatur terra gigantium: si tamen esset vrbs non posset dici cuncta Basan, vel omnis Basan. Sic etiam patet, cum dicitur vniuersa Basan, ergo multa loca habebat.

Genes.
regis
Og.

De reliquis Raphaim. Hic ponitur genus regis Og, scilicet, quod erat de reliquiis Raphaim, id est, quod erat de stirpe eorum, sunt autem Raphaim gigantes, de quorum reliquiis erat Og, quia cum ipse erat, nullus aliis restabat. Sic patet Deuteronomij 3. scilicet, solus quippe Og restiterat de stirpe gigantium. Et non est sensus, quod de gigantibus nullus supercesset, quia multi eo tempore erant in Hebron, & ciuitatis Philistinorum Gaza Geth, & Azoto, & in vrbe Dabir, & Anab, aliisque montanis Iudeæ, & Israël, vt patet præced. cap. sed de gigantibus de stirpe Raphaim nullus restiterat, nisi Og: quo mortuo non fuit amplius quisquam de Raphaim. Et non ponit litera Hebraica Enacim, id est, gigantes ibi, quod est nomen commune, sed Raphaim. De hoc magis declaratum est præced. cap. in fine.

An Og esset vnu de Raphaim. Et quid Astaroth sit.

Q V A E S T I O VI.

D ICIT Rab. Salo. Og esse de reliquiis Raphaim, id est, vnum de Raphaim, contra quos pugnauerunt quatuor reges, de quibus Genes. 14. quod ipse fugiens, tunc de bello iuit ad vocandum Abraham in auxilium regum Sodomorum, & restitit usque ad hæc tempora cæteris Raphaim bello cadentibus, quod satis absurdum est, de quo late diximus Genes. 14. & Deuteronomij 3. Sed vocatur de reliquiis, quia tempore Og nullus manserat iam de genere illo, nisi Og, & ibi finita est successio.

Qui habitauit in Astaroth. Est Astaroth vna ciuitas in regno Og regis, quæ est præcipua, ideo habitabat in ea magis Og, quam in aliis vrbbibus. Ista vrbs data est post tribui Gad, vt patet Numeri 32. capitulo, & in hoc loco Astaroth habitaerunt gigantes nominari Raphaim ab initio: ibique pugnauerunt contra quatuor reges venientes contra Sodomam. Sic dicitur Genes. 14. quod Chodorlaomor, & reges, qui

erant cum eo, percusserunt Raphaim in Astaroth Carnaim, & postea manserunt in terra hac semper Raphaim aliqui: quia non fuerunt omnes occisi a Chodorlaomor & hi tenuerunt semper regnum in terra illa usque ad tempus, quo Israëlitæ ingrediebantur in terrâ Chanaan anno 40. ab exitu de Ægypto, & tunc regnabat Og rex in Astaroth, nullusque de stirpe illa Raphaim iam supererat. Occiderunt autem Israëlitæ hunc cum populo suo Numer. 21. & Deut. 3. cap.

Ex hoc quoque appetet de bellis, quæ fecerunt quatuor illi reges, de quibus Genes. 14. quod non fuerunt in terris multum distantibus, sed valde coniunctis, quia percusserunt ibi Raphaim in Astaroth, & Chorræos, in montibus Seir, & Amorrhæum in Asafonthamar, atque omnem regionem Amalechitarum, postea autem vallem Sodomorum, sed omnes istæ terra sunt in circuitu vallis Sodomorum, quia terra Og peruenit usque Phasga, vt patet hic, & Phasga est super mare solitudinis, vel mare falsissimum, vt patet Deuteronomij tertio, istud tamen mare est in valle Sodomorum, vt hic declaratum est. Etiam Chorrei erant in montibus Seir, quia isti prius ibi habitauerunt, quam Idumæi, vt patet Genes. 36. & Idumæi inde eos expulerunt atque habitauerunt in terra ipsi Deuteronomij secundo cap. sed ista terra est in Arabia, & coniungitur lateri meridiani terra Chanaan satis prope Sodomam, vt patet in libro de diuisione terræ sanctæ. Amorrhæi habitantes in Asafonthamar pertinent ad regnum Sehon regis, quod est coniunctum regno regis Og. Amalechitæ autem sunt in desertis Arabicis dislenti inter Ægyptum, & Iudæam, vt patet in figura, quam d. scripsimus Numer. 14. & isti tangunt terram Chanaan in latere meridiani Numer. 13. cum dicatur, Amalechites, & Chananæus habitant in meridie, id est, in meridie terra Chanaan, non intra ipsum terram Chananæorum, & vna extremitas regni Amalech coniungitur terra Iudeæ apud Sodomam, quod patet, quia quando Israëlitæ erant in deserto in Cadesbarne, vbi murmurauit populus, de quo Numer. 13. & 14. erant apud Amalechites, vt patet Numer. 14. scilicet, Amalechites, & Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corrueris. Et sequitur ibidem, quod Amalechites, & Chananæi descendentes de montibus occiderunt multos de Iudæis, eodem cap. & Deuteronomij 1. Est tamen Cadesbarne, in qua tunc erant Iudæi in deserto Sin, vt patet Numer. 13. & 20. Desertum autem Sin est coniunctum valli Sodomorum, quod patet Numer. 34. cum dicitur, quod pars meridiana à solitudine Sin incipiet, & habebit terminos ab oriente mare falsissimum. Et istud est mare Sodomorum. Ergo Cadesbarne est apud mare Sodomorum, & consequenter terra Amalech est circa terram Sodomorum, & ei est coniuncta terra Edom, siue Seir. Nam Numer. 34. ponuntur ista tria coniuncta, scilicet, principium solitudinis Sin, & terra Edom, & mare solitudinis, vel falsissimum, scilicet, mare Sodomorum, & sic omnes gentes, contra quas pugnauerunt reges illi, 4. de quibus Genes. 14. erant coniunctæ, & erant omnes prope vallem Sodomorum, & ob hoc ultimo introierunt reges illi in vallem Sodomæ, & pugnauerunt contra quinque reges Sodomorum. De quibus Genes. 19. & non multum à terra illa Sodomorum est Astaroth ciuitas, in qua morabatur rex Og, & pugnatum est contra Raphaim.

Et in Hedrai. Ista est vna è ciuitatibus regni Og, & ad hanc exiuit pugnaturus contra Israëlitæ, vt patet Numer. 21. & Deuteronomij 3. & ob hoc colligitur, quod erat Hedrai ciuitas circa extremitatem regni Og. Nam morabatur Og in Astaroth, vt patet hic, & Deuteronomij 3. cum vero audiisset, quod Israëlitæ vellent introire per regnum suum, & venissent ad explorandum Iazer, quæ est ciuitas eius, vt patet Numer. 21. non expectauit eos intra regnum suum, sed exiuit pugnaturus in Hedrai, vt patet præallegatis cap. Nominatur autem Hedrai hic specialiter, vel, quia erat vna de principalibus vrbbibus terra Og, vel, quia in eo occisus fuerat ab Israël rex Og cum populo suo: Deuter. 21. & Deuter. 3. cap.

Et dominatus est in monte Hermon. Id est, regnum Og extendebatur usque ad montem Hermon, & ibi habebat partem quandam. Sciendum autem montem Hermon esse in terra nouem tribuum, & dimidiae, & extendi à parte occidentali terra illius usque ad orientalem vbi coniungitur terra duarum tribuum, & dimidiae, vbi erant duo reges Amorrhæi.

Eft

Situs
deserti
Sin.

F

Hedrai
quid
sit.

Situs
montis
Her-
mon.

A *Est etiam Hermon in latere septentrionali terræ illius, tangent autem terram duorum regum Amorrhæorum in occidentali parte, vbi coniungitur latus occidentale septentrionali, vel quasi, vt patet ex supra positis. Regnum autem Sehon regis cum protendatur ab oriente ab Aroer, quæ est in extremitate orientis horum regnum, non peruenit usque ad montem Hermon: sed regnum Og regis, quod extenditur à latere meridiano trigoni supra assignati occupat medietatem lateris meridiani, & totum latus occidentale, ideo peruenit Hermon, qui est in parte occidentali vbi ipsa coniungitur lateri septentrionali. Et, quamquam mons Hermon fere totus sit in terra nouem tribuum, & dimidiæ: tamen aliquid de illo est in terra regis Og, & illud modicum est ita, vt quasi pro nullo computetur: sed dicitur, quod peruenit regnum istorum regum usque ad montem Hermon. Nam Israëlitæ ceperunt totam terram horum duorum regum viuente Moysè, vt patet Deuter. 3. tamen non dicuntur accepisse quicquam de monte Hermon, sed usque ad montem Hermon, vt patet eodem cap. cum dicatur, quod ceperunt terram de manibus duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem à torrente Arnon usque ad montem Hermon, quasi nihil de ipso Hermon ceperint: aliquid tamen ceperunt, quod pertinebat ad regem Og, sed parum erat: reges autem, qui morabantur in terra nouem tribuum, & dimidiæ, dicebantur magis habitare ad radices montis Hermon, de quo præcedenti cap. pro illo tamen modo, quod habebat in monte Hermon, dicebatur dominari in monte Hermon. Sed contra, quia sequenti cap. dicitur omnem montem Hermon cum ponuntur loca istorum regum. Responderi potest, quod una pars montis Hermon per se separata distincta ab aliis potest vocari totus Hermon. Et cum dicatur hic, quod dominatus est in Hermon, dici potest, quod dominatus fuit in toto Hermon: non tamen possidebat totum. De hoc magis dicitur seq. cap.*

B *Sath. inquit. Et in Sathata. Nomen est alicuius urbis magnæ in terra Sehon regis, & nominatur, sicut fuit nominata Astaroth, & Hedrai.*

C *Geffuri. ac Machati quid sit. Atque in vniuersa Basan. Si autem esset unus locus non dicetur conuenienter in vniuersa: sicut patet Deuteronom. 3. vbi dicitur cuncta Basan terra Gigantum vocatur. Et ponitur ista regio, quia est principalis in toto regno suo. Nam ab hac Og nomen sumit, cum dicatur Og rex Basan. Etiam forte ratio est, quia Og est de Gigantibus, qui dicuntur Raphaim: cum dicatur supra in litera, quod erat de reliquiis Raphaim, & Deuteronom. 3. dicatur, quod ipse solus restiterat de stirpe Gigantum, qui vocantur Raphaim. Et isti Gigantes dominati sunt semper in terra illa: terra tamen Gigantum erat in Basan, vt patet Deuteronom. 3. cap. cuncta Basan terra Gigantum vocatur: ergo conueniens fuit regem Og, & ceteros reges de Raphaim, qui præcesserunt eum, nominatos fuisse reges Basan.*

D *Visque ad terminos Geffuri, & Machati. Terra Basan, quæ est una regio specialis in regno regis Og terminatur ad Geffuri, & Machati, & hoc ex parte septentrionali: sunt enim loca ista apud terram Ammonitarum, & pertinent ad alia regna. Non enim potest dici, quod ista sint ex latere australi, quia ex hac parte coniuncta est tota terra regis Og terræ Moabitarum: potissimum, quia termini terræ huius ex parte australi positi sunt duo, scilicet, Asedoth, & Phasga, vt patet supra. Non potest esse ergo hoc, nisi ex parte septentrionali. Nam ab oriente tota terra regis Og habet terram regis Sehon pro termino: ab occidente autem habet Iordanem, & mare Cenereth totamq; frontem orientalem terræ nouem tribuum, & dimidiæ: & latior est frons terræ nouem tribuum, quam frons occidentalis regni regis Og, vt supra declaratum est. Solum ergo possunt esse Geffuri, & Machati in termino lateris septentrionalis regni Og, & ad istos terminatur regio Basan, & terra Argob, quæ est etiam quædam pars regni Og.*

De quo Deuter. 3. dicitur: Iair filius Manasse possedit omnem regionem Argob, usque ad terminos Geffuri, & Machati, vocavitque nomine suo Basan Auothiar, id est, villas Iair.

(..)

An Geffuri, & Geffur sint idem.

QVÆSTIO VII.

D *I c v n t aliqui Geffuri esse idem quod Geffur: est autem Geffur regnum quoddam denominatum à civitate nomine Geffur, & filiam regis illius accepit Dauid in uxorem, ex qua genuit filium tertium, scilicet, Absalonem, vt patet 2. Reg. 3. & ob hoc cum Absalon fugit exul à facie regis recessit in Geffur. 2. Reg. 14. cap. scilicet, ad auum suum Maternum. Et hoc conueniens est, quia iste rex erat apud terram Israël: Machati etiam nomen urbis est apud Geffuram, forte de eodem regno, vel extraneo non patet, nec multum refert.*

Et dimidiæ partis Galaad. Hic ponitur terminus orientalis Og regis, scilicet, medietas Galaad, scilicet, regnum Sehon regis: totum enim regnum Og ab oriente circundatur à regno Sehon, & contingunt se in monte Galaad, qui in duas partes diuiditur: medietas enim eius orientalis pertinet ad regnum Og, & sic patet, quia supra dixerat, quod Sehon dominatus est dimidiæ Galaad, de Og autem dicitur hic, quod dominatus est alterius medietatis.

E *Ad terminum Sehon regis Hesbon. Hic est exponens, & expōsum: nam Galaad est terminus Sehon regis, & est sensus, quod Og rex dominatus est dimidiæ partis Galaad, & hic est terminus Sehon regis. Hoc verum est ex parte occidentali regni Sehon regis, & vocatur rex Hesbon, quia erat ista civitas præcipua in regno suo, quā acceperat de regno Moab, vt patet Numer. 21. ca. & sic ponuntur hic omnes termini omnino regnum istorum duorum regum. Nam regnum Sehon ab oriente habet Arnon, vel Aroer, ab occidente habet terram regis Og, ab austro habet terram Moabitaram, à septentrione habet terram Ammonitarum, & torrentem Iacob: terra regis Og habet ab austro terram Moabitaram in duobus locis, scilicet, in Asedoth & Phasga: ab occidente habet mare solitudinis saltissimum, & mare Cenereth, & montem Hermon: à latere orientali habet terram regis Sehon in monte Galaad, à septentrione habet aliquid de terra Ammonitarum.*

F *Moyses famulus Domini. Posuit terram captam per mortem duorum regum Amorrhæorum, hic declarat quis illos occiderit, & dicit quod Moyses famulus Domini, quia quando pugnatum est contra reges hos, viuebat Moyses, & ipse pugnauit contra eos, vt patet Numer. 21. & Deuter. 2. & 3. cap. Vocatur Moyses famulus Domini, quia specialiter ei adhaesit, & nemo erat in toto populo, ita familiaris Deo nec fidelis ei: ideo vocavit eum Deus fidelissimum in tota domo sua: Numer. 12. & sacra Scriptura vocat eum, vt communiter famulum Domini, sicut patet supra 1. Nam ibi etiam Deus vocavit eum famulum suum, & sic nominatur Malach. 4. cap.*

Et filii Israël percusserunt eos. Id est, Moyses tanquam dux, & Israëlite, tanquam subditi ei pugnauerunt contra reges istos, & occiderunt eos. De morte Og multa mendacia fabulantur, de quibus declarabitur Numer. 21. cap.

Tradiditq; terram eorum Moyses. Id est, diuisit eam, quia ipse erat tunc viuens, & poterat facere hæc. De modo diuisionis factæ duabus his tribubus, & dimidiæ, patet sequenti cap. ipse quoque diuisisset reliquam terram nouem tribuum, & dimidiæ si superuixisset, tamen mortuus est, & ob hoc ipso viuente dati sunt à Domino diuisores 12. terræ illius, de quibus Numer. 34. cap.

In possessionem Rubenitum, & Gaditum, atque dimidiæ tribui Massæ. Tunc acceperunt istæ tribus sortem suam trans Iordanem. Causa huius fuit, quia habebant pecora multa, & terram illam viderunt esse nimis pascualem: ideo petierunt eam à Moysi, vt patet Numer. 32. cap. & tamen quamquam acceperunt in possessionem terram illam, non erat fixa possessio, quoique impleretur conditio. Nam promiserant transire Iordanem cuncti viri bellatores de his duabus tribubus, & dimidiæ cum reliquo Israël ad pugnandum contra hostes illorum, & quod non redirent, quoique pacifice possiderent terram illam: quam promissionem recepit Moyses adiungens, quod si hoc recusaret subire, auferretur eis terra, quam possidebant, vt patet Num. 32. Hic solum dicitur, quod data fuerit

A fuit terra ista Rubenitis, Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse. De modo autem diuisionis eius seq. cap. explanatur.

*H*is sunt reges terræ, quos percussit Iosue, & filij Israël trans Iordanem ad occidentalem plagam, à Belgaad in campo Libani, usque ad montem, cuius pars ascendit in Seir: tradiditq; eam Iosue in possessionem tribubus Israël, singulis partibus suas, tam in montanis, quam in planis, atque campestribus. In Aseroth, & in solitudine, ac in meridie Hethæus fuit, & Amorrhæus, Chanaanus, & Pherezæus, Heuæus, & lebusæus, Rex Iericho unus, rex Hay, quæ est ex latere Bethel unus, rex Ierusalem unus, rex Hebron unus, rex Ierimoth unus, rex Lachis unus, rex Eglon unus, rex Gazer unus, rex Dabir unus, rex Gader unus, rex Herma unus, rex Hered unus, rex Lebna unus, rex Odullam unus, rex Macea unus, rex Bethel unus, rex Taphua unus, rex Opher unus, rex Aphec unus, rex Saron unus, rex Madon unus, rex Asor unus, rex Semeron unus, rex Achsaph unus, rex Thenach unus, rex Mageddo unus, rex Cadæs unus, rex Iachanan Carmeli unus, rex Dor, & Provincia Dor unus, rex gentium Galgal unus, rex Thersa unus: Omnes reges triginta unus.

*Descrip.
tio re-
gū per-
cussorū
à Iosue.*

*H*is sunt reges. Hic ponitur secundum huius cap. scilicet, de regibus quos occidit Iosue in ducatu suo, & sunt isti triginta unus, ut infra patet in litera. Plures quoque manserunt, quos non tradidit Dominus in manus Israël, ut patet sequent. ca. Iudic. 3. Causa autem præced. cap. aliqualiter expressa est, & magis declaratur Iudic. 2. & 3. tam in litera, quam in commento.

*H*is sunt reges. Qui infra exprimuntur declaratis nominibus regnum, & non regum: nam de nominibus regum nihil refert: cum non cognoscantur reges per seipso, sed per regna sua, & regnum est aliquid permanens, rex autem nequaquam, cognitio autem fit solidior per id, quod est permanens, quam per id, quod est transiens, quia omne mobile secundum naturam reducitur ad immobile.

Quos percussit Iosue. Non est sensus, quod ipse Iosue occidit eos per se, sed exercitus suus, quia tamen omnia hæc in ducatu suo facta sunt, dicitur fecisse ipse, quia mandato eius omnia fiebant, & in naturalibus semper actus denominatur à causa sua, à qua primo est motus, & non à secundariis, vel instrumentalibus, quidam tamen horum regum erant, qui non occidebantur à Iosue, nec ab aliquo de exercitu Israël, sed suspendebantur, sicut fuit de rege Hay, supra 8. & de regibus quinque pugnantibus contra Gabaon die, qua stetit Sol supra 10. hos tamen Iosue suspendi iussit, ideo ipse occidisse dicitur.

Et filij Israël. Quia Iosue erat dux belli, & filij Israël erant milites sui, sicut supra dixerat de Moysè, quod Moyses, & filij Israël occiderunt duos reges Amorrhæos Sehon, & Og.

Trans Iordanem ad occidentalem plagam. Reges duo Amorrhæi, Og, & Sehon dicebantur habitare trans Iordanem, ut patet Deut. 3. & supra 2.ca. & isti reges, qui erant in terra nouem tribuum, & dimidiæ, dicebantur esse trans Iordanem, ut patet hic, & Numer. 32. nam ista dictio, trans, indifferenter se habet ad signandum eos, qui sunt ex una parte rei, vel ex altera, quando res non habet determinatas positiones, ut supra declaratum est, & sic est de istis distinctionibus citra, & ultra. Ad distinguendum autem, quando accipitur pro his, qui ex una parte, & quando pro his, qui ex altera, ponuntur iste differentiae ad orientalem plagam, & ad occidentalem plagam, duo reges Amorrhæi dicebantur morari trans Iordanem ad orientalem plagam eius, sicut patet supra in litera, & terra duarum tribuum, & dimidiæ dicitur esse trans Iordanem ad orientalem plagam. Num. 32. terra autem nouem tribuum, & dimidiæ dicitur trans Iordanem ad orientalem plagam, & reges, qui in ea habitabant identidem. Sic patet hic, sic quoque dicitur supra 5. quod quidam reges Amorrhæi habitabant trans Iordanem ad occidentalem plagam.

A Baalgad in campo Libani. Baalgad est regio quædam in ter-

ra nouem tribuum & dimidiæ, vel est locus secundum quodam, & est in campo Libani, id est, in planicie montis Libani, sicut dicitur præced. cap. planitem Libani subter montem Hermon, est namque mons Libanus magnus in quibusdam partibus altissimus, in aliis vero planus, ut præced. cap. declaratum est ad radices montis Hermon, ut patet eod. cap.

*V*sque ad montem cuius pars ascendit in Seir. Hic notatur latus septentrionale terræ Chanaan nouem tribuum, & dimidiæ, in quo est Baalgad, & Libanus, ut patet præcedenti cap. & ista sunt circa finem lateris septentrionalis, vbi coniungitur lateri occidentali circa mare magnum, quod vocatur mare Palestinarum. Mons autem iste est in latere isto septentrionali versus orientem, & dicitur quod pars montis huius ascendit in Seir, quia iste est quidam mons magnus extensus, usq; ad terram Seir, & dicitur ascendere in Seir, quia terra est altior, quam terra Chanaan meridiana, & mons iste cum veniat à terra Chanaan in terra Seir dicitur ascendere in eam.

An terra Seir sit ad partem septentrionalem terræ Chanaan.

Q V A E S T I O VIII.

ALIQVIS dicet ex hoc, quod terra Seir est ad partem septentrionalem terræ Chanaan. Sed falsum est, quia Numer. 34. dicitur, quod pars meridiana terræ Chanaan incipit in dextero Sina iuxta Edom, & terminus eius ab oriente est mare salissimum. Ex quo patet, quod terra Edom est in latere meridiano terræ Chanaan, vbi coniungitur latus meridianum lateri orientali. Etiam quia in libro de Descriptione terræ Sanctæ dicitur quod Idumæa sit ex latere meridiano Iudeæ, sed dicitur quod mons iste ascendit in Seir, quia mons iste est magnus, & transuersaliter situs, scilicet, à septentrione in meridiem, & cum incipiatur apud montem Hermon tendit usq; ad latus meridianum terræ Chanaan, & ibi transit ascendens in terrâ Seir. Ex hoc tamen non signatur, quod fuerint occisi omnes reges à Baalgad, usque ad terram Seir, quia hoc esset mensurare velut per diametrū quadrati, quod patet ex assignato supra quadrato: nam Idumæa est in contactu lateris meridiani, & orientalis in angulo. Baalgad est circa contactum lateris septentrionalis, & meridiani, sed signatur hic terra, quæ est in latere septentrionali terræ Chanaan ad radices montis Hermon in planicie Libani, & in hac est extremitas una montis illius, reliquum autem protenditur à septentrionali parte versus meridiem, & tunc ascendit in montem vel terram Seir. Et dicitur de hac terra, quia erant hic plurimi reges, quos occidit Iosue. Nam ut patet præced. cap. reges isti, qui conuenerunt contra eum ad aquas Meron, habitabant pro maiori parte versus septentrionem apud radices Hermon, quamquam etiam alii ponantur, ut patet præced. cap. Reliquam terram non enarrat litera, quia cum saepidem enumerandum est etiam si non describatur semper sufficienter sufficit, si semel complete descriptum fuerit.

Tradiditq; eam in possessionem Iosue tribubus Israël. Ista traditio fuit post bella multorum temporum, cum incepit sorte dividere terram inter tribus Israël. Nam multo tempore pugnauit contra reges, qui eum infestauerant ad aquas Meron, ut patet præcedenti cap. & dicitur tribubus Israël, non quod omnibus tribubus data fuerit, quia solum data fuit nouem tribubus, & dimidiæ: reliquæ enim duæ suscepserant sortes suas ad orientalem plagam Iordanis Deuter. 3. & seq. cap. & nihil debebatur eis de terra trans Iordanem ad occidentalem plagam. Sic ipsæ duæ tribus, & dimidia confessæ sunt. Num. 32. cap. scilicet, nec quidquam querimus trans Iordanem habentes possessionem nostram in orientali eius parte, sed dicitur hic tribubus generaliter, quia manifestum erat pro quibus diceretur.

Singulis partibus suas. Id est, singulis partibus, quæ eis prouenerunt forte, nam diuisa est terra, & data sunt sortes, & postea prouenit cuilibet tribui una pars terræ, sicut eis fors tribuerat, & ista sortes non solum datae sunt à Iosue, sed etiam simul ab Eleazaro sacerdote, & ab aliis duodecim viris singularium tribuum, qui à Deo dati sunt ad hanc diuisionem faciendam, ut patet infra 14. scilicet, hæc est terra, quæ possederunt filii Israël in terra Chanaan, quam dederat eis Eleazar sacerdos, & Iosue filius Nun, & principes familiarum per tri-

D

*Situs
Baal.
gad, &
Liba.
ni.*

E

F

*Baal.
gad
quid
sit, &
eius
situs.*

bus

bus Israël omnia forte diuidentes. De duodecim viris diuisoribus à Deo datis habet Numer. 34. cap.

Tam in montanis, quam in planis atque campestribus. Id est, diuisio ista facta est in tota terra Chanaan, tam in partibus montanis, quam planis, quam campestribus. Diuidit scriptura omnem terram in has tres diuisiones, vel dispositio-nes. *Quia* omnis terra, aut est excelsa habens magnos colles, & ista vocatur terra montana, vel montuosa, siue saltus, & multa huiusmodi erat in terra Chanaan, potissimum in late-re septentrionali, in meridiano quoque in extremitatibus suis erant montuosæ terræ.

Alia est terra totaliter plana, & ista vocatur planicies, sicut dicitur præced. cap. de planicie Libani ad radices Hermon, & de planicie apud mare Cenereth.

Alia est terra, que non habet magnos colles, & tamen non est totaliter plana, sed interdum habet planiciem, & interdum tumores, & ista vocatur terra campestris.

Quamquam aliqui vocant terram campestrēm eam, quā totaliter plana est, sicut quādam regio in Hispania apud urbem Legionem est, quā vocatur campus Gothorum, quia tota terra illa plana est excellenter super omnes alias prouincias Hispanorū, scriptura tamen hunc modum loquendi seruat. Sic patet Numer. 33. cap. vbi dicitur, quod Israēlitæ campestrati sunt in campis tribus Moshū super Jordānum ve-

B nientes de montibus Abarim, & postea de Bethimonim
Belschim castrametati sunt in planioribus locis Moabit-
rum, & sic ponit ordinem. Nam primo posuit montuosam
terram, scilicet, montes Abarim, & deinde venerunt per cam-
pestria Moab, scilicet, per aliquam terram, quæ non erat be-
ne plana, sed erat descensus montis, ultimo venerunt ad loca
planiora Moabitarum, & hoc erat cum nihil habebant, quo
descenderent, per istas tres dispositiones signatur tota terra
Chanaan, quia nihil in ea reperiri poterat, quod non esset
montuosum, campestre, aut planum, & est sensus, quod tota
terra diuisa fuerit. Nam licet non acceperit Iosue totam ter-
ram de manu Chananæorum, tamen totam diuisit, à princi-
pio enim Israëlitæ cessantes à bellis diuidebant inter se ter-
ram, quæ capta erat, & nolebat Iosue plus diuidere, quia vi-
debat frustra diuidere, quod non habebant: Deus autem
iussit, vt diuideret eam cum illa, quam iam acquisierat, quia
certissime etiam illa acquirenda erat seq. cap. vnde à princi-
pio dixit, quod multa terra restabat, quæ nondum forte diui-
sa erat, quæ enumeratur ibi, & postea sequitur, veniat ergo in
partem hæreditatis Israël, sicut præcepit tibi, id est, quamquā
non sit capta diuidatur tamen forte, & patet de forte Iudea,
infra 15. ca. quia ibi ponuntur ciuitates Philistinorum Ga-
za, Geth, & Azotum: tamen illæ nondum captæ erant, vt
patet sequ. cap. scilicet, quod tota terra Philistium, quæ diui-
ditur in 5. regulos nondum capta erat. Etiam tempore re-
gum non erat capta. Nam omnibus diebus Saul fuit bellum
Israëlitarum contra Philisthiūm i. Reg. 14. & ad hoc distin-
ixerunt viri quidam de Iudeis per omnem terram hostilem
missi ad describendum eam, & descriptionem attulerunt ad
Iosue, vt patet infra 18. & tunc datae sunt sortes. Hoc autem
quod hic dicitur de distributione terræ montanæ, campe-
stris, atque plane intelligitur quantum ad secundam diuiso-
nem terræ factam: bis enim fuit facta diuisio terræ Chanaan.

Primo enim diuiserunt Israëlitæ cæssantibus bellis totam terram, quam acquisiuerant non curantes de ea, quæ erat in manu hostium, nescientes an eam habituri essent, & ista diuisa præsupponitur seq.ca.in principio, scilicet, Iosue senex erat prouectusq; ætatis, & dixit Dominus ad eum, senuisti, & longævus es: terraq; latissima derelicta est, quæ necdum forte diuisa est. Et nominat ibi eam, quæ non erat diuisa: neceſſe est igitur, vt reliqua intelligatur esse diuisa.

Secunda diuisio fuit, quando tota terra, tam acquisita, quam non acquisita diuisa est iubente Domino, cum subdividatur ibidem: Ego sum, qui delebo eos à facie filiorum Israël, veniat ergo in partem hæreditatis Israël, sicut præcepit tibi, id est, diuide eam, & da cuilibet tribui partem illius, sicut dedisti de terra, quæ iam est acquisita. Hoc autem quod dicitur hic de diuisione facta intelligitur de secunda, quæ fuit vniuersalis. Et patet, quia hic ponitur omnis terra, cum dicatur montana, campestris, & plana.

In Aferoth. Hic ponuntur aliquæ regiones, in quibus erant

populi isti , quorum terra diuisa est Israëlitis. Et ponitur prima regio Aseroth , in quo sciendum , quod non ponuntur hic omnia loca , vel regiones terræ Chanaan , sed quædam regiones . Nam si deberent omnes nominari , siue sub nominibus specialibus , siue generalibus , oportebat dari nomina , quæ plura signarent . Causa autem quare non ponuntur omnes regiones expresse est , quia cum aliquid multoties dicendum est , sufficit semel illud complete enunciare , alias autem sufficiens est , & conuenientius tangi quomodo cunque : esset enim inutilis repetitio si id , quod decies repetendum necessitas exigit semper plene omnia reiterentur , sed saltem aliquid expresso alia intelligentur , & hunc modum scriptura obseruat . Vnde si aliquid bis debuerit narrare , non enumerabit semper illud complete , sed altera narrationum erit truncata . Velut communiter scriptura ponit si aliquid bis scribendum est , non ponitur aliqua vice complete , sed in una exprimitur aliquid , quod in altera subtinetur , & in alia è contrario , ita ut duæ narrationes vnam completam efficiant , cuius exemplum habetur Exod . 12 . vbi agitur de cæmeroniis agni paschalis , & ponitur vna narratio Dei ad Moysen , & Aaron , alia autem Moysi ad plebem , & in prima exprimitur aliquid , quod non in secunda , & in secunda aliquid , quod non in prima , & ita in multis aliis locis .

An Aseroth sit locus in solitudine.

Q V A E S T I O I X.

DE Aferoth non patet quis locus, vel regio sit. Et dicet aliquis, quod est locus in solitudine, vbi fecerunt mansionem Israëlitæ post sepulchra concupiscentiæ immediate, ut patet Numer. 11. in fine, & ibi murmurantibus Maria & Aaron contra Moysen, opera est lepra Maria. Numer. 12. Et forte hoc comprobatur, quia dicitur immediate, & in solitudine, Aferoth autem in solitudine est, ideo satis conuenit unum dici post alterum.

Sed non sicut propter duo, primo, quia in Aferoth non
habitauerunt aliqui de Amorrhæis, Hethæis, Pherezæis, de
quibus hic dicitur, quod habitauerunt in Aferoth. Nam Iu-
dæi cum steterunt in Aferoth nondum accederant ad ter-
ram Chanaan, tamen terra vbi habitabant Pherezæi, Amor-
rhæi, Heuæi, &c. est terra Chanaan, & nulla præter hanc est
terra Chanaan: ergo Aferoth, quæ est mansio Israëlitarum
apud sepulchra concupiscentiæ non est locus, de quo hic di-
citur. Etiam, quia cum Iudæi ibi steterunt nullos habebant
hostes, si tamen ibi habitassent Hethæi, Iebusæi, Pherezæi,
&c. habuissent hostes.

Secundum est, quia dicitur hic, & in solitudine, si tamen acciperetur Aseroth pro loco illo castrametationis, non diceretur, & in solitudine, quia non distinguitur pars contra suum totum, ita ut ponat in numerum, cum nullū esse pars habeat, quod non includatur in toto: solitudo autem est totum, & Aseroth est pars, quia est locus quidam in solitudine venientibus de monte Sinai in Cadesbarne, & est Aseroth in deserto Pharan, & est secunda mansio Israëlitarum in deserto Pharan, ut colligitur ex declaratis. Num. 10. & 13. in principio. Sed distinguitur hic Aseroth contra solitudinem, ergo non accipitur pro mansione illa, quæ vocatur Aseroth.

Confirmatio autem non tenet, sed magis est ex opposito: cum dicatur, quod Aferoth, & solitudo nominantur, & vnum est apud alterum, ideo verisimile est Aferoth accipi pro mansione illa.

Dicendum ex hoc met argui oppositum : nam si accipetur Aseroth pro mansione illa, non nominaretur hic solitudo, cum pars non ponat in numerum contra totum.

Sed dicendum, quod Aferoth est aliqua prouincia in terra Chanaan trans Iordanem ad plagam occidentalem, in qua habitabant aliquę partes horum populorum, vel aliquis de eis. Quod autem vocetur Aferoth sicut mansio illa, de qua Num. 11. & 12. atq; 33. nihil differt: nam multoties & equivocatur à casu idem nomen multis rebus, tam in propriis, quam in appellatiis, & adhuc magis necesse est fieri in propriis, quoniam nomina appellativa sunt specierū, quæ paucæ sunt, nomina autem propria sunt individuorum, quæ sunt valde multa, & quia voces non reperiuntur multæ, & equivo-

A

catur eadem res multis: sic est ratio Arist. in primo Elencho-
rum, quod æquiuocatio sit locus publicissimus, id est, com-
muniō inter omnes fallacias, quia sunt res multæ, nomina
vero pauca. Ita patet in hoc nomine Gessen, nam in Ægypto
est quædam terra, quæ vocatur Gessen, in qua manserunt Is-
raélitæ descendentes in Ægyptum, Genes. 7. in terra tamen
Chanaan erat alia prouincia, quæ vocabatur Gessen, vt pa-
tet supra 10. cum dicitur. In Cadesbarne, vsque Gazam om-
nem terram Gessen, constat tamen, quod non accipitur ibi
pro Gessen, de qua Genes. 47. cap.

Solitu-
do quo-
ndo
bit ac
spia-
cer.

Et solitudine. Non accipitur hic pro solitudine, quæ est de-
sertum Syn, quod est in latere meridiano terræ Chanaan, vt
patet Numer. 34. nam in ipso non habitauerunt Israélitæ,
quia desertum Syn, siue desertum Pharan idem est, vt decla-
ratum est Num. 13. est latus terræ Chanaan, est tamen de ter-
ra Arabiæ, & non est in eo aliquid de terra Chanaan, sed ac-
cipitur hic solitudo pro aliqua regione in terra Chanaan,
quæ non esset bene populata, & quantum ad hoc habet simi-
litudinem cum deserto, sicut accidit in terris nimis montuo-
sis, quæ raræ habitationis sunt repugnante natura loci, nisi
forte situs inconuenientiam fertilitas, aëris salubritas re-
compenseret.

Vel accipitur solitudo pro terra, quæ est coniuncta solitu-
dini, sicut est illa, quæ adiacet meridiano lateri, quod termi-
natur à solitudine Syn, vt patet Numer. 34. forte autem con-
uenienter dicetur vocari hic solitudinem terram montuo-
sam, quæ non est multum habitata, & tunc conuenienter di-
citur, quia quatuor populi istorum habitabant in solitudine,
id est, in montanis, scilicet, Hethai, Amorrhæi, Pherezæi, Ie-
busæi, vt patet præced. cap. cum dicitur: Chananæum quo-
que ab oriente, & occidente Amorrhæum, atque Hethæum,
& Pherezæum, & Iebusæum in montanis.

Si autem diceretur solitudo pro terra, quæ est apud soli-
tudinem, non staret tamen conuenienter propter duo.

Primo, quia coinciderent ista duo, scilicet, meridies, & soli-
tudo: nam solitudo, circa quam stat terra Chanaan est de-
sertum Syn ex latere meridiano, ex aliis autem lateribus non
habet solitudinem: nam ab occidente non est solitudo ali-
qua, sed mare magnum, quod est mare Philistinorum, & ip-
sum tenet totum latus occidentale, vt patet Numer. 34. cum
dicitur: Plagæ autem occidentalis à mare in agno termini in-
cipient, & in ipso fine claudentur. Non habet etiam à parte
orientali solitudinem aliquam, quia accipitur hic terra Cha-
nan pro terra nouem tribuum, & dimidiæ, & ista habet pro
fronte orientali frontem occidentalem duarum tribuum, &
dimidiæ, nulla enim solitudo intercidit, sed Iordanis, vt pa-
tet Numer. 34. A latere quoq; septentrionali non est aliqua
solitudo, sed alij termini de quibus præallegato capit. in solo
autem latere meridiano ponitur solitudo, & ista est solitudo
Syn. Hoc dato si accipiatur solitudo pro terra, quæ est apud
solitudinem coincident, quia idem erit meridies, id est, terra
meridiana, & terra apud solitudinem, cum nulla ibi sit, nisi
meridiana.

Secundo non conuenit, quia isti populi omnes, qui hic
dicuntur non habitauerunt versus partem illam meridiei,
sed magis quatuor istorum habitauerunt versus aquilonare-
rem partem in montanis, vt patet in præcedenti cap. magis
ergo conuenit expositio præcedens.

Et Meridie. Id est, in terra meridiana, scilicet, quæ inclina-
tur versus latus meridianum terræ Chanaan.

Aliquis dicet, quod scriptura posuit loca ista solum ad dis-
tinguendum gentes captas à non captis, quia dictura erat de
regibus, qui occisi sunt, & quia non pertinebant isti ad to-
tam terram Chanaan, non fuit tota expressa, sed sola loca, in
quibus commorabantur isti. Sed non stat, quia istæ gentes,
quæ ponuntur hic habitasse in Aseroth, & solitudine, atque
meridie, non solum erant illæ quarum loca iam capta erant,
sed etiam aliæ, quæ manebant: nam etiam Philistini de Cha-
nanæis erant, & de aliis gentibus etiam multi relicti sunt, sicut
ut patet Iudic. 3. c. vbi dicitur, quod reliquit Dominus quin-
que satrapas Philistinorum: omnem Chananæum, atq; Si-
donium, & Heuæum, qui habitabant in monte Libano, &
tamen omnes istæ gentes dicuntur habitasse in his tribus lo-
cis, ergo non potest accipi, quod ponantur solū ista tria loca,
vt intelligatur de gentibus, quæ ab Israélitæ deuictæ fuerant.

Sed dicendum est, vt supra, scilicet, quod ponuntur ha-
loca, & intelliguntur omnia alia, ne semper cogatur scriptu-
ra idem repetere.

Hethæus fuit, *Amorrhæus*, *Chananæus*, & *Pherezæus*, *Heuæus*, &
Iebusæus. Hic ponuntur omnes populi terræ Chanaan: nam
solum erant septem, quos promiserat Deus Israélitæ. Et si
arguatur, quia Genes. 15. ponuntur gentes decem, & ibi est
promissio facta, in qua exprimuntur gentes, quarum terra
danda erat.

Respondendum est, quod illæ gentes, quamquam pluri-
bus nominibus nuncupentur: cædem sunt his septem genti-
bus, quæ nominantur communiter.

Aliter respondebitur, quod septem illarum gentium fue-
runt data Israélitæ, tres autem reliquæ data sunt Ammoni-
tis, Moabitæ, & Idumæis, nam de qualibet istarum gentium
dicitur Deut. 2. quod Deus dedit eis possessionem, sicut de-
dit filiis Israël, & fuit hoc propter Abraham, nam Idumæi
descenderunt de Abraham per lineam rectam Isaac, cum de-
scendant ab Esau, & Esau est filius Isaac. Moabitæ autem, &
Ammonitis datae sunt singulæ gentes, quia licet non descen-
dant de semine Abraham, tamen quia erat Loth pater eoru-
m, & ille erat cōsobrinus Abrahæ filius fratri sui Nachor,
& frater vxoris eius Saræ, benefecit Deus filiis Loth propter
Abraham, & hoc signatur aliqualiter, quia Abrahæ reperiū-
tur decem gentes promissæ, aliis autem posterioribus factæ
sunt promissiones, sed nunquam reperiuntur, nisi septem
gentes: de his magis dictum est Deuter. 7. in principio, satis
tamen verisimile est, quod illæ decem gentes promissæ Abra-
ham sint septem gentes promissæ poltea omnibus de semine
eius, tamen aliqua de his gentibus diuidebatur, & habebat
multa nomina sicut Raphaim, & Amorrhæi. Nam Raphaim
dicuntur esse Gigantes magna Giganteæ staturæ, de quibus
descendebat rex Og, sic dicitur Deuteronom. 3. solus quippe
Og refitterat de stirpe Gigantum, & in Hebraeo dicitur de
stirpe Raphaim, & sic dicitur supra in litera, & sequenti cap.
quia ipse erat de reliquiis Raphaim. Nec solum ipse erat de
Raphaim, sed etiam in terra sua olim multi fuerant Gi-
gantes, vt patet Deuteronom. 3. scilicet, cuncta Basan terra Gi-
gantum vocatur. Et erant isti, qui dicuntur Raphaim, vt patet
ibidem ex litera Hebraica, quæ non ponit ibi Enacim, quod
est nomen commune Gigantum, sed Raphaim, quod signat
speciale prosapiam Gigantum: isti tamen Raphaim etiam
Amorrhæi sunt. Nam & rex Og, qui erat de Raphaim A-
morrhæus vocatur, vt patet Deuteronom. 3. & supra 2. vbi ipse,
& Sehon vocantur duo reges Amorrhæi, & sic est de quibusdam
aliis: quorum nomina duplicantur, & hoc potissimum
apparet, quia non ponuntur ibi omnia ista septem nomina
gentium, quæ communiter ponuntur, sed ponuntur in qui-
busdam duo nomina æquipollentia vni.

Ista pars forte est securior, quam alia, quia benedictio de
terra promissa Abrahæ compleri debebat in semine Abrahæ.
Etiam Idumæi, licet sint de semine Abrahæ, secundum car-
nem, tamen non pertinent ad semen illud, cui facta est re-
promissio, quia non obseruauerunt circuncisionem, quæ era-
rat signaculum distinctiuum populi Dei à ceteris populis,
re-promissiones tamen non siebant, nisi populo Dei, nec
complendæ erant in aliis. Hoc satis signat Apostolus ad Ro-
man. 3. cum enim dixisset in fine 2. ca. quod circuncisio, quæ
erat in mente laudabitur à Deo, & non quæ erat in carne, &
litera, & qui erat Iudeus in occulto non autem qui in mani-
festo. Diceret aliquis, quod tunc nihil utilitatis habuit cir-
cuncisio in Iudeis, & tota obseruantia legis, quia tantum
consequebantur gentiles fideles, & circuncisi, atq; seruantes
legem. Respondet Apostolus in principio 3. cap. dicens, quid
amplius Iudeo, & quæ utilitas circumcisionis? Multum per
omnem modum, primum quidem, quia credita sunt illi elo-
quia Domini, id est, data sunt eis promissiones, & non ad alias
gentes, quod ibi magis declaratur. In Ammonitis ergo
Moabitæ, & Idumæis non debebant compleri factæ promis-
siones, nec etiam fuissent completae in descendantibus à Ia-
cob, nisi filii eius circumcisionem obseruassent.

Item ista pars est securior, quia quando Deus promitte-
bat alicui de semine Abrahæ, quod promiserat Abrahæ, di-
cebat se completur id, quod iurauerat Abrahæ, & sub
iuramento præstito Abrahæ, sicut patet de Isaac, Genes. 26.

Tibi

D
Doct.
expo.
sitio.

E

F
Dott.
ment.

ATIBI enim & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum, quod sponpondi Abrahæ patri tuo, ergo oportet, quod completeretur in semine Iacob id, quod promissum fuerat Abrahæ, sed Abrahæ promissæ sunt gentes 10. Genesis 15. ergo semini eius datae sunt istæ 10. gentes, sed istæ gentes septem, quæ communiter nominantur sunt quarum terram Deus Israëlitæ tradidit, & non amplius: ergo 10. gentes promissa Abrahæ nihil addunt ad istas septem gentes, & quamquam satis rationabilis sit alia pars determinationis, conuenientior tamen ista est.

Sciendum amplius, quod hic non ponuntur omnes populi quorum terra promissa, & data fuit Israëlitæ: nam Gergesæ subticentur.

An Israelitæ pugnauerint contra populum Gergesæ.

Q V A S T I O X.

BLIQVI dicunt, quod contra hunc populum non pugnauerunt Israëlitæ, sed ipsæ sponte de terra cessit, antequam Israëlitæ pugnarent aduersus eum. Sed non stat, quia etiam pugnatur erant Israëlitæ contra Gergesæ, sicut contra ceteros populos: & Dominus deleturus erat illas ante faciem Israël, vt patet Deuteronomij 7. scilicet, cum introducerit te Dominus in terram, quam possessorus ingredieris, & deleuerit gentes multas ante te: Hethæum, Gergesæum, &c. Idem patet supra 3. cap. vbi ponitur Gergesæus: raro autem alibi nominatur. Ideo dicendum est, quod Israëlitæ pugnauerunt contra Gergesæos, sicut contra ceteros populos, & possederunt terram illorum, atq; deleuerunt Reges ipsorum, tamen raro nominatur, vel quia parvus populus erat, vel quia scriptura non curat exprimere semper: quia per alias populos intelligeretur: nam cum sepe fiat expressio horum populorum, non est necesse semper omnes exprimere: sed quibusdam expressis ceteri intelligentur ex causa supra assignata. Ne tamen intelligeretur penitus hunc populum non pertinere ad promissionem factam Israëlitis, & non fuisse pugnam Israëlitæ cum eo, aliquando exprimitur sicut supra 3. & Deuteronomij 7. & Genesis 15. quod autem ex hac causa sola subticeatur populus iste, patet; quia non solum iste populus subtiletur communiter, sed etiam interdum subticentur duo, vel tres de aliis populis, cum sermo fiat de tota terra Chanaan. Pater Exod. 23. vbi, cum loqueretur Deus de omnibus hostibus Iudeorum delendis ab Angelo Dei, & effugandis, solum expressi sunt Heuæi, Hethæi, Chananei, & subticentur quatuor gentes: aliquando autem sole quinque exprimuntur, & aliquando quatuor, & sic variis modis, prout placuit scriptori sacre scripturæ, quia in hoc nihil referebat sic, aut aliter scribere. Sciendum quod hic nominantur Amorrhæi, tanquam una de his gentibus, & solum accipitur pro Amorrhæis, qui erant ad partem Occidentalem Iordanis.

An hic computentur omnes gentes nouem tribuum, vel omnium.

Q V A S T I O XI.

DICET enim aliquis non solum computari hic gentes, quæ erant in terra nouem tribuum, & dimidiæ trans Iordanem ad Occidentalem plagam, sed etiam gentes existentes in terra duarum tribuum, & dimidiæ, & hoc quia nominantur hic Amorrhæi, sed hi habitabant in parte duarum tribuum, & dimidiæ, cum dicatur quod illa erat terra duorum regum Amorrhæorum, vt patet Deuteronomij 3. Respondendum est, quod quamquam in terra duarum tribuum, & dimidiæ habitarent Amorrhæi, cum ambo reges terræ illius dicantur Amorrhæi: tamen adhuc Amorrhæi habitabant in terra nouem tribuum, & dimidiæ, quia Amorrhæi erant unus populus magnus de illis septem, & non capiebantur omnes in terra, quæ erat ad Orientalem partem Iordanis, quæ erat duarum tribuum, & dimidiæ, sed morabantur plurimi eorum in terra nouem tribuum, & dimidiæ ad Occidentalem partem Iordanis: & ibi habitabant etiam alii Reges, vt

patet supra 5. cum dicitur: Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad Occidentalem plagam, &c. Ponuntur autem hic isti populi ad signandum, quod Reges, qui immediate subduntur, fuerant de omnibus his populis: & quanquam subticeatur Gergesæus, tamen etiam ipsius Reges aliqui erant horum, qui occisi leguntur.

Rex Iericho vnuus. Nominat scriptura Reges istos per Regnum expressionem, & non exprimendo nomina eorum, quia hoc nihil conferebat, si enim expressa fuissent solum nomina 31. Regum, sicut expressa sunt nomina 31. Regnum, nihil patuerit de qua terra, aut regione isti essent: si vero exprimerentur nomina Regum, & Regnum, nomina Regum essent posita ex superuacuæ: & nihil magis eis expressis, quam non expressis notum fieret, quod dicitur. Aliquando tamen exprimuntur, sicut supra in Rege Sehon, & Rege Og: sed in hoc non multū differt: non enim erat necessitas stylis sic, aut sic fieri. Ponitur primus Rex Iericho, quia iste fuit Rex primus in ordine, quem occiderunt Israëlitæ transito Iordanem, vt patet ex ordine huius libri, & ciuitatem eius posuerunt in anathemate, de quo supra 6. cap. Est autem Iericho in forte tribus Beniamin, & ibi incipit. Nam prima in ciuitatibus eius computatur Iericho, vt patet infra 18. & est Iericho in terra Israel versus partem Meridianam, distatq; à Ierusalem 13. milliariis, id est, leuci sex, & dimidia ad Orientalem eius plagam declinando versus Boream aliqualiter: nam magis Meridiana est Ierusalem, quam Iericho, vt patet in libro de divisione terræ sanctæ. De hac vrbe fuit Raab meretrix, quæ Ierichontina dicitur, & abscondit exploratores, supra 2. ponitur autem in genealogia Saluatoris coniuncta Salmon de principibus tribus Iudæ. Matth. 1. c. De hac vrbe etiam fuit Zachæus statuta pusillus, qui cum desideraret videre vultum Christi prædicantis, & non posset, quia pusillus erat aliis ante eumstantibus ascendit in arborem sicomorum, quæ dicitur ficus fatua Latino more. De hoc Lucæ 19. De hac vrbe egressi sunt pueri 42. illudentes Eliseo Prophetæ, atq; dicentes: ascende calue, ascende calue: cum ascenderet in Bethel, & maledixit eis in nomine Domini: egressi autem dico vrsi de saltu lacerauerunt ex multititudine puerorum 42. De quo 4. Regi 2. cap. Duobus milliariis ab vrbe Iericho, id est vna leuca vulgari est mons altissimus, qui vulgariter Quadrantana dicitur, in quo Dominus Iesus quadraginta diebus ieunauit, ibique eum tentauit diabolus, de quo Matthæi 4. cap. Duobus milliariis à Quadrantana versus Galilæam, scilicet versus Borealem partem est mons alius excelsior Quadrantana, in quem duxit Christum diabolus, & ostendit illi omnia regna terræ, dicens: Hæc dabo tibi, si cadens adoraueris me: de quo Matthæi 4. ca. Apud vrbe Iericho iuxta viam, quæ dicit in Ierusalem, cæcus mendicans à Domino illuminatus est. Lucæ 19. cap. Apud vrbe Iericho duobus milliariis à Iordanem est Hethagla, quod interpretatur locus gyri: eo quod ibi plangentes circumserunt funera Iacob filij eius, & tota gens sua, referentes eum de Ægypto in Hebron tumulandum in spelunca duplice. De hoc Gen. 50. cap.

Rex Hai, que est ex latere Bethel vnuus. Ille est secundus Rex secundum ordinem temporis in bello. Nam postquam Israëlitæ expugnauerunt Iericho miserunt pugnatores in vrbe Hai, vt patet supra 7. & fugatis illis, atque casis 36. iterum Israël cum toto exercitu venit in vrbe Hai, & simulata fuga, positisque insidiis ceperunt vrbe, occideruntque vniuersos, supra 8. ipsum quoque Regem patibulo affigentes tandem in introitu vrbis sepelierunt congregato super eum aceruo lapidum in memoriam æternam eodem cap. Ista vrbis est in tribu Beniamin, cum sit in latere Bethel, & Bethel sit in tribu Beniamin, infra 18. cap. Dicitur esse Hai ex latere Bethel, quia istæ duæ vrbes erant coniunctæ: apud eas Bethuem, vt patet supra septimo. Ideo cum pugnarent viri de vrbe Hai contra Iosue, viri quoq; de Bethel egressi sunt in pugnam, & vtrique reliquerunt portas patentes vrbis suæ, vt supra octauo, non fuit tamē tunc capta vrbis Bethel, sed multo post tempore, scilicet mortuo Iosue, de quo Iudicum primo, & dicitur esse ex latere Bethel non quidem ex latere Meridiano, aut Septentrionali, sed ex latere Orientali: nam Bethel erat in monte quodam ad Occidentalem plagam, & Hai ad Orientem parum distans: media autem interiacebat vallis, in qua

Mons
in quo
Chrif
ieunau
uit.

F

Sites
Hay.

A Abraham habitauit magno tempore tendēs tabernaculum, & constituens altare ad inuocandum nomen Domini, de quo Gen. 12. dicitur, & inde transgrediens ad montem, qui est ad Orientem Bethel tetendit ibi tabernaculum suum, ab Occidente habens Bethel, & ab Oriente Hay.

An Ierusalem, & Bethel sint idem. Et situs vrbis Hebron, & eius memorabilia, & insignia antiquitatis.

Q V A E S T I O XII.

Ex hoc loco falli patet illos, qui dicunt Ierusalem, & Bethel esse eundem locū, quia hic ponuntur tanquam duo loca, cum dicatur hic, quod rex Bethel fuit unus de occisis, & deinde interiectis quibusdam dicitur, quod rex Ierusalem fuit unus. Nec poterit aliquis dicere, quod hic est replicatio eiusdem, sicut interdum consuevit facere sacra Scriptura, & quod cum dicatur semel rex Bethel unus repetatur iterum rex Ierusalem unus. Nam hic ponuntur 31. reges, ut concluditur infra in fine literæ, si autem esset idem rex Bethel, & Ierusalem, solum essent 30. reges, ut patet computando, necesse est igitur, quod ponantur tanquam duo reges, & consequenter sint duo loca.

Item patet Iudicium 1. quia cum dictum sit de captione vrbis Ierusalem, subditur postea de captione vrbis Bethel. Et patet hoc infra 18. vbi ponuntur ciuitates prouenientes in sorte Beniamin, quia ibi ponitur Bethel, & postea interpositis quibusdam ponitur Ierusalem, & non potest esse ibi replicatio eiusdem, quia ibi ponitur numerus ciuitatum illarū, & si ponatur eadem vrbis Bethel, & Ierusalem non stabit numerus assignatus ibidem in litera: impossibile est igitur esse eundem locum Bethel, & Ierusalem. De hoc magis dictum est Gen. 12. & 28. & supra 8. c. & ibi vide.

Rex Ierusalem unus. Ille etiam in ordine tertius fuit: nam iste fuit rex Adonisedech præcipius inter illos quinque qui pugnauerunt contra Gabaon: ipse enim conuocauit quatuor alios reges, scilicet regem Eglon, regem Hebron, regem Ierimoth, & regem Lachis, ut patet supra 10. & postea fugientes à facie Israel absconderunt se in spelunca vrbis Macea, ibique comprehensi patibulo affixi sunt, vsque ad Solis occasum, ut patet eodem c. Sciendum, quod quamquam rex Ierusalem occisus est viuente Iosue, vrbis tamen Ierusalē non fuit capta eo viuente, sed post mortem illius ascendentibus filiis Iuda pugnauerunt contra eam, atque ceperunt, ut patet Iudic. 1. ista vrbis est in sorte Beniamin, ut patet infra 18. cap. sed filii Iuda in ea habitauerunt, & contra eam pugnauerunt, ut patet infra 15. & Iud. 1. de causa huius ibi dicetur.

Rex Hebron unus. Ille fuit unus de quinque regibus pugnatis contra Gabaon, & latentibus postea in spelunca atque suspensis, de quo supra 10. & post mortem eius satis magno tempore capta est vrbis eius Hebron, ut fuit declaratum præced. c. nam non cepit eam Iosue, sed Caleb, cum esset dux in tribu Iuda. De quo Iud. 1. c. de regibus tamen qui computantur hic verum est, quod fuerint omnes occisi tempore Iosue. De vrbis Hebron dicendum, quod sit in sorte tribus Iudeæ, ut patet infra 15. fuit etiam postea ista ciuitas data sacerdotibus, cum de qualibet tribu darentur aliquæ vrbes sacerdotibus, & Leuitis infra 21. In hac vrbis gigantes fuerunt tres, de quibus infra 15. & Iud. 1. quos inde delevit Caleb. Ad istam vrbem solam venisse leguntur exploratores Iudeorum, cum lustrauerunt terram Chanaan, & videntes ibi tres gigantes conceperunt spiritum murmurandi, ut patet Num. 13. cap. In Hebron dicitur formatus fuisset Adam, & ibi postquam eiesus est de paradiſo vixisse perhibetur, atq; ibidem mortuus, & sepultus est, ut patet infra 14. cum dicitur. Adam maximus inter Enacim situs est, id est, primus Adam, scilicet primus homo situs est, id est iacebat sepultus inter Enacim, id est, inter gigantes, qui habitabant in Hebron. Vocatur Hebron alio nomine Mambre, ut patet Gen. 23. scilicet sepeliuitq; Abraham vxorem suam Sarah in spelunca duplice, quæ respiciebat Mambre, hæc est Hebron in terra Chanaan. Vocatur etiam Cariatarbe, id est, ciuitas quatuor, quia ibi iacent sepulti quatuor Patriarchæ, & quatuor eorum vxores. scilicet Adam, & Eua: Abraham, & Sara: Isaac, & Rebecca: Jacob, & Lia. De Adam patet infra 14. in fin. De Eua non patet, sed communis auctoritas est, quod apud eum sepulta fuerit, & rationabile satis est,

quia ista est consuetudo coniugatorum, ut virorum sepulchra sequantur vxores, scilicet quod tumulentur in eodem, vel iuxta eundem locum. De Abraham patet Genes. 25. De his duobus, & de Isaac, & vxore sua, & de Lia vxore Jacob patet Gen. 49. cum dicitur: Ibidem sepelierunt eum, id est, Abraham, & Sarah vxorem eius: ibi sepultus est Isaac cum Rebbecca coniuge, ibi qui quoque Lia condita iacet. De Jacob qui solus supereft, patet, quod iussit se ibi sepeliri. Gen. 49. postea autem filii illius cadaver eius de Ægypto intulerunt. Ge-

D

50. c. Est autem iuxta Hebron vallis lachrymarum, quæ ideo sic dicitur, quia in ea Adam centum annis luxit filium suum Abel occisum à Cain, in qua postea monitus ab angelo cognovit Euam vxorem, ne sancta posteritas intercisa foret, & ne saluator de iniquo semine nasceretur. De hoc in libro de situ terræ sanctæ. Duobus miliaribus ab vrbis Hebron sepulitura Loth nepotis Abraham, id est consobrini est. In Hebron est ager quidam, cuius terra est rubea, quæ ab incolis effodiatur, & comeditur, & per Ægyptum venalis apportatur, & quasi pro specie aromaticæ carissimè venditur, in quo satis magnum appareat miraculum, quia quantum ager ille profundè effossus fuerit, toto anno ad educendam terram, tantum anno sequenti reintegratur, ita ut semper terra inde effodiatur, & tamen nihil per successiones seculorum deficeret videatur. Apud Hebron est mons Mambre, ad radicem cuius est terebinthus, quæ ilex, vel quercus dicitur, sub qua multum temporis mansit Abraham, ut patet Gen. 18. sub hac etiam angelos tres hospitio suscepit, & panit. Mansit autem ilex illa restante Hieronymo, vsq; ad tempus Theodosij Imperatoris Christianissimi, postea autem alia ibidem fuit, quæ ex illa genita perhibetur, & ab incolis chara tenebatur: nam ad multos usus medicaminum sumebatur. De his in libro de Descriptione terræ sanctæ.

Terra
comestib
ilita, q
nunq
deficiat.

Rex Ierimoth unus. Ista ciuitas Ierimoth est in sorte tribus Iudeæ, ut patet infra 15. c. & fuit ille Ierimoth unus de quinque regibus, qui pugnauerunt contra Gabaon, & latuerunt in spelunca atque suspensi sunt, ut patet supra 10. cap.

Rex Lachis unus. Ille etiam est de regibus quinq; suspensis, & latentibus in spelunca. Est autem Lachis in sorte tribus Iudeæ, ut patet infra 15. c. nomina istorum quinque Regum non ponuntur hic, ponuntur tamen supra 10. nam rex Ierusalem vocabatur Adonisedech: rex Eglon vocabatur Dabir: rex Hebron vocabatur Obam: rex Ierimoth erat Pharan: rex Lachis erat Iaphie. Ista ciuitatem Lachis commemorat Micheas. c. 1. scilicet tumultus quadrige stupori habitanti Lachis, & agitur de captiuatione Iudeorum ibi.

Rex Eglon unus. Ille erat de quinque regibus suspensis, & latentibus: postea autem capta est vrbis eius à Iosue. Est Eglon in sorte tribus Iudeæ, ut patet infra 15.

Rex Gazer unus. Quantum ad reges istos sequentes an obserueretur ordo temporis in captione, vel occisione non patet, & forte sciri non poterat, quia multi eorum perierunt eodem impetu in bello contra Israel congregatis multis regibus ad aquas Meron, de quibus præced. cap. Ista ciuitas Gazer est in sorte filiorum Ephraim, ut patet infra 16. & pugnauerunt contra hanc Ephraitz, sed non occiderunt Chananæos, qui habitabant in Gazer accipientes eos in tributarios, vsque ad tempora Samaelis, cū scriptus est liber iste, ut patet infra 16. cum dicitur. Et non interfecerunt filii Ephraim Chananæum, qui habitabant in Gazer: habitauitque Chananæus in medio Ephraim, vsque in diem hanc tributarius. Rex tamen Gazer occisus est, quia forte in bello apud aquas Meron mortuus est.

Rex Dabir unus. In hac vrbis, sicut in ciuitate Hebron habitauerunt gigantes, ut patet præced. cap. cum dicitur. In illo tempore venit Iosue, & interfecit Enacim de montanis Hebron Dabir, & Anab. Ista ciuitas fuit detenta ab Othoniele fratre iuniore Caleb, nam dixerat Caleb, qui percussit Cariathsepher, id est Dabir dabo ei Axam filiam meam in vxorem, & tunc percussit eam Othoniel, & accepit Axam in vxorem, ut patet infra 15. & Iudicium primo. De ista vrbis an fuerit bis capta scilicet semel à Iosue, & postea ab Othoniele, vel solum semel, & si simel quis eam ceperit, nunquid Iosue, vel Othoniel declaratum est in fine præcedentis c. Ista vrbis Dabir vocari solet Cariathsepher, id est ciuitas literarum, & erat nomen eius antiquum: postea autem vocata est Dabir, sicut patet Iudic. 1. & ob hoc quādō Caleb locutus fuit de vrbis illa non

Vrbis
Hebro
situs.
Vbi Ad
am vi
xit po
qua eis
Etus est
de pa
radiso.

Sepul
chrum
Adæ
Patri
archa
rum.

A non vocauit eam Dabir, sed Cariathsepher, dicens: Qui per cufferit Cariathsepher, dabo ei Axam filiam meam.

Rex Gader vnius. Ista ciuitas est in sorte Iuda, vt patet infra 15.c. ista non est ciuitas famosa, quia non reperitur aliquid gestum in ea, vel ab ea.

Rex Hermavnius. Ista ciuitas fuit in sorte filiorum Iuda, vt patet infra 15. & capta est à Iosue, quamquam aliqui libri habent Harma, sed non multū differt, quia in nominibus propriis translatis de Hebreo, scriptores nostri non curant multū obseruare proprietatem vocum in scribendo.

Rex Gered vnius. Ista ciuitas est in tribu Iuda, sed non de famosis infra 15.

Rex Lebnavnius. Et ista ciuitas in tribu Iuda, vt patet infra & fuit de primis ciuitatibus, quæ captæ sunt à Iosue. Nam in die qua stetit Sol, & suspensi sunt quinque reges fuit capta, vt patet supra 10. cum venerit eodem die de Maceda in Lebna, & oppugnauerit urbem, atque ceperit, & inde transierit in die eadem ad urbem Lachis, quam cepit sequenti die post stationem Solis, ibi: Vrbs Lebna est inter Macedam, & Lachis. Nam cum suspensi fuissent reges quinque, apud Macedam, transiuit inde Iosue in Lebna die eodem, & cepit eam, & inde die eodem transiuit in Lachis, vt patet supra 10. capitulo.

Rex Odullam vnius. Est ista vrbis in tribu Iuda, vt patet infra 15. ad hanc urbē venit Iudas, cum declinauit à fratribus suis, & cepit vxorem nomine Sue: quod patet, quia pater puella erat Chananæus Odullamites. Est autem Odullamites vir habitans in Odullam. De hoc Gen. 38. ibi etiam habitauit ipse, & genuit tres filios ex vxore, deinde duos filios ex nuru sua Thamar per fraudem ipsius Thamar: præallegato cap.

Rex Marcedavnius. Ista vrbis est in sorte Iuda, vt patet infra 15. apud hanc latuerunt reges quinque in spelunca, quæ dicitur vrbis Maceda die, qua stetit Sol precibus Iosue, & educatos de spelunca suspendit Iosue in eodem loco: eodem autem die cepit Iosue urbem Macedam, & occidit omnes, qui in ea erant, & regem eius, vt patet supra 10. cap.

Rex Bethel vnius. Ista ciuitas est in sorte Beniamini, vt patet infra 18. & est satis Orientalis in tribu illa non multum distans à Iericho. Apud hanc habitauit Abraham, cum primo venit in terram Chanaan, & fixit altare in valle apud illam Genesis 12. capitu. & ista est, quæ vocatur Luza, vt patet Gen. 28. & infra 18. atque Iudicum primo. Hanc urbem non cepit Iosue, sed filii Iuda post mortem eius, cuius modus habetur Iudic. 1. cap. De Bethel ista dicitur, quod ibi positū fuerit idolum aureum à rege Ieroboam, nam duos vitulos fecit, posuitque unum in Bethel, & alterum in Pan, vt patet 3. Regum 12. propter quod aliqui dixerunt Bethel, & Bethauen esse idem, quia Bethauen in Hebreo idem est quod domus idoli, quod conuenit Bethel. Et dicunt hoc nomen postea fuisse positum à casu, sed de hoc supra 8. declaratum est, quod non sit idem locus.

C *Quo tempore occisus est Rex Bethel.*

Q V A S T I O XIII.

DE rege Bethel quomodo tempore Iosue fuerit occisus, cum vrbis eius non fuerit capta usque ad mortem Iosue, vt patet Iudi. 1. aliquis dubitabit. Et responderi potest, quod fortè iste fuit unus de regibus illis, qui conuenerunt contra Israëlitæ ad aquas Meron, & ibi mortuus est, ciuitas sua tamen non fuit capta, sicut accidit in aliis regibus, & gentibus ibidem. Nam uno impetu prostrauit Iosue omnes, qui erant ad aquas Meron quosdam Occidens, & alios in fuit, non tamen ob hoc immediate cepit vrbes eorum, gam sed multo tempore pugnauit contra reges istos, vt patet præcedenti cap. ita & de rege Bethel, accidit enim, quod caderet ipse in bello, & tamen vrbis eius non fuit postea capta à Iosue, sed mortuo eo capta est ab Israëlitæ.

Aliter responderi potest, quod hic non solum ponuntur reges, quos occidit Iosue, sed etiam quos Occiderunt Israëlite post mortem Iosue, usque ad tempus, quo scriptus est liber iste, quia supra dicitur. Isti sunt reges, quos occiderunt Iosue, & filii Israel, & tenetur ibi, & de copulato extremo, & non copulatiuè, ita quod non simul occiderunt, nec omnes

Iosue cum filiis Israël occidit, sed quosdam Iosue cum Israëlitæ, & quosdam Israëlitæ per se deleuerunt, & sic dicetur, quod iste rex Bethel fuerit occisus post mortem Iosue ab Israëlitæ, quando capta est ciuitas eius. De qua Iudic. primo. uterque modus satis est conueniens.

Rex Thaphua vnius. Ista vrbis reperitur in duabus tribus, ita quod fuerint duas ciuitates eiusdem nomiuius: nam reperitur Thaphua in tribu Iuda, vt patet infra 15. reperitur etiam in sorte Ephraim, vt patet infra 16. de qua vrbis harum fuerit rex, de quo hic dicitur, non potest patere manifestè, sed satis colligitur, quod sit de tribu Iuda, quia in tribu Ephraim non ponitur, tanquam ciuitas, sed tanquam terminus illius sortis: ciuitas autem, quæ est in extremitate sortis vnius, est terminus illius, & alterius coniunctæ sortis.

Rex Ophervnius. De isto Opher non inuenitur, in qua tribu fuerit, causa est, quia infra cum describuntur sortes omnium tribuum non describuntur omnes ciuitates earum, sed quædam subcentur, & quædam tribus sunt, in quibus nullius vrbis nomen forte exprimitur, sed soli termini possessionis, vt patet infra 16. & 17. & partim 19. & in his erant aliquæ ciuitates, de quarum regibus nesciunt, & tamen exprimuntur hic reges, & non poterit sciri de quibus tribubus vrbes illæ sint.

Rex Aphec vnius. Ista ciuitas est in sorte tribus Aser, vt patet infra 19. & erat ista ciuitas circa partem Occidentalem sortis huius. Quod patet, quia erat iuxta terram Philistinorum, quæ erat apud Mare magnum, quod est terminus Occidentalis terræ Chanaan. Num. 34. & ob hoc vocatur mane Philistinorum istud, vt patet Exod. 23. Quod autem Aphec sit apud terram Philistinorum patet, quia Philistini venientes contra Iudeos, castra fixerunt in Aphec, vt patet 1. Reg. 4. patet etiam hoc, quia sequenti cap. cum ponuntur termini Philistinorum, & confinia corum dicitur usque ad Apheca. Sed Apheca, & Aphec idem sunt: sunt tamen ista varietates ex conditione Hebraica, quæ interdum sic terminat dictiones: sicut patet de Dabir, quæ interdum vocatur Dabir, vt patet sequenti c. & infra 15. atque primo Iudi. interdum Dabira, vt supra 10. sc. Inde reuersus Dabira. Et sic Iudei pro Ægypto interdum dicunt Mizraim, & interdum Mizraima. Conuentudo autem Latinæ idiomatis non imitatur hæc, nisi rarissimè. De ista vrbis Aphec dicendum est, quod etiam reperitur in tribu Iuda, vt patet infra 15. pro qua autem harum accipiatur, non patet. Dicit aliquis, quod Aphec vnius ciuitas est, & ista est solum in tribu Iuda. In tribu autem Aser non ponitur tanquam ciuitas, sed tanquam terminus, & sic est de multis ciuitatibus alius vt patet infra 15. usque ad 20. de Taphua est sic, quæ ponitur in sorte filiorum Iuda, tanquam ciuitas, & in tribu filiorum Ephraim, tanquam terminus eorum, vt patet infra 16. cap. Respondendum est non stare, quia Aphec ita ponitur, vt ciuitas in tribu Aser, sicut in tribu Iuda, vt patet infra 19. cù ponatur ibi numerus ciuitatum, de quibus est una Aphec, & infra 15. de numero ciuitatum est una Aphec, vt colligitur ex summa earum postquam enumerata sunt: ergo utrobius ponitur ut ciuitas, unde necessario est duplex Aphec.

Rex Saron vnius. Aliqui putant esse eandem ciuitatem istam, & eam, quæ habetur in sorte filiorum Isachar, infra cap. 19. & vocatur Seron.

Sed non conuenit, quia illa in Hebreo vocatur Sio, & in nostro more deberet vocari Sehon, ideo magis dicendum est, quod ista ciuitas sit de illis, quæ non habentur in descriptionibus, quia non exprimuntur omnes: cum in quibusdam tribubus soli termini ponantur, & non ciuitates,

Item dissonat hic litera nostra ab Hebreo, quia in Hebreo dicitur Lasaron, tanquam una dictio, & hic dicitur Saron. Sed hoc videtur tanquam articulus fortassis, & sic litera nostra accepit, licet in Hebreo non sit propriè articulus talis, sed ha, hu, & hi, sicut in vulgaris nostro est el, & la, los, & las. suppressit tamen litera nostra, quia nunquam alibi reperit Lasaron, sed solum Saron.

Rex Madon vnius. Ista ciuitas non inuenitur in descriptione sortium cuiuslibet tribus, nec alibi videtur expressum ad quam tribum pertinuerit ex causa supra assignata in aliis vrbibus.

Rex Asor vnius. Ista Asor reperitur ter. s. bis in sorte Iuda, vt patet infra 15. & semel in tribu Nephthali, nec appetat certissimè de qua harum intelligatur, sed videtur, quod magis accipiatur pro Asor, quæ est in tribu Nephthali, quia rex vrbis huius

erat

A erat famosus, de quo præcedenti cap. dicitur, quod antiquitus omnia regna terræ illius erant sub principatu Asor: illa enim necessario regem haberet, alia duæ Asor fortè non habebant reges: immò satis videtur, quod non haberent, quia illæ capta sunt, & ceciderunt in partem filiorum Iuda: hic tamen dicitur, quod unus rex Asor solum captus, siue occisus est, ergo non habebant alia reges, sed illa, de qua præcedenti ca. regem habebat, cum dicatur ibi de Iabin rege Asor, & Iadic. 4. cap. ergo de illa intelligitur, cum dicitur unus rex Asor: illa tamen erat aquilonaris, quia Iabin rex illius quando conuocauit reges contra Israel, conuocauit eos de parte aquilonari, sc. radicibus Hermon: ergo ipsa etiam erat in terra illa, quod conuenit ciuitati Asor, quæ est in tribu Nephthali: nam Nephthali est habens sortem aquilonarem, cum sortes incipiunt ab Oriente in Occidente per latus Meridianum tangendo se lateraliter, & primæ sunt magis Meridiane, aliæ autem sunt magis aquilonares, sors autem Nephthali est sexta, idèo necessario est multum aquilonaris, nam post eam non manet alia tribus, nisi Dan cuius sors tangit Septentrionale latus, ut patet infra 19. e. ideo magis dicendum est Asor ista esse in latere aquilonari, & in sorte Nephthali, quam in sorte Iuda.

B Situs Asor. *Rex Semeron unus.* Ista ciuitas Semeron est in sorte Zabulon, ut patet infra 19. cap. cum rex iste venit ad bellum contra Iudeos ad aquas Meron: nam iste fuit de primo vocatis à rege Iabin, ut patet præced. cap. nec multum iste duæ vrbes inter se distant.

Aliqui putant istam esse Samariam, sed falluntur, quoniam Samaria nondum condita erat, cum hęc siebant, fuit autem postea condita à quodam rege degenere Ieroboam regis Israeli, ut patet 3. Regu. 16. nam rex Amri emit montem dictum Somer duobus talentis argenti, & fecit in eo ciuitatem appellans eam Samariam, ut patet in eod. ca. quod multo post fuit, ergo Semeron, vel Semron non est Samaria.

Rex Achsaph unus. Ista ciuitas Achsaph est in sorte Aser, & non multum distat à ciuitate Semeron prædicta, cum sit vna in tribu Aser, & alia in tribu Zabulon, iste autem duæ tribus erant coniunctæ, ut patet infra 19. & ob hoc cum vocati sunt isti reges ad bellum à Iabin rege Asor, ut patet præced. ca. simul nominantur, cum dicitur. Misit ad regem Semeron, & ad regem Achsaph.

Rex Thenach unus. Ista ciuitas est in sorte filiorum Manasse, ut patet infra 17. sc. in parte dimidiæ tribus Manasse, quæ accepit sortem ad Occidentalem Iordanis plagam, alia autem medietas acceperat sortem ad partem Occidentalem cū Ruben, & Gad, ut patet supra in litera, & sequenti cap. De hac vrbe etiam dicitur Iudicum primo, scil. quod Manasse non deleuit habitatores Thenac, quia non præualuit: postea autem præuentibus Israëlitis, subiecti fuerunt isti, nec tamen deleuit eos Israel, sed fecit tributarios, ut patet ibidem.

C In Mageddo morte obiit Iosias. *Rex Mageddo unus.* Ista ciuitas est in tribu dimidia Manasse, & est apud Thenac, ut patet infra 17. & ob hoc simul nominantur hic. Etiam de hac vrbe Mageddo à principio non potuerunt Israëlitæ delere Chananæos, postea autem confortati cum potuissent subiictere eos, non deleuerunt, sed fecerunt tributarios. Iudic. 1. capitulo. Ista ciuitas Mageddo est, in qua mortuus est Iosias à sagittariis Pharaonis regis Ægypti, cum admonuisset eum Pharaon, ut rediret in domum suam, & ob hoc omnes cantores, & cantratrices in consuetudinem ducunt apud hebraeos potissimum antiquitus cum aliqualiter viguerunt in arte rhetorica planctum Iosiae facere. Fecit autem hoc potissimum Ieremias lege metrica in libro Threnorum. Sic patet 2. Paralipo. 35. & de hoc etiam 4. Reg. 23. cap. Fuit autem tunc solennis planetus Iudæorum, vnde Propheta quasi pro notissimo, & solenni memorant planetum Mageddo, sicut patet Zahar. 12. cum dicitur. In die illa erit magnus planetus in Ierusalem, sicut planetus Adadremmon in campo Mageddon.

Rex Cades unus. Iste rex habuit vrbum in sorte filiorum Nephthali, infra 19. cap. & est ista vrbs apud Asor vrbum magnum, ut patet eodem cap. cum ponantur simul, & ista vrbs est in Galilea, ut patet infra 20. fuit etiam data in ciuitatem confugij, ut homicidae, qui obnoxij erant, illuc confugerent eodem capitulo.

Rex Iachanan Carmeli unus. Aliqui libri habent rex Iacha-

D nan unus rex Carmeli unus. Sed corrupti sunt, quia in litera hebraica, vbi distinctus ponuntur reges isti, quam apud Latinos cum quedam speciali distinctione à reliqua litera ponitur tanquam unus rex.

Item non stat, quia omnes reges computati hic sunt 31. ut patet infra in summa posita in litera: si tamen computentur isti tanquam duo reges, erunt 32. reges, sed est hic duplex nomen ciuitatis. Carmelus autem est nomen montis, & terre, sc. quod iste erat rex urbis illius, quæ vocabatur Iachanan, & totius Carmeli montis, vel prouinciae illius. Similis modus est infra, cum dicitur rex Dor, & prouinciae Dor unus, vel potest dici hoc, quia Iachanan ciuitas erat in monte Carmelo, in qua autem tribu sit ista ciuitas non pater, quia non est in descriptionibns istis, sed subtiliter, ut dictum est de aliis.

Rex Dor, & prouincie Dor unus. Dor est ciuitas cuius erat iste rex, qui computatur, & illa habebat aliquam prouinciam subiectam sibi, & toti illi dominabatur rex Dor. Dicunt grammatici, quod ad differentiam ciuitatis huius non reperitur prima persona passiva in isto verbo do, das dedi, sed ista positiva sunt, & non reperitur ratio fundamentalis. Ista ciuitas erat apud mare Occidentale terræ Chanaan, & rex huius venit ad bellum contra Iudeos ad aquas Meron, ut patet præced. cap. cum dicitur. Et in regionibus Dor iuxta mare. Erat ciuitas ista in sorte Manasse in dimidia parte ad Occidentalem plagam Iordanis, ut patet infra 17. & Iudicum primo. De hac vrbe non fuerunt exclusi Chananæi ante mortem Iosue, & post mortem illius per aliquantum tempus non potuerunt, postea autem confortati non deleuerunt eos, sed subiecerunt in tributarios, ut patet præallegatis cap.

Aliqui existimant Dor, & Endor esse eandem urbem vel esse idem nomen, sed dicunt Endor esse per compositionem & signat Endor fontem Dor, quia en, colore, fontem, & colum signat in Hebreo. Sed non stat, quia ponuntur Dor, & Endor tanquam duæ ciuitates, & ambæ sunt coniunctæ, & in tribu Manasse infra 17. ca. vnde de Phitonissa, ad quam iuit Saul dicitur, quod erat in Endor, ut patet. I. Reg. 28. cap.

Rex gentium Galgal unus. Sciendum, quod Galgal est nomen ciuitatis, & in hac ciuitate habitabant gentes variae, vel in regno huius regis, ideo vocatus est rex gentium.

E An in ciuitate Galgal habitarent multæ gentes. Et de Galilæa gentium, que sit, & vnde sic dicta.

Quæstio XIV.

F **D**icitur Nico. quod in ciuitate ista Galgal habitabant gentes multæ, sicut in ciuitate Parisiensi, ideo vocatur Galgal gentium. Sed forte rex Galgal magis vocatur rex gentium, quia licet in ciuitate sua non essent gentes de diuersis regnis, habebat tamen in regno suo plures gentes, scilicet, quod Chananæi distinguebantur in septem populos, de quibus supra in litera, & habebant isti reges distinctos. Nam, & quilibet horum populorum multos reges habebant, ut patet, quia cum solum essent septem populi, erant plures, quam 40. aut 50. reges, nam hic sunt 33. cum duobus, quos occidit Moyses ante transitum Iordanis, de quibus etiam patet in litera. Iste tamen rex accidit, quod haberet gentes de duabus, vel tribus populis horum in terra sua, ut pote, quod de regnis aliorum regum Chananæorum aliquid accepisset, & tunc vocaretur iste rex gentium, quia ipse solus in terra Chanaan multis gentibus denominabatur. Et iste est proprius modus loquendi, quia cum in aliquo regno homines alienigenæ multarum gentium habitant, non dicitur rex talis propriè rex gentium, quia illæ gentes non sunt distinctæ in regno suo, sed alienigenæ transiunt in conditionem, & nomen indigenarū terræ. Cum autem in aliquo regno magno sunt multæ gentes, ab origine diuersorum idiomatum, & quemlibet earum in antiquissimis, & propriis sedibus commemoratur, dicitur rex gentium illarum, rex gentium propriè loquendo. Item, quia si vocaretur aliquis rex gentium, quia in regno suo sunt homines multarum nationum tanquam aduenæ: non esset aliquis rex, qui non vocaretur rex gentium, quia nullū regnum est, in quo non sint homines multi alienigenæ: immo fere nulla ciuitas aut locus excellens in ferilitate, & salubrietate est, quæ nō habeat de gentibus multis habita-

A habitatores, sed non consueuimus appellare reges omnes reges gentium, ideo non potest accipi hoc modo de rege isto, quod esset rex gentium, sed magis modo prædicto, scilicet quod essent multæ gentes habitantes in sedibus propriis in regno huius, ut pote Pherezæ, Iebusæ, Chananæi, & sic de cæteris: Alij dicunt, quod iste dicitur rex Galilæ in Hebræo, & vocatur Galilæa apud nos, & dicunt, quod iste erat rex Galilæ gentium. Nam in terra Chanaan est Galilæa gentium in terra Zabulon, & Nephthali apud mare Cenereth, quod vocatur mare Galilææ, & ista vocatur Galilæa gentium, sicut nonminat Isaias. c. 9. scilicet Galilæa gentium populus, qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam. Idem patet, Matth. 4. Causa huius nominis est, quia Hiram rex Tyri fecit scindilingna de monte Libano pro domo domini, & dedit Salomon. Ob hoc Salomon completo opere dedit ei 20. ciuitates in terram Galilææ, ut patet, 3. Reg. 9. cap. & ob hoc venit in consuetudinem, ut vocaretur Galilæa gentium id est Galilæa pertinens ad Gentiles. Sed hoc non stat, quia Galilæa erat magna terra, cum dicatur, quod de terra illa dedit 20. ciuitates Salomon regi Hiram, & adhuc manebant plurima loca: ideo multi reges essent in Galilæa, nec unus caperet eam, quia ibi erant reguli, cum tot fuerint in parua regione. Item non stat quia hic ponuntur distincti rex Galgal gentium, & rex Cades. Vrbs tamen Cades erat in Galilæa, ut patet infra 20. ergo non erat iste, qui hic dicitur rex Galilæa gentium: nam pars non ponit in numerum contra totum: non poterat ergo aliquis esse rex totius Galilææ. Item non stat, quod Iosue occidisset regem Galilæa gentium, quia nihil de terra Galilæa adhuc captum erat: ergo non erat verisimile, quod occidisset regem illius, quanquam possibile erat. Antecedens patet, quia dicitur sequenti c. terra latissima derelicta est, quæ nequidem forte diuisa est, omnis videlicet Galilæa, &c. Dicendum est igitur sicut prius Galgal esse ciuitatem, & in regno huius regis habitasse gentes multas Chananæorum: non quidem, quod multæ gentes, quantum ad se totas habitassent in regno huius, quia nec una secundum totum habitabat in terra huius, sed partes multarum gentium poterant esse in regno suo, ut quod haberet duo, vel tria oppida Pherezæorum, & totidem lebusæorum & sic de quibusunque ponatur. De ista vrbe Galgal non patet in qua fuerit tribu, quia non habetur in descriptionibus illis fortium infra vsq; ad 20. cap. causa patet ex dictis.

Rex Thersa unus. De ista ciuitate non patet in qua tribu fuerit ex causa supra posita: satis tamen patet, quod non fuerit in tribu Iuda, nec Beniamin, quia diuiso Israël in duos reges, s. in regem Iuda cum Beniamin, & regem decem tribu, qui vocabatur rex Israël, ipsem Rex Israël morabatur in Thersa, ut patet 3. Reg. 16. si tamen fuisse in Iuda, vel Beniamin non moraretur ibi. Vnde satis rationabiliter videtur dicendum, quod Thersa erat aliqua ciuitas notabilis in tribu Ephraim, quia Ieroboam rex erat de tribu Ephraim, filii tamen sui constituerunt sedem in Thersa, ergo pertineret ad illam tribum. Postquam vero Amri emit montem Somer, & fecit ibi ciuitatem Samariam, translatum est regnum ad illam vrbum, ita quod esset metropolis.

Omnes reges triginta unus. Ista est summa omnium regum hic enumeratorum computando solum eos, quos occidit Iosue: duo autem, qui occisi sunt à Moyse, non pertinent ad hanc summam.

C A P V T XIII.

Iosue senex profectæ ætatis erat, & dixit Dominus ad eum: Senuisti, & longe-
us es, terraq; latissima derelicta est, quæ nequidem forte diuisa est: omnis videlicet
Galilæa Philisthiim, & uniuersa Gessuri: a fluvio tur-
bido, qui irrigat Aegyptum, usque ad terminos Accaron,
contra Aquilonem, terra Chanaan, quæ in quinque re-
gulos Philisthiim diuiditur, Gazæos, & Azotos, Ascalo-
nitæ, Gethæos, & Accaronitæ. Ad meridiem vero sunt
Heuæ: omnis terra Chanaan, & Maara Sidoniorum us-
que Aphœca, & terminos Amorrhæi eiusq; confinia: Liba-
ni quoque regio contra orientem à Balza sub monte Her-

mon, donec ingrediari possit. Omnia qui habitabant
in monte à Libano, usq; ad aquas Messerophot, uniuersi-
que Sidomij Ego sum, qui delebo eos à facie filiorū Israël.
Veniat ergo in partem hereditatis Israël, sicut precep-
ti tibi.

Iosue. Hic ponitur secunda pars principalis huius libri de terra diuisione. Et diuiditur in tres, quia primo sortes determinatae quibuslibet tribubus assignantur. Secundo ciuitates pro fugitiis separantur infra 20. Tertio suburbana, & vrbes Leuitis assignantur infra 21. cap. Prima in tres, quia primo agitur de terra limitibus. Secundò de personis diuidentibus sequenti capitu. Tertiò de determinatis singularum tribuum partibus infra 15.

Vel aliter potest ista diuidi, scilicet quod primo ponuntur diuisiones fortium pro duabus tribubus, & dimidia, quæ erant ante Iordanem. Secundò diuisiones pro nouem tribubus, & dimidia, quæ erant post Iordanem sequenti cap. Illa secunda in duas, quia primo agitur de hereditatis petitione, & secundo de eiusdem assignatione infra 15. & ista est conuenientior diuisio. Prima in duas, quia primo describitur non capta, sed diuidenda. Secundò assignatur diuisio terra iam captæ infra, cum agitur de diuisione in duas tribus, & dimidiâ ibi. Veniat ergo. Circa primum. Iosue senex, & proiectæ ætatis erat. Quando ista fuerat locutus Deus ad Iosue, quæ infra habentur, erat Iosue senex. Dicitur autem senex qui incipit venire ad ætatem illam, in qua deficiunt vires humanæ.

Qui sunt senes, & proiectæ ætatis. Et que sit huius capituli introduc-
cio. Et quot annis durauerunt bella Israëlitarum cum Cha-
uaneis. Et quot annorum erat Iosue
cum obiit.

Q V A S T I O I.

SSE proiectæ ætatis addit aliiquid ad senem scilicet, quod sit in magna ætate constitutus, aliqui tamen senes sunt, & tamen non proiectæ ætatis, sicut qui cito incipiunt deficere viribus, scilicet ex laboribus, vel ex ægritudinibus, ita Boëtius conquetus est intempestiuam venis senectutem, quia dolor efficeret eum senem, cum ait de Consolatio lib. 1. metro primo.

Venit enim properata malis inopina senectus:

Et dolor ætatem iussit inesse suam.

Intempestiu fundantur in vertice cani:

Et tremit effeto corpore laxa cutis.

Ita fuit de Dauid, qui non vixit valde multis annis, tamen antequam moreretur aliquanto tempore, cum cooperiretur non calefiebat, donec quæsita est ei adolescentula, quæ dormiret in sinu eius. 3. Reg. 1. cap. Iosue autem habebat vtrumque, quia erat senex, quia deficiebat viribus, & erat proiectæ ætatis, id est multorum annorum.

Ad introductionem huius sciendum est, quod istud cap. est introductione ad cætera, quæ sequuntur in hoc libro. Nam Iosue dux Israëlitarum, cum introiit in terram Chanaan, pugnauit continuè contra reges Chananæorum: donec deluit omnes habitatores præter eos, qui morabantur in terra, de qua agitur immediate in litera. Durauit autem pugna ista annis 7. fere: nam tempore, quo petiuit Caleb Hebron sibi dari, videtur, quod cessauissent bella, & tamen à tempore ingressus in terram Chanaan usque ad diem, qua Caleb petiuit Hebron à Iosue, fluxerunt quasi 7. anni. Quod patet, quia Caleb erat 40. annorum, quando missus est in exploratorem de Cadesbarne, & erat annorum 85. die, qua petiuit Iosue urbem Hebron, & sic fluxerunt anni 45. intermedij à tempore tamen missionis de Cadesbarne, usq; ad introitum in terram Chanaan fluxerunt anni 38. solum, & parum plus, quia in secundo anno fuit facta illa diuisio in principio mensis quarti vel quasi, ut declaratum fuit Nume. 13. ad complendū ergo 45. deficiunt septem anni demptis octo mensibus, vel quasi. Tantum autem fuit tempus inter ingressum in terram Chanaan, & petitionem Caleb, de quibus sequenti cap. sed tunc cessauerunt bella Israël contra Chananæos, ergo si pte annis ferè durauerunt bella Israël Chananæos. Quod au-

D

E

F

tem

A tem tempore huius petitionis cessarent bella, patet in fine præcedentis capit. nam posita petione Caleb subiungitur, & terra cessavit à præliis. Post ista tempora cœpit Israel habitare distinctè per loca acquisita, & diuisit illa Iosue Israëlitis, sicut conuenire videbat. De hac tamen diuisione nihil scriptum est: ea autem, quæ infra scripta sunt pertinent ad secundam diuisionem, ut præcedenti cap. declaratum est, & magis infra declarabitur. Mansit autem Israel sic aliquanto tempore, quo usque locutus fuit Deus ista ad Iosue de diuisione terræ residuae, & tunc incepsum est id, quod infra sequitur. De ætate autem Iosue, cum introiuit in terram Chanaan certissimè cognosci non potest: fuit autem tota vita sua centum decem annorum, ut patet infra 24. sed quantum post ingressum in terram Chanaan vixerit, non cognoscitur, satis enim dici posset, quod ipse esset tot annorum, aut plurium, quot Caleb, quod patet, quia Caleb quando missus est in exploracionem, erat quadraginta annorum, ut patet sequenti cap. sed tunc verisimile est Iosue habuisse tot annos, aut plures. Nam missio exploratorum fuit in secundo anno ab exitu de Ægypto, ut declaratum est Num. 13. ca. ante hoc autem in principio anni primi ab exitu de Ægypto in mense secundo, anni eiusdem pugnauit Israel contra Amalechitas in Raphidim, & fuit dux belli Iosue, ut patet Exo. decimo septimo, ad hoc autem requirebatur vir magna prudentia, & auctoritatis, & expertus atque maturus, quod non conueniret si esset virginis quinque annorum, aut tringa potissimum in tempore, in quo non erant homines ita breuiter prudentes, vel acuti, sicut nunc: ideò satis verisimile est ipsum fuisse quadraginta annorum, & tunc esset tot annorum, sicut Caleb, scilicet octuaginta quinq; annorum nunc, cum facta est petitio urbis Hebron, vel parum plus. Et ista erat iam satis prouecta ætas. Ponitur autem ista introduc[t]io, scilicet, quod Iosue erat senex, & prouectæ ætatis in verbis domini, quia Deus volebat inducere Iosue ad hoc, quod diuideret terram, quæ nondum erat capta de manu hostium, & quia senex erat, & prouecta ætatis conueniens erat, ut immediate hoc faceret, quia si vellet dilatare, cum esset opus multorum dierum, atque annorum, ante fortassis moreretur, quam expleret. Debebat ergo immediate hoc facere.

B *Dixit Dominus ad eum. Sæpe loquebatur Dominus ad Iosue, ut patet ex discursu libri huius.*

Dominus sæpe Iosue alloquebatur, & quomodo.

Q V A E S T I O II.

C **D**e modis locutionum ad eum dictum est, supra primo, & tertio, quarto, & quinto c. Dicendum autem, quod poterat esse modus duplex. Primus erat, quod loqueretur apparet in aliqua humana effigie, sicut cum erat in agro Iericho; & apparuit ei vir euaginato gladio, supra quinto. Alius modus esse poterat, quod angelus domini aliquam nubem assumeret, quam vellet, & intra eam velatus non appareret, sed solum audiretur vox illius. Iste modus erat communis ad Moysem cum ei loqueretur Deus in columna nubis, in qua nulla apparebat effigies, quia nubes densa erat, & lucida: tollebatque omnem apparitionem interiorē, & sic fuit in monte Sinai, ubi loquebantur angeli in caligine, & fumo, audiebaturq; vox, & non videbatur loquens, ut patet Deut. 4. scil. Locutus est Dominus ad vos de medio ignis, vocem verborum eius auditiss, & formam penitus non vidistis. Et erat iste modus loquendi communior, ne videret populus formam loquentis, & fingeret sibi idola. Sic patet sequenti capit. cum dicuntur: Custodite solite animas vestras, non vidistis aliquā similitudinem die, qua locutus est Dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem masculi, sive fæminæ, &c.

Senuisti, & longæus es. Ista duo signant id quod superiora duo, scilicet iam effectus es debilis carens viribus, & longæus es, id est longe ætatis, vel longi ævi. Æuum & ætas idem sunt, quamquam æuum propriæ dictum signat durationem sine motu, & tamen cum successione, & hæc est mensura angelorum, & est sensus, quia homo es multorum annorum, & cito morieris, debes dare operam, ut diuiso hæc cito expleatur, ne prius tu moriaris.

*Quia
æuum
quidue
ætas.*

D Terraque latissima derelicta est, quæ necdum est forte diuisa. Id est multa terra adhuc restat diuidenda, ideo cito diuide eam.

Quomodo necesse sit ponere, quod terra C. anaan bis diuisa fuerit per Iosue, & an in secunda diuisione fuerit diuisa terra, quæ primo diuisa fuit. Et Meron locus qui sit, & eius situs ac terra Gessuri.

Q V A E S T I O III.

Ad hoc considerandum est, quod hic intelliguntur duæ diuisiones terræ, una quæ facta est, & præsupponitur: alia autem, quæ fieri iubetur, cum dicitur latissima terra derelicta est, quæ necdum forte diuisa est, ergo aliqua terra iam erat forte diuisa, alioquin nō diceretur alia derelicta, quæ necdum erat diuisa: iubet autem postea istam relætam terram diuidi, ergo duæ diuisiones sunt. In quo sciendum de modo harum diuisionum, quod in tempore, quo durauerunt bella, scilicet per annos septem, vel fere, non erat diuisa aliqua terra, nec habitabant distinctè in locis, ita quod iste locus pertineret ad hanc tribum, & ille ad aliam, sed colligebantur in locis, ut poterant: cessantibus autem bellis, Iosue cum non intenderet ultra pugnare, quia fortè Deus admonuerat cū, ne ultra pugnaret, diuisit terram acquisitam inter Israëlitas per tribus, & cognationes suas, ut habituri essent in æternū. De reliqua autem terra Chanaan nondum capta nihil agere intendebatur, quia fortè existimabant, quod Deus nollet tradere eam Israëlitis, vel si dare vellet aliquando, tunc diuideretur, cum daretur: Deus autem admotu Iosue, ut eam quoque nunc diuideret Israëlitis, quia ipse dixerat, quod Iosue illam diuideret Deuteronomij 31. capitulo, & hanc diuisionem ipse cœpit, atque finiuit, quæ habetur in parte sequenti libri huius, vsque ad 22. capitu. De prima diuisione, qualis fuerit, nescitur, nec scripta est: solum secunda scripta est. Quod patet, quia in prima distributione solū diuisa sunt loca accepta de manu hostium: in diuisione tamen, quæ hic descripta est, non solum hæc loca, sed etiam, quæ non acquisita erant posita sunt, ut patet infra decimoquinto, ubi ponuntur ciuitates Philistinorum Acharon, Gaza, Geth, Ascalon, Azotum: tamen ista loca nondum erant acquisita, ut patet hic, nec acquisita sunt vsq; ad magna tempora, de quo infra dicetur.

E De ista tamen diuisione secunda aliquis dubitabit, cū fuerit propter loca non acquisita, an in illa rursus diuisa fuerit terra, quæ primo diuisa fuerit, vel solum, quæ restabat.

F Respondendum est, quod secunda diuiso fuit totalitas, scilicet quod tam terra acquisita, quam non acquisita fuit diuisa, & non mansit fortassis prima diuiso, sed alia, & alia opida cuiilibet tribui prouenerunt, ut patet, quia in diuisione fortis Beniamin, ponitur Iericho, & vrbs Hay, & Gabaon cū vrribus suis, tamen ista iam fuerant acquisita, ut patet supra 8. & 9. Idem est in tribu Iuda, quia vrbs Macheda, Lachis, Eglon, & Lebna acquisitæ fuerant, & tamen ponuntur infra 15. ergo in diuisione secunda ponuntur omnia loca terræ Chanaan, siue quæ venerant in prima diuisione, siue quæ nondum acquisita fuerant.

Item patet, quia cū assignantur termini fortium, assignantur termini orientales in pluribus, vsq; ad Iordanem, ut patet infra 16. & 17. atque 18. tota tamen terra orientalis Chanaan fuerat capta cum solum relinquatur illa, quæ est occidentalis, & aliqualiter meridiana, ut patet hic in litera: ergo etiam diuiditur terra primo diuisa.

Omnis videlicet Galilea. Id est prima terra, quæ manebat nō diuisa, nec acquisita, erat Galilæa.

Terminus iste, qui in hebræo signat Galilæam, est æquius: nam interdum sumitur pro Galilæa, interdum vero pro termino, vel insula, & accipitur hic in plurali, nam singulare huius nominis in hebræo est Galil, plurale autem est Galiloth, & sic accipitur hic. Primum ponitur Isa. 9. vbi nostra dicit: Galilææ gentium populus, qui ambulabat in tenebris, &c. cum tamen ponitur in plurali non exponunt Iudæi pro Galilæa, sed pro insula, vel termino, & quamquam ponatur in hebræo in plurali, quia tamen non erant plures Galilæa posuit litera nostra singulare dicens: *Omnis Galilea.* Fortè autem magis consonat hic sensus literæ hebraicæ, quam

A quam noster, ut dicatur. Omnes termini Philisthiim. Aliqui dicunt omnes insulae. Sed non stat expositio, quia immidiate declaratur, quæ sit ista terra Philisthiim, & ponuntur. s. ciuitates, quarum nulla est insula, sed tota Philisthae est terra continens, & solida. Apud eam autem est mare magnum mediterraneum, sed nulla pars eius insula est. Quod autem accipiatur pro termino hic Galiloth in hebreo patet, quia dicitur: à flumine turbido, qui irrigat Aegyptum usque ad terminos Acharon ad aquilonem, in quo ponitur tota magnitudo terræ Philisthiim à parte meridiana usque ad aquilonem. Quod autem Galilæa non esset acquisita tunc, satis difficile est, quia Galilæa erat in parte Chanaan in sorte Zabulon, & Nephthali. Nam mare Cenereth ad orientalem partem terræ Chanaan ponitur Numer. 24. ca. ipsum tamen est in Galilæa, & vocatur mare Galilæe, vel mare Tyberiadis, aut Cenereth, vel stagnum, aut mare Genesareth, de quo dictum est præcedenti cap. & supra II. terra tamen orientalis tota acquisita erat, cum hic solum describatur pars occidentalis: nā per partē orientalem introierunt Iudei in terram Chanaan, illam ergo primo acquisierunt potissimum, quia bellum magnum, quod fecit Iosue contra reges congregatos ad aquas Meron, fuit apud istud mare Galilæe: nam est Meron quidam locus magnus causatus ex transitu Iordanis, & ibi stagnatur, & iste est modicum distans à mare Cenereth magis ad meridiem, sed reges, qui ibi pugnauerunt contra Israël postea delevit Iosue, & cepit urbes eorum, ut patet præcedenti cap. non ergo posset euadere tota Galilæa, cum omne regiones in circuitu eius captæ erant, & usque ad occidentalem plagam non manebant loca hostilia. Satis ergo durū est, quod Galilæa non esset captata à Iosue illo tempore. Magis in hac parte placet expositio termini illius Galiloth in alia significatione, quam sumunt Hebrei, scilicet omnes termini Philisthiim, & non omnis Galilæa Philisthiim: potissimum, quia ponitur in plurali Galiloth. Et vniuersa Gessuri. De qua hic dicitur. Regio est apud terram Philisthiim, cum hic ponantur termini Gessuri, & terræ Philisthinorum à flumine turbido Aegypti, usque ad Acharon, quæ est ciuitas Philisthinorum in latere aquilonari. An vero sit ista Gessuri, de qua supra dicitur præcedenti cap. quod terra regis Og accedebat usque ad Gessuri, & Machati, satis est dubium: nam terra Og regis est ad partem orientalem Iordanis, ut patet infra in litera, & præcedenti cap. ista tamen coniungitur Gessuri, & Machati, ut patet præcedenti cap. & Deuteronom. 3. Hic tamen videtur innui, quod Gessuri, & terra Philisthiim extendatur à flumine turbido, qui irrigat Aegyptum usque ad Acharon, & hoc modo necessario erit Gessuri multum meridiana, & satis occidentalis, nec videbitur quomodo posset coniungi terra Og regis Basan, quæ est tota orientalis ante transitum Iordanis, nisi forte quis dixerit, quod terra Gessuri extenditur à parte orientali terræ Chanaan per latus Meridianum usque ad Occidentem ad terram Philistinorum.

C De situ terra Gessuri. Magis ergo dicendum videtur unum de duobus, scilicet, quod ista Gessuri non sit illa, de qua dicitur præcedenti capitulo, quæ est apud Machati, & apud Basan, sed alia, quæ est apud terram Philisthiim in latere meridiano apud occidentem. Et est nomen idem multarum ciuitatum, sicut patet in multis aliis nominibus sicut Asor, quæ est in Iuda infra decimo quinto capitulo, & in sorte Nephthalim infra decimo nono capitulo, & sic de Aphec, vel Apheca, quæ est urbs in tribu Iuda, ut infra 15. cap. & in tribu Aser infra decimo nono capitulo.

Vel potest dici, quod Gessuri non sit apud terram Philisthiim, sed apud terram Schon, & Og circa Basan, & patet supra præcedenti capit. & infra in litera, & cum dicitur omnis Galilæa Philisthiim, & vniuersa Gessuri à flumine turbido, qui irrigat Aegyptum usq; ad terminos Acharon: non est referendum ad Gessuri, sed ad terram Philisthiim, scilicet, quæ extenditur à terra meridiana à flumine Aegypti usque ad Acharon ciuitatem aquilonarem. Ponitur tamen Gessuri hic, quia erat terra nondum capta, quamquam esset ad Orientem hanc terræ capere potuerant Israëlitæ à principio antequam caperent multam de terra nouem tribuum, & dimidiæ, sed noluerunt delere Gessuri, & Machati, ut patet infra in litera, & iste satis erit conueniens sensus. Quod si contendas semper Gessuri esse apud terram Philisthiim, ut hic colligi vide-

D tur, dicendum est, ut prius, scilicet, quod erat duplex Gessuri, quomodounque autem accipiatur Gessuri semper est terra magna, & non una ciuitas tantum, cum dicatur hic, & vniuersa Gessuri.

A fluo turbido, qui irrigat Aegyptum. Iste est terminus meridianus terræ Chanaan apud partem occidentalem: non est enim intelligendum, quod per totum latus meridianum iste fluuius Aegypti decurrat usque ad occidentem eius apud terram Philisthinorum, sed solum coniungitur iste fluuius Aegypti terræ Chanaan in latere meridiano, ubi latus meridianum coniungitur occidentali, quod est in terra Philistinorum. Et patet Numeri 34. cap. vbi cum describitur latus meridianus terræ Chanaan, incipit à solitudine Sin apud mare salissimum, quod est mare Sodomorum, & peruenit in Cadesbarne, & postea ad torrentem Aegypti: ad ultimum mari magno finitur. Iste fluuius Aegypti ponitur etiam tanquam terminus terræ Chanaan Genes. 15. scilicet, à fluo Aegypti usque ad flumen magnum Euphratem.

Term:
nus me
ridian
terra
Chanaan.

An iste fluuius turbidus Aegypti sit Nilus, vel alias. Et quod Aegyptus tota non potest Nilo irrigari.

Q V A S T R O IV.

D E isto fluo Aegypti aliqui dubitant quis sit. Et quidam dicunt esse Nilum, qui est excellens fluuius Aegypti: scriptura tamen non exprimit specialiter de aliquo, sed dicit fluuium Aegypti, in quo videtur pro excellentiori accipiendum esse, & iste est Nilus.

Item, quia dicitur à flumine turbido, Nilus autē ex multitudo aquarum est turbidus, vel magis ex augmento, & diminutione eius: cum autem increuerit implet terram, & totum alueum puluere, & luto commaculat, & quia fit istud augmentum quolibet anno, & durat magno tempore, scilicet, uno mense integro, de quo Solinus in Polyhistor. cap. de Aegypto, necesse est, quod alueus totus turbidus efficiatur, sicut apparet in alluvionibus aliorum fluminum, etiam si parvus sint.

Item colligitur esse Nilum, quia dicitur, qui irrigat Aegyptum: nullus tamen ita potest irrigare Aegyptum sicut Nilus, qui augmentatione suo magno terram irrigat, cum interdum ad 22. cubitos altitudinis excrescat, ut Solinus in Polyhistor. In Hebreo dicitur, à flumine turbido, qui est super faciem Aegypti: idem est esse super faciem Aegypti, quod extendi per Aegyptum. Et hoc est irrigare Aegyptum: necesse est autem hunc fluuium, de quo hic dicitur, & cum, de quo Genes. 15. & Numeri 34. esse eundem, quod ubique ponitur pro termino terra Chanaan ex latere meridiano apud occidentem.

F Historia tamen scholastica dicit non posse dici esse hunc fluuium Nilum, sed quendam fluuium paruum, qui vocatur Riuocorula, & fluit per deserta Arabia. Item, quia vocatur torrens Num. 34. Nilus tamen non vocaretur torrens, quia est de maioribus fluminibus mundi.

Respondendum est solam difficultatem in hoc esse, quod non videtur modus, quomodo mare rubrum permittat transire Nilum in deserta Arabia, & coniungi terræ Chanaan: nā mare rubrum intrat in Aegyptum per partem orientalem circa latus septentrionale, cum veniat per deserta Arabia, quæ sunt septentrionalia terræ Aegypti: Nilus autem venit necessario in Aegyptum per partem meridianam, sive per orientalem ex latere meridiano, ut declarat Solinus in capit. de Aegypto, mare autem rubrum per Arabiam, ut declarat idem Solinus in Polyhistor. capit. de Arabia: sed Arabia media est inter terram Aegypti, & terram Chanaan: difficilimum est ergo quomodo possit Nilus venire ad latus terræ Chanaan meridianum: potissimum, quia Nilus, cum introierit Aegyptum, in septem partes diuisus ad meridiem vertitur, & mari Aegyptio absorbetur, ut patet per eundem Solinum, vbi supra. Si quis tamen posset concedere accessum Nili ad terram Chanaan non impediente mari rubro: magis concedendum est intelligi hoc de Nilo fluo, quam de aliquo alio, cum litera etiam satis exprimat conditiones illius. Cum autem arguebatur, quod vocatur torrens Aegypti. Numer. 34. nihil obstat: nam necesse est eundem esse, de quo hic ser-

A

mo agitur, & de quo ibi, sed hic signatur esse magnus fluuius, ergo quamquam ibi vocetur torrens, nihil obstat. Sed dicit aliquis ex hoc quod *Ægyptus*, & terra Chanaan coniunguntur in latere meridiano, cum fluuius irrigans *Ægyptum* tangat latus meridianum terræ Chanaan.

Respondendū est, quod *Ægyptus*, & terra Chanaan sunt propinqua sibi in latere meridiano, & hoc magis circa coniunctionem lateris meridiani, & occidentalis, quam in alia parte lateris illius meridiani, scilicet circa terram Philisthium. Ideo venientibus de *Ægypto* in terram Chanaan, non est aliqua via brevior, quam per terram Philisthium, vt patet Ex. 13. vbi dicitur, quod cum Dominus eduxit Israëlitas de *Ægypto*, noluit ducere eos per viam terræ Philisthium, quæ vicina est, reputans ne péniteret eos si viderent contra se bella consurgere, & reuerterentur in *Ægyptum*, sed circumduxit per viam deserti, quæ est contra mare rubrum. Non tamē est dicendum, quod sit *Ægyptus* contermina terræ Chanaan ex aliqua parte, sed alia terra intercidunt, quamquam paruæ distantia ex patet terræ Philisthiorū. De flumine autem irrigante *Ægyptum*, qui peruenit ad latus terræ Chanaan circa terram Philisthium aliud modus est, quia sine ille ponatur Nilus, si possibile est eum transire non offendum, vel absorpsum à mari rubro, siue dicatur Riuocorula, vel quilibet aliud fluuius de *Ægyptiis*, exhibet *Ægyptum*, & declinans ad latus Septentrionale *Ægypti* pertinget latus Meridianū terræ Chanaan circa Occidentem, quod satis patet in aliis fluminibus in aliis terris, id est quandocunq; ponitur latus meridianum terræ Chanaan, nunquam dicitur, quod erit ab *Ægypto*, sed à fluuiio *Ægypti*, vel torrente, quia licet ille tangat terram Chanaan, non tanget eam *Ægyptus*. Si autem dicere velimus, quod non sit iste Nilus, dicendum erit, quod sit aliud fluuius magnus *Ægypti* irrigans aliquam partem, & hoc non est inconueniens: nam necesse est ponit aliqua flumina in *Ægypto* irrigantia terram præter Nilum: *Ægyptus* enim tota irrigatur, quia de celo nullas, aut rariissimas pluvias habet. Sed non potest tota *Ægyptus* irrigari Nilo, sed sola pars meridiana eius, cum intret per partem Meridianam, & saltem latus Orientale versus Septentrionem non pertinget: ea etiā de *Ægypto*, quæ sunt ad aquilonarem partem maris rubri non poterit pertingere: ergo sunt ibi de aliis fluminibus, licet non increascent artificiose, & data opera aqua educitur ad irrigandum terram, & sic declaratum fuit Deuteronomij 11. sed nullus fluuius est, qui ita *Ægyptum* irriget sicut Nilus fluuius: quid autem horum verius sit satis dubium est: litera tamen si nihil obstat manifeste de Nilo intelligenda erat.

B

Visque ad terminos Acharon. Ista sunt termini maris latitudinis terræ Philisthium à Meridie in aquilonem. Est enim terra ista coniuncta extremitati Meridianæ terræ Chanaan, & latere Occidentali, scilicet in angulo coniunctionis, & est extremitas sua Meridiana in flumine turbido irrigante *Ægyptum*, & extremitas aquilonaris in vrbe Acharon, vt patet hic.

Situs
terrae
Acha-
ron.

C

Contra aquilonem. Id est Acharon est à parte aquilonari terræ Philisthiorum, & de tota ista terra Philisthium nihil nunc ceperant Iudei viuente Iosue, sed postea ceperunt loca aliqua, & rursus perdiderunt, nam post mortem Iosue Israëlite, scilicet tribus Iuda cepit tres vrbes Philisthiorum Gazam, scilicet & Acharon & Ascalonem, vt Iudicum primo. Postea autem tempore iudicium confortati rursus Philisthini eripuerunt istas tres vrbes de manu Iudeorum: nam tempore Eli sacerdotis, & regum Israel omnes quinq; ciuitates, quæ infra ponuntur pertinebant ad Philisthinos primo Regum 6. & non solum iste, sed etiam ipsi cęprant loca aliqua de manibus Iudeorum, quæ prius pertinebant ad Iudeos, & postea ista loca restituta sunt Israëlitis cum tempore Samuellis pugnauit Israël cōtra Philisthinos, & exterruit Dominus Philisthium, persecutique fuerunt illos Israëlite *visque ad lapidem adiutorij*, vt patet primo Regum 8.

Gessuri
non est
apud
terræ
Phi-
listhium

Terra Chanaan, quæ in quinque regulos Philisthium diuiditur. In hoc patet, quod supra dicebatur, scilicet, quod Gessuri non sit apud terram Philisthijm, & cum dicitur hic à flumine turbido, quod irrigat *Ægyptum* *visque Acharon*, non ponuntur termini aliqui terræ Gessuri, sed solum terræ Philisthiorū, cum dicatur terra Chanaan, quæ in quinque regulos diuiditur, id est terra, quæ est inter flumine *Ægypti*, & Acharon est terra Chanaan, quæ diuiditur in quinque regulos, sed isti

D

quinque reguli pertinebant ad terram, Philisthiorum, ergo nihil erat hic de terra Gessuri, sed magis ista apud terram Sehon regis, & Og circa Basan, vt patet præcedenti capitulo, & infra litera. Vocatur ista terra Chanaan non, quod sit tota, sed quædam particula eius circa angulum meridiei, & occidentis, & dicitur diuidi in quinque regulos, quia à quinque ciuitatibus principibus terræ illius denominatur quinque reges, & quia isti parvi sint, cum sit angusta, vocantur reguli. Quamquam nomen Hebreum positum hic non signat reges, sed magis duces, vel principes, & sic litera nostra vocavit quinque satrapas, Iudicum 3. vbi ponitur terra derelicta post mortem Iosue, sicut ponitur hic.

Sciendum autem cum dicitur hic de istis terminis terræ derelictæ, quod non solum ista terra derelicta est, sed aliquæ aliæ vrbes præter hanc terram, sicut patet de vrbe Bethel, quæ erat in latere Orientali terræ Chanaan circa Iordanem, & nō potest intelligi per istam terram, quæ hic ponitur, quia tota hæc erat Occidentalis apud latus Meridianum, & aquilonare. Quod autem tempore, quo ista dicebantur non est, est capta, quia post mortem Iosue capta est patet Iudicum primo cap. Idem pater de Hebron, & Dabir, quæ erant satis Orientales, cum essent apud Macedam, & non multum ab vrbe Gabaon, de quo supra. 10. capitulo, & tamen non erat capta Hebron, nec Dabir viuente Iosue, sed postea capta sunt iudicum primo capitul. Ita erat de multis aliis vrbbibus, quæ erant in medio sortium, & obtentis aliis locis in circuitu manebant in medio illa oppida. Cum autem dicitur hic, quod manserunt ista loca non capta, verum est accipiendo terram illam, quæ totaliter manebat in potestate hostium: secus de illa, quæ partim erat capta, & sic in terra ista, que hic nominatur, non erat aliquis locus, quem accepissent Israëlite, sed erant integraliter in potestate hostium: in terra tamen quam obtinuerant Israëlite manebant aliqua loca media, quæ nondum obtinuerant Israëlite, quia à principio non potuerunt: postea autem successiū deleuerunt, aut in tributarios constituerunt, sicut patet de Gazer, quæ erat in tribu Ephraim infra 16. sic etiam de aliis locis, quæ erant in tribu Manasse infra 17. idem in tribu Beniamin infra 18. Et de his non intelligitur in litera, quia non possunt capi sub terminis terræ huius, quæ in litera describitur.

E

Gazeos, Azotios, Ascalonitas, Gethæos, Acharonitas. Sunt ista quinque ciuitates Philisthiorum præcipue, de quibus primo Regum. 6. & tota ista terra Philisthijm cecidit in sortem tribus Iuda, vt patet infra 15. vbi ponuntur aliqua ciuitates harum, scilicet Gaza, Azotum, Acharon, & subiungitur generaliter, quod omnia, quæ sunt ab Acharon *visque ad mare*, & torrentem *Ægypti* pertinebant ad tribum Iuda: tamen inter Acharon, & torrentem *Ægypti* sunt omnia loca terræ Philisthijm, sicut describitur hic, scilicet, quod à flumine *Ægypti* *visque ad Acharon*, ad aquilonem diuiditur terra illa in quinque regulos, & tribus Iuda postea pugnauit, obtinuitq; partem terræ Philisthijm: deinde perdiit eam, vt supra declaratum est: iste ciuitates, quæ ponuntur hic sunt illæ quinque, quæ obtulerunt quinque annos aureos ponentes eos in capsella super arcam cum totidem muribus, vt in primo Regum. 6. cap. Et computantur hic secundum habitudinem ciuitatis istæ, quam habent inter se ad esse magis, aut minus meridianas, quia Gaza est meridiana, Azotum minus meridiana quousq; perueniatur ad Acharon, quæ est totaliter aquilonaris respectu omnium ciuitatum terræ Chanaan in terra Philisthijm. De Gaza patet, quia ipsa ponitur, tanquam terminus Meridianus, & partim Occidentalis. Genesim decimo capitulo, cum dicitur: Factique sunt termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram *visque Gazam*, donec ingrediaris Sodomam, in quo ponuntur tres termini, scilicet Septentrionalis in vrbe Sidone, quia est ad partem Septentrionalē. Gaza autem in extremitate meridiana in coniunctione latere Meridiani, & Occidentalis: Sodoma vero in parte Orientali. De Acharon patet, quod sit minus Meridiana ceteris, quia ipsa ponitur terminus aquilonaris totius terræ Philisthijm, vt patet hic.

F

Ad meridiem, vero sunt Heuæi. Id est ad partem Meridianam habitat populus Heuæorum cuius pars restabat capienda.

Ciuita-
tes quæ
quephi-
listi-
norū.

De pe-
pulo He-
uæorum.

Sciendum, quod populus Heuæorum erat unus de istis septem populis, & illius pars quædam capta erat: nam vrbs Si-

chem,

A chem, quæ erat in sorte Ephraim erat de terra Heuorum: cum rex illius Emor esset Heuæus, vt patet Genesis trigesimo quarto capitulo. Etiam Gabaonitæ, scilicet quatuor ciuitates Gabaon, Caphira, Beroth, & Cariathiarim erant de genero Heuorum, vt patet supra undecimo capitulo, vbi dicitur, quod omnes ciuitates captæ sunt bellando præter Heuum, qui habitabat in Gabaon, & intelliguntur etiam alia tres ciuitates, quæ non fuerunt captæ bello, sed traditæ sunt confederatæ, vt patet supra nono capitulo, & istarū tres pertinebant ad tribum Benjamin, scilicet Gabaon, Beroth, Caphira infra 18. cap. Cariathiarim vero pertinebat ad sortem Iudæ, vt patet infra decimo quinto cap. Manebat autem alia pars populi Heuorum capienda, & ista erat ad occidentalem partem terræ captæ iam, & erat coniuncta terra Philisthiim. Dicitur autem etiam esse ad Meridiem non respectu terra Philisthiim, quia ipsa est in termino lateris Meridiani, cum proueniat a flumine Ægypti usque Acharon, & nihil magis Meridianum est in terra hac, quam fluvius Ægypti, sed vocatur ad Meridiem in respectu terræ Chanaan totius, quia in ipsa Heuæi habitabant versus Meridiem.

B Vel potest dici ad Meridiem comparando ad terram Acharon, quae est aquilonaris respectu totius terre Philistinorum, & causa subiungitur. De hac intelligeret aliquis eam esse Meridianam, sicut Septentrionalem, sicut est terra Acharon: ideo dicitur, quod Heu*ei*, id est pars terra Heu*orum* nondum capta erat ad Meridiem respectu Acharon. In Hebreo non punctuatur sic ista litera, sed dicitur, q*uod* terra Philistium in quinq*ue* regulos diuiditur Gazos, Azotios, Ascalonitas, Getheos, Acharonitas, & Heu*eos*, & ibi est finis versus in Hebreo, & tunc incipit aliis versus, scilicet. Ad Meridiem vero est omnis terra Chanaan, & Maara Sidoniorum, litera autem nostra tenuit aliud ordinem, quia visum est beato Hieronymo ordinem aliud esse mutatum, & literam corruptam sic punctuando, cum dicatur, quod terra illa tota diuiditur in quinque regulos, & tamen ponendo Heu*eos* sex terras nominamus.

Et si aliquis defendens ordinem literę hebraicę dicat, quod tota terra à fluvio, qui irrigat Aegyptum usque Acharon dividitur in quinque regulos. Heu ei autem cum postea ponuntur, non ponuntur tanquam pertinentes ad illos regulos, nec ad terram, quę est usque Acharon, sed ponuntur per se tanquam una pars terre capte.

Sed hoc non stat, quia si non ponantur Heuæi facientes numerum cum superioribus non erit verbum aliquod ad quod referantur Heuæi: si ibi finiatur clausula, & tunc nullus erit sensus, quia incomplexum nullius facit sententiam, ob hoc Hieronymus intelligens pertinere ad sententiam sequentis versus, fecit alium versum, referendo Heuaos ad sequentem clausulam, dicens: ad Meridiem vero sint Heuae. Credidit autem fortassis perturbationem istam factam esse ex barbarie Hebraici sermonis, in quo tam sententiæ, quam modi locutionum, ut in plurimum sunt ambigui, & valde impropij, vel forte ex errore scriptorum, qui aliter punctuant, quam ab origine fuisset.

Nec dicendum est in libris Iudæorum nullos esse errores, quia omnes conformiter sunt: nam & ipsi Iudæorum doctores dicunt in certis passibus esse tiquum. cofrin. id est errorem scriptorum, vel librariorum, & maximè, quia in punctuando versus facilimè introduci poterat error.

Omnis terra Chanaan. Non est sensus , quod omnis terra Chanaan sit superstes, scilicet non capta, quia falsum est. Vel, quod omnis terra Chanaan sit ad Meridiem: nam necesse est terram Chanaan partim esse Meridianam, partim aquilonarem, Orientalem, atque occiduam, quia qualibet terra habet 4. limites secundum , quod habet respectum ad 4. puncta mundi in positione. Sed accipitur omnis terra Chanaan dupliciter. Vno modo omnis terra Chanaan , id est tota ista est terra Chanaan, sc. Philishiim, Heuæi, Sidonij, & reliqui populi hic numerati. Alio modo omnis terra Chanaan , ut distinguitur contra alias, & tunc accipitur terra Chanaan pro terra populi Chananæi, & erit sensus, quod etiam reliqua terra Chananæi populi, quæ nō erat capta, erat ad Meridianam partem, & quamquam primus sensus sit conueniens, secundus videtur esse conuenientior literæ , quia terra Chanaan distinguitur hic contra alias partes positas in litera.

Ez Maara Sidoniorum. Id est etiam non erat capta Maara Sidoniorum. Maara in Hebreo est nomen appellatiū signans speluncam, quia istud nomen ponitur supra in Hebreo capitulo decimo, vbi dicit litera nostra de regibus quinq; qui latuerunt in spelunca Maceda, sed hic non accipitur tanquam commune, sed proprium, & signat aliquam terram, quæ sic appellatur, scil. Maara, & est nomen proprium, quamquam origo sua sit in nomine communi: accidit tamen æquuocari eandem vocem ad proprium, & appellatiuum, sicut precedentι capitulo declaratum est de hoc nomine Asedoth.

Vel potest dici, quod accipiatur Maara, ut signat speluncam, non quidem, quod intelligatur spelunca, vel latibulum Sidoniorum, sed quod sit aliqua terra, quæ vocetur spelunca Sidoniorum, & quamquam sic vocaretur apud Hebræos, interpres noster non vertit Maara in latinum, ne crederemus esse nomen commune, & signare propriè speluncam, si- cut dicebatur supra decimo, de spelunca vrbis Macea. Apud istam terram Sidoniorum erat omnis terra Chanaan, id est, omnis terra residua Chananæi populi, quæ non erat capta. Nam populus, qui vocabatur Chananæus pertingebat à parte Orientali terra Chanaan, vsq; ad partem Occidentalem, scilicet ad mare magnum, ut patet supra vndecimo, scilicet Chananæum quoque ab Oriente, & ab Occidente: pars autem Orientalis terræ populi Chananæi erat iam capta, terra vero Occidentalis eius non, & de ista dicitur: Omnis terra Chanaan. Ista verò erat apud Sidonios, quia Sidon ciuitas est apud mare in latere Occidentali terræ Chanaan, & non pertinet ad Philistinos, quia illi solum habent quinq; regulos supra enumeratos. Sidon autem per se dicit alium principatum, & est ciuitas ista famosa: in ea quippe Dido regina, quæ postea populauit, & condidit Charthaginem, nata est, quæ mortuo viro suo Sichæo fraude fratris sui Pigmalionis in Africam tetendit, vbi concessa sibi quadam parte terræ, quantum corio bouis circumdare posset: extenuato artificiose corio in tenuissimas corrigi: urbem magnæ quantitatis, & tota orbe famosissimam condidit, quæ postea hostis Romanorum existens deleta est, in qua beatus Augustinus fuit, & cōcilium, quod Carthaginen. dicitur celebratum est.

De Sidone, quod apud litera maris sit manifestum est, & consequenter in extremitate Occidentalis plage, sed a versus partem Meridianam, vel aquilonarem, est dubium.

*An Sidon sit in plaga Occidentali versus partem meridianam,
vel aquilonarem. Et situs Tyri ciuitatis opu-
lentissime.*

Q V A E S T I O V.

ALIQVIS enim dicet videri ex hac litera, quod sit Sidon ad Meridiem cum dicatur ad Meridiem sunt Heuæi: omnis terra Chanan, & Maara Sidoniorum.

Sed dicendum est non sequi ex hoc, quia non est legenda sic ista litera, sed intentio est, quod omnes terræ, quæ hic nominantur nondum capte erant viuente Iosue, ut terra quinque Regum Philistinorum, & Heuæi, qui sunt ad Meridiem, & omnis terra Chanaan, & Maara Sidoniorum, sed illa determinatio ad Meridiem non refertur ad aliquem de istis necessario, sed possumus referre ad quem voluerimus.

Dicendum autem Sidonem esse versus aquilonare latus satis propinquam Aquiloni : nam cum describantur termini terræ Chanaan Gen. decimo, ponitur Sidon tanquam terminus aquilonaris, cum dicatur : Factique sunt termini venientibus à Sidone Geraram vsq; Gazam, donec ingrediaris Sodomam. Et ponuntur tres termini, scilicet Sidon Septentrionalis in angulo Septentrionis, & Occidentis vel quasi, & Gaza in Meridie in contactu Occidentalis, & Meridani lateris, & Sodoma in latere Orientale in contactu Orientis, & Meridiei. Ciuitas etiam Tyrus opulentissima, & famosissima circa Sidonem est, vtraque autem in latere Occidentali apud mare , vnde Christus ambulasse dicitur in partibus Tyri, & Sidonis, cum ad eum mulier Chananæa de finibus illis egresa clamauit : Domine fili Dauid miserere mei: nam filia mea male à dæmonio torquetur : Matth. 15. cap.

Vsque Apheca. Aphec, vel Apheca idem locus est : nam ex conditione idiomatis Hebraici additur litera vna sicut ter-

D
Quid
Maara
signifi-
cat.

E

*Vbi D
dona.
ta sit.*

Conci-
liii: Ca
thagi
nen.

E

a *Alphe-*
caquia

A minalis, ut Dabir, & Dabira : vnde præcedenti capitulo ponitur Aphec : hic autem Aheca, & iterum infra 15. ponitur Apheca, & infra 19. in forte Afer ponitur Aphec, & ponitur locus iste tanquam terminus terræ iam posita, scilicet omnis terra Chanaan, & Maara Sidoniorum. Ista terra erant Septentrionales, & terminabantur in Aphec, siue Apheca à parte Meridiana apud terram Philistinorum, & in hoc concludit totum latus Occidentale terræ Chanaan : nam istud latus incipit à Sidone, & terminatur in Gazam urbem Meridianam Philistinorum, vt patet Genesis decimo, vt supra declaratum est: tamen hic fuit posita tota terra Philisthium: non capta, & terra Sidoniorum usque Apheca, vbi coniungitur terra Sidoniorum terræ Philisthijm: ergo nihil de late re Occidentalí Iudei acceperant.

Quo modo Amor rhæ accipiatur.

Et terminos Amorrhæi. Id est tota terra Chanaan, & Maara Sidoniorum usque terminos Amorrhæi non erat capta. Accipitur hic Amorrhæus specialiter, cum termini eius distinguuntur ab alijs partibus terræ Chanaan, & vocantur Philisthijm Amorrhæi. Nam præter reges duos Amorrhæos, qui habitabant ad Orientalem plagam Iordanis erant alii, qui morabantur ad Occidentalem plagam illius, vt patet supra quinto cap. Quod autem accipiatur pro Philisthini, apparet, quia cum dicitur usque Apheca, & terminos Amorrhæi, ponuntur termini terræ huius ex eadem parte, scilicet à parte Meridiana, sed Aphec est apud terram Philisthijm, ergo Amorrhæi vocantur hic Philisthijm. Antecedens patet primo Regum 4. vbi Philisthini pugnantes contra Israël, castrametati sunt in Aphec, & sic erant apud terram suam.

B Item patet hoc, quia aliquando vocantur Philisthini Amorrhæi alibi, vt patet 1. Reg. 8. vbi dicitur de pugna Israël cum Philisthijm, & postea de pace, scilicet: liberavitq; Israel de manu Philistinorum: eratque pax inter Israel, & Amorrhæum. Vbi necessario accipiatur Amorrhæus pro Philistinorum genere, & sic ista duo ponuntur hic tanquam pro eodem, scilicet Apheca, & terminus Amorrhæi.

Eiusque confinia. Id est non solum erat terra in manu hostium usque ad terminos Amorrhæi Philisthijm, sed usque ad confinia eius, id est usque ad alias terras propinquas eis, quæ non sunt in terminis Amorrhæi. Litera Hebraica aliter habet, scilicet.

Visque terram Gebal. Siue Gibelum, & est error in punctuatione, quia nomen Hebraicum, quod hic ponitur habet easdem literas cum signat terminos, & cum signat terram Gebal: solum autem est differentia in punctis, siue apicibus, qui ponuntur apud Hebreos loco vocalium, & sic faciliter poterat fieri mutatio: potissimum cum aliquando scribant Iudei sine punctis illis, & secundum literam Hebraicam erit sensus, quod etiam terra Chanaan, & Maara Sidoniorum usque terram Gebal nondum erat capta. Et necesse est ponere aliquam terram, quæ sic vocetur, cū dicatur Psalmus 82. Moab, & Agareni, Gebal, Ammon, & Amalec cum habitantibus Tyrum.

C An vero gentes Gebal sint apud Philisthinos ex hoc versus patere non potest, quia hic ponuntur multæ gentes, quæ sunt diuinae, & quasi ex omni parte terræ Chanaan sunt. Nec constat, quæ gens apud aliam sit ex loco illo: magis tamen aliquis posset dicere gentes Gebal esse apud Philisthinos, & Sidonios, vel Tyrios, quia Hiram rex Tyri cum dabant ligna delibano, & lapides Salomonis, dicitur, quod erant in parandis lignis, & lapidibus Giblum 3. Regu. 5. cap. & litera Hebraica habet ibi gentem Gebal, quæ ponitur hic.

Et sic videtur, quod erant Gebelites sub dominio Hyram regis Tyri, & consequenter esset apud terram Tyri, & Sidonis, & aquad Philisthinos, qui contermini sunt terræ Sidoniorum. In hoc tamen magis credendum est Hieronymo, qui perambulauit omnia ista loca, quæ in sacra Scriptura memorantur cum peritissimis Hebreorum, vt patet in Prologo suo super Paralipomenon, qui incipit Eusebius.

Situs Sidonie ac Tyri. *Ibani quoque regio contra Orientem.* Id est etiam nondum erat capta regio Libani, quæ est contra Orientem: mons Libanus est in terra Sidoniorum, & Tyriorum: nam rex Tyri Hiram præbebat ligna Salomonis de monte Libano ad ædificandum Sanctuarium templi, vt patet tertio Regum, quinto cap. Sidon autem, & Tyrus sunt versus Septentrionale latitudine terræ Chanaan, vt supra declaratum est: mons autem iste

D Libanus non est aliquis specialis collis extensus ab Occidente in Orientem, sed est magna terra montuosa quæ interdum plana est, interdum vero altissima: vnde supra undecimo capitulo Libani subter montem Hermon, & interdum extenditur versus Meridiem, & diuidit idumæam, & Phœniciem, id est terram Tyriorum, & Sidoniorum, quæ vocatur Phœnicia à terra Idumææ, quæ est in termino terra Chanaæ, vt patet Numeri vigesimo quarto capitul. interdum vero extenditur contra Aquilonem mons iste. Sic patet hic, cum dicitur, quod regio Libani est donec ingrediaris Emath, & tamen Emath est terminus Septentrionalis terra Chanaan, vt patet Numeri trigesimo quarto cap.

Dicitur de regione Libani contra Orientem, non quidem quod aliquid in parte Orientali maneret in terra Chanaan, nondum obtentum à Iudeis, quia ab illa parte incipientes obtinuerant omnia latera terræ usque ad Occidentem: & in termino Occidentalí manebat terra ista, quæ hic dicta est nondum capta: sed dicitur contra Orientem, quia mons Libanus pertingebat usque ad Occidentalē partem terræ Chanaan, scilicet usque ad mare. Quod patet ex verbis Hiram regis Tyri tertio Regum, quinto capitulo. scilicet, quod serui sui deponerent ligna de monte Libano ad mare in quo signatur descensus, quod non esset nisi pertingeret Libanus ad mare: & inde composita in ratibus cerebantur per mare in locum propinquum Ierusalem, scilicet, in Ioppen. Ab isto termino Occidentalí extendebatur Libanus versus Orientem, licet non perueniebat ad Orientem terra Chanaan, & quæcunque regio esset in monte Libano ultra terram Sidoniorum, dicebatur contra Orientem.

E Vel aliter in monte Libano erat multa populatio, quia erat Libanus mons magnus, in quibusdam locis planus, in quibus multus populus erat, & quia incipiebat iste mons ab Occidentalí limite, quæ pars capta non erat, necesse est quod quæcunque regio in Libano fuerit inde computando sit contra Orientem, etiam si sit satis Occidentalis: nam Orientale, & Occidentale respectivæ dicuntur, cum dicant positio nes. Vnde q; ad vnū est Orientale ad alterū est Occidentale.

F Et sic tota regio Libani, quæ nondum capta erat respectiue terræ iam captæ in tota terra Chanaan erat Occidentalis: tamen accipiendo regionem Libani nondū captam in comparatione ad extremitatem Occidentalis limitis apud mare, vbi terminatur Libanus est contra Orientem, quia ultra finem Libani nihil restat de terra Chanaan, sed solum mare magnum, quæcunque ergo regio respectu extremitatis Libani est contra Orientem in terra Chanaan.

A Baalgad sub monte Hermon. Ponuntur termini regionis Libani, & isti ponuntur supra undecimo capitulo. Sed ponuntur contrario modo, scilicet, quia computatur terra ab Oriente versus Occidentem, & hic computatur ab Occidente versus Orientem.

G Causa diuersitatis est, quia ibi computatur terra capta, quæ incipiebat in Oriente, hic autem computatur terra nondū capta, quæ erat ad Occidentem, & computatur ab Occidente versus Orientem, vt dicebatur supra undecimo capitulo. Quod ceperant Israelites omnem terram montanam, & Meridianam, &c. usque Baalgad.

Cum ergo ponatur ibi Baalgad, tanquam terminus Occidentalis terræ captæ: necesse est, quod ponatur hic, tanquam terminus Orientalis terræ nondū captæ: quia terra Chanaan incœpit capi à parte Orientali, id est cum dicitur hic, quod tota terra regionis Libani erat non capta à Baalgad donec ingrediaris Emath: non est sensus, quod sit Baalgad principium terræ non captæ à parte Occidentalí, scilicet apud mare, vbi desinit Libanus, sed è conuerso.

Erat enim Libanus extensus versus Orientem terra Chanaan, & multa populatio de regione Libani subter montem Hermon, vt patet usque Baalgad. A loco Baalgad usq; ad mare Occidentale, regio montis Libani, nondum fuerat capta à Iudeis.

H Et sic Baalgad est terminus Occidentalis terræ non captæ in regione Libani, & hoc signat litera hic cum dicit: Libani quoque regio contra Orientem, id est, Libani regio computando à parte sua Orientali, non erat capta: & hoc à Baalgad sub monte Hermon, id est, ista computatio fit incipiendo à Baalgad, qui est locus, vel aliqua regio in capite Orientali ter

re non

Alia exposi tio.

Limi tes re gionis Libani

F

Baal gad

A
Situs
montis
Her-
mon.

Alias se-
tentia.

Situs
Emath
civitatis.

B

Masser-
ephotos.

C

Gra-
matis
re Ty-
ri.

ræ non captæ: & procedendo sub monte Hermon, id est, ad radices montis Hermon versus Occidentem, & iste processus est per planiciem montis Libani, quia Libanus dicit magnam terram, quæ in quibusdam locis est plana, & in aliis montuosa, & in planicie hac multi populi habitant, & isti dicuntur habitare ad radices montis Hermon, vel subter montem Hermon, ut patet præcedenti capitulo, quia mons Hermon est quædam pars excelsa montis Libani protenta versus Orientem terræ Chanaan, circa latus Septentrionale eius: Libanus autem non solum dicit terram montuosam, sed etiam planam, ideo eius erit pars Hermon.

Vel dicendo, quod Hermon sit mons distinctus à Libano non erit sensus, quod in planicie, quæ est apud montem Libanum, & coniuncta monti Hermon ex parte aquilonari, erant multi populi, qui dicebantur esse sub monte Hermon, & istorum populorum pars, quæ erat à Baalgad versus Oriente, erat capta à Iudeis, ut patet supra II. cap. in parte autem, quæ erat à Baalgad versus Occidentem, erant populi Sidonij, nondum capti.

Donec ingredieris Emath. Id est tota terra à Baalgad usque Emath erat in manu hostium nondum capti. Est Emath civitas magna in latere Septentrionali terræ Chanaan, ut patet Num. 34. cap. signat autem interdum regionem aliquam, quæ est sub imperio ciuitatis illius, & ita accipitur hic, scilicet Donec ingredieris Emath, id est terram Emath. Et ponitur hic terminus Septentrionalis; quia omnes, qui erant in terra Libani, siue contra Occidentem, siue contra Septentrionem restabant nondum capti à Iudeis.

Omnium, qui habitabant in monte Libano. Id est omnes habitatores montis Libani, qui multi erant, nondum capti erant: computando à Baalgad à parte Orientali versus Septentrionem, & versus Occidentem.

A Libano usque ad aquas Masserephotos. Id est isti habitatores etiam sunt inter Libanum, & aquas Masserephotos. Est Masserephotos quidam terminus ad partem Occidentis terræ illius circa mare, & à Libano, id est à iugis Libani montis usque ad aquas Masserephotos extendebantur isti populi, & vniuersaliter tota terra Chanaan, à Baalgad versus Occidentem, & versus latus Septentrionale contra terram Emath erat in potestate Chanaanorum. Masserephotos secundum Hebreos est nomen commune compositum ex duobus appellatiuis, scilicet Mayn, & Cerephot, id est aquæ calidæ, vel exurentes. Et dicunt quod isti erant aquæ balneorum: nam balneæ ubi sunt habentes naturalem originem, habent aquam deriuatam de locis atramentorum, & per contactum sulphuris calescant. Sed hic non potest accipi tanquam nomen appellatiuum, sed tanquam proprium, ita ut Masserephotos sit nomen loci illius in voce hac, & nihil aliud signet, vel quod vocaretur aliqua regio, vel aliquis locus Masserephotos, scilicet aquæ calidæ. Nam aliqua loca sunt apud nos, quæ sic vocantur, & aliis similibus nominibus, pro nomine autem communis istare non potest: quia tunc non signaretur hic aliquis terminus limitatus.

Vniuersique Sidonij. Id est præter terram montis Libani usque Emath, & Masserephotos manserunt omnes Sidonij, qui non fuerunt capti. Est tamen ciuitas Sidon non multum distans à Masserephotos, quia supra undecimo capitulo dicitur, quod Israëlitæ persecuti sunt reges, qui conuenerant ad aquas Meron contra ipsos usque ad Sidonem magnam, & aquas Masserephotos. Et ista terra non solum non fuit nunc capta, sed etiam nunquam postea capta est: nam tempore Salomonis, cum erat maxima gloria Iudeorum, & potestas, nondum habuerant regna hæc, quia Hiram erat rex Tyri, sub cuius potestate etiam erant Sidonij, & manentes in terra Libani, & in cunctis regionibus suis exciderunt ligna de monte Libano ad preces Salomonis, ut patet tertio Regum, quinto cap. & non solum non erat ista terra capta tunc, sed etiam Salomon dedit regi Hiram, qui erat rex Tyri in terra Galilee viginti ciuitates Iudeæ, ut patet tertio Regum, nono cap. etiam tempore Christi non erant gentes istæ expulsæ de sedibus suis: nam cum deambularet Saluator per partem Tyri, & Sidonis, egressa est quædam mulier Chanaanæ de finibus illis petens sanari à dæmons filiam suam Matthæi decimo quinto cap.

Vnde dicendum, quod gentes istæ tandem permanserant,

Alphon Toft super Iosue, Tom. 5. Par. II.

D

juandiu Israëlitæ in terra hac & amplius. Nam expulsi Iudei de terra illa per bella Romanorum post mortem Saluatoris, non expulsi fuerunt Tyrij, & Sidones, licet ante hoc per Alexandrum vrbes illæ dirutæ sunt, ut patet Alexandreli libro tertio, circa finem, postea tamen reædificatae, & in nago honore habitæ fuerunt, cum superessent tempore Saluatoris.

Ego sum, qui delebo eos à facie filiorum Israël. Id est, licet istæ gentes nunc non deletæ sint, ego delebo eas ante Israëlitas, ita quod non sint coram facie Israëlitarum.

An sit verum quod Deus dixit, ego sum qui delebo eos, cum nunquam omnes deleti sint.

Q V A S T I O VI.

D I C E T aliquis, quod istud verbum Dei non videtur verum, quia nunquam omnes istæ gentes deletæ fuerunt: verum est enim, quod aliqui loca capita fuerunt de terra hac ab Israëlitis postea, sicut aliqua loca de terra Philistim, & aliqua alia in fortibus, quæ non erant in terra hac computata, quæ partim tempore iudicium, partim tempore regum capta sunt, tamen nona fuerunt capta omnia, quia terra Philistim non fuit capta, cum etiam tempore regum maneret, quia erat bellum potens omnibus diebus Saulis contra Philistheos primo Regum, decimo quarto cap. & tempore David multisque temporibus postea fuerunt. De Tyris autem & Sidonij, adhuc magis patet, quia manerunt usque ad Saluatorem Christum, cum ipse per regionem illam ambulauerit existentibus ibi Chanaenæ Matth. 15.

Respondendum est, quod omnes istæ gentes deletæ fuerunt à facie filiorum Israël, non quidem quod omnes occiderentur, aut de terra fugerent, sed quia eis subditæ fuerunt, & tributa solabantur; & hoc est delere; quia imponebatur gentibus istis quoddam genus seruitutis, & ista est mors ciuilis, vel deletio.

Vel dicitur, quod deletæ fuerunt omnes istæ gentes à facie Israël, quia ante erant hostes, & resistentes Israëlitis: postea autem factum est, ut non essent hostes, sed ut seruirent eis tributa annua impendentes: ergo deletæ sunt quantum ad esse hostile, licet non fuerunt simpliciter deletæ, & hoc inten lebat Deus in verbis his. Facta fuit autem ista subiectio tempore Salomonis, ut patet secundo Paralipomenon, octauo capit. cum dicitur: Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethis, Amorheis, & Pherezis, Heuqis, & Iebusqis, qui non erant de stirpe Iraël, & de filiis eorum, & posteris ipsorum, quos non interfecerant posteri ipsorum, subiugavit Salomon in tributarios.

A rex Tyri fuerit subiectus Salomoni. Et quod in monte Libano dominabatur Salomon.

Q V A S T I O VII.

D E rege Hiram, qui dominabatur in Tyro aliquis arget, quod non fuerit subiectus Salomoni, nam si subiectus esset, non petiueret Salomon obsecrans, quod petiuit de cæsione lignorum libani: potissimum cum traderet ei pro hoc condignam mercedem.

Item quia dicitur tertio Regum, quinto cap. quod rex Salomon, & Hiram inierunt inter se foedus, & erat pax inter eos: si autem esset subiectus Hiram ad tributa Salomoni, non dicerentur talia, quæ sonant æqualitatem quandam.

Respondendum est, quod omnes terræ Chanaenæ populorum, quia residui fuerant subiecti sunt Salomoni, & ei tributa per annos singulos impendebant, ut patet 2. Paralip. octauo cap. de Hiram quoque rege Tyri dicendum est, quod esset subiectus regi Salomoni, sicut cæteri reges. Et patet hoc quia Hiram erat rex super habitatores Tyri, & Sidonis, & in monte Libano, qui apud has vrbes est, cum rex Salomon misserit ad Hiram, ut ipse præcendi faceret cedros, & abies in Libano: si tamen non esset Libanus in terra sua, non potuisse hoc facere: in monte tamen Libano dicebatur domina-

In mo
te Liba
no do

A
mina-
batur
Salomon

ri Salomon, ut patet 2. Paralipomenon, octauo cap. cum dicatur: omnia, quæ voluit rex Salomon ædificauit atque disposuit in Libano, & Ierusalem, & in vniuersa terra potestatis suæ: in quo patet montem Libanum fuisse sub potestate Salomonis, sed ille erat de potestate regis Hiram, qui dominabatur in Tyro, & Sidone: ergo terra regis Hiram etiam erat subiecta regi Salomoni: maxime quia Hiram erat de regibus Chananæorum, cum non pertinaret ad filios Israël, & erat in terra Israelitarum, quia Sidonij, & Tyrji, & tota terra Libani erat de terra Chanaan, ut patet hic, sed omnes huiusmodi fuerunt subiecti regi Salomoni 2. Paralipomen. 8. ergo Hiram quoq; subiectus fuit Salomoni.

Ad argumentum primum cum dicebatur in contrarium, quod Salomon petiuit obsecrans, sed non fecisset hoc si fuisset subiectus ei. Respondendum est, quod Hyram subiectus fuit Salomoni: erat tamen rex Hyram amicus quondam regis Daud, ut patet tertio Regum, quinto c. cum ibi gratias Deo extulerit Hiram, quia dedisset Daud filium sapientem, qui federet in folio eius, in quo satis apparet eum dilexisse, quod non esset si non fuisset amicus eius. Item quia Salomon cum scripsit regi Hiram pro cessione lignorum Libani: dixit: Tu scis voluntatem patris mei Daud, &c. si tamen non esset amicus Daud non notificasset ei Daud voluntatem suam: iste enim est præcipuus, immo solus actus amicorum, scilicet coniuere: est autem coniuere iuxta Aristot. Ethicorum libro nono, mente, & verbo participare, & non quemadmodum animalia in eodem pasci: ob hoc quamquam terra regis Hyram, sicut ceteræ per circuitum subiectæ fuerint regi Salomoni, tamen præferebat illum Salomon ceteris regibus, habens non tanquam subditum, sed tanquam amicum, & sic loquebatur ei deprecans, & non iubens: vnde tanta familiaritas inter eos contracta est, quod rex Hyram vocabat regem Salomonem fratrem, ut patet tertio Regum, nono capitul. cum dixit Hyram: haecce sunt ciuitates, quas dedisti mihi frater.

Ad secundum argumentum patet solutio ex eodem, nam Salomon cum regem Hyram tantum diligeret, non trahabat eum ut subditum, pectens ab eo, ut à ceteris, tributa, sed ut æqualem sibi habebat, & ob hoc fecit cum illo foedus de tenenda pace: non quidem tanquam Salomon egeret hoc fœdere, sed fecit illud propter regem Hyram promittens, q; non moueret bella contra ipsū, & sic patet de omnibus terris quæ hic habentur quomodo fuerint subiectæ Israëlitis.

*Quare omnes iste terre non fuerunt subiectæ Israëlitis
viuente Iosue.*

Q V A E S T I O VIII.

C **Q** UÆRET aliquis, quare non fuerunt subiectæ omnes iste terra Israëlitis viuente Iosue, cum subiectæ fuerint reliquæ partes.

Respondendum est tres fuisse præcipuas causas.

Prima fuit ad vtilitatem Iudeorum, quia Iudei cum ingressi sunt in terram Chanaan erant pauci ad implendum totam terram hanc, immo ad replendam saltem tertiam partem, & si daretur Israëlitis tota terra illa immedie, ut ingressi sunt in terram Chanaan, non potuissent populare eam, & crescerent multæ bestiæ, & serpentes in terra, cum sit terra calida, quæ destruerent gentem Iudeorum, vel magna damna inferrent: melius ergo eis fuit, quod daretur eis solum tanta terra quantam possent occupare, aut parvum plus, quam quod tota simul daretur. De hoc Exodi vigesimo tertio capit. dicitur: Non eiciam eos à facie tua anno uno, ne terra in solidinem redigatur, & crescant contra te bestiæ, paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram. Idem patet Deuteronomij, septimo capit. & ista fuit causa cum Israëlitæ multis vrbes accepissent, ad quas populandas ipsi non sufficiebant destruxerunt muros earum, edificia igne vastantes, ut patet supra vndecimo cap. & ibi declaratum est: si autem sufficerent ad populandum omnes illas, nullam excussissent.

Item ex eadem radice quasi proderat Israëlitis, quod non tribueretur eis tota terra simul, sed pars, quia cum non posset totam terram populare, manerent vrbes vacuae, & veni-

rent alienigenæ, qui in circuitu habitabant, vel residui de populis Chananæorum ad occupandum oppida vacua, & sic semper maneret Iudeis bellum: essentque plura bella. Melius ergo fuit, ut semel pugnarent contra habitatores terræ, & tunc occuparent terram totam, quam ut expellentes illos à principio iterum pugnare deberent contra alios hostes no uiter superuenientes.

Secunda causa fuit propter peccata Iudeorum, quia Iudei fecerunt contra preceptum Domini cum gentibus illis, id est derelictæ sunt aliquæ de ipsis gentibus in stimulos Iudeorum. Iusserat enim Deus, ut Israhæti occiderent omnes Chananæos: neminem sub aliquo pacto seruitutis, aut tributi, vel alias paci, & vitæ donantes Deuteronomij, yigesimo capitulo. Israhæti tamen assumptis vrbibus terræ Chanaan multos de incolis terræ illius, quos delere potuerant non deleuerunt subiectos eos sibi in tributum, ut patet de filiis Ephraim infra decimo sexto capit. & de filiis Manasse infra decimo septimo capit. & sic quedam alia tribus fecerunt. Vnde prouocatus Deus dedit gentes Iudeis in flagellum, quia sic comminatus fuerat Numeri, trigesimo tertio capit. dicens: si autem nolueritis interficere habitatores terræ, qui remanerint erunt vobis, quasi clavi in oculis, & lanceæ in laterib. & aduersabitur vobis in terra habitationis vestræ, & quidquid illis facere cogitaueram vobis faciam, peccatum autem Iudeorum ex hac parte erat, quia fecerunt pactum cum habitatoribus terræ, quod Deus vetuerat Exodi trigesimo quarto cap. & Deuteronomij vigesimo cap. & non confregerunt altaria eorum, lucos & sculptilia, quod Deus iusserat, & facere potuerant, sed propter tributa, quæ recipiebant à gentibus non faciebant, poena autem secuta ex hoc, quod non deleterunt gentes à facie eorum fuit, quod gentes illæ postea bella mouabant Iudeis, & occidebant ex eis plurimos. Etiam quia dij gentilium erant Iudeis in ruinam. Nam communicantes Iudei cum hominibus terræ illius, ducebant ad cultum Deorum suorum, & tunc Deus iratus tradebat in manus ipsarum gentium, quæ dominabantur illorum afflentes eos, ut patet ex processu totius libri Iudicum: nunquam enim Iudei fuerunt subiecti alicui genti de his, quæ ibi dicuntur, nisi quia colebant Deos gentium. Ista prævaricatio, & poena secuta ponitur Iudicum secundo c. cum dicitur: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua iuravi patribus vestris, & pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum, ita dumtaxat, ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorum subuerteretis, & nolueristis audire vocem meam, cur hoc fecistis? Quamobrem nolui eos delere à facie vestra, ut habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam.

Iudei
nūqua
fuerūt
subie-
cti ali-
cui gen-
ti, nisi
propter
idola-
triam.

Causa tertia fuit ad vtilitatem quandam Iudeorum, scilicet, ut essent viri apti ad bellum, & exercitati in armis, ne penitus ocio marcescerent: si enim Iudei intrantibus in terram Chanaan tota gens illa periret, gentes in circuitu Iudeorum nō auderent pugnare contra Iudeos, videntes quod potentissime uno impetu deleuissent gentes Chananæorum: potissimum, quia non haberent cauam pugnandi aliquam contra Iudeos, cum Iudei non infestarent gentem aliquam præter Chananæos, quorum terram possessuri erant, & sic esset totum tempus Iudeorum ociosum à bellis, quo fieret, ut filii Iudeorum penitus fierent inepti ad usum armorum, & opera bellica, quod magnam imperfectionem dicit in quo cunque populo: Deus autem prouidens complemento, & statui perfecto Iudeorum, dedit eis gentes alias, cum quibus haberent exercitum præliandi. De hoc Iudicum cap. 2. dicitur: Hæ sunt gentes, quas dereliquit Dominus, ut erudiret in eis Israhælem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum, & postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi. Et ponuntur ibi gentes, quæ habentur hic.

Quomodo potuerunt reliquæ Chananæorum manere in terra promissionis ex causis predictis preceden. quæst.

Q V A E S T I O IX.

F **Q** UÆRET nunc aliquis quomodo potuerint gentes iste manere in terra Chanaan ex his tribus cauis, cum ipse

A ipsæ inter se repugnantiam quandam habeant: quia duæ carum sunt ad utilitatem Iudeorum, & etiam si non peccassent Iudei, habuissent gentes illas in terra manentes. Tertia siue media carum est propter peccata Israël, idem autem effectus non inducit ex repugnantibus causis.

Item videtur, quod peccata Israëlitarum non fuerunt aliquo modo causa, quod relinquenter gentes istæ, quia antequam essent peccata Israëlitarum relinquenter gentes haec. Quod patet, quia cum cessauit Iosue pugnare acquisita terra illa, de qua supra II. capitulo, non peccauerant Israëlitæ inientes fœdus cum aliquibus gentibus Chananæorum, aut non subuertendo aras eorum, tamen iam manebant gentes, cum Deus nollet Iosue ultra pugnare, ergo non erat ista causa quare derelictæ fuerint gentes.

Respondendum est, quod peccata Iudeorum fuerunt causa, quod ista gentes manerent in terra illa duplicitate, scilicet, peccata facta, & peccata futura, vel quæ facere possent.

De peccatis præteritis patet in auctoritate supra allegata Iudic. secundo, scilicet, quia non subuerterunt aras, & quia inierunt fœdus cum eis. Peccata futura erant causa, scilicet, quia Deus volebat dimittere gentes illas ad puniendum Israëlitas, quando peccarent: nam mox istæ insurgebant bellingerentes Iudeis, hoc patet Iudic. 3. scilicet, dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israëlem utrum audiret mandata Dei, quæ accepérat per Moysen.

B Ad argumentum cum dicitur, quod ex causis contrariis non sequitur idem effectus, concedendum est: & cum dicitur, quod istæ sunt contrariae causæ, etiam concedendum est: sed respondendum ad consequens, quod derelinquere gentes Chananæorum in terra Israëlitarum non est totaliter idem effectus, cum sit ad diuersos fines, & quia ea, quæ sunt ad finem solum sunt propter ipsum finem, & finis erat hic triplex, ergo causa poterat esse triplex ad hunc effectum: causa autem quæ ponuntur hic, non sunt efficientes, sed motiuæ, & coincidunt aliquo modo cum finali, & quia tres fines sequabantur, aut sequi poterant ex hoc effectu, non est inconveniens fuisse tres causas motiuas ad illum; & rursus cum illi fines habeant inter se aliquam contrarietatem, vel qualemcumque repugnantiam, non erat inconveniens motiuas causas ad illos esse diuersas. Contrarium autem erat Iudeos acquirere aliquam perfectionem, vel exaltationem ex præsentia gentium, & recipere aliquam pœnam, & diminutionem: & tamen contingebat utrumque recipi ex præsentia gentium reliquarum, ergo poterant esse diuersæ causæ motiuæ, & contrariae ad hoc, quod relinquenter gentes illæ in terra Chanaan. Ista autem est summi Dei solius efficacia, ut ex malis bona elicere sciat, & possit: quia Deus solus est, cui ipsum quoque, quod malum est, bonum est, ut ait Boëtius, de Consolatione libro quarto, Prosa sexta, relinquere autem gentes hostiles in terra Iudeorum malum erat Iudeis, tamen eis ad duo proficiebat.

C Reli-
qua
gentes
hostiles
inter-
ra Chanaan
ad duo
Iudeis
proficie-
bant.
Deter-
quat.

Primo, quod eis præsentibus non crescebant bestiæ, quæ nocerent Iudeis, alias tamen creuissent redacta terra in solitudinem.

Secundum erat, quod ex eorum præsentia sequebatur experientia Iudeorum in armis, & hoc valde erat vtile, atque laudabile Iudeis: unde Romani cum scirent se potentes delere Carthaginem, diu decretauerunt, an Carthago delenda foret, plurimis atq; sapientissimis afferentibus magnam viribus Romæ fore ruinam Carthaginis dissolutionem, præauult tamen sententia multitudinis, & delecta est.

Dicendum tamen adhuc est de causis istis, quod non se habent aequaliter ad istud causatum, sed ipsa causa huius effectus est, ut terra non redigeretur in solitudinem, & crescerent bestiæ contra Iudeos, de quo Exod. 23. ca. Et dato, quod non fuisse aliqua peccata Iudeorum præterita, vel possibilia, & non exigeretur aliqua exercitatio in armis, mansisset Chananæorum quædam gentes, sed non sequeretur tunc idem effectus, qui si peccarent, quia gentes reliquæ propter peccata Iudeorum, relinquenterunt, ut punitura Iudeos: si vero solum staret prima causa, relinquenterunt gentes istæ, sed non punirent aliquando Iudeos, nec pugnarent contra eos. Etiam Iudei non exercitarentur in armis contra gentes illas, cum illæ nulla bella mouerent Iudeis non peccantibus, & cum ponuntur istæ tres, ut causæ: prima est ut causa integræ,

alia sunt ut consequentes. Et quando arguitur, quod dato, quod Iudei non peccauissent, nec peccati essent relinquerentur gentes illæ in terra Israëlitarum, respondendum est, quod relinquerentur, sed non ad eundem effectum, ad quem relinquenterunt si peccarent: nam cum relinquuntur gentes propter peccata Iudeorum, solum relinquuntur, ut punitur Iudeos: prima autem causa faciebat illas relinquere, ut populaturas terram, & impleturas, tertia fuit relinquere illas, ut præbituras Iudeis exercitationem in armis, & sic quamquam ad quamlibet illarum causarum sequatur relinquere gentes in terra Chanaan, quia tamen non erant facturæ idem omnibus modis non sequitur penitus idem effectus ex omnibus causis, & sic quod sequitur gentibus relictis si peccarent Iudei: non sequitur si non peccarent, etiam si starent alii due cause. Vnde cuiuslibet harum causarum correspondet effectus determinatus. *Veniat ergo in partem hereditatis Israël.* Id est, quamquam nondum possideatis islam terram prænominationem; quia tamen ego deleturus sum omnes gentes has à facie Israëlitarum, & hoc certum est, ac si iam deletæ essent, veniat terra earum in partem hereditatis filiorum Israël, id est, diuidatur terra earum per tribus Israëlitarum, & proueniatur cuiuslibet pars illius terræ, & dicitur veniat, id est, diuidatur nunc, quia ut dictum fuit supra, in principio: Iosue solum diuisebat terram captam, relicta cetera, quæ adhuc tenebatur à gentibus: Deus dicit, quod nunc veniat in sortem: & hoc fuit, quia postea fecit Iosue iterum diuidere totam terram, siue captain, siue non captam, cuius descriptio patet infra 15. capitulo, usque ad 20. cap. & dicitur in partem hereditatis, quia iam acceperant Israëlite vnam partem hereditatis suę in terra capta: terra autem nondum habita erat alia pars hereditatis. *Sicut precepisti.* Scilicet, quod totam terram diuideres. Hoc colligitur supra 1. vbi descriptis Deus omnes terminos terræ Chanaan, & postea dicitur: Confortare, & esto robustus: tu enim sorte diuides populo huic terram, pro qua iuravi patribus eorum. Et ibi fuit præceptum, quia ante hoc nunquam Deus locutus fuerat Iosue, ut patet Deuteronom. 3. & 31. cap.

E F

Et nunc diuide terram in possessionem nouem tribus, & dimidia tribui Manasse, cum qua Ruben, & Gad possederunt terram, quam tradidit eis Moyses famulus Domini trans fluenta Iordanis ad orientalem plagam ab Aroer, que sita est in ripa torrentis Arnon, & in vallis medio, vniuersaq; campestria Medeba, usque Dibon, & cunctæ ciuitates Sebon regis Amorhae, qui regnauit in Hesbon usque ad terminos filiorum Ammon, & Galaad ac terminum Gessuri, & Machuti, & omnem montem Hermon, & vniuersam Basan usque ad Salecha, omne regnum Og in Basan, qui regnauit in Astaroth, & Edrai. Ipse fuit de reliquo Raphaim: percusserunt eos Moyses, atque delevit. Nolueruntque dispersere filij Israël Gessuri, & Machati: & habitaverunt in medio Israël usque in presentem diem. Tribus autem Leui non dedit possessionem, se sacrificia, & victimæ Domini Dei Israël, ipsa est eius hereditas sicut locutus est illi.

Et nunc diuide terram in possessionem. Non solum intelligitur de terra non capta, sed etiam de tota, quia nunc noua diuisione facta est, in qua fuit tota terra, & sortes nouiter distributæ sunt, ut patet ex his, quæ habentur infra 15. usque ad 20. cap. vbi tota terra Chanaan continetur, ut supra declaratum est.

Nouem tribubus, & dimidia. Istæ solum acceperunt sortem in terra Chanaan ad occidentalem plagam Iordanis: nam aliæ duæ tribus, & dimidia in plaga orientali Iordanis locatæ sunt, ut patet hic, & supra 2. atque Num. 32. cap. istius autem terre nouem tribuum, & dimidiæ describuntur termini solum Numer. 34. cap. & vocatur ibi terra Chanaan, quasi ipsa sola esset terra Chanaan, sed etiam terra, quam sumpferunt duæ tribus, & dimidia erat terra Chanaan, ut declaratum est supra primo: nam ibi erant Amorrhæi, qui erant vnius de septem populis Chananæorum, quos Deus tradere promiserat Israelitis.

A

Et ex hoc falluntur, qui dicunt quod Moyses non introiuit in terram Chanaan, vel terram promissionis: nam ipse introiuit in terram duarum tribuum, & dimidie cum acquisierit eam, & occiderit Schon regem Hesebon, & Og regem Bafan, vt pater Numer. 21. & Deuteron. 2. & 3. & præced. cap. sed illa ita erat terra promissa, sicut terra nouem tribuum & dimidia, cum Deus promiserit dare terram septem populum: vnuus autem eorum erat Amorrhæus, cuius terram accepit Moyses, ergo in terram promissionis introiuit, sed non perambulauit totam terram promissionis, cum non transierit Iordanem: qui autem dicunt eum non introiisse in terram promissionis falluntur ex hoc, quod Deus iussit ei, quod ascenderet in cacumen Phasge: & quod inde contemplaretur terram, quam datus erat Israëlis videns illam, sed quod non introiisset in eam, vt pater Numer. 27. cap. & Deuteron. 3. & 32. cap. sed non refertur hoc ad totam terram promissionis, sed ad quandam eius particulam, vel maiorem portionem, quæ est ad occidentem Iordanis, & ad illam non introiuit Moyses.

Et dimidie tribui Manasse. Fuerat diuisa tribus Manasse in duas partes, una acceperat hæreditatem ante transitum Iordanis ad orientalem partem eius, reliqua media tribus nondum suscepserat, & ista suscepit hæreditatem cum nouem tribibus.

Cum qua Ruben, & Gad posse derunt terram. Istud relativum non refert suum antecedens, quia ista media tribus, de qua dictum est immediate non est illa, quæ suscepit hæreditatem cum Gad, & Ruben ad partem orientalem, sed alia dimidia: ideo debet istud relativum referri ad antecedens, quod non præcessit, scilicet, ad aliam dimidiæ tribum. Et est sensus cum qua Ruben & Gad, id est, & cum reliqua dimidia tribu Manasse, Ruben, & Gad suscepserunt hæreditatem ad orientem.

Quam tradidit eis Moyses familius Domini. Itæ duæ tribus, & dimidia suscepserunt hæreditatem ante reliquias tribus, quia terra illa erat valde pascualis, & ista tribus magis abundantant in pecoribus quam reliqua, ideo petierunt terram illam à Moysi Numer. 32. cap. de conditionibus, cum quibus data est, patet eodem cap. dicitur tradidisse Moyses, quia tunc ipsi viuebat, & erat princeps, ideo ab ipso petierunt, & à sacerdote Eleazaro, & ipse concessit: ei enim erat potestas distribuendi terram, & distribuisset totam si introiisset in terram trans Iordanem ad orientem.

Familius Domini. Pro laudis insignio ponitur, quia in toto populo nemo erat, qui ita fideliter adhæreret Deo, vt ipse, & ob hoc vocauit eum Deus fidelissimum in terra domo sua, vt patet Numer. 12. cap. & ad Hebr. 4.

Trans fluenta Iordanis. Id est, ultra aquas Iordanis. Vtraque pars vocatur trans Iordanem: siue orientalis, siue occidentalis, ideo subiungitur determinatio, scilicet.

Ad orientalem pl. gam. Id est, in parte terræ Chanaan, quæ est ad orientalem partem Iordanis, & ista est terra duorum regum Amorrhæorum, vt patet hic, & præced. cap. *Ab Aroer,* quæ sita est in ripa torrentis Arnon.

De termino terra duarum tribuum.

Q u a s t i o X.

HIC ponitur terminus terra duarum tribuum, & dimidia, & diuiditur in duo. Primo ponitur tota terra, quam possederunt duæ tribus, & dimidia: secundo diuiditur terra inter illas infra. *Dedit ergo Moyses.*

Circa primum. Ab Aroer. Iste est terminus terra duorum regum Amorrhæorum, & est in parte orientali, vbi est verfrons orientalis totius terræ Chanaan.

De ista Aroer aliqui diccebant, quod est in terra Moab in finibus Moabitum, & Amorrhæorum, quod quidem non repugnabat: nam ciuitas, quæ esset in terra Moabitum bene poterat esse terminus Amorrhæorum, quia est terminus Moabitum, & utrunque terram diuidit, cum in continua copulentur partes ad terminum communem, sic terra Moabitum, & Amorrhæorum copularetur ad ciuitatem Aroer, quia esset in finibus, in quo nihil referbat, an ad Amorrhæos, vel ad Moabitas: sed necessario dicendum esse

Aroer urbem in terra Amorrhæorum ad orientalem plagam, patet Numer. 32. vbi ponitur inter ciuitates, quæ data sunt tribui Gad, cum dicitur: Igitur extruxerunt filii Gad Dibon, & Astaroth, & Aroer.

Quæ sita est in ripa torrentis Arnon. Est Arnon nomen scopuli, vel urbis, & nomen fluminis. Primarie conuenit scopulo vel urbi, & consequenter torrenti recurrenti ad radices urbis, vel scopuli, & hoc Numer. 21. cap. dicitur. Arnon est in deserto, & prominet in finibus Amorrhæi, si quidem Arnon terminus est Moab diuidens Moabitas, & Amorrhæos: est etiam torrens Arnon transiens per vallem diuidens terram Moabitum, & Amorrhæorum: in ripa autem torrentis huius circa scopulos Arnon est ciuitas Aroer ex parte terræ Amorrhæorum.

Et in vallis medio. Id est, ista ciuitas Aroer, quæ est in ripa torrentis Arnon est in medio vallis, quia Arnon labitur per medium vallis ex conditione fluviorum potentium ima, & in medio vallis illius, scilicet, circaripam, est ciuitas Aroer. In Hebraeo dicitur.

Et ciuitas in medio torrentis. Id est, ciuitas ista Aroer erat in medio torrentis huius Arnon, sed quia hoc sic intelligendo falsum est, cum nullatenus possit esse ciuitas in medio fluminis, litera nostra mutauit verba, ut seruaret veritatem sententiae dicens esse in medio vallis, fuisset autem sustentabilis sententia si diceretur, & torrens in medio ciuitatis, scilicet, quod torrens Arnon fluebat per medium ciuitatis Aroer: sic enim est in multis urbis, quod flumina transeunt per medietatem carum. Similes autem sententiae habentur aliquando in Hebraeo sic patet supra 5. cap. in fine, cum dicit litera nostra, cumque esset Iosue in agro Iericho, leuauit oculos, &c. in Hebraeo dicitur: Cumque esset Iosue in Iericho, sed manifestum est, quod non erat tunc Iosue in Iericho, sed in Galgalis aliquantum distanter ab urbe Iericho, sicut ibi accepit Iericho pro agro, vel adiacentibus locis Iericho, ita hic accepit medium torrentis, id est, medium vallis, in qua erat torrens.

Vniuersaq; campæstria Medaba. Ista est ciuitas in terra Amorrhæorum in regno Schon, & pertinuit olim ad Moabitas: sicut enim ciuitas Hesebon Metropolis regni Schon quondam fuit Moabitum: ita & Medaba multaque alia oppida, de quo Numer. 21. cap. cum dicitur: iugum eorum diliperit ab Hesebon vique Dibon lassi peruenient in Ophe, & vsq; Medaba. Fuit autem postea ciuitas ista pertinens ad tribum Ruben, vt patet infra.

Vsque Dibon. Est ista ciuitas de pertinentibus ad regem Schon, & acceperat eam quondam cum ceteris violenter de manu Moabitum, & est ista ciuitas in fine terræ, quæ capta est de manu Moabitum versus occidentem. Data fuit autem postea in forte filii Ruben, vt patet infra in litera. Inter urbem Dibon, & urbem Medaba sunt magna spatia aliqualiter plana, & aliqualiter montuosa, & illa vocantur campæstria ex modo loquendi scripturae, quæ diuidit terram in planam, & campæstrem, & montanam. Et quia illa spatia adjacent urbi Medaba vocantur campæstria Medaba, & in his sunt multæ populationes, quæ infra vocantur viculi.

Cunctas ciuitates Schon regis Amorrhæi. Id est, acceperunt duæ tribus, & dimidia ciuitates, quas possederat rex Schon, siue pertinentes ad sedem regni sui Amorrhæi, siue quas bello captas à Moabitum regno suo admiscerunt, vocatur Schon rex Amorrhæus, quia ipse, & rex Og erant de genere Amorrhæorum, qui erat vnuus de septem populis terræ Chanaan.

Qui regnauit in Hesebon. Nomen urbis est Hesebon, & non terræ, vt patet Num. 21. vbi vocatur urbs Hesebon, idem patet Numer. 32. Istam urbem reædificauerunt filii Ruben ad ponendum ibi uxores suas & parvulos, cum transliterent Iordanem cum reliquo Israël ad pugnandum contra Chanaanos Numer. 32. & in fortē eorum prouenit, vt patet infra. Dicitur regnasse Schon in Hesebon, non quidem quasi nullam aliam haberet urbem, cum plurimas haberet, sed quia ista erat Metropolis, cum esset excellentior, & in ea magis habitabat quam in reliquis: sicut rex Og dicitur habitare in Astaroth, vt patet infra, & sequ. capitulo, & forte denominatus est ab hac urbe, quia gloriose fuisse putabat in eo, quod bello acquisierat quam in eo quod hæreditaria successio-

D

Arnon
tria si
nificatiSitus
ArnoSitus
AroerDe Me
dabaDibon
que ci
uitas
sit, ac
euus si
tua

F

A successionē à progenitoribus acceperat, & procul dubio sic est quia possidere nihil gloria habet, acquirere autem, & gloria, & laboris admixtas habet particulas.

Visque ad terminos filiorum Ammon. Regnum Sehon regis coniungitur in toto latere meridiano filiis Moab, in latere autem aquilonari coniungitur Ammonitis, & Gessuri atq; Machati, & tangit Ammonitas in latere hoc vsque ad partes occidentalis lateris iuxta torrentem Iaboth: nam Iaboth est torrens coniunctus vrbibus Ammonitarum, vt patet Deut. 2. cap. cum dicitur: Omnes tradidit nobis Dominus absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus & cunctis, quæ adiacent torrenti Iaboth, & magis clare præced. cap. scilicet, dimidiique Galaad vsque ad torrentem Iaboth, quæ est terminus filiorum Ammon. De torrente isto constat, quod sit apud Iordanem distans leuca vna, vt patet in libro de diuisione Terræ sanctæ. Iordanis tamen est terminus occidentalis terræ istorum duorum regum Amorrhæorum, cum sit terminus orientalis terræ nouem tribuum, & dimidiæ, vt patet Numer. 34. & istæ duæ terræ sunt adiunctæ: ergo terra Ammonitarum tangit terram regis Sehon in latere aquilonari vsque ad occidentem, vel quasi: sed non tangit in toto latere aquilonari, quoniam terra Gessuri, & Machati etiam sunt termini aquilonares regni Sehon.

B Et Galaad. Est Galaad terminus occidentalis regni Sehon, & terminus orientalis regis Og, quia iste mons diuiditur, & medietas pertinet ad regem Sehon, reliqua autem medietas ad regem Og, vt patet Deuteronom. 3. & præcedenti cap. & hic.

Ad terminum Gessuri, & Machati. Id est, coniungitur regnum Sehon monti Galaad apud terminos Machati, & Gessuri, quia ista regna contingunt terram regis Sehon in latere aquilonari, vbi coniungitur monti Galaad ex latere occidentis. Ex hoc patet, quod supra dicebatur, scilicet, quod Gessuri non sit apud terram Philistinorum in latere meridiano terræ nouem tribuum & dimidiæ, sed in terra duarum tribuum & dimidiæ, apud regnum Sehon: ibi tamen nominata fuit terra Gessuri ex causa ibi assignata. Nisi quis dicere voluerit esse terram Gessuri apud terram Philistinorum aliam ab hac, de qua hic dicitur, & vtrunque satis stat, ista terra Gessuri est in qua Absalon mansit exul, & transfugus cum occidit fratrem suum Ammon, de quo 2. Reg. 13. & 14. erat enim ibi auus suus Maternus, quia acceperat Dauid in uxorem filiam Gessuri, & genuit ex ea Absalonem, de quo 2. Reg. 3. cap. Istæ duæ terræ Gessuri, & Machati, quamquam aliquo modo pertinere possent ad Israelitas, tamen non deleuerunt habitatores terrarum illarum Israelitæ, vt patet infra.

C Omnemq; montem Hermon. Dicet aliquis contra, quia non fuit totus mons Hermon in potestate duorum regum Amorrhæorum, sed pertinebat ad terram nouem tribuum, & dimidiæ, & supra præcedenti cap. ponitur mons Hermon, tanquam terminus occidentalis extrinsecus, cum dicatur: ab Aroer vsque ad montem Hermon in terra duorum regum Amorrhæorum.

Respondet aliquis, quod non ponitur hic totus mons Hermon, tanquam pars terræ duorum regum Amorrhæorum, sed tanquam terminus terra huius, scilicet, quod vsque ad montem Hermon accedebat terra illa; quia erat mons Hermon terminus occidentalis, & sic accipitur præcedenti cap. quod ista terra extendebatur ab Aroer vsque ad montem Hermon.

Sed non potest hoc stare, quia necesse est, quod aliquid de monte Hermon esset in terra duorum regum Amorrhæorum, cum dicatur præcedenti cap. quod rex Og dominatus est in monte Hermon.

Item si poneretur hic pro termino mons Hermon non conuenienter diceretur, quod accedebat terra duorum regum Amorrhæorum vsque ad omnem montem Hermon, sed solum vsque ad montem Hermon: nam si velimus accipere proprium totum montem Hermon, non accedebat terra duorum regum Amorrhæorum ad omnem montem Hermon, alioquin daretur, quod omnia latera montis illius tangenterunt a terra duorum regum Amorrhæorum, quod falso est, quia mons iste ingreditur terram nouem tribuum, & dimidiæ versus occidentem ad terram Sidoniorum, & ad

radices eius in planitiæ montis Libani multi populi habitant, vt patet supra II. & supra in litera.

Item non stat ista exppositio, quod patet ex adiunctis, scilicet, omnem montem Hermon, & vniuersam Basan, in quo appetat ista similiter ponit, sed Basan non ponitur tanquam terminus, sed magis tanquam pars terræ regis Sehon, vt patet præcedenti cap. & Deuter. 3. ergo totus mons Hermon non ponitur hic, tanquam terminus, sed tanquam pars terræ duorum regum Amorrhæorum.

In quo dicendum est, quod ponitur hic mons Hermon, tanquam pars terræ duarum tribuum, & dimidiæ, cum fuerit pars terræ duorum regum Amorrhæorum, sed quædam pars eius non magna, quam ponere cogimur, quia præcedenti capit. dictum est, quod dominatus est rex Og in monte Hermon, totus tamen quasi mons Hermon erat in terra nouem tribuum, & dimidiæ: est autem quasi in latere aquilonari terræ illius, & protenditur ad partem occidentalem, quasi per totum latus aquilonare transiens per planiciem montis Libani, & ad radices huius montis multi reges, & populi habitabant, vt patet supra vndecimo capitulo, cum rex Iabin conuocauerit in pugnam contra Iosue omnes reges habitantes ad radices Hermon: pars tamen quædam montis huius in parte orientali transit in terram duorum regum Amorrhæorum, & in illa dominatus est rex Og, de quo dicitur præcedenti capitulo, & dominatus est in monte Hermon. Vocatur autem ista particula totus mons Hermon, quia forte erat diuisa à reliquis partibus, quasi per se sit unus mons; sicut interdum est in aliis montibus, qui protenduntur in longum, quoniam interdum diuiduntur in multos colles intercidentibus vallibus, & planiciebus: & tunc quilibet illorum collium videtur per se quasi unus mons, ista autem particula montis Hermon est ad partem occidentalem terræ regis Sehon, vbi coniungitur terra nouem tribuum, & dimidiæ.

E Et vniuersam Basan. Ista est regio quædam in terra regis Sehon, à qua ipse vocabatur rex, vnde dicebatur rex Basan, & fuit olim terra gigantum: in ea enim habitauerunt Raphaim de quorum reliquiis fuit rex Og. De hoc Deuter. 3. scilicet, cuncta Basan terra Gigantum vocatur. Fuit autem ista regio Basan tradita in fortē dimidiæ tribui Manasse, vt patet Deuter. 3. & Numer. 32. & infra in litera.

Visque ad Saletha. H̄ta est ciuitas in regno regis Og, vt patet præcedenti capit. cum dicitur, quod dominatus est in monte Hermon, & in Saletha: est autem in extremitate terræ Basan, quod patet, cum dicitur hic vniuersam Basan vsque ad Saletha.

F Omne regnum Og. Id est, omne regnum regis Og ceperunt, & illud erat in Basan. Non quidem, quod totum regnum eius esset in Basan, quia præter regionem illam aliam habebat, sed quia principium, & caput regni eius erat Basan, vt supra declaratum est præced. cap.

Quid Astaroth sit ac eius situs. Qui regnauit in Astaroth. Astaroth non est regio, sed ciuitas, vt patet infra vbi Astaroth, & Edrai vocantur vrbes, & hanc urbem extruxerunt filii Gad cum transferunt Iordanem, cum nouem tribibus, & dimidiæ ad pugandum, vt patet Numer. 32. cap. Est autem ista ciuitas in terra Basan, nam in hac urbe erant Raphaim, id est, Gigantes, cum pugnauerunt contra eos reges, qui veniebant cum Chedorlaon, vt patet Genes. 14. ca. scilicet, percussit Raphaim in Astaroth Carnaym. Terra autem Gigantum erat Basan, qui vocantur Raphaim, de quibus erat rex Og, ideo in hac terra Basan erat Astaroth. Erat autem de ciuitatibus præcipuis regni, & ob hoc in ea morabatur rex Og, & fuit ibi caput Gigantum.

Quid Edrai sit ac eius situs. Et Edrai. Ista est alia ciuitas regni Og, & videtur esse circa limites regni: nam cum rex iste exiit obuiam Iudeis pugnaturus venit in Edrai, vt patet Numer. 21. & Deuter. 3. erat etiam ista de præcipuis ciuitatibus regni, ideo nominata est, sicut Astaroth, & ita reges interdum in denominationibus suis ponunt quasdam vrbes præcipias regnorū suorum. Est autem ciuitas Edrai in regione Basan in terra Gigantum, sicut ciuitas Astaroth, vt patet infra in litera, & data est in forte filii Manasse dimidiæ tribui, vt patet infra.

Ipsæ fuit de reliquiis Raphaim. Id est, Og rex fuit de stirpe Raphaim, id est, quorundam Gigantum, qui vocati sunt Raphaim; fuit autem de reliquiis, quia quando ipse erat nullus

alius

A alius de Gigantibus supererat, ut patet Deuter. 3. scilicet, solus quippe Og restiterat de stirpe Gigantium, & accipiuntur ibi Gigantes pro illis, qui vocantur Raphaim, de quibus nulli supererant. De aliis autem Gigantibus multi erant tunc in urbibus Gaza, Geth, & Azotho, & in Hebron, Dabir, & Anab, & in montibus Iudae, & Israël, ut patet supra ii. De quo ibi magis declaratum est, & praecedenti cap. Hic autem seruavit litera nostra proprietatem magis quam Deut. 3. cap. vnde cum dicere debuisset solus quippe Og restiterat de stirpe Raphaim, dixit de stirpe Gigantium, quos Hebrei vocant Enacim.

Percusitq; eos Moyses. Id est, Moyses cum exercitu Israëlitum occidit reges illos, ut patet praed. cap. & Numer. 21. & Deuter. 2. & 3. cap. nullos alios autem reges occidit Moyses in terra Chanaan, sed reliquos occidit Iosue, ut patet praed. cap.

Atque deleuit. Id est, non solum occidit sed etiam totaliter destruxit nullum dimittendo de populo horum regum, delere enim totalem eradicationem notat.

*situs
Gessuri.* Nolueruntq; disperdere filii Israël Gessuri, & Machati. Et hoc patet, quod supra dicebatur, scilicet, terram Gessuri esse apud terram duorum regum Amorrhæorum. Nam cum dictum est de destructione regnum duorum subiungitur, quod noluerunt Israëlitæ pugnare contra regnum Gessuri & Machati, sed permiserunt incolas terræ huius habitare inter Israëlitas, tam si non essent ista regna apud terram duorum regum Amorrhæorum, nihil attinet dici, quod noluerint Israëlitæ delere ea, sed postea diceretur cum ageretur de alia terra, apud quam essent Gessuri, & Machati, & sati etiam patet, quia Deuter. 3. vbi solum agitur de terra duarum tribuum, & dimidiæ dicitur, quod terra ista peruenit usque in Gessuri, & Machati. Terra tamen Philistinorum nequaquam potest contingere terram duorum regum Amorrhæorum, quia ista est maxime orientalis in tota terra Chanaan, & terra Philistim est maxime occidentalis & meridiana, ut declaratum fuit supra.

De istis duobus regnis dicitur, quod non deleuerunt Israëlitæ, & non sine causa, quia erant contingentia terram duarum tribuum, & dimidiæ, & aliqualiter inter terram illam ambientur partes quædam horum regnum, cum dicitur immediate, quod habitauerunt Gessuri, & Machati inter filios Israël usque in præsentem diem.

*Quomodo Gessuri, & Machati remanserunt in terra Chanaan,
& non deleuerunt ab israelitis, & qua
gentes erant.*

Q V A E S T I O XI.

C **V**NDE aliquis miraretur quomodo Israëlitis stantibus in terra mansissent gentes illæ in terra illa. Et respondeatur, quod manserunt quia Israëlitæ noluerunt delere habitatores terrarum illarum: vnde postea confederati fuerunt Israëlitis: nam David accepit vxorem filiam regis Gessuri, 2. Regum 3. cap. De his gentibus potest dupliciter dici. Vno modo, quod Machati, & Gessuri erant quædam regna parua de stirpe Amorrhæorum, & pertinebant ad terram Chanaan.

Alio modo, quod erant de gentibus aliis non pertinentibus ad Chananæos, sed solum coniuncti erant terræ duorum regum Amorrhæorum. Primum dicet aliquis forte esse rationabilius: ad hoc autem positum fuit hic, & est responsio: sed contra, nam cum Machati, & Gessuri essent de Chananæis, quomodo remanserunt? omnes enim Chananæos occidere debebant Israëlitæ.

Et tunc respondetur, quod remanserunt, quia Israëlitæ noluerunt eos delere. Sed hoc satis est dubium, & non videtur stare: nam Deus iussit, ut omnes Chananæi delerentur. Sed Israëlitæ poterant delere Gessuri, & Machati, & noluerunt, ut patet in litera, cum dicatur, quod Israëlitæ noluerunt delere eos: ergo non videntur fuisse de Chananæis, alioquin satis peccaret Israël dimittendo illos.

Et si arguatur, quod cum Iosue introiuit in terram Chanaan trans Iordanem multa oppida reliquit non capiens, ut patet supra in litera, & tamen erant de gente Chananorum.

D Respondendum est non esse simile, quia Iosue non dimisit loca illa tanquam volens, sed quia debellare non potuit nolente Domino tradere in manus eius, aut inbente ne pugnaret contra gentes illas: Deus quippe dicit, quod ipse noluit tradere in manus Iosue, ut patet Iudic. 2. cap. & 3. Gessuri autem, & Machati solum manserunt voluntibus Israëlitis, ergo peccauissent si essent de Chananæis.

Sed adhuc dices satis concedi posse hoc, nam etiam in terra nouem tribuum, & dimidiæ Israëlitæ reliquerunt multa loca volentes, ut habitatores illorum efficerent tributarios, ut patet in tribu Ephraim, infra 16. & in tribu Manasse, infra 17. & Iudic. 1. cap. ita ergo relinquere poterant Gessuri, & Machati in terra duotum regum Amorrhæorum, ut sub tributo seruirent.

E Respondendum est non stare, quia isti, qui reliquerunt loca ista gentium non delentes habitatores, nec subuententes aras Deorum peccauerunt grauiter, & Deus eis dure impropereauit dicens, quod quia hoc fecerant deleter non fuerant gentes illæ, ut haberent hostes, & dij illarum essent in ruinam Iudæis Iudic. 2. cap. Gessuri tamen, & Machati fuerunt derelicta illæsa tempore Moysi, quia ipse fuit, qui subegit terram duorum regum Amorrhæorum, & occidit illos, ut patet hic: ergo non est vllatenus suspicabile, quia talia faceret Moyses grauiter peccas: potissimum cum ipse ex mandato Dei pronunciasset Israëlitis ne talia ficerent Deut. 20. cap. potissimum, quia Moyses non moueretur cupiditate tributorum ad dimittendum gentes illas in terra Israël; non est ergo dicendum quod fuerint de Chananæis.

Item patet efficaciter, quia David accepit in uxorem filiam regis Gessuri, ut patet 2. Regum 3. non tamen accepisset eam si esset de Chananæis, quia vetitum erat in lege accipere huiusmodi foeminas. Exod. 34. & Deuter. 7. & ex hoc Salomon fuit valde increpatus, quod accepisset uxores de Hethæis, & Chananæis, quas Deus vetuerat copulatusque est eis ardenter amore, 3. Reg. 11. cap.

F Alius modus conuenientior est, scilicet, quod sint Machati, & Gessuri de aliis gentibus non pertinentibus ad Chananæos: erant tamen in limitibus terræ Chanaan, sicut Moabitæ, & Ammonitæ: causa tamen quare ponitur de istis gentibus, quod non acceperint terram earum Israëlitæ, fuit quia Deutero. 2. dicitur, quod acceperint omnia loca præter ea, à quibus Deus prohibuit illos, sicut terra Ammonitarum, & Moabitarum. Gessuri tamen, & Machati non erant de locis, à quibus Deus vetuerat Iudæos, ergo quamquam non essent de terra Chanaan accipere potuerint, & quia non acceperunt exprimitur, quod non acceperunt terram illam, quia noluerunt delere habitatores eius.

Ideo dicendum est ista duo regna, non pertinuisse ad terram Chananæorum, & ob hoc dimisisse illa Israëlitas: non quidem quod obligarentur ad non pugnandum, quia non erant de Chananæis, sed quod ob hoc, quod non erant de Chananæis, poterant dimittere eos, ne caperent, aut pugnarent contra illos.

G *Habitaueruntq; in medio filiorum Israël usque in presentem diem.* Id est, isti duo populi, vel gentes habitauerunt inter Israëlitas usque ad tempus, quo liber iste scriptus est, scilicet, usque ad Samuel, qui fuit in principio regum Israël, & ipse scriptis librum hunc, & non solum usque tunc, sed etiam postea tempore David manebant, cum ipse acceperit filiam regis Gessuri in uxorem, 2. Regum 3. capit. & manserunt deinde, cum esset Absalon magnus, & occidisset fratrem suum maiorem, nam confugit in Gessuri, 2. Reg. 14. postea autem non legitur fuisse aliquam harum gentium deletam, aut terram eorum occupatam.

H *Tribui autem Leui non dedit possessionem.* Hoc dependet ex prædictis. Nam dictum fuerat, quod duabus tribubus, & dimidiæ data est terra duorum regum Amorrhæorum, & non unum tribubus, & dimidiæ, diuidenda erat tota terra Chanaan. Non restabat ergo aliquid pro tribu Leui,

I *& hoc dicitur hic, scilicet, tribui autem*

J *Leui non dedit possessionem.*

Samuel
fuit in
principio
regum
Israël

A

An Leuitæ acceperint hereditatem cum acceperint quadriginta octo vrbes.

Quæstio XII.

ARGEVET aliquis, quod Leuitæ acceperunt hæreditatem, quia data sunt eis ciuitates 48. Numer. 35. cap. de quibus infra 21. & istæ sunt sors quædam, nam tribui Simeon non prouenerunt tot ciuitates, & quibusdam aliis tribubus computando infra à 16. vñque ad 20. cap.

Respondendum est, quod differebant Leuitæ in non accipiendo hæreditatem à reliquis Israëlitis dupliciter.

Primo, quia cuiilibet tribui Israëlitarum fuit assignata aliqua sors, vt patet hic de duabus tribubus, & dimidia, & deinde de nouem, & dimidia. Et magis hoc apparet inductiue, à cap. 15. vñque ad 20. acceperunt tamen Leuitæ & sacerdotes alias vrbes in eleemosynam ad habitandum, quia alias non habuissent locum in terra Chanaan, & istæ sunt 48. vrbes, de quibus Numer. 25.

Et si aliquis dicat, quod istas vrbes receperunt Leuitæ in Sortem, sicut alia tribus receperunt reliquam terram.

Dicendum est non stare, quia non fuit posita aliqua sors pro vrribus istis, sed quælibet tribus dedit alias vrbes de suis, fuit autem modus, quod tota terra primo diuisa fuerit non manente aliquo loco, & factæ sunt Sortes pro 12. tribubus: pro Leuitis autem nullus locus mansit, sed postea quælibet tribus in eleemosynam quodam modo dedit alias de vrribus suis, & sic datae sunt 48. vrbes Leuitis. De hoc infra 21. cap. possessio autem denominat aliquid hæreditarie veniens, & receptum in titulum: Leuitæ autem non suscepserunt tanquam ex iure suo, sed in eleemosynam, ideo non dicuntur habere possessionem.

Secundo, diff. runt Israëlitæ reliqui à Leuitis in habendo possessionem, quia Israëlitæ diuiserunt inter se vrbes, & territoria sua, agros, & vineas, & reliqua loca, Leuitæ autem quamquam acceperunt hæreditatem, scilicet, ciuitates necessarias: tamen non acceperunt cum eis terminos, vel territoria vrbiuum ad agros, vel vineas, quia ipsi nihil horum habebant, sed territoria ciuitatum Leuiticarum cedebant vrribus propinquis Israëlitarum: ipsi autem solum habebant in circuitu vrbiuum Suburbana quædam habentia in longitudine cubitos mille ad omnem partem vrbiis, & ista erant solum ad pascua pecorum, quia Leuitæ non plantabant vineas, nec agros colebant propter duo.

Primo quia non poterant semper vacare agriculturæ: cum semper deberent ministrare multi illorum in loco Sanctuarij: & potissimum erat hoc de sacerdotibus. De ministracionibus, & temporibus ministrandi, & distributionibus ministrorum, & ministracionum patet 1. Paral. à cap. 23. vñq; ad 28.

Secunda causa erat, quia non indigebant sacerdotes, & Leuitæ hac vacatione cum redditus decimaru[m] sufficerent eis, sacerdotibus autem sufficiebant oblationes, & alia iura, de quibus Numer. 18. Non ergo fuit data terra, in qua agros colerent, aut vineas plantarent, sed solum haberent pascua pro pecoribus suis, & huius causa erat, quia Leuitæ recipiebant decimas Israëlitarum, & quia inde proueniebant pecora, & alia iumenta in decimam, indigebant Leuitæ locis in quibus pascerent pecora: haec autem erant suburbana apud vrbes. De hoc Numer. 35. dicitur: Præcipe filii Israel, vt dent Leuitis de possessione sua vrbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum, vt ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus atque iumentis. Quare autem Leuitæ non acceperunt hæreditatem agrorum, & vinearum, sicut ceteri Israëlitæ, declaratum fuit magis Deuter. 18. & il^le vide. Ob hoc ergo dicitur de Leuitis, quod non receperunt hæreditatem: nam hæretas vocatur hic, ex qua fructus proueniunt, quod magis conuenit agris, & vincis quam vrbiis: quia ibi est vñs rei pro fructu, & nullus aliis fructus, ideo quamquā darentur eis vrbes, non dicebatur data hæreditas.

Sed sacrificia, & victimæ Dei Israel ipsa est hereditas eius. Quia non fuit data Leuitis hæreditas, sicut ceteris tribubus, tuit tamen aliquid datum æquipollens hæreditati, scilicet, sacrificia, & victimæ: nam sicut ceteri Israëlitæ sustentabantur de agricultura habentes fundos agrorum, & vinearum: ita Leuitæ sustentabantur de fructibus, qui proueniebant ex obligationibus, & sacrificiis.

Pro quo sciendum, quod nullus de tribu Leuitica accepit aliquam possessionem agrorum, & vinearum inter Israëlitas, sed omnes sustentabantur de prouentibus Sanctuarij. Considerandum etiam, quod Leuitarum erat duplex status, quidam erant, qui vocabantur sacerdotes, & faciebant sacrificia atq; cæteras ministraciones in Sanctuario, de quibus dictum est Leuit. 21. & Numer. 3. & isti erant solum de genere Aaron, si quis autem aliorum, sive Leuitarum, sive non Leuitarum attenaret expiere aliquam ministracionem pertinentem ad sacerdotes, moriebatur; vt patet Numer. 3. & 18. & sic factum est de Core, & sociis suis Num. 16. Alij autem erant de Leuitis, qui non pertinebant ad sacerdotes, quia non erant de stirpe Aaron, sed de tota alia progenie Leui, scilicet, de Gerzonitis Caathitis, & Meraritis, & hi solum habebat officium custodiendi vasa Sanctuarij, in quibus ministrabant sacerdotes, & portabant ea de loco ad locum cum portanda essent castra: castrametabantur etiam in circuitu Sanctuarij, cauentes ne quis accederet ad illud. De hoc Numer. 1. & 3. ca.

ad ministrandum autem in vasis intra Sanctuarium accedere non audebant: alioquin morerentur. Nec solum ad ministrandum, sed etiam videre illa nuda non licebat, quod si viderent morerentur, vt patet Numer. 4. & 1. Reg. 6. de Bethsammitibus, qui viderunt arcam Domini. Iste autem Leuitæ secundi gradus vocabantur Leuitæ solum: primi vero, qui erant de genere Aaron, vocabantur sacerdotes. Vtrique tamen erant Leuitæ quantum ad genus: sicut non quantum ad officium. Leuita autem duo notat, scilicet, lineam progeniei, & gradum ministerij: omnes autem hi sustentabantur de iuriis Sanctuarij, & nullus suscepserat agros, nec vineas ad collendum: sed diuersimode prouidebatur his de iuriis Sanctuarij. Nam Leuitæ secundi gradus, qui sunt Leuitæ, & non sacerdotes, accipiebant sola iura decimaru[m], ita quod omnes decimæ darentur Leuitis à filiis Israel, & nullæ prouenient sacerdotibus, & his solis contenti viuebant Leuitæ. De hoc Numer. 18. cap. sacerdotes autem habebant alia iura. Pro quo sciendum, quod inter sacerdotes erat ordo, quia quidam erat semper sacerdos magnus vñq; ad mortem, alij omnes vocabantur sacerdotes minores. Et iste sacerdos Magnus habebat excellentiam super ceteros in potestate sacerdotali, sicut Episcopi, vel Papa possunt aliquid quod non possunt minores clerici, & non solum poterat iste aliquid super ceteros quantum ad id, quod erat iurisdictionis: sicut in novo testamento potest Papa super Episcopos, vel Archiepiscopos super Episcopos, sed etiam aliquid quantum ad id, quod erat ordinis. Nam summus sacerdos solum poterat facere sacrificia in die propitiationis, nulli autem alij licebat, vt patet Leuit. 16. Etiam summus sacerdos solum poterat ingredi in sancta Sanctorum ad expiandum in sanguine, aspergendo illum contra propitiatorium, & si quis conaretur ingredi illuc præter summum sacerdotem, moreretur, vt patet Leuit. 16. & ad Hebr. 9. cap. nec solum hoc, sed etiam si quis de minoribus sacerdotibus esset in tabernaculo, quādo ingredereetur summus sacerdos in sancta Sanctorum, moriebatur, vt patet Leuit. 16. Iste summus sacerdos non eligebatur, sed per lineam veniebat, scilicet, quod primogenitus summi sacerdotis erat summus sacerdos, & sic per totam lineam filiorum Aaron. De hoc declaratum est Exod. 29. & Leuitici 6. cap. Iste summus sacerdos habebat maiora iura inter ceteros sacerdotes: erant enim quædam iura summi sacerdotis propria, in quibus non communicabat cum aliis sacerdotibus, & ictus est in decimis, quia vt dictum est decimæ pertinebant ad Leuitas, qui non erant sacerdotes, & nihil ad sacerdotes, postquam tamen ipsi suscipiebant decimas, tenebantur de illis dare rursus decimam summo sacerdoti, quæ erat centesima pars fructuum totius Israel. De hoc Numer. 18. & extra de decimis cap. 1. si autem darent Leuitæ istas decimas insufficienter sacerdoti magno, vel non darent de bonis partibus, imputabatur eis ad peccatum velut Israelitis. De hoc Numer. 18. capit. sacerdotes autem minores cum ipso summo sacerdote habebant rursus alia iura communia inter se, scilicet, primitias fructuum, & pecorum, vt patet Numer. 18. & hoc in omnibus tribus generibus primitiarum, de quibus declaratum est Exod. 13. & Numer. 15. habebant etiam iura redemptionis primogenitorum. Nam quodlibet primogenitum masculinum redimebatur, & premium suum erat quinq;

D

Duplex
erat s.
est Le.
uitarii.

E

ordo
inter
sacerdo
tes vet
T. 2.

iura
summi
sacer
dotis
veter.
Test.

F

filiorum

A sistorum in hominibus, qui proueniebant sacerdotibus. De hoc Numer. 3. & 8. In primogenitis autem pecorum, & iumentorum aliter siebat: nam primogenita immolatia offerbantur, & fuso sanguine eius ad expiationem altaris, & cremato adipem tam pellis quam carnes pertinebant ad sacerdotes, animalia autem immunda redimebantur dato precio, vel facta commutatione, de quo dictum est Exod. 13. & 34. atque Numer. 18. Item omnia vota pertinebant ad sacerdotes: nam si quis voulisset aliquid Deo, non cedebat in ius Sanctuarij, sed in ius sacerdotum. De quo præallegato cap. habita tamen ad hoc distinctione quam posuimus Leuit. 17. & Numer. 5. Itcm pertinebant oblationes, & dona data Deo ad sacerdotes Nume. 18. Amplius pertinebant iura omnium sacrificiorum holocaustorum, hostiarum pacificarum, pro peccato, non quidem, quod de his prouenirent omnes carnes sacerdotibus, sed aliqua iura. Nam de holocausto sola pellis eis proueniebat, combusit omnis carnis; de quo Leuit. 1. & 6. De hostia pacifica proueniebat pectusculum, & armus dexter Leuit. 7. & 10. cap. & Numer. 18. De hostia pro peccato erat duplex, quia si sanguis eius introducatur in tabernaculum cremabatur tota tam pellis quam carnes, & non proueniebat quipiam sacerdotibus, vt patet Leuit. 4. & 6. si autem non introferretur sanguis hostie in tabernaculum, cedebant omnes carnes, & pellis sacerdoti, dempto solo sanguine, & adipem, quæ prouenibant in iura Dei, vt patet

B Leuit. 6. Et non solum cedebant partes carnium in sacrificiis in ius sacerdotum, sed etiam partes libaminum: erant enim libamina simila, id est, farina alba, vinum, oleum, sal, & thus, de quibus proueniebat sors quædam sacerdotibus. De his Leuit. 2. & Numer. 15. cap. de modo autem, quo diuidebant sacerdotes inter se iura sacrificiorum declaratum fuit Leuit. 6. De iuribus autem sacerdotalibus explicatius dictum est Numer. 5. de his etiam in litera patet Numer. 18. & Deuter. 18. de istis dicitur hic, quod erant Leuitis pro hæreditate, quia siue Leuitis iura sua, siue sacerdotibus sua sufficiebant ad sustentationem: sicut popularibus hæreditates agrorum, & vinearum dabant sustentationem. Et cum dicitur hic, quod sacrificia, & victimæ ipsa sunt hæritas eius non potest intelligi de omnibus Leuitis, sed solum de sacerdotibus, quia illi nihil percipiebant de sacrificiis, & victimis aliisque iuribus, sed de solis decimis viuebant, vt declaratum est: nisi forte acciperentur victimæ, & sacrificia generaliter pro omnibus iuribus Sanctuarij large sumendo: propri autem solum pertinent ad sacerdotes, & adhuc non expriment omnia iura sacerdotum, vt patet ex supra declaratis. Nam vota, & redemptiones primogenitorum, & primitiæ non pertinent ad sacrificia, & victimas.

C Item sciendum cum ponantur hic sacrificia, & victimæ, quod possunt poni tanquam idem, vel diversa: communice enim nomine victimæ sacrificia vocantur, victimæ autem vocantur, quia ferro victimæ cadunt iuxta illud Ebrardi.

Victimæ, quæ cecidit ferro victimæ vocatur

Hostibus à domitis hostia nomen habet.

Et tunc nihil additum ad alterum. Alio modo accipitur victimæ solum pro sacrificio carnium, & sacrificium pro libamentis. Nam de pane oblato nunquam victimam denominamus: sacrificium tamen interdum fit, quia simila oblatæ in libamento vocatur sacrificium, vt patet Leuit. 2. & Numer. 15. & tunc erit sensus, quia iura Leuitarum essent in partibus carnium de sacrificiis, & in sacrificiis, quæ sunt de simila, & aliis libamentis, sensus tamen verus literæ huius est, quod per victimas, & sacrificia accipiuntur omnia iura sacerdotum, & Leitarum qualiacunque illa sint, & est sententia, quod quia Leuitæ receptorunt iura Sanctuarij in partem suam, non debuit eis dari aliqua alia hæritas cum Israëlitis, hic autem ponitur expressius hoc, quia Numer. 18. & 35. & Deuter. 18. vbi dicitur, quod Leuitæ non acceperunt hæritatem inter cæteros, quia Deus sors illorum est, id est, quod ea, quæ dantur eis pro Deo sunt eis loco sortis, scilicet, sacrificia, & victimæ, vt patet hic.

Sicut locutus est illi. Id est, sicut dixit Deus illis, scilicet, Leuitis Numerorum decimo octavo, cum dicitur in terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars, & hæritas tua in medio filiorum Israël, idem præallegato cap.

D Dedit ergo Moyses possessionem tribui filiorum Ruben iuxta cognationes suas. Fuitq; terminus eorum ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, & in valle eiusdem torrentis media uniuersam planitiem, que dicit Medaba, & Esebon: cunctosq; viculos earum, qui sunt in campestribus: Dibon quoque, & Bomotha, & oppidū Baalmaon, & Lessa, & Cedimoth, & Mephaath, & Cariathaim, & Sabama, & Sarathasar in monte conuallus. Betphogor, & Aseroth, Phasga, & Bethies moth, omnes urbes campestres, uniuersaq; regnū Sehon regis Amorrhæi, qui regnauit in Hesbon, quem percutit Moyses cum principibus Madian, Heuæum, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebæ duces Sehon habitatores terrestre: & Balaam filium Beor Ariolum occiderunt filii Israel gladio cum ceteris interfectis. Factusq; est terminus filiorum Ruben Iordanus fluvius. Hæc est possessio Rubenitarum per cognationes suas urbium, & viuolorum.

Dedit Moyses possessionem. Hic ponitur prædictæ terræ duorum regum Amorrhæorum inter duas tribus, & dimidiam facta diuisio, & quæ loca cuique prouenerint.

E Dedit Moyses possessionem tribui filiorum Ruben. Moyses diuisit terram istam, quia ipse tunc præsidebat, & acquisierat eam: tribus autem Rubenitarum erat prima, ideo data est ei pri-mo sors.

F Circa quod considerandum est, quod non fuit similiter facta diuisio terræ duorum regum Amorrhæorum inter duas tribus, & dimidiā, sicut reliqua terra trans Iordanem diuisa est nouem tribubus, & dimidiæ: nam terra nouem tribuum, & dimidiæ data est per sortes, scilicet, quod facta est descriptio terræ totius oppidorum & territoriorum suorum, quo allegata ante Israëlitas in Silo, vbi erat Sanctuarium diuisa est terra datis sortibus, de quo infra 18. cap. terra autem duorum regum Amorrhæorum non fuit diuisa per sortes, sed Moyses diuisit illam, vt bene ei visum est, & assignauit partes tribubus duabus, & dimidiæ: nec est facta aliqua descriptio locorum, nec positæ sunt sortes.

G Iuxta cognitiones suas. Id est, Moyses dedit tribui Ruben terram, quæ sequitur, & hoc iuxta cognationes suas, id est, secundum diuisionem cognitionum fuerum, quasi dicat, non dedit eam sic confusa tribui Ruben, sed erat Ruben diuinus in multas cognationes, cuilibet autem cognitionum illarum dedit Moyses aliquam particulam terræ: omnibus autem cognitionibus simul sumptis prouenit tota terra, quæ computatur hic pertinere ad Ruben. Accipitur hic cognatio pro familia, quia diuiditur tribus in familias, familia autem quælibet in domos, & domos diuidimus per capita virorum, id est, per speciales oœconomias, vt declaratum est in fine supra 11. cap. Familiae autem Rubenitarum erant quatuor, scilicet, Enochitarum, Phalluitarum, Esromitarum, Charmitarum, vt patet Numer. 26. cap. ideo diuisa fuit tota terra proueniens tribui Ruben in quatuor partes pro istis familiis, deinde pro domibus familiarum fierent alia partitiones speciales.

H Fuitq; terminus eorum ab Aroer. Ille est terminus orientalis terræ filiorum Ruben, & totius terræ Chanaan. Ultra Aroer autem nihil est de terza pertinente ad Chananæos, & estista ciuitas in terra Amorrhæorum diuidens Amorrhæos, & Moabitas, sicut Arnon, & non est, vt quidam existimabant in terra Moabitæ, vt patet Numer. 32. cap. est autem in hæritate tribus Ruben, vt patet, cum terminus ab oriente in terra Ruben sit Aroer, & nulla alia tribus habeat possessionem ultra, quia nulla pars terræ Chananæorum ultra est.

I An Aroer pertineat ad tribum Gad. Et eius situs.

Q V A E S T I O XIII.

S Ed arguetur, quod pertineat Aroer ad tribum Gad, quia Numer. 32. cap. vbi diuisa fuit hæritas ista, & concessa à Moysi duabus tribubus, & dimidiæ, dicitur quo d' filii Gad extruse-

A extruxerunt vrbem Aroer ad ponēdum ibi filios suos, & vxores: si tamen pertinuerit ad filios Ruben, non habitarent in ea Gaditæ: potissimum quia etiam Rubenitæ extruxerūt alias vrbes vxoribus suis, & filiis. Respondendū, quod Aroer pertineat ad Ruben, vt patet hic: tamen filij Gad extruxerūt eam pro vxoribus suis, & liberis, quia hoc non fuit, vt ipsi habitarent in ea, sed vt manerent vxores, & liberi corum, dum ipsi ibant ad bellum trans Iordanem, & modus est: quia terra illa non fuit data diuabus tribubus, & dimidiæ, nisi cum cōditione, vt transirent trans Iordanem ad pugnandum cum reliquis tribubus, quæ non acceperant possessionem, quod si nollent auferenda erat eis terra, vt patet Num. 32. ca. cum ergo transiūti erāt alii Israelite Iordanem, isti breuiter extruxerunt alias vrbes, quæ dirutæ erant bello, vt ibi relinquerem posse filios, & vxores, & pecora, atque iumenta: manserunt autem de eis aliqui, sed totum robur bellatorum transiūt Iordanem cum aliis tribubus, & quia erat parua multitudine remanentium in terra illa, non construeret quælibet tribus ciuitates fortis suæ, vt maneret ibi sc̄emina, & paruuli illius tribus, & sic non implerent terram, sed magis acceperunt quædam ciuitates, & paucas, in quibus possent collocari remanentes in terra, & fuerunt istæ ciuitates propinquæ inter se, vt non esset ista pauca gens spatiis disiuncta: vnde non curauerunt, an vrbes istæ essent in Sorte tribuum illarū, cuius vxores ibi manebant, & liberi, sed solum, vt cōgruentius, & facilius collocari potuerunt, & collocati sunt. Et non solum factum est hoc in vrbe Areor, sed etiam in quibusdam aliis. Nam Astaroth etiam fuit extructa à filiis Gad, sed non pertinebat ad tribum suum, sed ad dimidiām tribum Manasse, vt patet infra in litera: & sic de quibusdam aliis.

Arnon fluvius

B *Situ Aroer.*

Quæ sita est in ripa torrentis Arnon. Ista ciuitas est extrema in parte Orientali, atque in termino Amorrhæorum, & Moabitum, & est sita in ripa torrentis Arnon, quia Arnon est fluvius transiens inter Moabitum, & Amorrhæos diuidens vtrunque regnum, & in valle, per quam transit torrens ille, est sita ciuitas ad ripam fluminis: intantum vt litera Hebraica dicat eam esse in medio torrentis, vt patet supra.

Et in valle eius torrentis media. Hic declaratur magis de situ ciuitatis Aroer, scilicet, quod sit in medio vallis: nam torres in valle est ex conditione aquarum fluentium ad ima, & in medio vallis eiusdem est vrbis.

Vniuersamque planciem, quæ dicit Medaba. Id est etiam filij Ruben possederunt totam terram medium inter vrbem Aroer, quæ est Orientalis, & vrbem Medaba, quæ est Occidentalis aliqualiter. Ista terra media vocatur planicies, aliquando tamen vocatur campestria, siue campestria Medaba, vt patet supra, scilicet vniuersa campestria Medaba vsque Dibon: magis autem forte dici potest, quod non accipiatur hic planicies, pro eo, quod ibi vocatur campestria, licet Medaba habeat campestria, sed quod ab Aroer vsque Medaba sit planicies: & ista sit de qua dicitur hic: Vniuersamque planciem, quæ dicit Medaba: scilicet ab Aroer in Medaba. Campestria autem rursus sunt inter Medaba, & vrbem Dibon, & ista vocantur campestria Medaba, & de his dicebatur supra vniuersaque campestria Medaba vsque Dibon, & de his campestribus etiam dicitur hic, scilicet cūctosque vicos earum, quæ sunt in campestria. Ista vrbis Medaba pertinuit quondam ad regnum Moabitum, rex autem Sehon Amorrhæus bello vrgens Moabitas multas vrbes corum cepit, quæ manserunt postea in potestate eius, & cum Israelite terram illam eripuerunt de manibus eius, ceperunt etiam eam, quæ fuerat Moabitum, vnde postea pluribus quam trecentis annis tempore Iepte Galaaditis rex Moab repetiuit loca, quæ quondam pertinuerant ad terram suam, indicēs bella Israelitis: cui postea respondit Iepte, & pugna facta est: manserunt tamen ciuitates semper in terra Israel. De hoc Iud. II. c. De his fuit Medaba, vt patet Nume. 21. vbi nominantur Hesebon Medaba, & Dibo, & Ophe. *Et Hesebon.* Est Hesebon ciuitas pertinēs ad terram Sehon Amorrhæi regis, eratque Metropolis regni eius, vnde dicebatur rex Hesebon, vt patet præced. c. & hic, fuit autem ista de vrbibus terræ Moab, & potissima inter omnes acceptas: & sic Nume. 21. c. magis exprimitur ista quam cæteræ, cum ponatur prouerbium eius, & canticum antiquum, s. Venite in Hesebon, edificetur, & construatur ciuitas Sehon: ignis egressus est de Hesebon, & flamma de oppido Sehon.

Quid Hesebon ac eius situs.

Illa ciuitatem extruxerunt Rubenitæ vxoribus suis, & liberis, cum transferunt Iordanem, vt patet Num. 32. & in hac nō est aliqua mutatio, cum etiam eis data fuerit in possessionem, vt patet hic. *Cunctosque vicos earum, qui sunt in campestribus.* Id est istæ duæ vrbes, scilicet Hesebon, & Medaba habent quædam vicos, id est parua loca non murata in campestribus, & ista nos communis nomine rura appellamus. Erāt autem in campestribus, quia apud Hesebon, & Medaba erant quædam terræ aliqualiter montuosæ, & vocātur campestria, in quibus erant vici isti. *Dibon quoque.* Id est etiam ciuitas Dibon data est Rubenitæ. Est Dibon in regno Sehon regis Amorrhæi, & pertinuit quondam ad terram Moab, sed ipse cam bello cepit: sic patet Nume. 21. ca. scilicet iugum eorum disperit ab Hesebon usque Dibon, lassi peruerunt usque in Ophe, & usque Medaba, scil. quod iugum, id est iurisdictione Moabitum quondam fuit in locis istis, quando pertinebat ad terram suam, postea autem cum cepit eam rex Sehon dispersit iugum Moabitum ab Hesebon usque Dibon. Ista ciuitatem extruxerunt filij Gad, & fuit prima, quam extruxerunt, vt patet Num. 32. tamen non pertinuit ad tribum illorum, sed ad Ruben, vt patet hic: fuit tamen factum ex modo, quod supra dictum est, scil. quod construxerunt vrbes istas vxoribus, & liberis suis, dum ipsi in bello manebat ultra Iordanem ad occidentem, postea tamen cum redierunt finitis bellis ad habitandum cōfiderenter in terra sua, habitauit quælibet tribus in vrbibus suis, & transiūt Dibon ad tribum Ruben. *Et Bamothbaal.* Hic ponitur alia ciuitas, & dicitur quod à Bamothbaal, scilicet usque ad Iordanem possederunt: Iordanis enim est terminus illorum Occidentalis, vt patet infra: & usque illuc possederunt. Bamothbaal secundum Hebreos est nomen compositum, signans altaria Baal. Nam Bamoth altaria notat, Baal autem nomen est idoli, & non est accipitendum hic pro nomine appellatiuo, quia necessario signat terminum, & est aliquod limitatum: vnde necesse est esse nomē alicuius loci, sed multotiens contingit idem nomen, quod imponitur ut appellatiuum, imponatur alicui, vt proprium, & estibi æquiuocatio à casu. Vel satis dici potest, quod accipiatur Bamothbaal pro altariis Baal, sed non, vt est nomen appellatiuum signans naturam, vel multa particularia, sed est nomē loci vnius, qui à lingua latina vocaretur altaris Baal: & similia nomina sunt propria locorum apud nos, sicut dicimus aras Philenorum, & tamē est locus quidam inter Carthaginem, & Cyrenem, vbi sepulti sunt fratres duo Phileni, & Meznores: diuini cultus aræ bustis corum superposita sunt. De hoc Salustius in iugurthino, & Paulus Orosius primo de Ormesta mundi, & Valerius maximus c. de Piatate ad patriā. Ista ciuitatem construxerunt restaurantes filij Ruben pro vxoribus, & filiis cum transferunt Iordanis fluente, vt patet Num. 32. & vocatur ibi alio nomine: Bamo, hic autem sit additamentum, & vocatur Bamothbaal.

Bamothbaal ac eius situs.

Et oppidum Baalmaon. Ista est alia ciuitas pertinens ad tribū Ruben, & est in regno Sehon: nam Rubenitæ nihil accepunt de regno Og regis, & adhuc non acceperunt totam terram regni Sehon, sed quondam eius particulam accipit tribus Gad, vt patet infra: & ponitur hic oppidum Baalmaon, in Hebreo tamen solum ponitur Baalmaon, litera nostra superaddidit oppidum, ne quis existimaret esse nomen Baalmaon nomen appellatiuum, sicut videtur esse ex Hebraica origine, signat enim altaria Meon, sicut Bamothbaal signat altaria Baal. Est tamen nomen vrbis, & ponitur Nume. 32. & vocatur ibi Bameon, & patet aliqualiter esse eadem loca, quia ponuntur in eadem tribu, hic enim ponuntur in tribu Ruben, & ibi identidem.

Baalmaon ac eius situs.

Item quia hic ponuntur Bamothbaal, & Baalmaon simul, ita ibi in eadem tribu ponuntur simul Bamo, & Bameon: litera quoque similis est, licet in aliquo sit mutata, quod mirandum non est. Nam interdum totum nomē alicuius loci mutatur, quanto magis aliqua literæ terminales?

Et Lassa. Ciuitas est in regno Sehon contra occidentem, & hic pugnauit rex Sehon contra Israelite, & deuictus atque occisus est ab eis. Deut. 2. scilicet egressusque est Sehon obuiā nobis cum omni populo suo in præliū in Lassa. *Et Cedimoth.* Alia ciuitas est ista in regno Sehon, quia nihil extra regnum istius habuit Ruben. *Et Mepheth.* Alia ciuitas eiusdem regni est. Nec tamen est intelligendum, quod nominentur hic

Lassa ac eius situs.
Cedimoth ac eius situs.

A
Cariathaim
ac eius
situs.

omnes vrbes regni Schon, nec omnes, quas habuit Ruben, sed quædam. Vel quia principales sunt, vel quia describitur quidam terminus per eas. Cariathaim. Ista est ciuitas eiusdem regni pertinens ad Rubenitas, & ipsimet redificauerunt eam pro vxoribus, & liberis suis, vt patet Num. 32. & ista ciuitas ponitur Gene. 14. vbi dicitur de bello 4. regum contra Raphaim in Astaroth Carnaym. Et hoc est in terra Og regis apud terram Schon, vt declaratum præced. cap. & pugnauerunt contra gentes illas in Cariathaim, & satis patet esse Cariathaim, de qua dicitur hic: quia terra Raphaim in Astaroth Carnaim propinqua est vbi Cariathaim cum sint in duobus regnis coniunctis, & Gene. 14. ponitur de bello regum ilorum, qui pugnarent contra omnes gentes propinquas terræ Sodomorum, quæ est coniuncta huic regno Schon. Aliqui scribunt hic Cariathiarim, sed vitium est, vt satis colligitur ex litera Hebraica, quæ magnam facit in his differentiam. Item Cariathiarim est trans Iordanem ad Occidentem in terra nouem tribuum, & dimidiæ apud urbem Gabaon, & fuit vna de quatuor urbibus Gabaonitarum, quæ in dolo confederata fuerunt Israelitis, vt patet supra 9. cum dicitur, & venerunt in ciuitates eorum die tertio, quarum hæc sunt nomina, Gabaon, & Caphira, & Beron, & Cariathiarim, & ista fuit in forte tribus Iudeæ, & vocatur Cariathiarim, id est vrbis syuarū, & alio nomine vocatur Cariathbaal, vt patet infra 15. c. Vocatur ergo ista Cariathiarim. Et Sarathasar. Alia ciuitas est regni Schon pertinens ad Ruben. Extrixerunt autem eam Rubenitæ pro vxoribus, & filiis suis cum transierunt Iordanem, vt patet Num. 32. & in hac non est aliqua mutatio, quia semper fuit in tribu Ruben. Et Sarathasar. Alia ciuitas est regni Schon pertinens ad Ruben. De hac nō est facta mentio aliqua Num. 21. nec 32. aut Deute. 2. vel 3. vbi de terminis horum duorum regum agitur: nisi forte sub alio nomine ibi ponatur, quia nomina ciuitatū ab Israelitis mutata sunt, in quibusdam in totum, in alijs autem secundum quid. Sic patet Num. 32. de tribu Rubē, & dimidia tribu Manasse dicitur, quod verterunt nomina ciuitatū suarum, idem patet Deut. 3.

In monte conualle Belphegor. Id est ista ciuitas est in monte, qui est apud conuallem Belphegor. Ex hoc paret, quod ista ciuitas sit multum Occidentalis in regno Schon circa Iordanem, quia est apud conuallem Phégor, quæ est circa Iordanem.

Sciendum, quod erat quidam mons altus in confinibus Moabitum, & regni Schon, & partim ad utrumque regnum pertinebat, & apud illum montem erat vallis quædam, in qua erat fanum honorabile idoli Phégor, & in altitudine montis erant aliqua templo parua, vel altaria, ad illa autem ascendit Balac rex Moabitum cum Balaam ariolo, vel propheta, vt aliter dicatur, quando volebat, vt malediceret Israelitæ, & ibi vocantur excelsa Baal, vt patet Num. 22. cap. Cum autem non potuisse maledicere, in fraudem descendenterunt filii Moabitum, & Medianitarum ad radices montis, vbi erat fanum Phégor, qui alio nomine vocatur Baal, & fornicate sunt cum Israelitis, atque incitauerunt eos ad sacrificia Phégor, de quo Num. 25. Et tunc erant Israelitæ apud Iordanem, quia erant in Belfethim, cum istud factum est, vt patet præallega. cap. & tamen Belfethim est ultima mansio Israelitarum in deserto, vt patet Num. 23. Est autem in planioribus locis terræ Moab super Iordanem, & ibi est conualle apud fanum Phégor in descensu montis, & de hoc loco dicitur Deuteronom. 3. in fine. Mansimusque in valle contra fanum Phégor, in monte autem qui est apud istam conuallem Phégor sunt aliquæ vrbes pertinentes ad Moabitas, & aliquæ ad Amorrhæos, quia interdum idem mons est in multis regnis: ista autem vrbis Sarathasar erat in monte apud conualle Phégor, & consequenter erat circa Iordanem, & multum coniuncta extremitati Occidentali Schon regis, & tribus Ruben.

Et Asedoth Phasga. Est Asedoth nomen oppidi apud Phasga. Est Phasga secundum Iudeos nomen appellatum signis collem. Sed non stat hic, quia ponitur tanquam terminus, & necesse est, quod sit aliquid proprium, cum appellatum nihil determinatum dicat. Et est Phasga mons, vel pars montis, vbi Moyses mortuus est. Vnde dicitur Deut. 34. quod ascendit Moyses in cacumen Phasga, & vidit terram, & mortuus est,

& mōs ille generaliter vocatur Abarim, deinde vocatur magis specialiter transitus Nebo, & Phasga, de quo præalleg. cap. Est ergo Phasga nomen alicuius partis montis, & apud illam est Asedoth oppidum. Hebrei dicunt Asedoth esse nomen appellatum, & signare viculos, sed hic nō potest accipi pro viculis, cum ponatur tanquam terminus, & necessario est determinatum aliquid. De hoc magis dictum est præcedenti cap. apud istud opp. dum coniungitur regnum Schon regis regno Og, quia latus Meridianum regni Og est in Asedoth, apud Phasga, vt patet præced. c. cum dicitur: & ab australi parte, quæ subiacet Asedoth usque Phasga terminis Og regis Basan.

Et Betheismoth. Vrbs est pertinens ad regnum Schon, & est in terminis suis, & etiam est in terminis regni Og: ideo ponitur præced. c. per viam, quæ dicit Bethsimoth, & ab australi parte quæ subiacet Asedoth, usque Phasga, terminus Og regis Basan.

Omnis vrbes campestres. Id est etiam omnes vrbes campestres regni Schon datae sunt Rubenitis. Vocatur campestres, quia licet non sint penitus montuosæ, tamen nō sunt in terra plana.

Vniuersaque regna Schon regis Amorrhai. Id est totum regnum Schon regis datum est tribui Ruben. Non est simpliciter intelligendum, quia falsum est, sed acceperunt Rubenitæ tota terram regni Schon præter aliquantam particulam prouinentem tribui Gad, vt patet infra, cum dicitur: Reliquam partem Schon regis Hesebon: etiam scriptura interdum accipit vniuersam rem pro maiori parte rei, sicut dicit omnes pro multis, & est tenendus modus in his, quod vbi cunque in scriptura ponatur distributio pro partibus subiectiis, vel integraliter, est tenenda tanquam distributio: nisi ex alio loco scripturæ concordat non posse intelligi vniuersaliter, vel ratio hoc concordat. Et hoc est hic, quia ne cesset est dari tribui Gad particulam quandam regni Schon, vt patet infra: ergo non accipit vniuersa regna Schon Ruben.

Qui regnauit in Hesebon. Non solum regnauit in Hesebon, sed etiam in multa alia terra, quæ hic nominata est. Dicitur tamē regnasse in Hesebon, id est habitasse ibi, quia vrbis Metropolis regni sui, & ob hoc aliquando dicitur, quod habitauit in Hesebon hic patet præced. c. & sic dicitur de rege Og, quod regnauit in Astaroth, quia erat ciuitas principalis regni sui, vt patet supra in litera, & aliquando dicitur habitasse in Astaroth præced. cap. scilicet qui habitauit in Astaroth, & Edrai, & dominatus est in Hermon.

Quem percussit Moyses cum principibus Madian. Hunc regem Schon percussit Moyses, quia exiuit Schon pugnaturus in Iessa cum Israelitis, vt patet Deutoro. 2. & Num. 21. cap. & iste fuit primus rex in terra Chanaan, quam occiderunt Israelitæ. Nec obstat si arguas de Chananaeo rege Arad, quem cum populo suo occiderunt Israelitæ vocantes ciuitates Horma, de quo Num. 21. & 33. quia iste non erat de terra Chanana, sed in desertis Abrahæ ad Meridianam partem terræ Chanaan apud terram Ramæciranum. De quo declaratum est Nuime. 14. c. Schon autem Amorrhæus erat in terra Chanaan, cum esset Amorrhæus, & Amorrhæi erant vnius de septem populis Chananaeorum.

Cum principibus Madian Hæui, & Recem, Sur Hur, & Rebe. Iste sunt quinq; principes Medianitarum, qui occisi sunt à filiis Israel: de quo Nu. 31. c. bellum enim contra istos fuit ex mandato Dei, vt patet Num. 25. & 31. c.

Causa autem pugnæ fuit duplex. Prima, quia duces Medianitarum miserunt ad vocatum ariolum de Aram, vt malediceret Iudeis: de quo Nuime. 22. & ob hoc erant hostes Iudeorum. Secunda causa fuit, quia postquam non prævaluerunt maledicere Israelitis, ordinatis fraudibus per fœminas, & sacrificia Phégor mulieres virgines Medianitarum, & Moabitum descendenter apud phanum Phégor, vbi erant castella Iudeorum, & fornicati sunt cum eis Israelitæ, atque colementes Phégor deducti blanditijs earum, prouocauerunt Deum ad iram, & orta est plaga. Habuit autem originem, & consummationem fraus ista a Medianitis, qui in tantum insudauerunt huic operi, vel filia nobilissimi principis Medianitarum, scilicet Cozbi fuerit publicè prostituta, vt magis sic decore fœminarum prouocari possent Israelitæ ad coitum, & sacrificia. De hoc Num. 25. vnde quia nimis laborauerunt, vt quoquo modo

D
Phasga
& Ara
bimida

Bethel
simoth
ac eius
situs.

Sehon
mare
dicatur
habitasse
in
Hesebon.

F

A modo destruerent Israelitas, dixit Deus eodem ca. hoites vos sentiant Madianitas, & percutite eos, quia & ipsi hostiliter eggerunt contra vos. Postea Iosue missus in ducem contra terram Madian occidit omnes Madianitas, & quinque principes, de quibus hic De his Num.31.c.

Quomodo Moyses occidit hos quinque reges, seu principes Madian, cum ipse non iuerit in bellum. Et quare hic dicitur de morte eorum.

Q V A S T I O X I V .

B Sed dicet aliquis, quomodo Moyses percussit istos quinque principes Madian, quia ipse non iuit in bellum, cum occisi sunt, sed Iosue. Moyses autem māsit in castris, vt patet praeallegato cap.

Respondēdū est, quod Moyses dicitur hoc fecisse, quia factum est in ducatu Moysi: omnia autem, quæ sunt sub ducatu alicuius ei imputantur, quia ipse iubet. Moyses enim precepit Iosue, vt eligeret duodecim millia virorum, mille de qualibet tribu, & irent contra Madian, consecitque eos bello occidens istos quinq; principes. Sed adhuc dicet aliquis ad quid dictum est de occisione istorum quinq; principum Madian, quia terra eorum non fuit diuisa Ifraclitis, sicut terra Chanaanorū: nihil enim possederūt extra terrā Chanaan: sed Madian est extra terram Chanaan, ergo non possederūt quidquā in terra illa. Item patet inductiū, quia hic ponitur possessio duarum tribuum, & dimidiā in terra Sehon, & Og regum Amorrhōrum, reliquæ autem non em tribus, & dimidia acceperunt possessionem magis ad Occidentem in terra regum Chanaanorū, quorum nomina cōputantur quantum ad regna præced.c. ergo non acceperunt hāreditatem aliquam in terra Madian: vnde nō potest computari propter hoc.

Item dato quod scriptura incidentaliter vellet enarrare mortem Madianitarum, quia facta est per manum Israelitārū, tamen nihil attinebat in p̄fensiū enarrari, quia non pertinebat quidquam de Madianitis ad regem Sehon, cum non essent in terra sua.

C Et adhuc si vellet computare Madianitas cum aliqua alia gente, magis debuisset cum Moabitis, quia multum communicabant cum eis, & propter ipsos mortui sunt, scilicet, quia iuerunt ad ducendum contra Israelitas Balaam ariolum, vt malediceret eis, & quia dederunt modum decipiendi eos per sacrificia Phegor, & fornicationem cum filiabus, vt patet Num.25. & videtur æqualiter, quod essent multi Madianitarum in terra Moab. Nam cum rex Moabitarum iniuit consilium de Israelitis quomodo eis resisteret, ad principes, vel maiores natu Madian locutus est, & ipsi iuerunt ad vocandum Balaam ariolum, & noluit venire, ipsique reuersi sunt ad regem, vt patet Nume.22.cap. & postea cum facta est deceptio Israelitarum per fornicationem, Madianitæ erant in terra Moab. Nam filiae Moabitarum, & Madianitarum prostitutæ sunt Iudæis, inter quas erat Cozbi filia nobilissimi principis terræ Madian Num.25. Sed hoc erat in terra Madian apud fanum Phegor in descensu montis Moabitarum: ergo Madianitæ multum communicabant Moabitis: magis ergo cum eis nominari debuissent quam cum rege Sehon Amorrhō.

Respondendum, quod litera meminit hic incidentaliter de morte principum quinque Madianitarum, quos Israelitæ occiderant antequam transirent Iordanem superiuente Moysē, vt patet Nume.31.cap. & fuerunt occisi post mortem duorum regum Amorrhōrum Sehon, & Og, quod patet ex ordine libri Numerorum. Nam Numer.21. agitur de morte duorum regum Amorrhōrum, & Nu.31. agitur de Madianitarum cæde. Nec potest aliquis dicere anticipationem, vel mutationem aliquam ordinis, quia ex mansionibus deserti patet hoc. Nam prius fuit fornicatio Israelitarum, cum mulieribus Madianitis, & Moabitis, quam occiderentur Madianitæ. Nam propter hoc iussi sunt occidi Madianitæ, vt patet Num.25. ista tamen fornicatio facta est in mansione, quæ dicitur Belfethim, vt patet eo. c. ista vero est ultima in mansionibus iuxta Iordanem, & immediate post illam transferunt Iordanem. De quo Num.33.cap. ergo ante hoc pugnauerant

contra duos reges Aïnorrhēos Sehon, & Og, cum totam eorum terram ceperint, vt patet Num.21. & Deut.2. & 3. Oportet igitur, vt priusquam occiderunt eos facerent aliquas mansiones in terra sua antequam fieret bellum contra Madianitas: quia ergo dictum fuerat hic de morte regis Sehon dictum fuit de quinque principibus Madianitarum, & non potuerūt ponī cum Moabitis, quia de Moabitis nihil hic dicitur: cum non pugnauerint Israelitæ contra eos, nec occiderint quemquam ex eis, vt patet Deut.2. quia Deus hoc vetuit: de Amorrhēis autem occiderunt, ideo cum eis ponī poterant conuenienter. Causa autem quare, dicta morte Amorrhī regis, dicitur de morte principum Madianitarum, est; quia isti principes aliquo modo pertinebant ad ipsum scilicet, quod sub eo erant, vt patet in litera, cum vocantur duces regis Sehon, id est duces constituti sub eo: quia terra Madian aliquo modo pertinebat ad eius dominium.

Pro quo sciendum, quod terra Madian est in desertis Arabiae, & ex quadam parte erat coniuncta monti Synai, vt patet Exo.3.vbi cum Moyses in terra Madian custodiret oves Iethro socii sui minauit eas ad interiora deserti, & venit in montem Synai: sed non videtur nisi esset terra Madian propinquā monti Synai in ipsa solitudine.

E Item patet hoc, quia Iethro socius Moysi venit ad eum in desertum Synai de terra sua Madian, postquam egressi sunt Israelitæ de Ægypto, vt patet Exo.18.c. Ista terra etiam ex aliqua parte coniungebatur terræ Moab, & Sehon regis Amorrhī, nam terra Moab & Sehon sunt coniuncta: cum quædā ciuitates terræ Moab sint in regno Sehon, vt supra declaratū est præced.c. & hic: & ponuntur termini communes medij inter terram Moab, & Sehon regis, Arnon, & torrens Arnō, vt patet Num.21.c. Ista duo regna ex parte Orientali, vbi cōiunguntur deserto, sunt propinqua terra Madian, vel contingunt eam, & ob hoc cōmunicatio magna esse poterat Madianitarum ad Moabitas, & Amorrhēos, & sic dicitur Num.22. de maioribus terræ Madian, quod locutus fuerit ad eos Balac rex Moab, & quod iuerunt ad vocandum Balaam ariolum. Etiam poterat communicare Amorrhēis de regno Sehon, quia erant coniuncti terræ eius, & sic vocat eos litera hic duces regis Sehon.

F Pro quo magis adhuc considerādū est, quod terra Madian non habebat vñ regem, sed erat diuisa in quinq; principes, vel satrapas, de quibus hic: si autem habuissent regem, nominaretur rex ille, & non principes isti: eodem modo non nominantur Num.31. & non ponitur aliquis rex. Ita est de terra Philistinorum, quæ erat diuisa in quinque satrapas Iudei.3. & non erant reges, nec habebant nomen regis: quamquam litera vocat supra eos quinque regulos, sed accepit large regulū pro domino paruo, qui nō habet nomen regis. Nam litera Hebraica non ponit ibi nomen regis, sed principis. Iste principes fuerunt quondam sub potestate regis Sehon, quia ipse erat rex magnus, & cæperat multā terram Moabitarum Nu.21.ca. & timebant eum Madianitæ. Ob hoc quinque principes Madian erant seruentes quantum ad aliquid regi Sehon: licet terra Madian non esset pars regni Sehon, & ideo capta tota terra regis Sehon, & diuisa Ifraclitis, nihil diuisum fuit de terra Madianitarum. Post mortem aut regis Sehon poterant confederari principes Madian regi Moab, qui etiam erat apud terram eorum, & terram regis Sehon, vt supra declaratum est. Et tunc intelligetur, quod tempore quo Balac rex

Balac rex Moab.

Moab.

dixit ad maiores natu Madian de Ifraclitis deleturis, oēs gentes erant confederatae ei, & aliquo modo seruentes: quia hoc erat post mortem regis Sehon, vt declaratum fuit supra quod non poterat dici hic de Madianitarū principibus, tanq; terra eoru peruenisset Israelitæ, sed dicitur hic de eis, quia dictum fuerat de Sehon Amorrhō, & ipsi erant duces Sehon, vt patet in litera, & ob hoc expressa fuit illata clausula. Nam cum dicitur de morte eorum Num.31. nihil dicitur, an essent duces Sehon, vel pertinetes ad eum aliquatenus, & hoc quia non fuerat facta mentio de rege Sehon ibi: nunc autem, quia facta est mentio de eo, & dictum est de principibus Madianitarum, & expressum est, quod erant duces Sehon regis.

Ad aliud argumentum cum dicitur, quod quamquam scriptura vellet facere mentionem incidentaliter de Madianitis, tamen nihil attinebat nunc fieri mentionem, quia non pertinebant aliquatenus ad regem Sehon.

124

A Respondendum est falsum esse, pertinebant enim nimis ad regem Sehon Medianitæ, quia seruiebant ei erantq; principes Median duces eius, vt patet hic: ideo conueniens erat posita morte regis, poni delet onem ducum tuorum, quamquam non eodem bello, nec ob eandem causam perierint, vt patet ex præmissis. Causæ Medianitarum dictæ sunt causa mortis Sehon, quia noluit dare viam Israelitis, & quia erat de terra Chanaan, de quibus nullus mansurus erat, vt patet Deut.20. cap.

Ad tertium cum dicitur, quod si mentio aliqua fieri debet de Medianitis, magis fieri debebat, cum diceretur de Moabitis, quam cum de Sehon rege diceretur, quia ipsi pertinebant ad Moabitæ. Respondendum est dupliciter. Primo quod quamquam conueniens esset fieri mentionem de Medianitis post Moabitæ, tamen fieri non poterat, quia in hoc libro non agitur quidquam de Moabitis, & agitur de rege Sehon.

Secundo dicendum, quod dato, quod hic fieret mētio de Moabitis, conuenientius ponebatur, quod de Medianitis a geretur post regē Sehon quam cum Moabitis. Magis quippe pertinebant Medianitæ ad Sehon, quia erant duces eius, vt patet hic. Ad Moabitæ autem non patet tātum pertinuisse, quia nunquam ponuntur fūsile duces regis Moab.

B Eui, Recen, & Sur Hur, & Rebe. Iſti quinque erant satrapæ terra Median, & nō reges: præcipuus autem horum erat Sur: huius filia erat Cozbi, quæ occisa est à Phinees filio Eleazar, vt patet Num.25.c. cum dicitur: Porro mulier, quæ pariter imperfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur principis nobilissimi Medianitarum.

Duces Sehon habitatores terra. Id est iſti quinque principes Medianitarum erant duces Sehon, quia erant constituti sub eo exhibentes ei aliquod genus famulatus, de quo supra dictum est. Iſti vocantur habitatores terra, id est habitatores terra Median, & non intelligatur, quod habitarent in terra Sehon regis, quia principatus suus non erat ibi.

Item quia quando occiderūt Israelitæ Medianitas in terra Median pariter occiderunt principes eorum quinque, de quibus hic, vt patet Numer.31. ergo erant habitatores terra Median.

C Et Balaam filium Beor ariolum. Iſte est Balaam propheta, qui vocatus est à rege Moab ad maledicēdum, & conatus est maledicere quantum potuit, sed non valuit, vt patet Nume.22. & 23. & 24. hoc autem, quia Deus mutabat verba eius in benedictionem Deutero. 23. & iſta nequissima voluntas morte digna erat: potissime autem mortem meruit: quia cum non posset maledicere, dedit consilium quomodo per fraudem Moabitæ inducerent ad peccandum Israelitas, & Deus percuteret eos, de quo Nume.24. & 25. iſte Balaam morabatur semper flumen filiorum Ammon, vt patet Numer.22. Et cum pugnarent Israelitæ contra Median, iuerunt quoque ad locum, vbi habitabat Balaam qui non longe distabat a terra Median, & occiderunt eum sicut Medianitas, ad idem enim facinus utrique pertinebant, scilicet, quod Balaam prae cōfiliuit, Medianitæ autem diligenter id executi sunt, ita vt filiam nobilissimi principis Median proflituerent. Etiam, quia vocauerunt eum de terra sua. Vocatur Balaam ariolus, id est maleficus inquirens veritatis in aris, vel conans inquirere, & hoc pertinet ad illos, qui factis sacrificiis aliquibus dæmonibus, in venis inquirunt aliquid eorum, in quibus dubitant, siue futura, vel præsentia, vel præterita abscondita sint. Hæc ars vocatur aruspicina, id est ab aspicio in aris, id est in animalium membris, quæ in ara, id est altari immolata sunt: in aliis autem non sunt huiusmodi cærenonias. Iſtam artem inuenit Tages quidam vir ignotus in Hetruria, qui ex gleba quadam profiliisse poetica licentia fertur. De hoc Leucanus libro primo, de bello plusquam ciuili circa finem: & Marcianus Mineus felix capella libro secundo de nuptiis Mercurij, & Phisiologia Prosa penult. De ista arte, an aliquid naturale contineat, vel possit procedere ex principiis naturæ, aut repugnet Leu.19.ca. satis declaratum est. Iſte Balaam erat ariolus, quia incantator, & maleficus erat, atque omnibus modis superstitionum erat obuolutus, & ob hoc per artem necromanticam faciebat aliqua, quæ admirabilia videbantur cæteris, & sæpe dæmonum ope, & permissione diuina nocebat aliquibus manifeste tanquam si cœlesti virtute ageret, quia

modus suus agendi erat occultus: & prædicebat interdū hominibus mala sua, quantum dæmonum cognitione sciri poterat, & cum præscribet malum alicuius maledicebat ei imprecaans omnia super eum venire, quæ vētura cognouerat, quod videntes insipientes dijudicare nefcientes arbitrati sunt ipsum quandam cœlestem habuisse virtutem: de bono venturo idem modus erat, scilicet, quod quædā prænosceret: & cui euenturum sciret benedictionem adiungebat, & cum eueneret putabatur ex eius venisse potestate, intantū vt opinarentur cæteri de eo, quod suberat ei mala, aut bona facere hominibus eueneret, & ob hoc Balac rex Moabitum misit ad vocandum eum, vt Israelitis malediceret, putans, quod ei eueneret, quod ipse imp̄recaretur, vt patet Num.22. cum dicitur: Veni ergo, & maledic populo huic, quia fortior me est, siquo modo possim percutere cum, & cīcere de terra mea: noui enim quod benedictus sit, cui benedixeris, & maledictus, in quem maledicta congereris: ob hoc vocat eum scriptura, vt communiter ariolum.

E Sciendum tamen his non obstantibus Balaam verū fuisse prophetam Dei: nam ei locutus est dominus, cum venerunt ad vocandum ipsam Medianitæ ex parte regis Moab iubens semel ne iret, & iterum cum venissent iussit, quod iret, vt patet Num.22. & ipse ibi, & 23.ca. sæpe dicit, quod non poterat dicere aliquid, nisi quod ei Deus dederit.

Sed hoc fortassis aliquis diceret esse ex fictione Balaam, scilicet, quod ipse diceret Deum apparere sibi, vel loqui, & tamen dæmones erant. Malefici tamen ad auctoritatem maiorem operum suorum attribuunt illa Deo in nomine, licet in re contrarium sit. Sed dicendum nō stare, quia non solum scriptura narrat ea, quæ dicebat Balaam, scilicet quomodo Deus ei appareret, sed etiam asserit, quod Deus iussit ei ire, & alia vice impedierit.

Item adhuc magis patet, Num.24.c. dicitur de prophetis suis: multa enim prænunciauit, quæ euenerunt, scriptura autem sacra ponit illa tanquam dicta Prophetica: ergo fuit verus propheta à Deo revelationes recipiens, sicut Moyses, & quilibet aliorum: erat tamen malus, quia quamquam Deus aliquid sibi iuberet, conabatur facere contra illud, vt patet Num.22.vbi Deus iubebat ne malediceret Israeli, & ipse conebatur maledicere, Deus tamen conuertebat verba eius in benedictionem: ita vt non esset sibi liberum maledicere Israe. Sed adhuc actibus propheticis admiscebatur auguria: nam cum vellet maledicere Israelitis ibat ad inquārendum auguria positis aris, & sacrificiis, Deus tamen occurrebat ei, & cogebat eum loqui aliud, quam intendebat Nume.24. cum dicitur: Cumq; vidisset Balaam, quod placeret domino, vt benediceret Israeli, nequaquam abiit, vt ante perrexerat, vt augurium quereret, &c. ob hoc autem licet iſte verus propheta fuerit, magis scriptura vocat eum ariolum in vituperium quam prophetam.

F Nec mirandum, quod iſte de gentilibus natus, & in genitilitate manens, esset propheta: nam etiam Sibyllæ, siue duas sint, vt asserit Marcianus libro secundo, de nuptiis Mercurij, & Phisiologia Prosa penult siue decem, vt vult Isidorus Etymolog. libro septimo, & Laetantius de natura Deorum libro primo, fuerunt habentes spiritum propheticum, & multa de Christo atque euentibus temporum narrauerunt: sic enim in Græco Sibylla quasi mens Dei, vel sententia Dei dicitur, quia mens Dei ei reuelata est. Vnde dicta harum sibyllarum inducit Laetantius in septem libris de natura Deorum, vt in plurimū, & vnius harum, quæ Sibylla Eritrea dicitur ponit versus 23. exametros, & pulchros de quibus August. de ciuitate Dei lib.18. quorum primus est. Iudicij signum tellus sudore madescat, & quamquam apud Græcos in quorum lingua Sibylla scripsit versus iſti exametrorum lege currant: in linguam tamen latinam versi, licet florem quendam rhetoricum teneant metrorum legem excesserunt. Hos quoq; versus recitat idem Augustinus in sermone Natalis domini, qui incipit.

G Inter pressuras atque angustias. Et in hunc modum spiritus propheticus quibusdā aliis apud Gentiles datus est, sed non est ita vulgatum, vt de his.

Nec identidem mirandum est huic Balaam datum fuisse vñquam propheticum spiritum, aut cōtinuatum in eo, cum ita prauius foret. Nam spiritus propheticus ad gratiam gratis datam,

Balaam
ariolus
quare
appelle
tur.

Tages
inne
nitartē
auru
spicinā
in He
truria
provin
cia.

Opt de
Sibyllæ

Sibylla
quid
signet.

Sibylla
Eri
treæ.

D

A
Ingra-
tis gr-
su da-
si ma-
li bonos
quan-
dog; ex-
cedit.
Propri-
tia ac-
ficien-
tia dif-
ferunt

B
Item maxime, quia dicitur hic, quod occiderunt Balaam cum ceteris interfectis: ergo videtur, quod fuit simultas in occidendo: scilicet, quod esset inter Medianitas, quando pugnabatur contra eos.

Respondendum videtur quod Balaam fuerit occisus in terra Medianitarum cum ceteris Medianitis tamen Balaam non habitabat in terra Median à principio, quād misit pro eo rex Moabitum, sed habitabat in terra Mesopotamia, scilicet ipse dicit Num. 23. scilicet de Aram vocavit me Balac rex Moab de montibus orientis: postea tamen cum reuersus est de terra Moab non potens maledicere Iudeos, reuersus est, & habitauit in terra Median, & ibi occisus est paulo post cum ceteris Medianitis.

Et cū obiicitur, quod morabatur à principio in terra Median, quia Medianitae iuerunt ad vocandum eum non conuenienter arguitur, quia faciebant hoc Medianitae, quia erāt de seruis regis Moab, vel saltē erant amici eius, sic patet cū posuerunt filias suas, & filiam nobilissimi principis Medianitarum stuprandas à iudeis, vt deducerent eos ad peccatum, ipsi tamen quando iuerunt ad vocandum eum, dicitur quod vocauerunt de Aram, vt pater Numer. 23. ergo non de terra Median.

Sed arguetur adhuc quod postquam recessit Balaam de terra Moab non venit in terram Median, quia dicitur Num. 24. surrexit Balaam, & reuersus est in locum suum locus tamen suus erat in Aram, cum venit ad regem Moabitum: ergo illuc reuersus est, & non ad terram Median.

Respondendum est, quod Balaam rediens de Moab primo venit in terram suam Aram, & tamen postea videtur reuersus in Median ad habitandum, vel manendum aliquo tempore & forte ibi dedit consilium, quomodo deciperent Moabitæ iudeos, quia ipse dixit, cum non potuit maledicere Israelites, verum tamen pergens ad populum meum dabo consilium, quid populus tuus facere debeat populo huic in extremo tempore Num. 24. Medianitae autem erant mediij inter regem Moabitum, & Balaam, ideo satis verisimile, quod fecerint eum habitare in terra sua dātes ei aliquam excellentiam, & cum ibi maneret, Israelitæ potuerunt eum cum reliquis Medianitis occidere, & hoc satis ad Dei prouidentiam pertinebat, vt Israelite vlciscerent se de hoste Balaam, qui eis maxima damna intulerat: si tamen rediisset in terram suam Aram habitatus non potuissent sumere vltionem. Dedit ergo ei Deus in mentem, vt maneret apud Medianitas. Cum ceteris interfectis. Id est cū aliis Medianitis mortuus est Balaam, scilicet quod non mortuus est in terra alia, sed in eodem bello, quo contra Medianitas pugnatum est, nec ductus est in castra Israel ad Moysen, vt videret eum, & ibi expeteretur vltio.

Factusq; est terminus filiorum Ruben Iordanis fluuius. Ille est terminus apud occidentem: nam Iordanis diuidit terram duarum tribuum, & dimidię vt patet Numer. 34. & ponitur tanquam terminus orientalis terrae nouum tribuum præallegat. c. est autem terminus occidentalis terrae duarum tribuum, & dimidię Iordanis, & sic accipiter hic, incipit enim fors tribus Ruben ab Aroer, quae sita est super torrentem Arnon, vt patet supra est autem ista in orientali parte terrae Sehon regis, & extenditur versus occidentem per latus meridianum in cō-

montibus Orientis. Constat tamen, quod Mesopotamia, siue Aram, & terra Median differt, quia terra Median est in desertis Arabiae versus Ægyptum: Mesopotamia autem est magis Septentrionalis versus Babylonem, & terram Chaldaeorum, & ibi existens dicebatur morari Balaam super fluuium terrae Ammon, quia fluuius Euphrates transiēs Babilonem, & Mesopotamiam transit per terram Ammonitarum, & in latere terrae Chanaan septentrionali, vt patet Gen. 15. c. scilicet à fluvio Ægypti usque ad flumen magnum Euphratem. Quantum in hoc nō refert, an iste sit Euphrates, vel aliquis alias veniens de Mesopotamia in terram Ammon. Sed tunc dicetur quomodo ergo stat, quod Israelitæ occiderunt Balaam? nam non est verisimile, quod irent in terram longinquam ad occidendum unum virum. Etiam dato, quod non esset terra longinquæ, si tamen non periret ad terram Medianam non possent occidere eum, & tunc necesse erat, vt indicerent bellum Iudei genti illi, apud quam maneret Balaam ingredientes in unum regnum ad occidendum unum virum, quod nequaquam stat.

Item maxime, quia dicitur hic, quod occiderunt Balaam cum ceteris interfectis: ergo videtur, quod fuit simultas in occidendo: scilicet, quod esset inter Medianitas, quando pugnabatur contra eos.

Respondendum videtur quod Balaam fuerit occisus in terra Medianitarum cum ceteris Medianitis tamen Balaam non habitabat in terra Median à principio, quād misit pro eo rex Moabitum, sed habitabat in terra Mesopotamia, scilicet ipse dicit Num. 23. scilicet de Aram vocavit me Balac rex Moab de montibus orientis: postea tamen cum reuersus est de terra Moab non potens maledicere Iudeos, reuersus est, & habitauit in terra Median, & ibi occisus est paulo post cum ceteris Medianitis.

Et cū obiicitur, quod morabatur à principio in terra Median, quia Medianitae iuerunt ad vocandum eum non conuenienter arguitur, quia faciebant hoc Medianitae, quia erāt de seruis regis Moab, vel saltē erant amici eius, sic patet cū posuerunt filias suas, & filiam nobilissimi principis Medianitarum stuprandas à iudeis, vt deducerent eos ad peccatum, ipsi tamen quando iuerunt ad vocandum eum, dicitur quod vocauerunt de Aram, vt pater Numer. 23. ergo non de terra Median.

Sed arguetur adhuc quod postquam recessit Balaam de terra Moab non venit in terram Median, quia dicitur Num. 24. surrexit Balaam, & reuersus est in locum suum locus tamen suus erat in Aram, cum venit ad regem Moabitum: ergo illuc reuersus est, & non ad terram Median.

Respondendum est, quod Balaam rediens de Moab primo venit in terram suam Aram, & tamen postea videtur reuersus in Median ad habitandum, vel manendum aliquo tempore & forte ibi dedit consilium, quomodo deciperent Moabitæ iudeos, quia ipse dixit, cum non potuit maledicere Israelites, verum tamen pergens ad populum meum dabo consilium, quid populus tuus facere debeat populo huic in extremo tempore Num. 24. Medianitae autem erant mediij inter regem Moabitum, & Balaam, ideo satis verisimile, quod fecerint eum habitare in terra sua dātes ei aliquam excellentiam, & cum ibi maneret, Israelitæ potuerunt eum cum reliquis Medianitis occidere, & hoc satis ad Dei prouidentiam pertinebat, vt Israelite vlciscerent se de hoste Balaam, qui eis maxima damna intulerat: si tamen rediisset in terram suam Aram habitatus non potuissent sumere vltionem. Dedit ergo ei Deus in mentem, vt maneret apud Medianitas. Cum ceteris interfectis. Id est cū aliis Medianitis mortuus est Balaam, scilicet quod non mortuus est in terra alia, sed in eodem bello, quo contra Medianitas pugnatum est, nec ductus est in castra Israel ad Moysen, vt videret eum, & ibi expeteretur vltio.

Factusq; est terminus filiorum Ruben Iordanis fluuius. Ille est terminus apud occidentem: nam Iordanis diuidit terram duarum tribuum, & dimidię vt patet Numer. 34. & ponitur tanquam terminus orientalis terrae nouum tribuum præallegat. c. est autem terminus occidentalis terrae duarum tribuum, & dimidię Iordanis, & sic accipiter hic, incipit enim fors tribus Ruben ab Aroer, quae sita est super torrentem Arnon, vt patet supra est autem ista in orientali parte terrae Sehon regis, & extenditur versus occidentem per latus meridianum in cō-

Termi-
ni for-
ris Ru-
ben ex-
ponun-
tur.

Q V A S T I O X V .

SED dicet aliquis quomodo Israelitæ potuerunt occidere Balaam, quando occiderunt Medianitas?

Aliquis forte dicet, quod erat ipse de terra Median, & ob hoc mortuus est in bello in quo perierunt ceteri Medianitæ, & ob hoc diceret, quod Medianitæ iuerunt ad vocandum eum, vt malediceret Israelitis Num. 22. cap. Nam non Moabitæ, sed maiores natu terræ Median vocauerunt eum

Sed non stat: non enim erat Balaam de terra Median, nec habitabat in ea cum vocatus est à rege Balac, sed habitabat super fluuium terræ filiorum Ammon, vt patet Num. 22. ergo magis videtur ipsum fuisse Ammonitam.

Sed ad hoc respondebit aliquis, quod non sequitur hoc: nam aliquis fluuius, qui fluit per terram filiorum Ammon, decurrit per alias terras, & ibi habitans Balaam diceretur habitare super fluuium filiorum Ammon, licet non esset in terra, sic patet supra in litera de fluvio Ægypti: dicitur enim quod fluuius, qui irrigat Ægyptum, est terminus Meridianus terræ Chanaan, tangens apud terram Philistium, tamen Ægyptus non tangit in aliqua parte terram Chanaan, nec vñquā dicitur terram Ægypti esse terminū terræ Chanaan in aliquo latere, & sic poterit esse Balaam de terra Median, & habitare in ea, & tamen quod dicatur habitare super fluuium terræ filiorum Ammon: si idem transeat per terram Median, & Ammon.

Sed adhuc non stat, quia quando Balac rex vocavit Balaam, fecit vocare eum de terra Mesopotamia, quæ vocatur alio nomine Aram: sic patet Num. 23. scilicet assumptaque parabolæ sua dixit, de Aram vocavit me Balac rex Moabitum de

A iunctione terræ Moab quousq; pertingat Iordanem, vbi est finis regni Sehon, & terræ tribus Ruben, sed apud occidentem acuitur sors Ruben, quia de regno Og nihil suscepit Ruben, sed solum de regno Sehon, & illud non totum, cum pars eius quædam data fuerit tribui Gad, vt patet infra, & tamen regnum Og coniungitur terræ Moabitæ nō tangens eam, sed declinans ad illam circa terram occidentalem iuxta Iordanem, & montem Phasga atque Bethsimoth, quæ dicuntur esse ad australē plagam regni Og, vt patet præced. c. & ibi declaratum est. Ergo ibi terra Ruben stringitur, cū pertransit in occidente, & sic ponuntur hic duo termini sortis Ruben, scilicet Aroer, & Iordanis: Aroer est in parte orientali, Iordanis terminus occidentalis, alij duo termini subtinentur: de termino meridiano manifestum est, q; terra Moab tangat terræ Ruben in latere meridiano in toto latere ab oriente usq; occidentem super Iordanem, nam in orientali parte Arnon dividit inter Amorrhæos, & Moabitæ, & ibi est ciuitas Aroer sita super torrentem Arnon in medio vallis, vt patet Deut. 3. & præced. c. & hic: deinde perueniunt ad latus occidentalis, & ibi terminatur terra Moab super Iordanem, quia ad radices montis Phasga transit Iordanis, quia cum iudei erant apud Iordanem, erant ad radices Phasga, vt declaratum est præced. c. Mons tamen Phasga partim pertinet ad terræ Moab, & partim ad terram Israel. De Moab patet, quia cum Israëlitis vellet maledicere Balaam, duxit eum Balac rex Moabitæ in monte Phasga Num. 23. Pertinebat mons iste ex aliqua parte ad Israel, quia tribus Ruben habebat in eo aliquas vrbes, vt patet supra de Sarathasar, quæ erat in monte cœnallis Beelphægor: mons aut ille est, qui dicitur Phasga, vel Abarim secundum diuersos modos. De termino septentrionali terra Ruben non constat totaliter, quia nō ponuntur vrbes Septentrionales, constat tamen q; tribus Gad habet terram aliquatenus Septentrionalem ad terram Ruben, sed non videtur, q; per totum latus Septentrionale. Nam terra Sehon ex aliqua parte orientalis ad teram regis Og, in qua suscepit hæreditatem tribus Gad: hoc tamen constat q; magis coniungitur terra Gad terræ Rubenitarum, q; terra dimidiæ tribus Manasse. Nam tribus Gad suscepit quandam particulam terræ regis Sehon, & reliquum regnum suscepit Ruben, vt patet infra. dimidia autem tribus Manasse nō suscepit aliquid de terra Sehon, sed de terra regis Og, vt patet infra, ergo magis coniuncta est Rubenitis terra Gad, quam terra Manasse. Hæc est possessio Rubenitarum. Iste est epilogus, scilicet id quod fuit supra enarratum est possesso tribus Ruben.

B Per cognationes suas. Id est tota ista terra supra enarrata non data fuit indistincte tribui Ruben, sed diuisa fuit in partes per cognationes tribus Ruben, id est per familias quatuor Rubenitarum, de quo supra dictum est.

C Vrbiun, & vicitorum. Id est tota ista terra cuius positi sunt termini diuisa est in familiis Rubenitarum, & hoc quantum ad vrbes, & viculos. Vocatur vrbes loca omnia murata, quia non distinguit scriptura vrbes & villas, sicut nos nūc distinguimus. Viculi vocantur parua loca carentia muris, quæ nos rura appellamus, & omnia hæc diuisa sunt, quia nullus locus, vel pars terræ mansit in tota terra nominata, quin alicui domino assignata fuerit.

D Dedit q; Moyses tribui Gad & filiis eius per cognationes suas possessionem, cuius hæc diuisio est. Terminus Iaser, & omnes ciuitates Galad, & dimidiæ partæ terræ filiorum Ammon, usq; ad Aroer, quæ est contra Rabba, & ab Hesbon usque Ramoth, Misphe, & Bethonim, & à Manaim usque ad terminos Dabir. In valle quoq; Betharan, & Bethnemra, & Socoth, & Saphon reliqua partem regni Sehon regis Hesbon Huius quoq; finis Iordanis est usque ad extremam partem maris Cenereth trans Iordanem ad orientalem plagam. Hæc est possessio filiorum Gad per familias suas, & ciuitates, & ville earum. Dedit, & dimidiæ tribut Manasse, filiis q; eius iuxta cognationes suas possessionem, cuius hoc principium est, à Manaim uniuersam Basan, & cuncta regna Og regis Basan, omnesq; vicos Lahir, qui sunt in Basan, sexaginta oppida, & dimidiæ partem Galaad, & Astaroth, & E-

Drai vrbes regni Og in Basan: filii Machir filii Manasse dimidiæ partæ filiorum Machir iuxta cognationes suas. Hæc possessionem diuisit Moyses in campestribus Moab: trans Iordanem contra Iericho ad orientalem plagam. Tribui autem Leui non dedit possessionem, quoniam dominus Deus Israel ipse est possessio eius, vt locutus est illi.

E D Editque Moyses. Hic ponitur diuisio terræ pertinētis ad tribum Gad, & ista crat magis Septentrionis, quam Lubenitæ.

Dedit que Moyses. Ipse diuisit totam terram hanc, & quamquam ad hanc diuisiōem stetisset Eleazar sacerdos magus, & tota multitudo, vt patet Nu. 32. & ab eis quoque petita est terra hæc, quia tamen Moyses erat princeps, dicebatur pse facere omnia, tota enim virtus faciendo in ipso erat.

F Tribui Gad, & filiis eius. Tota terra, quæ subiicitur hic usq; ad locum illum, scilicet, Dedit, & dimidiæ tribut Manasse, & pertinens ad tribum Gad: & dicitur, quod data est tribui Gad, quia illa terra erat data in titulum illi tribui, & sine pauis essent in tribu Gad, siue multi, semper pertinebant ad trium Gad, & dato, q; morerentur fere omnes de tribu Gad, & manerent aliqui, qui nullo modo ab intestato succedere deberent eis, qui mortui sunt, nec instituti fuissent hæredes nō poterat aliquis succedere in terra illa, nisi homo de tribu Gad, & nulla alia tribus emptione, donatione, descriptione, aut aliquo alio titulo possidere poterat aliquid de eo, quod erat intra terminos tribus Gad: ideo proprie pertinebat hoc ad tribum Gad, sicut aliqua dicuntur esse alicuius communiatatis, vel vrbis. Etiam dicitur terra ista data filiis eius, id est filiis tribus Gad, omnes enim, qui suscepserunt parēm originem intra ambitus tribus Gad dicuntur filii Gad: nō quod tribus filios aliquos habeat, sed homines tribus illius. Sic dicitur saepe in scriptura: filiæ Syon, & filiæ Ierusalem, & filius populi mei, tamen Syon, Ierusalem, & populus non habent filios: sed dicuntur filii Ierusalem omnes, qui habitabant in vrbe ipsa. Dicitur etiam data filiis Gad, quia licet data sit tota illa terra in titulum tribui Gad, ita quod nulla alia tribus possit sibi vendicare ius in ea, tamen adhuc specialiter diuisa est terra, & cuilibet de tribu Gad data est portio.

Terra diuisa tribui Gad in septem portiones. Per cognitiones suas possessionem. Id est per familias, scilicet, quod quamquam tota ista terra fuerit assignata tribui Gad toti, tamen postea diuisa est in partes, & hoc per familias tribus huius.

F Prima diuisio fuit, vt tot portiones fierent, quod erant familiae in tribu. Erant autem in tribu hac septem familiae, scilicet Sephonitæ, Oznitæ, Agittæ, Sunitæ, Heritæ, Aroditæ, Aribelitæ: Num. 26. c. ideo septem fuerunt portiones.

Deinde quælibet portio harū in domos, quæ sunt cognationes minores diuisa est, & cuilibet harū data est vna portio. Deinde diuisa est domus per capita, id est per viros facientes economias singulas, & istæ fuerunt extremæ diuisiones.

Cuius hæc est diuisio. Ide est istæ ciuitates, quæ sequuntur pertinet ad terminos terræ huius, vel quod ista inferior enarratio est diuisio sortis Gad, non quidem diuisio in familias, vel domos, quia hic nihil tale enarratur, sed diuisio, id est particularis explicatio cū declaretur, quid continetur in sorte Gad.

G Terminus Iazer. Id est ciuitas Iazer est unus terminus terræ Gad. Est autem Iazer apud terram montis Galaad, & hanc construxit restaurans tribus Gad pro parvulis suis, & uxoriis cum transiit Iordanem, vt patet Num. 32. ad hanc ciuitatem misit exploratores Moyses, postquam pugnauit cōtra Sehon regem, & percussit eum Nu. 21. ca. De quo regno fuerit, scilicet an de regno Sehon, vel Og, non patet: sed forte satis rationabile est dicere, quod Iazer sit in regno Og, quia totum regnum Sehon accepit Ruben, præter quandam particulam eius, quæ data est tribui Gad, vt patet infra & tamen ciuitas Iazer, & alia quæ sequuntur, ponuntur conditinctæ cōtra partem illam regni Sehon, vt patet in litera, ergo Iazer erat in terra regni Og.

H Item postquam percussit Moyses regem Sehon cum toto populo suo misit exploratores ad urbem Iazer, & tunc exiuit in pugnam Sehon rex contra Israel, ergo Iazer pertinebat ad regem Og. Patet hoc Num. 21.

Iazer,
ac eius
situs.

E oī-

A
Gala-
ad mō-
stas eius
sunt.

Et omnes ciuitates Galaad. Ideſt omnes ciuitates, quæ sunt apud montem Galaad, eſt enim Galaad mons in terra duarū tribuum, & dimidiæ ante Iordanem ad oriētem illius, in quo Laban cōprehendit Jacob, & vocatus eſt Galaad ab eis propter pactum, quod inter ſe inierunt ponentes cumulum lapidum in teſtem, & hoc signat Galaad aceruum testimonij, quo Gen. 31.c. Ciuitates autem forte non ſunt in monte, ſed ad radices mōtis in vallibus, aut in aliqua planicie apud mōtem, & has ciuitates a ceperit tribus Gad. Non tamen accepit omnes ciuitates Galaad, vt hic dicitur, quia medietatem Galaad accepit medietas tribus Manasse, vt patet inf. idem patet Deut. 3. ſed eſt ſenſus, quod accepit omnes ciuitates Galaad, quæ ſunt ex vna parte montis Galaad.

B
Pro quo ſciendū, quod Galaad eſt mons magnus ex vtrāque parte ſui habens ciuitates multas, & vicos, quia eſt terra nimis pſcualis, ideo multum habitatur. Quod patet, quia cum filii Ruben, & Gad petierunt terram duorum regū Amorrhaeorum ſibi dari, quia habebant pecora multa, exprefſerunt, quod loca illa erant pſcualia, & dicitur, quod viderūt Iazer, & terram Galaad eſſe regiones animalibus alendis conuenientes Nu. 32. Fuit autem mons iſte diuifus in duas fortes, ſcilicet, quod cacumen montis diuidet limites, & terra adiacens monti ex vna parte pertinebat ad tribum Gad, & terra adiacens ex alia parte pertinebat ad medium tribum Manasse, & tunc verum eſt, quod accepit tribus Gad omnes ciuitates Galaad, ſcilicet quæ erant in vna parte montis.

C
Dimidiamque partem terræ filiorum Ammon. Id eſt erat quædā terra filiorum Ammon, quæ diuifa eſt inter tribum Gad, & dimidiam tribum Manasse, vel tribus Ruben, cuius Medietas prouenit filiis Gad.

An terra diuifa inter filios Gad, & Manasse, vel tribus Ruben eſſet filiorum Ammon, cum Deus hoc vetuerit. In quo redarguntur opiniones eorum, qui id videntur negare, & probatur quomodo fuerit ea terra Ammonitarum, quam accepit tribus Gad.

Q V A E S T I O X V I .

En aliquis arguet non poſſe ſtarre, quia innuitur, quod Israelitæ ceperunt dimidiā partem Ammonitarum terræ, & quod pugnauerunt contra illos: tamen Deuteronomij ſecundo vetatur, quia ibi iubetur, ne pugnaret Israelitæ contra Idumæos, & poſtea pugnarent contra Moabitæ. Deinde de Ammonitis dicitur: Accedens in vicinia filiorū Ammon caue, ne pugnes contra eos, nec mouearis in prælium, nec enim tibi dabo de terra filiorum Ammon, quia filii Loth dedi eam in poſſessionem. Et iterum in fine cap. Non fuit ciuitas, quæ noſtras effugeret manus abſque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus.

Respondet forte aliquis, quod quamquā Deus vetuerit pugnari contra Moabitæ, & Medianitas: tamē Israelitæ pugnauerunt, & ceperunt terram eorum, poſteaque diuifit eam Moſes, ſic enim fecerunt multa alia cōtra præceptum Dei. Nam iuferat eis ne communicarent Chananis nec permetterent eos viuere ſub vlo pacto pacis, vt Deute. 20.ca. tamen fecerunt aliquos populos ſibi tributarios vt infra 16. & 17. c. multa huiusmodi.

Respondendum eſt non ſtarre, quia litera dicit, quod Iudei non pugnauerunt contra Ammonitas, quia Deus vetuerat Deuteronomij ſecundo, ſcilicet: Omnes tradidit nobis dominus Deus noster, abſque terra filiorum Ammon, & cunctis, quæ adiacent torrenti Iaboth, & vniuersis, à quibus nos prohibuit dominus. Item dato, quod Israelitæ pugnauiffent contra Ammonitas non potuiffent acquirere aliquā partem terre eorum, ſed magis corruerent gladio, quia facerent contra præceptum Dei, quia iudei in Cadesbarne cum iuſſiſſet dominus, quod redirent verſus mare rubrum, quia erant Amalechites, & Chananaeus in vallibus, ipſi vero dixarunt, parati ſumus ascendere in locum, de quo dominus locutus eſt, quia peccauimus. Moſes autem reſtitit dicēs: Cur transgredimini præceptum domini, quod vobis non cedet in proſperum? Nolite ascendere, non eſt enim Deus vobis Amalechites, & Chananaeus ante vos ſunt, quorum gladio corrueris, & poſt cum ascendere ceperisſent, deſcendentes

Amalechites, & Chananaeus de montibus coniderunt eos vſque Horma Numer. 14. & Deuteronom. 1. ergo ſic accideret hic.

Itē dato, quod Deus nolle dare Israelitas in manus Ammonitarum ſi pugnarent contra mandatum eius, tamen ſaltem non daret eis, quod caperent quidquā de terra Ammonitarum, quia Deus dixerat Deuter. 2. nec enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, filiis enim Loth dedi eam in poſſitionem.

Item non ſtat vllatenus, quod Moſes permitteret Israelitas pugnare contra Ammonitas, cum Deus per eum iubet, ne pugnaret Israel contra Ammonitas, ſi tamen bellum aliquod eſſe debuiffet, Moſes fuſſet dux, ſicut fuit in bello contra regem Sehon, & regē Og Amorrhaeos, ergo nihil tale fuit. Nec valet ſimilitudo de tranſgressione præceptorū Dei ab Israelitis facta alio tempore, nam non eſt negandum potuiffe Israelitas pugnare contra Ammonitas, ſed negatur, quod pugnauerunt cum ſcriptura contrarium aſſerat: ideo non ſtat iſta responsio.

Alij respondent aliter, ſcilicet, quod Ammonitæ habebat duplē terram, vnam quam dominus eis concesſerat, & aliam quam iuxta ſe violenter acquisierant, & iſtam ſecundam occupauerunt filii Israel, & non primam.

Sed non ſtat ſolutio, quia terra, quam Ammonitæ tenebant violenter fuerat accepta de manu gigantium, vt patet Deuteronom. 2. & iſtam iubebat Deus ne conarentur accipere iudicii.

Item non diſtinguitur conuenienter, quod habebat Ammonitæ aliquam terrā, quam eis Deus dederat, & aliam, quā violenter acceperant, nam terra, quam violenter acceperat, erat quam Deus eis dederat, vt patet Deuteronom. 2. ſcilicet, quod expulerunt Ammonitæ Zonim, qui erant gigantes, & populus multus, & hos deleuit Deus à facie Ammonitarum, & fecit eos habitare pro illis: ideo eadē eſt à Deo data, & violenter acquisita.

Item diuifio iſta magis ſtat econtrario, quia terra illa, quā habuerunt Ammonitæ ab origine ſua abſque bello, nō erat à Deo data ſpecialiter, quia nihil fecerat pro eis ad habendū terram illam, terra autem quā acquisierunt violenter de manu gigantium eſt, quam Deus eis dedit, vt patet Deut. 2. ergo non ſtat diuifio.

Item non valet, quia ſi Israelitæ de manu Ammonitarum tollere debuiffent, neceſſe eſt, vt pugnarent cōtra eos, quia ipſi non dimitterent eam libenter, erat tamen interdictum iudeiſ ſbsolute pugnare contra Ammonitas Deut. 2. ſciliſſet accedes in vicinia filiorum Ammon, caue ne mouearis contra eos in prælium, non enim dabo tibi de terra filiorū Ammon: ideo nō poſteſt ſtarre, quod aliquam terram, quam tunc qualitercunq; poſſiderent Ammonitæ, abſtulerint de manibus eorum Israelitæ.

F
Respondit Rabbi Salomon, & bene quod iſta pars filiorum Ammon poſſidebatur actu à rege Sehon, qui abſtulerat ab Ammonitis.

Pro quo ſciendum, quod Sehon rex Amorrhaeus erat rex fortissimus in bellis, & ſubiiciebat ſibi gentes conuincinas: nā quinque ſatrapæ terræ Median, quos ſcriptura vocat reges Num. 31. erant ſubiecti regi Sehon, & vocabantur duces Sehon, vt patet ſupra in litera.

Item ſubiecit ſibi Sehon magnam partem terræ Moabitæ, ſciliſſet vrbem Hefebon, quæ erat metropolis nobilissima in regno ſuo, & multas alias vrbes, de quibus Numer. vigesimoprimo capitulo: ita etiam contra Ammonitas, qui erant conterminales terræ ſuæ fecit pugnans contra eos, & accipiens ciuitates multas: erant enim prius conterminalia in latere orientali Regum Ammonitarum, & Moabitarum apud vrbem Aroer, & Sehon rex accepit totam illam frontē orientalem partē de regno Moab ab Aroer verſus Hefebon, & Medaba atque Dibon. De terra Ammon cepit à ciuitate Aroer, quæ eſt contra Rabath, quæ tunc erat filiorum Ammon, vt patet infra in litera, & ſic dilatauit Sehon regnū ſuū tollens conterminationem Moabitarum, & Ammonitarum. Hanc terram poſſidebat tunc Seqon rex, & cum occidiffent cum Israelitæ acceperunt totam terram eius, non ſolum terram, quæ pertinebat ad originem gentis Amorrhaeorum, ſed etiam eam, quæ fuerat pertinens ad alias gentes, ſciliſſet

A Moabitas, & Ammonitas. In hoc autem nihil agebant Israëlitæ contra præceptum Dei, quia non pugnabant contra eos, nec accipiebant quidquam de terra ipsorum. Cum autem inuenissent eam in manu hostili perditio dominio Ammonitarū, & Moabitum, occupauerunt eam tanquam hostilem, nec tenebatur Israël dare terram hanc Moabitum, & Ammonitum, unde postea rex Eglon tempore Iepte Galaaditis tetrauit super repetitione terræ huius indicens bella si non redderetur, tamen Iepte respondit satis iuridice Iud. II. c. De Ammonitis autem intentauerint quidquam super repetitione terræ, quæ olim sua fuerat nihil legitur, & de ista dicitur, quod medietatem eius possedit tribus Gad: quia fuit magna terra, & diuisa est inter tribus has: medietatem eius possedit tribus Gad, reliquam autem medietatem accepit dimidia tribus Manasse, ut quidam volunt. Sed non stat, quia ista terra pertinebat ad regem Sehon, qui eripuerat eam de manu Ammonitarum, regnum tamen Sehon totum datum est tribui Ruben præter quidam eius particulam, quæ data fuit tribui Gad, ut paret sup. in litera, ubi ponuntur ciuitates regni Sehon ad tribum Ruben hic autem subditur, quod reliquam partem regni Sehon possedit tribus Gad, ergo nihil possedit de hoc dimidia tribus Manasse, terra tamen accepta de manu Ammonitarum erat in potestate regis Sehon, ergo de hac terra non prouenit pars dimidiæ tribui Manasse: sed Ruben habuit medietatem, & reliquam medietatem habuit Gad. Si autem diceretur, quod ista terra accepisset rex Og, de manu Ammonitarum dicendum erat, quod nihil de ea accepisset tribus Ruben, sed medietatem tribus Gad, & reliquam medietatem dimidia tribus Manasse, quia non prouenit aliquid de regno Og tribui Ruben, sed tota possessio sua fuit in regno Sehon, sed non stat quod terra ista fuit in regno Og, quia terra capta de manu Ammonitarum incipit ab Aroer, ut patet infra. & ibi est regnum Sehon regis, ergo non pertinet terra ad Og regem, sed ad Sehon, & consequenter diuisa est inter tribum Ruben, & tribum Gad.

B *Pars terra Ammonitarum quam accepit tribus Gad.* Ab Aroer, quæ est contra Rabba. Hic ponitur pars terræ Ammonitarum, quam accepit tribus Gad, & dicitur, quod inchoat ab Aroer. Est ciuitas Aroer orientalis in regno Sehon, quæ est sita super torrentem Arnon ut patet supra in litera, & diuiditur terra Moabitum à terra Sehon, usque ad illam urbem: Aroer fuit quondam terra Ammonitarum, & sic prius, quam Sehon ex bello occuparet quondam partem terræ Ammonitarum, & Moabitum, Ammonitum, & Moabitum habebant terras coniunctas apud orientem, istam autem continuatatem abstulit rex Sehon, tamen adhuc erant confinia terrarum istarum ad partem orientalem non multum distantia, quod patet, quia quando Israëlitæ venerunt de solitudine, & intrauerunt per terram Sehon regis Amorrhæi, dicuntur intraesse per confinia Moabitum, & Ammonitarum, Deuteronomij secundo, cum dicitur, Tu trahabis hodie terminos Moab ciuitatem nomine Ar, & accedens in vicinia filiorum Ammon caue ne pugnes contra eos, ne mouearis in prælium, erat autem ista conuincnia regnum apud ciuitatem nomine Aroer, nam Moabitæ, & Amorrhæi in parte orientali conterminantur apud Arnon, qui est terminus Moab, & prominet in finibus Amorrhæi, ut patet Numer. 21. & ibi est torrens Arnon diuidens Moabitum, & Amorrhæos, in ripa tamen torrentis Arnon est ciuitas Aroer, ut patet Deuteronomij tertio, & præcedenti capitulo, & hic: ergo Aroer est in coniunctione Moabitum, & Amorrhæorum, ad Aroer tamen accedebat terra Ammonitarum, ut patet hic: ergo termini Moabitum, & Ammonitarum erant quondam coniuncti in Aroer, & patet adhuc magis, quia cum iudei transierunt apud ciuitatem Moabitum nomine Ar, dicuntur stetisse in vicinia filiorum Ammon Deuteronomij secundo capitulo, sed Aroer, & Arnon, & Ar sunt simul, ergo apud Aroer coniungitur terra Ammonitarum terra Moabitum. Antecedens patet, quia Aroer, & Ar, & Arnon deriuantur ab eadem origine, & sunt nomina imposita locis coniunctis, nam apud scopulos, qui vocantur Arnon, vel ciuitates (ut alii dicunt) est torrens Arnon, qui vocatur Arnon, & patet, quia uterque est terminus Amorrhæorum, & Moabitum, ut colligitur Num. 21 iuncto Deuteronomij secundo, & tertio capituli. apud Ar non autem est Aroer, ut patet hic, & præcedenti capitulo. ergo Arciuitas, quæ ab eadem descendit origine est apud ista loca, sed apud Ar ciuitatem Moab sunt conuici-

næ vrbes terræ Arnon, ergo apud Arnon, & urbem Aroer est conterminatio hæc.

C *Quæ est contra Rabba.* Hic signatur quomodo verisimile sit fuisse terram, quæ est ab Aroer versus terram Ammonitarum quondam ipsorum Ammonitarum quia Aroer est contra Rabba, id est circa Rabba, & ex opposito eius. Sed Rabba erat terra filiorum Ammon cum ista dicebantur, ergo satis verisimile est fuisse quodam terminos Ammonitarum apud Aroer. De Rabba; quod pertineat ad filios Ammon, patet Deuteronomij tertio capitul. scilicet monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabba filiorum Ammon.

D *Ab Esebon usque Ramoth.* Istæ sunt ciuitates, quæ pertinuerant quondam ad Ammonitas, est autem Esebon circa terram, quam nunc possedebant Ammonitæ. Ramoth autem est ubi terminabatur quondam terra Ammon, & est ista ciuitas apud montem Galaad ex una parte, unde possedit eam tribus Gad, quæ dicitur possedit omnes ciuitates Galaad, ut supra patet, & ista ciuitas vocatur Ramoth Galaad, id est, Ramoth existens apud montem Galaad, & est ista una de tribus ciuitatibus refugij, quæ erant ad orientalem plagam Iordanis, ut patet Deuteronomij quarto capitulo scilicet Bosor in solitudine, quæ sita est in campestribus de tribu Ruben, & Ramoth in terra Galaad quæ est in tribu Gad, & Golam in Basan, quæ est in tribu Manasse. Idem patet infra vigesimo aduersus Syros pugnabat Acham rex Israhel, cum mutauit habitum, & ingressus prælium percussus est à sagittariis, & mortuus est. Vnde dixit, nostra est Ramoth Galaad, & negligimus tollere eam de manu regis Syriae, ut patet tertio Regum vigesimo secundo capitulo, & secundo Paralipomenon decimonono cap.

E *Masphe, & Bethanim.* Istæ duæ sunt vrbes in sorte tribus Gad, & pertinuerunt quondam ad Ammonitas. Alia ciuitas, vel regio est, quæ vocatur Masphe in terra nouem tribuum, & dimidiæ ad occidentalem plagam versus mare circa Sidonem, de qua supra undecimo ditur, quod persecuti sunt Israëlitæ reges Chananeos ad aquis Meron usque ad Sidonem magnam, & aquas Masserephot, campumque Masphe, quia ista est terra duarum tribuum, & dimidiæ in terra Gad, illa autem valde orientalis in terra nouem tribuum, & dimidiæ, & cum data esset ista Masphe tribui Gad, nondum illa erat accepta de manu Chananorum, quia post hanc divisionem fuit bellum ad aquas meron mortuo Moysè, & transito Jordane.

F *Visque ad terminos Dabir.* Ciuitas Dabir est in terra Gad, tamen non fuit quondam de terra Ammon, sed accedebant confinia eius ad urbem Dabir, de qua dicitur supra II. & præcedenti capitulo. nam illa est ad occidentalem plagam Iordanis, & regem illius dicitur occidisse Iosue, ut patet præced. cap. & illa Dabir est in tribu Iuda, & vocabatur olim Cariathsepher, ut patet infra 15. capitulo fuit autem illa ciuitas capta ab Othoniele Cenezeo fratre Caleb, ut patet infra 15. & Iud. I. capitulo.

In valle quoque Bethara. Id est etiam filij Gad acceperunt in terra vallium urbem quondam nomine Betharam. De ista vrbe dicitur Numeri trigesimo secundo quod extruxerint eam antequam transirent Iordanem, ut manerent in ea uxores, & paruuli sui.

Et Bethnemra. De ista vrbe habetur Num. 32. quod filij Gad extruxerunt eam ut supra dictum est.

Et Socoth. Istæ est ciuitas non multum distans à terra Ammon, & cù persequeretur Gedeon Zeb, & Zebee, & Salmana reges Madian, petiuit panes à viris Socoth, qui responderunt ei dure, & cum redisset de bello occidit septuaginta principes ciuitates illius, de quo Iudicum octauo. Aliqui existimat Socoth esse urbem denominatam à Iacob: nam cum venisset de Mesopotamia fixit tentoria sua in loco quodam, & appellauit nomen loci illius Socoth, id est tabernacula.

Sed non stat, quia locus iste Socoth, de quo hic dicitur, est ad partem orientalem Iordanis in sorte Gad, Socoth autem, de quo dicitur Genesis trigesimotertio capitulo. quod Iacob fixerit ibi tabernacula, est ad occidentalem plagam Iordanis apud urbem Sichem, ut patet præallegato capitulo. Sichem tamen est ad occidentalem plagam Iordanis, cù sit in forte Ephraim, ubi sepultus est Ioseph, ut patet infra 24. capitulum. ergo non est idem Socoth.

A Item Socoth accipitur hic pro vrbe, sed Socoth denominationem accipiens a Iacob non erat vrbs, sed aliquis ager, vel campus, vt colligitur Genesis 33. cap. Est etiam Socoth nomen mansionis in Aegypto, & est prima mansio, quam fecerunt Israelitae cum egredierentur de Aegypto, vt patet Exodi vigesimoprimo capitulo, & Numeri trigesimotertio capitulo: Sed de hac manifestum est, quod non accipiatur hic.

Et Saphon. Vrbs est in terra tribus Gad, hanc cum quibusdam aliis extruxerunt ipsi filii suis, & vxoribus, cum transierrunt Iordanem, vt patet Num. 32. c.

B *Reliquam partem regni Sehon.* Id est acceperunt filii Gad reliquam partem regni Sehon: fuit enim datum regnum Sehon pro maiori parte filii Ruben, vt patet supra, cum acceperunt ab Aroer usque Medaba, & cetera, vt supra patet, & ista terra pertinet ad regem Sehon, cum regnum Og totum fuerit diuisum inter tribum Gad, & dimidię tribum Manasse. Et quia non suscepit tribus Ruben totum regnum Sehon, quia magnum erat, reliqua est quædam particula, & illam accepit tribus Gad cum quadam parte regni Og. Et iste sensus procedit intelligendo literam istam copulatiue, scilicet reliquā partem regni, id est, & reliquam partem regni Sehon. Litera tamen non ponit coniunctionem. Ideo potest alio modo intelligi, scilicet, quod ponatur tanquam exponens, & expostum, & referetur ad vrbes præcedentes, scilicet, accepit Gad vrbes istas reliquam partem regni Sehon, id est quæ sunt reliqua pars huius regni Sehon, & iste sensus videtur conuenientior primo.

C *De rege Sehon.* Pro quo sciendum, quod rex Sehon accepit vrbes multas de terra Moab, & multas de terra Madian, vt supra declaratum est, & omnes has copulauit Sehon regno suo, cum vero terra de manu eius erupta est, & diuisa, omnes vrbes regni eius date sunt tribui Ruben tam illi, quas habebat ex origine regni Amorrhæorū, quam illæ, quas acceperat à Moabitis, & Ammonitis, sed de terra suscepta ab eo de manu Ammonitarum factum est, vt diuidideretur in duas partes, cuius medietatem retinuit tribus Ruben, medietatem autem suscepit tribus Gad: & ista est reliqua pars regni Sehon. Ciuitates aut huius partis explicat scriptura dicens, quod accepit tribus Gad medietatem terra filiorum Ammon scilicet ciuitates, quæ sunt ab Aroer versus Rabba, & ab Hesbon usq; Ramoth Galaad & cetera reliquam partē regni Sehon, id est & istæ sunt partes reliqua de regno Sehon, quam accepit Gad.

Sehon regis Hesbon. Non solum erat rex huius vrbis, sed & multarum aliarum, quarum quædam hic enarratae sunt. Sed vocatur rex Hesbon, quia erat ciuitas solennior in toto regno suo, & hanc acceperat de terra Moab Num. 21. c.

Huius quoque Iordanis finis est. Id est etiam ista tribus habet terminum in Iordanem. Dicitur: huius quoque quia etiam tribus Ruben habebat terminum in Iordanem, vt patet supra. Est autem Iordanis terminus occidentalis harum duarum tribuum, nam Iordanis est terminus orientalis terræ nouem tribuum, & dimidiæ Num. 34. cap. & cum duæ tribus, & dimidiæ, & nouem tribus, & dimidiæ distinguantur Iordanis medio, necesse est, vt occidentalem plagam harum tribuum sit Iordanis. Et patet, quia duæ tribus, & dimidiæ confitentur se habere hereditatem ad orientalem plagam Iordanis. Numeri trigesimo secundo ca. & patet supra primo sed Iordanis est terminus earum, ergo erit necessario terminus occidentalis.

Est autem differentia in terminatione duarum tribuum, scilicet Gad, & Ruben ad Iordanem, quia Ruben terminatur ad Iordanem in parte sua magis meridiana, & Gad terminatur in parte magis Septentrionali, ideo tribus Ruben solum terminatur ad Iordanem: tribus autem Gad habet in parte occidentali Iordanem, & amplius mare Cenereth, quod est magis Septentrionale, quam Iordanis vt colligitur Num. 34. cap. ubi ponitur terminus orientalis terræ nouem tribuum, & dimidiæ, qui est terminus occidentalis terra duarum tribuum, & dimidiæ, & cum describatur totum latus orientale descendendo à Septentione versus meridiem, primo ponitur mare Cenereth, quam Iordanis, & latior est frons occidentalis terra Gad, quam Ruben, quia terra Ruben apud occidentem substringitur inter latus terra Moab, & terram

D tribus Gad, vt declaratum est supra. Terra huius terminus orientalis est, ubi incipit terra Ruben scilicet ab Aroer, quæ est sita super torrentem Arnon & quamquam Aroer sit in tribu Ruben, tam in terminis eius incipit terra tribus Gad, vt patet supra in litera, terminus autem occidentalis huius terræ est in Iordanem, & mari Cenereth, sicut terminatur terra Rubenitarum. Terminus autem meridianus est latus terræ filiorum Ruben: nam Rubenitæ, & Gaditæ incipiunt ab Aroer, & terminantur in Iordanem, ergo totum latus meridianum est communè eis, & contiguantur in hac parte, ita quod latus meridianum terra Gad est latus aquilonare terra Ruben: latus autem Septentrionale terra Gad est terra Ammonitarum, & duo regna scilicet Machati, & Gessuri, de quibus supra patet in litera.

Visque ad extreman partem maris Cenereth trans Iordanem.

Hic designatur latitudo frontis occidentalis terra tribus Gad, scilicet quod terminatur ad Iordanem, sed non est tanta latitudo Iordanis quanta est latitudo frontis occidentalis terra huius, ideo partem frontis occidentalis huius terminat mare Cenereth.

Descriptio latitudinis frontis orientalis terræ Gad vnde est ea. Pro quo est considerandum, quod terminus orientalis terra nouem tribuum, & dimidiæ est frons occidentalis terra duarum tribuum, & dimidiæ: licet non sit æqualis latitudo utriusque. Latus autem orientale terra nouem tribuum, & dimidiæ describitur Num. 34. & descendit à Septentrione ad meridiem. Incipit autem in latere aquilonis de villa Enam, quæ est in angulo contractus lateris Septentrionalis, & orientalis, & descendit in Sephama, & inde in Reblata, & postea ad mare Cenereth, deinde in Iordanem, & ipse Iordanis tendit usque ad mare salissimum scilicet Sodomorum, ibique terminatur latus orientale, & est angulus coniunctionis lateris meridiani, & orientalis, terra autem duarum tribuum, & dimidiæ habet istud latus descriptum pro termino occidentali, sed non occupat frons terra duarum tribuum, & dimidiæ totam istam magnitudinem, sed in fine lateris orientalis ubi coniungitur meridiano terminatur terra Moab: nam ipsa tangit mare mortuum quod est mare Sodomorum: cù mons Phasga perueniat usque ad vallem illam, & est mons Phasga in terra Moab, cum ibi staret rex Moabitum, quando moribat ipsi Balaam ariolo castra Iudæorum, vt patet Nu. 23. c. apud terram Moab est terra tribus Ruben, & terminatur ad Iordanem sicut terra Moab, de qua dicitur Iudicum 4. q. sunt vada in Iordanem, quæ transmittunt in terram Moab, sed ista pars Iordanis, ad quam terminatur terra Ruben est magis aquilonaris, quam illa, ad quam terminatur terra Moab. Deinde terra Gad terminatur in occidente ad Iordanem, sed magis ad Septentrionem unde occupat residuum partem orientalem Iordanis & extenditur ultra versus Septentriōnem per istud latus orientale, & accedit ad mare Cenereth, terra autem dimidiæ tribus Manasse tangit in occidente suo terminum orientalem terra nouem tribuum, & dimidiæ sicut terra Gad Ruben, & Moab, & tamen magis versus terminum Septentrionale, scilicet versus Reblata, & frontem Daphnis, atque villam Sephama. Cum autem dicitur usque ad extremam partem maris Cenereth, ponitur mare istud non tam orientale ad Iordanem, nec tanquam occidentale, quia tunc cum Iordanis fit terminus orientalis nouem tribuum & dimidiæ non esset mare Cenereth terminus orientalis, & tamen utrumque ponitur terminus orientalis, vt patet Numeri trigesimo quarto: ergo non est mare Cenereth orientale ad Iordanem, nec occidentale ad Septentrionale, ideo cum sit tribus Gad magis Septentrionalis, quam Ruben, non sufficit Iordanis terminare latitudinem frontis sue occidentalis, sed extenditur magis per latus illud orientale versus Septentriōnem, & tangit mare Cenereth, & tagit totam eius latitudinem, est enim satis magnus lacus iste qui vocatur mare. Circa extremitatem autem huius versus Septentriōnem est finis terra Gad. Et de hoc dicitur, quod est trans Iordanem, non quidem ad orientem Iordanis, nec occidentem eius, quia non poterat stare, vt esset terminus, vt declaratum est, sed ad Septentriōnem, ita vt si aliquis veniret ab australi parte terre nouem tribuum ad aquilonem erit sibi mare Cenereth trans Iordanem, id est, ad partem ulteriorem magis aquilonarem & hoc modo in descriptione lateris orientalis terra Chanaa nouem tribuum, & dimidiæ, quæ habetur Nu. 34. diceretur mare

F Cenereth

A

Cenereth ultra Iordanem, & Reblata ultra mare Cenereth, & villa Saphama ultra omnia hæc, scilicet magis ad Septentrionem.
Ad orientalem plagam.

An mare Cenereth sit ad plagam orientalem nouem tribuum, & dimidie: & eius situs, & quod terra Gad tribus partibus illud mare tangit secundum latitudinem, & circularitatem eius magnam, ob quam partes eius quedam ad orientem declinant quedam ad occidentem.

Q V A E S T I O . X V I I .

Dicit aliquis, quod ista litera repugnat supra declarationis, quia ponit esse mare Cenereth ad partem orientalem Iordanis, & non ad septentrionalem, ut dictum est.

Respondendum est non debere referri istam determinationem ad Iordanem, sed ad terram nouem tribuum, & dimidiæ, scilicet ad orientalem plagam, id est, istud mare Cenereth ad orientalem plagam, non quidem ad orientem Iordanis, sed quod istud mare Cenereth, quod est Septentrionale respectu Iordanis est ad orientalem plagam terra nouem tribuum, & dimidiæ, quod patet Numer. 34. ubi Iordanis est ad orientalem plagam terra nouem tribuum, & dimidiæ, quod patet Num 34. ubi Iordanis, & mare Cenereth hic ponuntur tanquam terminus orientalis terra nouem tribuum, quæ ibi vocatur terra Chanaan, & patet hoc, nam non potest accipere mare Cenereth orientale respectu Iordanis, quia cum ponatur hic mare Cenereth tanquam terminus occidentalis terra Gad, venientibus ab oriente prius esset accedendum ad mare Cenereth, quam ad Iordanem, & tunc si ab oriente venientibus terminatur terra Gad in mari Cenereth, non accedit ad Iordanem, & tamen ponitur Iordanis terminus occidentalis terra Gad, ergo non est mare Cenereth orientale respectu terra Gad, sed necessario est Septentrionale, vel meridianum.

Idem argumentum stat de terra nouem tribuum, & dimidiæ, cuius Iordanis ponitur terminus orientalis Num. 34. nā si ponitur mare Cenereth ad orientalem plagam Iordanis, erit necessario extra totam terram nouem tribuum, & dimidiæ, quæ illa terminatur in suo limite orientali, & tamē mare Cenereth ponitur tanquam terminus orientalis terra nouem tribuum, & dimidiæ, ut patet Nume. 34. ergo non est ad orientalem plagam Iordanis.

Item non potest intelligi ad orientalem plagam respectu terra Gad, cuius ponuntur hic termini, quia dicitur, quod terminus huius terra Gad est ad Iordanem, & mare Cenereth. Sed manifestū est, quod Iordanis est terminus occidentalis respectu terrarum duarum tribuum & dimidiæ, ergo identidem erit de mari Cenereth. Nec valet si aliquis velit assignare duos terminos terra huius hic, scilicet orientalem, & occidentalem: Occidentalem quidem ad Iordanem, orientalem autem ad mare Cenereth, quia litera repugnat hic, cum velit ponere Iordanem & mare Cenereth ex eadem parte, dicens: Huius quoque Iordanis finis est usque ad extremam partem maris Cenereth trans Iordanem ad orientalem plagam: ergo Iordanis terminus pertinet usq; mare Cenereth: sed terminus ex parte Iordanis est hic occidentalis, ergo mare Cenereth occidentale est respectu terra Gad.

Item patet magis, quod sint ex eadem parte, quia Numer. 34. ubi ponuntur termini terra nouem tribuum, & dimidiæ ponuntur Iordanis & mare Cenereth tanquam termini orientales, ergo ad quaecunque terram comparentur, erunt ambo habentes eundem respectum, scilicet ambo orientales, vel ambo occidentales, & nulla terra erit, ad quam possit esse Iordanis occidentalis & mare Cenereth orientale, vel è contrario: necesse est ergo, quod dicatur mare Cenereth orientale respectu terra nouem tribuum & dimidiæ.

Aliter intelligenda est ista litera, & melius, scilicet quod Iordanis est terminus occidentalis terra Gad, & ultra Iordanem, scilicet versus septentrionem est mare Cenereth, & ad illud pertinet terra tribus Gad ad extremitatem eius, id est ad partem ultimam versus Aquilonem. Nam mare Cenereth, licet sit in termino occidentali terra huius, tamen habet la-

titudinem, ita ut quædam partes eius declinet ad austrum versus Iordanem: aliae autem inclinantur ad aquilonem versus frontem Daphnis, & Reblata: ad signandum autem extremitatem aqua lonarem terræ Gad dictum est, quod non solum perueniunt ad mare Cenereth, sed etiam usque ad extremitatem maris Cenereth, scilicet ad aquilonem, & tunc subiungitur ad orientalem plagam ad declarandum particulam illam, scilicet usq; ad extremitatem partem maris Cenereth, in quo aliquis crederet, q; totum mare Cenereth erat in terra Gad, sed falsum est, quia istud mare est in terra nouem tribuum, & dimidiæ, & in circuitu illius sunt oppida multa tribus Zabulon, & Nephthali.

Idcirco sciendum, quod mare Cenereth habet latitudinem, & circularitatem satis magnam, & ob hoc quædam partes eius declinant ad orientem, aliae occidentales, aliae vero australes, & aquilonares sunt. Terra autem Gad tangit mare Cenereth in tribus extremitatibus suis scilicet in meridiana, orientali, & aquilonari, sed non in occidentali: immo nihil de ipso mari erat intra terram Gad, & ob hoc dicitur, quod tangit mare Cenereth usque ad extremitatem partem scilicet à parte meridiana eius ascendendo de Iordanem, & transcendo in Boream, usque ad extremitatem eius septentrionalem, ubi coniungitur latus orientale eius lateri septentrionali. Et ne intelligatur, quod totum mare erat intra tribum Gad, dictum est ad orientalem plagam maris, secus de extremitate maris ad occidentem eius, quia illa extremitas pertinebat ad nouem tribus, & dimidiæ.

Hac est possessio filiorum Gad. Id est ista terra cuius suppositi sunt termini est possessio filiorum Gad. Et iste est epilogus præcedentium.

Per familias suas. Id est fuit diuisa tota ista terra in particulas secundum numerum familiarum tribus Gad, & quia erat septem familiae, necessario fuerunt factæ partes septem, deinde portio cuiuslibet familie diuisa est in portiones domorum, & illæ per viros, ut supra dictum est.

Ciuitates, & villa earum. Id est in tota ista terra Gad diuisa sunt ciuitates, & villa per familias, scilicet quod non manferit ciuitas villa, aut villa, quæ non ceciderit in sortem alicuius familie illius tribus. Vocantur hic villa rura parvula, & quæcunque loca non murata, quæ alias appellantur viculi, ut patet supra. Nos autem villas accipimus pro oppidis muratis, & magnis, sed non gaudent priuilegio virium, sed alicui alteri loco subiectæ sunt: sacra autem scriptura nihil horum observat. Non solum autem ciuitates, & viculi fuerunt in diuisione, sed etiam agri, & tota terra campestris, & montana, nā ciuibet ciuitati termini assignati sunt, scilicet territorium, & post agri per viros diuisi sunt. De ciuitatibus tamen specialiter exprimitur, quia sunt aliquid maius.

Dedit, & dimidie tribui Manasse. Hic ponitur diuisio terræ pertinentis ad dimidiæ tribui Manasse: nam dimidia tribus eius accepit ad orientalem partem Iordanis possessionem. Dimidia autem reliqua accepit ad partem occidentalem, de qua patet inf. 17. & fuit possessio eius apud sortem Ephraim.

Quare tribus Manasse est diuisa in duas partes, cum nulla alia tribus diuisa fuerit. Et quod familia erant octo in ipsa tribu.

Q V A E S T I O . X V I I I .

VERET aliquis quare tribus Manasse diuisa est in duas partes, cum nulla alia tribus fuerit diuisa.

Respondebit aliquis, quod Israhelites suscepti erant terræ ante transitum Iordanis, & post transitum Iordanis, terra autem, quæ erat ad occidentem Iordanis non sufficiebat decem tribubus, si ciuibet earum daretur proportionaliter ad id, quod datum fuisset duabus tribubus ad orientalem partem Iordanis, ideo fuit necesse ad conuenientem diuisione terrenæ, ut daretur terra ante Iordanem duabus tribubus, & dimidiæ, & terra ad occidentalem partem Iordanis diuidetur nouem tribubus, & dimidiæ, ideo necesse fuit, ut diuidetur aliqua tribus istarum, contigit autem, quod esset tribus Manasse.

Sed non potest stare, quia terra, quæ erat ad occidentalem partem Iordanis erat tanta magnitudinis, ut sufficeret tribubus

decem

A decem dando eis proportionaliter, sicut datum fuissest duabus tribubus ante transitum Iordanis, nam in terra nouem tribuum, & dimidię multa terra mansit, quæ nunquam capta est ab Israelitis, sicut terra Philistinorum, qui semper manserunt, terra quoq; Sidoniorum, & Tyri, in quibus adhuc Gétilies manebant tempore prædicationis Christi Matthæi 15. cap, & tamen adhuc sortes sufficiebant ergo non fuit diuisa tribus Manasse, quia non sufficeret terra ad occidentem Iordanis pro decem tribubus.

Item dato, quod secundum veritatem non suffecisset terra ista decem tribubus, & ad proportionaliter diuidendum, necesse erat, quod vna tribus diuidetur, tamen iudei cum solum cepissent terram, quæ erat ad orientalem plagam Iordanis, nesciebant de quantitate terræ, quæ erat ad occidentalem plagam, ideo non poterant scire, an necesse esset diuidi tribus vna in duas, sed reseruassent usquequo terra esset acquisita, & cognosceretur tota qualitas eius, siue ante Iordanem, siue ad occidentalem plagam eius.

Item non erat necesse sic diuidi terram Chanaan, scilicet, ut quedam sortes darentur in terra ante Iordanem ad orientem, & alia in terra occidentali ad Iordanem, sed magis, quod acquireretur tota terra siue ante Iordanem siue post, & tunc diuidetur duæ sortibus in longum, scilicet quod non peruenirent à mari occidentali usque ad Iordanem, sicut nunc perueniunt in terra nouem tribuum, & dimidię, sed quod latitudine terræ à meridie in Septentrionem diuidetur in duodecim sortes, & peruenirent à mari magno occidentali transiunt Iordanem usque ad urbem Aroer, quæ est in ripa torrentis Arnon, & est frons orientalis dharum tribuum, & dimidię, & tunc cognosceretur quantū uniuicuique tribui dandum esset, nec aliqua defraudaretur.

Nec etiam erat intentio Moysi sic diuidere istam terram orientalem Iordanis, scilicet dando eam duabus tribubus, & dimidię, vel duabus, sed magis, quod tota terra primo acquireretur deinde deuideret eam Iosue. Vnde quando duas tribus, & dimidia petierunt terram hanc admiratus est Moyses, & exterritus, increpuitque valde petentes, ut patet Num. 32. c. ad extremum autem consideratio rationabili motu eo- rum concepsit, quod petierant.

Dicendum ergo, quod sola causa diuisionis sic factæ fuit, quia duæ tribus, & dimidia viderunt terram illam pascualē, & satis conuenientem alendis pecoribus, existimantes forte, quæ terra occidentalis Iordanis non esset talis, petierunt hanc, & quamquā à principio Moyses renuisset, tamen postea concessit. De tribubus autem duabus manifestum est, quod petierint terram hanc, quia erat pascualis, & ipsi abundabat in pecoribus, & iumentis: Num. 32. De media autem tribu Manasse non patet ex litera, quod petierit ex hac causa, nec ex aliqua alia, cum de solis duabus tribubus dicatur, quod abundabant in pecoribus, & quod petierint terram illā, quia tamē postea in concessione dicitur, quod Moyses dedit terram illā duabus tribubus, & dimidię, videtur quod fuerit eadē causa in dimidia tribu Manasse, quæ erat in alijs duabus, scil. quod abundaret in pecoribus, & ob hoc, quod ipsa cum duabus tribubus accederet ac Moysen, & simul peteret dari sibi possessionē in terra illa, & quia forte terra illa erat pauca pro duabus tribubus & dimidia proportionaliter cōparādo ad nouē tribus & dimidię accepturas totā terrā occidentale Iordanī, renunciaverunt istæ duæ tribus, & dimidia iuri suo, quantū ad partes, quæ eis proportionaliter possent peruenire in terra trās Iordanem. Et ratio erat, quia eis permittebatur accipere sortes priusquam alijs tribubus. Etiā permittebatur eis eligere meliorem terram, ideo in aliquo debebant diminui, ita ut æquarentur alijs, alioquin non fieret æqualitas, & hoc erat, quæ si alijs nouem tribubus, & dimidię, proportionaliter plus de terra proueniret, quæ his duabus, & dimidię non possent petere aliquid de terra illa, & sic confessæ sunt istæ duæ tribus & dimidia dicentes. Nec quidquam querimus trās Iordanem, quia iam habemus possessionem nostram in orientali eius plaga. Quia ergo contingit, quod istæ duæ tribus, & dimidia abundant in pecoribus, & peterent terram hanc, diuisa sunt tribus Manasse, si autem solæ duæ tribus peterent fortassis eis solis data fuissest manente terra occidentali pro decem tribubus, & si cōtingeret esse alias tribus, quæ petiſſent terrā hāc, sicut petierunt istæ duæ, & dimidia, eis quoque data fuissest.

Filiis ē eius. Id est filii dimidiæ tribus Manasse. Dicitur de filiis, id est de hominibus illius tribus, quia alio modo datur possessio toti tribui, & alio modo personis, toti tribui datur in titulum possessio, ita ut de terra illa nulla alia tribus quidquam aliquo iure sibi vēdicare valcat, nec homo alterius tribus: hominibus autem tribus datur possessio, quia diuiditur inter eos terra tribus illius, & dantur singulis partes proportionabiles, ut declaratum fuit supra de tribu Gad.

Iuxta cognationes suas. Id est per familias, quæ sunt primæ cognationes sub tribu, & deinde familiae diuiduntur in domos usque ad capita, id est viros singulos, & secundū numerum familiarum tribus dimidiæ factæ sunt sortes in hac terra, erant autem in tota tribu Manasse familiae octo, scil. Machiræ, Galaaditæ, Iezeritæ, Elecitæ, Asrehelitæ, Sechemitæ, Semedaitæ Hepheritæ ut pater Nume. 26. Si autem diuisa est tribus Manasse in duas medietates, daretur terra hæc quatuor familij, & fieret quatuor portiones primo, deinde quilibet earum diuidetur in minores portiones pro dominibus, & viris, non tamen conslat an tribus Manasse: fuerit diuisa in duas medietates æquales secundum familias, scilicet, quod quatuor familiae de Manasse acciperent hæreditatem ad orientem Iordanis, & quatuor ad occidentalem partem, vel fuerit diuisa in duas medietates secundum numerum, scilicet quod tot viri susciperent hæreditatem de Manasse ad partem orientalem sicut ad partem occidentalem, vel an fuerit aliqua harum. Nam cum diuidatur tribus Manasse in duas partes, etiam si non sint æquales secundum aliquem modum horum, vocabūtur duæ medietates Manasse, sed in hoc non multum refert.

Possessionem cuius hoc est principium. Id est possessio filiorum Manasse habet principium, quod subditur, scilicet, quod incipit à Manaim, & extenditur, ut patet in litera. A Manaim vniuersam Basan. Id est incipit possessio manasse in Manaim, & comprehendit totam Basan. Et est hic Manaim terminus orientalis terræ dimidiæ tribus Manasse. Nam ista tribus non habet principium hæreditatis suæ in fronte Orientis inter vicinia Moabitarum, & Ammonitarum, sicut tribus Ruben & Gad, ut supra in litera declaratum est, sed habet ab oriente magnam partem possessio tribus, Gad, & est initium eius à Manaim, & hoc est circa terram Galaad: nam non multum inde distat Manaim.

Aliqui enim dicunt, quod sit locus iste, vel terra, de qua dicitur Cantorum quarto cap. de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum & montibus parorum.

Sed non stat, multum enim differunt Amana, & Manaim. Ideo dicendum est, quod Manaim sit locus, vel terra, quam nominavit Iacob Manaim, de qua habetur Gen. 32. vb. dicitur, quod habuit obuiam angelos Dei, & vocavit nomen loci illius Manaim, id est castra dicens, Castra Dei sunt hæc, & valde conuenit hoc, quia terra dimidiæ tribus Manasse est apud terram tribus Gad, ut patet cum hic fuerit tota ista terra diuisa duabus tribubus, & dimidię, & mons Galaad sit communis tribui Gad, & Manasse, quia medietas montis Galaad pertinet ad Manasse, & medietas pertinet ad tribum Gad, ut patet supra in litera, & infra Manaim tamen, quam nominavit Iacob est apud montem Galaad, quod patet, quia Iacob, & Laban steterunt in monte Galaad, & inierunt pactū imponentes nomen monti, ut patet Gen. 31. & mox in principio 32. c. dicitur quæ Iacob abiit itinere, quo ceperat, & fuerunt ei obuiam Angelii Dei, quos cum vidisset ait: Castra Dei sunt hæc & appellauit nōmē loci illius Manaim, id est castra. Prope est ergo Manaim illa ad mōtem Galaad, sed medietas montis Galaad pertinet ad Manasse, ergo intelligitur hic de Manaim, quæ appellata est à Iacob.

Vniuersam Basan. Aliqui coniungunt istud adiectiūm cū Manaim vniuersam, quia Manaim non est regio sed locus, potissime, quia Manaim est ablatiuī casus, quod ponitur ibi propositio 2.

Item quia sententia exigit, quæ sit hic ablatiuus, scil. quæ principium est à terra Manaim. Sed coniungitur iste acculatiuus cū Basan, & conuenit ei, quia Basan est regio habens multas vires, quarum aliquæ poterant dari dimidię tribui Manasse non datis alijs, ideo ad tollendum dubium dictum est, quod datus est vniuersa Basan, sic etiam patet Deut. 3. c.

Et cuncta regna Oregi Basan. Non est intelligendum quod totum

A totum regnum Og datum fuerit dimidia tribui Manasse, pars enim quædam eius data est tribui Gad, ut colligatur ex superioribus, sed dicitur, quod cuncta regna Og regis data sunt dimidia tribui Manasse: intelligitur de aliis ciuitatibus, quas non accepereat tribus Gad nà primo data est possessio Ruben in regno Sehon, deinde data est tribui Gad in regno Sehon quantum ad quandam particulam residuā, & partim in regno Og: ad extremū data est possessio dimidia tribui Manasse in reliquis partibus regni Og. Nec valet si quis contendere velit dicens, quod littera dicit omnia regna Og regis pertinere ad sortem Manasse, nam sic dicitur supra de forte Ruben, quod habuit omnia regna Sehon regis: tñ postea subditur in forte Gad quod accepit reliquam partem regni Sehō, quod stare non potest si accepisset Ruben omnia regna Sehon regis, ita ergo intelligendum est hic de regnis Og, quod pars eorum prouenit tribui Gad, & alia pars dimidia tribui Manasse.

B *Omnesque vicos Iahir, qui sunt in Basan.* Vocantur vici quædā loca parua non murata, & ista accepit Iahir de manu hostium, litera autem videtur hic innuere, quod viciisti fuerūt primo occupati à Iahir deinde possēsi à tribu Manasse, sed ordo est contrarius, nam primo Moyses dedit terram istam dimidia tribui Manasse, deinde Iahir, qui erat de stirpe Manasse, ab it, & occupauit vicos istos, qui adhuc tenebantur ab hostibus, & appellauit eos ex nomine suo, ut patet Numer. 32. cap. scilicet, dedit Moyses terram Galaad dimidia tribui Manasse: Iahir autē filius Manasse abiit, & occupauit vicos eius, quos appellauit Auothiahir, id est villas, Iahir, idem patet Deut. 3. hic tamen scriptura refert illud tanquam factum, quia quando ista scripta sunt erant vici illi Iahir, & ob hoc nominantur vici Iahir, quasi antequam darentur tribui Manasse pertinuerint ad Iahir, sed non est sic intelligendum. *Qui sunt in Basan,* id est, vici isti, quos accepit Iahir de manu hostium erant in regione Basan. *Sexaginta oppida.* Non sunt ista oppida, quæ vocantur vici, quia ista oppida sunt murata, vici autem sunt loca parua sine muris, in regione autē Basan erant ista sexaginta oppida murata, & multa alia oppida, quæ non habebant muros: oppida murata non accepit Iahir, sed parua loca, quæ vocantur vici, tota tamen terra possessa est à tribu Manasse, siue vrbes muratae siue vici, hoc signatur Deut. 3. sc. tradidit Dominus in manibus nostris Og regem Basan, & vniuersum populum eius, percussimusq; eos vtque ad internationem vastantes cunctas ciuitates illius uno in tempore, non fuit oppidum quod nostras effugeret manus, sexaginta vrbes omnem regionem Argob regni Og: in Basan cuncte vrbes erant munitæ muris altissimis portisque, & vetibus: absque oppidis innumeris, quæ non habebant muros: cum autem dicitur hic vicos Iahir, qui sunt in Basan sexaginta oppida, non est referendum unum tanquam expostuum alterius, scilicet vicos Iahir sexaginta oppida, id est, quæ sunt sexaginta oppida, sed est sensus. *Vicos Iahir,* id est, possederunt Manassitæ vicos Iahir, & sexaginta oppida, quæ sunt præter illos vicos.

C *Dimidiā partem Galaad.* Id est acceperunt filij Manasse de media tribu dimidiā partem montis Galaad: erat enim diuisus in duas partes diuidente altitudine montis: & vrbes totaque regio, quæ ad unam partem erat, pertinebat ad tribum Gad, vrbes aut, & tota regio, quæ erat ad alterā partem pertinebat ad tribum dimidiā Manasse, & fuit quantū ad hoc diuisio facta in istis tribubus quantum ad istum montem, sicut erat in regnis: nam medietas montis Galaad pertinebat ad regnum Sehon, reliqua medietas ad regnum Og, ut patet præced. c. ita hic medietas Galaad, quæ pertinebat ad regem Sehon data est mediā tribui Manasse. *Astaroth.* Ista est ciuitas principalis in regno Og regis, unde vocatur rex Astaroth. Vel dicitur regnasse in Astaroth, ut patet supra in litera, scilicet, quia habitabat ibi, ut patet supra præced. c. Est autē ista ciuitas in terra Basan, & fuit principalis sedes gigantū: tota enim terra Basan olim dicebatur terra gigantum, & in hac fuit Astaroth, atq; bellum contra gigantes in hac vrbe factū est, ut patet Gen. 14. scil. q; rex Chedorlaomor expugnauit Raphaim, id est gigantes in Astaroth Carnaim, & quia rex Og erat de istis Raphaim dominabatur Astaroth. Ista ciuitas fuit extructa à filiis Gad pro paruulis, & vxoribus suis, quando transierunt Iordanem, ut patet Num. 32. postea tamē prouenit me-

D dietati tribus Manasse. Causa autē huius supra declarata est. *Et Edrai.* Est Edrai ciuitas magna regni Og circa fines suos, ad quam venit ipse pugnaturus contra Israël, ut patet Num. 21. & Deuter. 3. ca. est autem ista ciuitas famosa in regno Og, ideo nominatur sepe præced. c. & hic.

Vrbes regni Og in Basan. Non est sensus, q; solum Astaroth, & Edrai essent vrbes regni Og in Basan regione, quia sexaginta oppida, vel vrbes erant in regione illa, ut patet Deut. 3. sed nominantur ista duæ tanquam principales.

Filijs Machir filij Manasse. Ponitur epilogus prædictorum, scilicet cui fuerint datae istæ vrbes. Et dicitur, quod medietati filiorum Machir, vel Manasse data est ista terra in possessionem. Fuit enim Machir filius Manasse, ut patet hic, & Gen. 50. vbi dicitur, quod filij Machir filii Manasse nati sunt in generibus Ioseph, & quia nō habuit alios filios, necesse erat, ut tota tribus Manasse nasceretur de Machir: & sic idem est dici medietatem tribus Manasse, vel medietatem filiorum Machir.

Dimidiā parti filiorum Machir iuxta cognationes suas possessionem diuisit. Ide est ista possessio supra signata fuit data medietati filiorum Machir, & causa est, quia nulli sunt filii Manasse, qui non sint filii Machir, cū nullos habuerit Manasse præter Machir, & in cognationibus horum diuisa est ista possessio, scilicet quod medietas filiorum Machir suscepit possessionem hanc, & ipsi rursus per familias suas distincti sunt, & reperunt distinctas portiones.

E *An medietas filiorum Machir suscepit terram istam, quæ diuisae est hic, cum Machir ita faciat unam de octo familias Manasse.* Et vnde familie Manasse denominantur.

Q V A E S T I O X I X.

Sed dicet aliquis non posse stare, quod medietas filiorum Machir suscepit totam terram istam, quia medietas tribus Manasse suscepit terram hanc: ista tamen tribus diuiditur in octo familias, ut patet Num. 26. de quibus supra dictū est, quarum una est familia Machiritarum descendientium à Machir, ut patet ibidem: ergo si medietas filiorum Machir suscepit terram istam, non dicetur recte, quod medietas tribus Manasse suscepit terram hanc, sed decimasexta pars eius, quia habebit octo familias, quæ si diuidantur, sicut diuiduntur Machiritarum in duas partes, erunt sexdecim partes, & una harum suscepit totam terram hanc, & quindecim partes tribus Manasse suscepit hereditatem trans Iordanem ad occidentem, sed hoc non dicitur conuenienter, ut decimasexta pars alicuius vocetur medietas eius, ergo nō possedit medietas filiorum Machir totam terram hanc.

F Respondendum est, quod non potest determinari certissime, an medietas tribus Manasse secundum numerum familiarum, vel individuorum suscepit hanc terram, quæ dicta est possidenda, vel si fuerit alia qua medietas istarum præcisata, quod fuerint quatuor familie in hac terra, & quatuor ad occidentalem partem Iordanis.

Vel quod fuerit hic medietas individuorum secundū numerum, sed satis constat, quod est quasi medietas in quounque modo velimus accipere, & quod proximum est rei accipitur tanquam ipsa res, ut pote, quod escent tres, vel quatuor familie. Vel si computetur secundum numerum individuorum erit medietas virorum, vel quasi medietas.

Cum vero dicitur, q; medietas filiorum Machir suscepit hanc terrā possidendam, considerandū est, quod sit verum, quia Manasses nullos filios habuit præter Machir, ideo descendentes ab eo constituerunt totam tribum Manasse. Et sic intelligitur hic, quod medietas filiorum Machir accepit terrā hanc, quia medietas eorum est medietas tribus Manasse.

Cum autem obiicitur, quod Manasse diuiditur in octo familias, quarum una est familia Machiritarum descendientium à Machir, concedendum est: sed multum differt dicere familiam Machiritarum, vel filios Machir. Nam filii Machir erant omnes, qui erant in tribu Manasse: Machiritarum tamen sive de familia Machiritarum non erant omnes filii Machir, sed quidam, alij autem pertinebant ad alias familias, scil. Galaaditarum, Asrihelitarum, Hepheritarum, Semidaitarum &c.

Ad cuius evidentiam considerandum est, q; quamquam Manasse

A Manasse habuit unicum filium, scilicet, Machir; tamen 8. fuerunt familiae in hac tribu, ut patet Nume. 26. & fuerunt causatae hoc modo, scilicet, Manasse habuit unicum filium, scil. Machir, ideo à Manasse, & Machir non possunt fieri distinctae familiae, sed terra tribus deriuatur per Machir: deinde Machir genuit Galaad, & alios filios: à Galaad, denominata est quædam familia Galaaditarum: à Machir pater eius nominata est alia familia specialiter Machiritarum: & ista non fuit deriuata per Galaad, sed per alios filios Machir, & sic erant distinctæ duæ familiae. Galaad autem genuit filios multos Iezer Helech, Asrihel, Sechem, Semida Hepher, & alios filios, à Iezer denominata est familia Iezeritarū distincta à familia patris sui Galaad, quia per alios filios deriuatur. Ab Elech denominatur familia Elechitarū. Ab Asrihel dicitur familia Asrihelitarum. A Sechem appellatur familia Sechemitarum. A Semeda dicitur familia Semedaitarum, ab Hepher dicxitur familia Hepheritarum, & omnes haec deriuantur à Galaad pater eorum, tamen non sunt partes familiæ Galaaditarum. Et hoc quia ipse habuit alios filios, vel saltem aliud præter istos, & in ipsis consignatum est nomen patris, & familia distincte, & ipsi non acceperunt nomen aliquarum familiarum, quas ex seipso denominarent, & sic fuerunt ab unico filio Manasse familiae, 8. & una non est alia, nec pars illius, nec aliquo modo coincidunt cum illa. Nunc

B patet manifeste ad ipsum argumentum, quod omnes descendentes de Manasse sunt filii Machir, & quod medietas filiorum Machir est medietas filiorum Manasse. Et cum dicitur, quod familia Machiritarum dependet de Machir, & medietas filiorum Machir, est medietas Machiritarum, sed Machiritæ sunt, 8. pars tribus Manasse, cum diuidatur in 8. familias, quarum una est Machiritarum, ergo medietas filiorum Machir est decimasexta pars tribus Manasse. Respondendum falsum esse, quod filii Machir, & Machiritæ sint idem, nec omnes filii Machir sunt Machiritæ, sed è contrario. Nec est concedendum quod medietas Machiritarum possederit totam terram, sed medietas filiorum Machir, & medietas Machiritarum non est medietas filiorum Manasse, sed decimasexta pars. Et dicendum, quod sub medietate filiorum Machir cadunt omnes Machiritæ, Iezeritæ, Elechitæ, Sechemitæ: sub alia medietate filiorum Machir cadunt omnes Galaaditæ, Semedaitæ, Asrihelitæ Hepheritæ. Et tunc verum est, quod medietas filiorum Machir, scilicet, quatuor familiæ possederunt terram hanc.

Iuxta cognationes suas. Id est, non fuit ista terra sic tota data filiis dimidiæ partis Manasse, sed diuisa est in partes per cognationes tribus huius.

Sed aliquis dicet contra, quia medietas filiorum Machir possedit terram hanc, sed Machiritæ sunt una familia, ergo non diuisi sunt isti per cognationes suas.

C Aliquis poterit respondere, quod non accipiuntur hic cognationes pro familijs, sed specialius pro quacunque cognitione, & hoc modo quæcunque familia diuiditur in domos, quæ sunt speciales cognationes, sic autem potest accipi hic, quod medietas filiorum Machir diuidatur in cognationes. Nam licet sit unica familia Machiritarum, tamen haberet in se multis domos, quæ sunt cognationes specialiores, & minores quam familiae. Sed adhuc non stat, quia licet saluari posset modus loquendi iste, tamē suppositum est falsum, scilicet, quod accipitur medietas filiorum Machir pro medietate familiae Machiritarum, quia ut supra declaratum est, omnes de tribu Manasse sunt filii Machir, & medietas tribus Manasse sunt filii Machir, & est medietas filiorum Machir: medietas tamen Machiritarum, quia omnes Machiritæ sunt quædam pars, medietas filiorum Machir, scil. quarta pars, ut patet ex dictis, ideo in hac medietate assignatur quatuor familiæ, vel cognationes, cum tota tribus habeat. 8. familias, ut patet Numeri vigesimosexto capitulo. Et secundum has quatuor familias factæ sunt quatuor portiones tribus dimidiæ Manasse.

Hanc possessionem diuisit Moyses. Scilicet, huic dimidiæ tribui. Vel magis est hic epilogus omnium suprapositorum, scilicet quod Moyses diuisit omnes terras, quæ supra dictæ sunt eo modo, quo dictum est.

In campestribus Moab. Vocantur campestria Moab, non quidem quod essent in terra Moabitæ, quia erant in terra

duorum regum Amorrhæorum: nulla quippe de mansionibus Israclitarum fuit in terra Moab, sed in deserto, vel in terra regum Amorrhæorum, & nunc erant Israelitæ in ultima mansione, quæ vocatur Belsithim, de qua Nume. 33. Et ibi steterunt Israelitæ magno tempore: differuitque Moyses totum Deuteronomium, & diuisit terram, fecitq; multa alia. Est autem ista mansio ad radices montis Phasga circa fanum Phegor, & ibi manserunt ut colligitur Deut. 3. in fine mons tamen Phasga est in terra Moab saltem pro quadam parte, ut patet Num. 23. cap. cum rex Moab duxerit in cacumen illius Balaam, ut malediceret Iudeis: ideo descensus montis illius, & planities apud montem vocatur campestria terra Moab, vel planiora loca Moab, sicut vocantur duæ mansiones Num. 33. cap. non quidem quod essent in terra Moab, sed quia sunt in descensu montis terra Moab. Una autem harum mansionum est, de qua hic dicitur, in qua erant filii Israel, cum Moyses ista fecit, & est mansio ultima, scilicet, Bel-sithim: & dicitur in campestribus Moab, id est, in campo descendente de monte terra Moab: hic tamen non tenetur differentia, quia ibi obseruatur, quia ibi distinguitur de campestribus, & planioribus locis: nam una mansio ponitur esse in campestribus terra Moab, & alia ponitur postea in planioribus locis magis circa Iordanem, ut patet Numeri 33. ibi quippe vocantur campestria loca aliqualiter montuosa, vel non penitus plana, & ista erant immedieate apud montem Abarim, & Phasga, deinde cum magis descenderetur ad Iordanem descendebat ad loca planiora, & ista vocavit hic campestria. Quod patet, quia dixit circa Iordanem, planiora tamen loca erant apud Iordanem.

Alio modo possunt vocari ista campestria Moabitæ, non quidem quod tunc cum ista dicebantur pertinerent illa campestria ad Moabitæ, sed quia olim fuerant loca ipsorum, scilicet, quod rex Sehon cepisset de terra Moabitæ campestria illa, sicut separat urbē Hesbon, & Medaba, Dibon, & Ophe, multasque alias, ut patet Numeri 21. cap. sic etiam cepit de terra Ammonitarum multa loca: & illa postquam data sunt Iudeis, adhuc vocantur r̄bes Ammonitarum, ut patet supra, cum dicitur, quod Gad suscepit medietatem terra Ammonitarum. *Trans Iordanem.* Id est, circa Iordanem, scilicet, antequam transirent Iordanem: nam Moyses non transiit Iordanem: petuerat enim à Deo dicens, transibo Iordanem istum, sed Deus dixit, sufficit tibi, nequaquam ultra loquaris ad me de hac re Deuter. 3. cap. erat autem ad orientalem plagam Iordanis, ut patet infra. *Contra Iericho.* Ponitur determinatio loci magis in speciali: Iordanis enim est terminus occidentalis terra duarum tribuum & dimidiæ, ut patet Num. 34. habet: tamen magnam latitudinem, scilicet, descendendo à Septentrione versus meridiem: nam occupat totam frontem occidentalem terra Moab, & totam frontem occidentalem terra Ruben, & partem frontis occidentalis terra Gad, ut patet ex figura supra posita. Dicendo igitur quod aliquid erat apud Iordanem solum, non signabatur an declinaret versus meridiem, vel ad septentrionem. Signatur ergo locus, cum dicitur: *Contra Iericho,* id est, locus iste, in quo erant Israelitæ, cum ista siebant erat contra Iericho, id est, respiciebat Iericho à fronte. Est autem Iericho ad partem occidentalem Iordanis, quod patet, quia postquam transferunt Israelitæ Iordanem, peruenient illuc, ut patet excessu libri huius supra 3. & 4. atque 6. cap. est autem Iericho satis declinans ad partem meridianam terra Chanaan: quod patet, quia tribus Iudeæ est in latere meridiano terra illius, ut patet infra 15. Iericho autem est in tribu Beniamin, ut patet infra decimoctavo: tribus tamen Beniamin est immedieate coniuncta tribui Iudeæ, ut patet eodem cap. ideo est satis meridiana.

In cuius tribus terra erant nunc Israelite cum diuidebatur terra hac.

Q V A E S T I O XX.

S I aliquis querat in cuius tribus terra erant nunc Israelitæ cum diuidebatur terra ista. Respondendum est, quod in fine sortis Ruben: nam terra Ruben est coniuncta lateri terra Moabitæ, cum acceperit possessionem suam in regno

D
Quare
dicantur
cam-
pestria
Moab.

E

F

A Sehon: quod erat coniunctum terrae Moab, & habens quan-
dam particulam terrae Moab: sed nunc erant apud terram
Moab, cum dicantur esse in campestribus Moab, ergo erant
in tribu Ruben.

Nisi forte quis dicat, quod tribus Ruben coniungitur
terre Moabitum ex parte orientis, scilicet in ciuitate Aroer,
vbi habet originem, tamen non continuatur latus eius cum
latere terre Moabitum usque ad occidentem, sed magis
ibi coniungitur tribus Gad terre Moabitum.

Respondendum est falsum esse: nam tribus Ruben ten-
ditur cum latere terre Moab usque ad partem occidentalem
super Iordanem, ut patet supra de tribu Ruben, & ibi termi-
natur tam terra Moab quam terra tribus Ruben: sed nunc
erant Israelitae in radicibus montis Phasga, qui est mons
terre Moab: ergo erant in extremitate terre tribus Ruben.

Ad Orientalem plagam. Ista est determinatio superioris, quia
dicebatur trans Iordanem, quod poterat intelligi tam pro
parte Occidentali quam Orientali, cum dicantur respectivae
istae dictiones signantes positionem. Et dicitur ad Orientalem
plagam, quia Iudei veniebant in terram Chanaan per
partem eius Orientalem, & nondum transferant Iordanem,
ideo necesse erat, ut essent ad Orientalem plagam Iordanis.

Tribus autem Leui non dedit possessionem. Hie recapitulat ite-
rum quod dixerat, in prioribus enim fuerat expositum de
possessione omium tribuum, quia dictum fuit de nouem tribus,
& dimidia, vbi daretur eius possessio: deinde dictum est
de duabus tribibus, & dimidia, quod acceperant possessio-
nem suam trans Iordanem. Restabat ergo sola tribus Leui,
cui nihil datum erat, & dicitur, quod ista nihil accepit de pos-
sessione, sicut aliae tribus, quod intelligitur de terra diuisa ei,
& data in sorte, & titulum, sicut datum est alijs tribibus. Fuer-
unt tamen datae ciuitates 48. eis, quasi in eleemosynam ab
alijs tribibus. De hoc dictum fuit magis supra.

Quia dominus Deus est possessio eius. Id est, non debuit tribus
Leui accipere possessionem inter ceteras tribus, quia Deus
erat possessio eius, id est, erat ei tanquam possessio, scilicet quod
ea, quae dabantur Leuitis propter Deum de iuribus Sanctuariorum
erant eis sufficientia ad sustentamentum, sicut sufficerem
possessions si eis datae fuissent. Et hoc significantius supr.
dictum fuerat, scilicet, quia sacrificia, & victimae Dei Israel,
ipsa est hereditas eius.

Vt locutus est illi. Id est, sicut locutus fuit Deus ad Leuitas.
Dixit enim: In terra hac nihil possidebitis, nec habebitis pa-
tem inter eos, ego pars, & hereditas tua in medio filiorum
Israel: Numeri 18. & Deuteronomii 18.

C A P V T XIII.



C
32. q. 4
cap re-
currit
Num
34.

*O*c est, quod possederunt filii Israel in
terra Chanaan, quam dederunt eis
Eleazar sacerdos, & Iosue filius Nun,
principes familiarum per tribus Israel:
sorte omnia diuidentes, sicut prece-
perat Dominus in manu Moysi nouem
tribubus, & dimidia tribu Manasse. Duabus enim tri-
bus, & dimidia dederat Moyses trans Iordanem pos-
sessionem absq; Leuitis, qui nihil terrae acceperunt inter
fratres suos: sed in eorum successerunt locum filii Ioseph in duas diuisis tribus Manasse, & Ephraim. Nec ac-
ceperunt Leuitae aliam in terra partem, nisi urbes ad
habitandum, & suburbanae earum ad alenda iumenta,
& pecora sua. Sicut preceperat Dominus Moysi, ita fe-
cerunt filii Israel, & diuiserunt terram.

*H*oc est, quod aeto in precedentibus de terra pertinen-
te ad duas tribus, & dimidiem, hic agitur de diuisione
terre pertinentis ad reliquias nouem, & dimidiem. Et diui-
ditur in duas, quia primo ponitur quoddam incidentale: se-
condo subditur principale ibi. Accesserunt itaque. Circa pri-
mum. *Hoc est, quod possederunt filii Israel.* Per huc designatur
totum, quod infra subditur a cap. 15. usque ad 20. in quibus
est tota diuisione terre pro tribubus. Nam de terra duarum
tribuum, & dimidiis nihil tangitur, ut patet immediate, cum

Dicatur, quod Iosue, & Eleazar sacerdos distribuerant eam
nouem tribubus, & dimidiis. *Filiij Israe.* Non accipiuntur fi-
lii Israel pro omnibus Israelitidis, sed solum pro nouem tribu-
bus, & dimidiis, ut patet immediate, & satis ipsi possunt vo-
cari filii Israel absque alia connotatione, quia ipsi sunt ma-
ior pars Israelitarum, sicut cum distinguit scriptura duodecim
tribus a Leuitis, vocat duodecim tribus filios Israel absolute,
& alios vocat Leuitas tanquam Leuitae non essent de filiis Is-
rael. *In terra Chanaan.*

*Quid proprie appellatur terra Chanaan, & an terra duarum tri-
buum, & dimidia vocetur terra Chanaan.*

Q V A S T I O I.

TO TA terra, quam possederunt Israelitae, sive ante Ior-
danem duæ tribus, & dimidia, sive post, nouem tribus,
& dimidia est terra Chanaan quia vocatur terra Chanaa terra
Chanaeorum: sed terra duarum tribuum, & dimidiis erat
Chanaenorum, quia erat terra duorum regum Amorrhæorum,
ut patet Deuter. 3. & in duobus præced. cap. ergo erat
terra Chanaan. Amorrhæi quippe erant unus de septem po-
pulis Chanaenorum, ut patet supra 12. & vbiunque nomi-
natur isti septem populi. Scriptura tamen interdum stri-
ctius loquens vocat terram Chanaa eam, quæ est ad occiden-
talem plagam Iordanis, de qua nihil acquisiuit Moyses, sed
Iosue, ut patet Numeri 34. vbi ponuntur termini terræ Chanaan,
& tamen solum ponitur terminus terræ illius, quæ
nondum erat capta tempore Moysi. Quod patet, quia ponit
ur Iordanis ibi tanquam terminus Orientalis, & mare Ce-
nereth: tamen tota terra duarum tribuum, & dimidiis est ul-
tra Iordanem, & dicitur esse ad Orientalem plagam Iorda-
nis, ut patet præcedenti capit. & supra 12. ergo non vocatur
ibi ista terra Chanaan. Sic quoque accipitur Num. 32. cum
dixit Moyses ad nouem tribus, & dimidiis de Rubenitis,
Gaditis, & dimidia tribu Manasse, sin autem noluerint tran-
fire vobiscum in terram Chanaan, inter vos habitandi acci-
piant loca. Sic quoque accipitur hic, scilicet, terra Chanaan
pro ea, quæ est occidentalis Iordanis. Vnde signatur, quod
duæ tribus & dimidia non acceperunt possessionem in terra
Chanaan. Dicit aliquis, vnde prouenit hoc, quod illa vo-
cetur solum terra Chanaan?

Respondendum est, quod à principio sic videtur fuisse
terra Chanaan, scilicet, quod nihil magis occuparet quā
vsq; ad Iordanem secundū terminos, qui habentur Numeri
trigesimoquarto. Nam cum Moyses describeret originem
Chanaenorum Genes. 10. posuit terram eorum à principio
dicens, factique sunt termini Chanaan venientibus à Sidone
Geraram usque Gazam, donec ingrediaris Sodomam,
Gomorrham, Adama, Seboim, & usque Læsa. Ecce posuit
tres terminos, scilicet, Sidonem in coniunctione lateris Se-
ptentrionalis & occidentalis, vcl quasi, & iste est partim occi-
dentalis & partim septentrionalis. Meridianus ponitur ter-
minus, scilicet Gaza, & Gerara, nam Gaza est in coniunctione
lateris meridiani, & occidentalis, terminus orientalis po-
nitur, scilicet, Sodoma, Gomorra, Læsa. Nam ista urbes
sunt in coniunctione lateris meridiani, & occidentalis, &
istimet ponuntur termini terre nouem tribuum, & dimidiis.
Nam mare deserti, sive mare falso sumum ponitur tanquam
terminus orientalis, & principium lateris meridiani Numeri
trigesimoquarto, istud tamen est mare Sodomorum, vbi
erant ciuitates illæ, quæ subuersæ fuerunt: patet ergo quod
ab origine Chanaenorum non erat maior terra Chanaan,
quā ponatur Numeri trigesimoquarto, & quā
possederit Israel trans Iordanem, scilicet, nouem tribus,
& dimidia: postea tamen videtur, quod populus Amor-
rhæorum, quia fortis erat acquisiuit terram magnam ab alijs
gentibus, & ista est terra duarum tribuum & dimidiis, vbi
erant duo reges Amorrhæi Sehon, & Og. Et satis patet
hoc, quia Sehon, qui erat tempore Iudeorum, acquisie-
rat magnam terram de regionibus Moabitum, ut patet
Numeri vigesimoprimo: acquisiuit etiam magnam par-
tem terre Ammonitarum, ut declaratum est præcedenti ca-
pitulo, & hanc terram postea de manu eorum suscepserunt
Israelitæ.

Sed

A Sed non accipiat aliquis occasionem errādi ex hoc dicēns terram duarum tribuum & dimidiæ non esse de terra promissionis, sicut declaratum est supra primo, nam promissa fuit, sicut terra, quæ erat trans Iordanem ad occidentalem plagam: nam Deus promisit Iudæis terram septem populorum Chananæorum, qui saepe nominantur, de quibus erat unus populus Amorhæus: ergo terra Amorrhæus promissa erat, reges tamen duo Sehon, & Og erant Amorrhæi, ergo erat terra eorum promissa Israelitis.

Item dato, quod non diceremus esse istos duos reges de genere Chananæorum, adhuc terra eorum erat terra promissionis, quia Gen. 15. vbi primo fuit facta distincta promissio, ponitur terra decem gentium data Israelitis, quarum una vocatur Raphaim terra autem istorum Raphaim, ut patet Deut. 3. vbi dicitur: Cuncta Basan vocatur terra gigantium, & in Hebreo dicitur, terra Raphaim. Etiam patet, quia isti Raphaim habitabant in Astaroth, quæ est ciuitas regni Og, & ibi eos expugnauit rex Chedorlaom, ut patet Genesim decimoquarto, scilicet, & Raphaim in Astaroth Carnaim.

B Item magis patet, quia ipse rex Og dicebatur esse de reliquijs Raphaim, ut patet præcedenti capitulo, & supra 12. & Deuteronom. tertio, dicitur de stirpe gigantium, vbi hebreus ponit Raphaim. Erat ergo terra regis Og promissa à principio Israelitis, etiam si non esset de terra Chanaan, vel si non pertineret ad populos Chananæorum.

C Idem est de terra regis Sehon, ergo terra duarum tribuum & dimidiæ erat terra promissionis, sicut terra nouem tribuum & dimidiæ: quanquam non esset de terra Chanaan. Aliquando tamen loquentes largius, non facimus differentiam de terra, & promissionis vocantes terram promissionis terram Chanaan, id est, Chananæorum populorum: ideo nemo ex hoc accipiat occasionem dubitandi. *Quam dederunt eis Eleazar sacerdos.* Hic ponuntur personæ diuidentes terram nouem tribuum, & dimidiæ, scilicet Eleazar Iosue, & seniores Israel. In quo considerandum est quod terram duarum tribuum & dimidiæ ante transitum Iordanis solus Moyses diuisisse legitur: quanquam assisteret ei Eleazar sacerdos, & multitudine Israelitarum, ut patet Numeri 32. & si ipse superuixisset nemus aliis diuisisset terram: cum tamen ipse mortuus est, successerunt alii diuisores: & non fuit datus Iosue tanquam filius diuisor, quia Deus noluit dare alicui post mortem Moysi totam istam potestatem, sicut dederat Moysi, quia nullum ei aequaliter constituere voluit, ideo ante mortem Moysi fecit, ut essent assignati diuisores terræ Chanaan, cuius potestatem principalem tribuit Iosue, ut patet Deuteronom. 3. & 31. cap. scilicet, quod Iosue cuperet terram de manu hostium, & ipse eam forte diuidideret. Dati sunt autem alii coadiutores de qualibet tribu, & datus est Eleazar, nam positus est Eleazar sacerdos summus tanquam adiutor Iosue in omnibus, ut patet Numeri 27. & ipse quoque fuit de diuisoribus terræ: fuerunt quoque de tribibus diuisores, scilicet, de qualibet tribu unus vir datus in diuisorem, de quibus Numeri 34. cap. & ibi ponuntur omnes isti, qui ponuntur hic eodem ordine, scilicet, Eleazar sacerdos, & Iosue, & viri de tribibus duodecim Israel. Et fuit ista ordinatio conueniens, quia si forte vni soli commissa fuisset ista potestas, posset aliquis conqueri quod ex affectione dabat plus vni tribui quam alteri. Cum verò erant multi simul diuisores, & de qualibet tribu aliquis non poterant ista præsumi quod ex affectione daretur quibusdam tribibus plus quam alijs. *Eleazar sacerdos.* Iste præponitur hic, non quod dignior esset ex statu vel ex sanctitate satis pollebat Iosue, cum valde dilectus esset Deo, & loquebatur ei Deus saepissime, quod de Eleazar non constat.

An status Eleazar esset honorabilior statu Iosue. Et quod status regalis & quicunque alius erat excellentior sacerdotali in veteri testam. in novo è contra.

Q V A S T I O II.

D E statu autem dicet aliquis quod erat honorabilior statu Eleazar, quia erat sacerdos magnus, Iosue autem erat princeps populi: maior autem erat status sacerdotalis statu laicorum, sicut Papa est excellentior Imperatore, & regibus.

Alph. Toft. super Iosue Tom. 5. pars II.

Sed dicendum est etiam hoc esse falsum: nam status sacerdotalis in veteri testamento non erat excellentior statu regali, sed iudicabantur sacerdotes per reges, & non solum de regibus, sed etiam Iosue, qui non erat rex, erat maior summus sacerdote, quod patet Numeri 27. cap. vbi dicitur quod ad imperium Iosue Eleazar summus sacerdos, & quilibet ingredietur & egredietur, id est, operabitur quidquid facere debuit. Maior ergo erat Iosue, quia imperare actus maioris est. Præponitur tamen hic Eleazar, quia Samuel scriptor libri huius voluit obseruare ordinem scripture Moysi, ipse autem Moyses cum scripsit diuisores terræ Chanaan, præposuit Eleazarum Iosue, & omnibus Israelitis, ut patet Numeri trigesimoquarto, ideo ipse hic tenuit eundem ordinem: & vocatur hic Eleazar sacerdos excellentius: id est, summus sacerdotum. Sic interdum vocatur Aaron sacerdos, ut patet Numeri 16. cap. vbi vocatur Eleazar filius Aaron sacerdotis, id est, summi sacerdotis, ipse tamen Eleazar iam nunc erat summus sacerdos, quia successerat patri suo Aaron, ut patet Numero 20. vbi Moyses exiuit Aaron vestibus sacerdotalibus, & induit eis Eleazarum filium eius. *Et Iosue filius Nun.* Iste erat de diuisoribus & principalis, licet fuerit præpositus Eleazarus. Causa dicta est. *Et principes familiarum per tribus Israel.* Id est, & cum istis fuerunt alii diuisores, qui erant principes familiarum in tribus.

E Dicit aliquis, quod de qualibet familia alicuius tribus assumebatur aliquis vir in diuisorem, & secundum numerum familiarum erat numerus diuisorum.

Sed non stat, quia solum erant tot diuisores, quot tribus, ut patet Num. 34. vbi Deus designauit specialiter per omnia viros, qui diuidenter terram, & posuit Eleazar, & Iosue, deinde duodecim viros de qualibet tribu unus vir, & hoc intelligitur hic, scilicet, quod accipiebantur principes familiarum per tribus Israel, id est, de qualibet tribu accipiebatur unus vir, & iste erat princeps familiæ tribus, id est, principalis in aliqua familia tribus alicuius.

F Sciendum autem de istis viris, quod non solum fuerunt dati ad hanc diuisionem viri de tribubus, quæ accepturæ erant hereditatem, sed etiæ de omnibus alijs tribubus: nam de tribu Ruben, Gad, & dimidia tribu Manasse non erat quisquam accepturus hereditatem ad occidentalem plagam Iordanis, tamen fuerunt dati viri diuisores de tribubus istis, ut patet Num. 34. capit.

Sciendum etiam, quod quanquam Iosue fuerit diuisor, & de tribu Ephraim, tamen præter cum fuit positus aliis diuisor de Ephraitis Numeri 34. causa huius est, quia non ponebatur Iosue tanquam unus de partialibus diuisoribus, sed tanquam princeps diuisorum, ideo de tribu sua Ephraim erat alius partialis diuisor, sicut de qualibet alia tribu.

Omnia sorte diuidentes. Id est, diuiserunt totam terram sorte: fuerunt autem duas diuisiones: vna fuit primo cum Iosue diuisit totam terram acquisitam Israelitis postquam cessat est à bellis. Secunda diuisione sortialis, quando tota terra posita est sub sortibus, siue esset acquisita siue non: & hoc fuit ex mandato Dei. De his duabus diuisionibus declaratum fuit præcedenti cap. Refertur, quod dicitur hic ad secundam diuisionem, quæ fuit totalis. De prima autem non est expressus modus: & dicitur, omnia sorte diuidentes: id est, totam terram siue acquisitam, siue non acquisitam. *Sicut præceperat dominus in manu Moysi.* Id est, sic fecerunt isti, ut præceperat Deus. Potest autem litera ista referi ad modum diuisionis, vel ad personas diuidentes.

G Primo modo est sensus, quod iussit Deus, ut forte diuidenter terram Numeri 26. & 24. c. & sic fecerunt. Etiam quod pluribus maiorem partem darent, & paucioribus minorem, ut patet eisdem cap.

Secundo modo est sensus, quod isti diuiserunt sicut præceperat dominus, id est, Deus iussit, ut isti diuidenter, & ob hoc diuiserunt. De hoc patet Num. 34. vbi ponuntur istæ personæ diuidentes. Dicitur quod præcepit dominus in manu Moysi, id est, per Moysen, scilicet, quod loquebatur per eum, tanquam per prophetam suum referentem verba eius ad populum, & accipitur manus largè pro ore, scilicet, quod per os Moysi fecit Deus verba hæc ad Israel, per manum autem non fiunt aliqua verba, sed manus accipitur pro omni organo executivo, quia manus est organum organorum.

A

Nouem tribubus, & dimidie tribui. Id est, ista diuisio fuit facta nouem tribubus, & dimidia, quia duæ tribus, & dimidia iam suscepserant hæreditatem, & subditur causa huius.

Duabus enim tribubus, & dimidie dederat Moyses. Quasi dicat non fuerunt diuisores isti assignati pro possessionibus omnium tribuum, quia duæ tribus, & dimidia suscepserant hæreditatem ad Orientalem plagam Iordanis, & tunc Moyses viuebat, ideo ipse eis assignauit possessionem, nec fuerunt necessarij alij diuisores.

Trans Iordanem du pliciter accipiatur.

Trans Iordanem. Id est, vltra Iordanem, scil. ad Orientalem plagam Iordanis. Aliquando accipitur trans Iordanem pro Orientali plaga eius, & tunc terra duarum tribuum, & dimidia est trans Iordanem, & sic accipitur pro parte Occidentali Iordanis, & sic dicitur terra nouem tribuum, & dimidia esse trans Iordanem, vterq; modus habetur Numeri 32. & sunt isti duo modi valde vñitati in sacra Scriptura.

Alio modo accipitur trans Iordanem, id est, ad Septentrionalem partem Iordanis, & iste modus est rarissimus. Habetur tamen præced. capi. cum dicitur de tribu Gad: Huius quoque terminus Iordanis est usque ad extremam partem maris Cenereth trans Iordanem, scil. quod mare Cenereth est trans Iordanem: id est, ad Septentrionalem partem Iordanis, sicut etiam accipitur Isai. 9. cum dicitur primo tempore alleuia est terra Zabulon, & Nephthali: nouissime aggrauata est via maris trans Iordanem: id est, via maris Cenereth, quod est trans Iordanem, id est, ad Septentrionalem partem Iordanis. Idem modus est Matth. 4. vbi allegatur eadem auctoritas, quod autem sit mare Cenereth trans Iordanem, id est, ad partem eius Septentrionalem præced. cap. declaratum est.

Poterat aliquis dicere, quod etiam aliquando acciperetur trans Iordanem, id est, ad Meridianam partem Iordanis, quia Iordanis omnia quatuor latera habet.

Iordanis ini cium, & cur sus.

Sed non stat, cuius causa est, quia Iordanis habet in terra Chanaan tria Latera, quartum autem nequaquam. Est enim Iordanis intra terram Chanaan quantum ad partem Occidentalem, quia tota terra nouem tribuum, & dimidia est ad Occidentalem partem Iordanis, vt patet Num. 34. est etiam latus Orientale Iordanis in terra Chanaan large dictum, scilicet, in terra promissionis, quia est tota terra duarum tribuum, & dimidia ad Orientalem plagam Iordanis, vt patet præced. cap. & supra 12. Est etiam latus Septentrionale Iordanis in terra Chanaan, quia nascitur ad radices montis Libani. Libanus autem est in terra Chanaan habens latus terræ Chanaan Septentrionale tanquam Septentrionale sibi: latus autem Meridianum non habet in terra Chanaan, quia finit Iordanis in mare Sodomorum ad Meridiem, & est ibi terminus lateris Meridiani, & Orientalis, postea autem Iordanis terram Iudeæ exit per latus Meridianum. Vnde nec poterit dici trans Iordanem, id est vltra ad Meridianam partem eius, cum Scriptura sacra nihil recolat de Iordanis, nisi in quantum est in terra Chanaan.

Absque Leuitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres suos. Id est omnibus Israelitis distribuit Moyses Sortes, vel alij diuisores, de quibus hic præterquam Leuitis, quibus terræ nihil datum est in possessionem, scil. quod darentur agri, & vineæ, & territoria urbium, sed datae sunt urbes ipsæ solum ad habitandum, & suburbana ad pecorum pastum, vt patet infra in litera.

Sed in eorum successerunt locum. Id est, non acceperunt inter fratres suos Leuitæ hæreditatem, sed fratres sui successerunt eis, id est, habuerunt terram, quam ipsi habituri erant.

Considerandum est ad evidentiam huius, quod Jacob habuit filios 12. & omnes hi pertinuerunt ad populum Dei, ideo in his debebant compleri promissiones, & consequenter suscipere debebant hæreditatem terræ Chanaan.

In quo amplius considerandum, quod promissio terræ illius fuit primo facta Abrahæ, & semini suo Genef. 15. semen autem Abrahæ multum fuit: habuit enim octo filios, scilicet, Ismaele ex Agar Genef. 16. Isaac ex Sara: Gen. 21. & sex alios ex Cetura Gen. 25. sed non pertinent isti ad semen Abrahæ, sicut scriptura accipit semen Abrahæ: solum enim competit Isaac, sicut patet Genef. 21. scil. in Isaac vocabitur tibi semen, id est solum nominabitur semen tuum per Isaac, ideo promissiones factæ Abrahæ in semine suo non fuerunt completae in Ismaele, & posteritate eius nec in filiis Ceture,

sed in sola posteritate Isaac: rursus autem Isaac habuit gemellos Esau, & Jacob, & non pertinebat vterq; ad semen Abrahæ, sed solus Jacob, & hunc elegit Deus ad complendum in eo promissiones. Sic patet Malach. primo. Antequā quidquā boni, aut mali agerent, Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Postea vero Jacob habuit filios duodecim Gen. 46. & Exod. 1. hi omnes cum tota eorum posteritate pertinuerunt ad populum Dei, & compleri debuit re promissio de habenda terra in omnibus eis. Et quia erant duodecim filii & prouenerunt ab eis duodecim tribus, vel cognationes magnæ, debuit tota terra in duodecim partes diuidi, ita ut cui libet eorum perueniret una pars, sed Leui erat unus de filiis, ergo debuit tribui sua assignari una portio hæreditatis. De hac portione dicitur, quod successerunt ei fratres sui, scil. quod ipse nihil suscepit, sed alij suscepserunt quod ipse habiturus erat. Non est autem intelligendum, quod alij propriè sibi succederent, quia successio est ad defunctum, Leui autem non defecit quantum ad tribum suam, quia semper mansit, sed potest dici, quod successerunt sibi fratres sui, scil. quantum ad ius habendi portionem in terra Chanaan, quia ei competit hoc ius, sicut ceteris, & aliquando competit, scil. antequā Deus diceret, quod non haberent Leuitæ quidquam in terra Chanaan, & semper habuerat ius, nisi Deus hoc dixisset. Suscepit tamen tribus Leui aliquid, quod erat sibi loco hæreditatis, scil. sacrificia domini, & reliqua iura sanctuariorum, vt declaratum est præcedenti capitulo, ideo voluit Deus, quod ius suum cederet alijs & cessit: non quidem ex libera cessione, vel concessione tribus Leuitica, sed ex ordinatione Dei, & ista successio non fuit specialis in aliqua tribu, ita quod aliqua suscipere totum, quod ipsa erat susceptura, & quod pertinebat ad Leui, sed fuit successio in omnibus fratribus, ita quod omnes fratres sui, id est, omnes tribus ex æquo ei succederent, scil. vt id quod habitura erat tribus Leuitica haberent omnes aliae diuisim, & fierent sic earum portiones maiores quam alias futuræ erant, & hoc signat litera, cum dicit, quod non habuit sortem inter fratres suos, sed successerunt in eius locum.

An tribus Joseph successerit in locum Leui. Et quod non potest dici proprie, quod successerunt Manasse & Ephraim Leuitis.

QVÆSTIO III.

*S*I autem quis dicat, quod tribus Joseph successit in locum Leui, & non fratres sui, quia habuit duas sortes, vt patet immediatè, falsum est, quia tunc diceretur, quod successit ei Joseph, & non fratres sui. Item non successit Joseph Leuitis, quia tunc nunquam accepisset Joseph ius duarum sortium in terra Chanaan, donec Leuitæ carerent illo iure per spontaneam cessionem, vel concessionem, aut diuinam ordinationem, sed antequam Leuitæ carerent hoc iure accepit Joseph ius duarum sortium in terra Chanaan: ergo non successit Joseph tribui Leui. Patet prima pars, quia non potest aliquis succedere alteri, donec alius definat possidere. Minor quod prius Joseph suscepit ius duarum sortium, &c. patet, quia Leuitæ incepérunt carere iure sortis in terra Chanaan in deserto postquam electi sunt filii Aaron ad sacerdotium, & ceteri Leuitæ ad aliqua ministeria cultus diuini, vt patet Num. 18. vbi primo legitur quod nihil possiderent Leuitæ in terra Chanaan, quia Deus erat pars eorum. Nec potest dici quod ante dicta fuerint, vel caruerit Leui iure successoris quanquam subticeatur, quia ibi subditur causa huius, scil. quia Deus erat pars eorum, id est ea, quæ dabantur eis de iuribus Dei, erant illis tanquam pars: sicut magis declaratur in litera præcedenti cap. sed non fuit facta aliqua distinctio iurium sacerdotalium, aut Leuiticorum, vt fieri poterat quousq; essent aliqui sacerdotes & minores Leuitæ. Et hoc non factum est, vsquequo consecratus est Aaron cum filiis suis in monte Sinai, vt patet Exod. 29. & Leuit. 8. Et ibi declaratum est. Ergo ante hoc non fuerunt dicta verba ista, & consequenter ante hoc non caruit tribus Leui iure sortis in terra Chanaan.

D

modo intell. quod dñs in his sue ceteris in hinc dñs sortium terra Chanaan protri. bale. ui. E

B

F

A
An Leuitæ caruerunt iure successionis in forte tribuum. Et quod Ioseph antequam tribus Leui succederet in ius sanctuarij habet ius duarum tribuum.

Q V A E S T I O IIII.

Nisi forte aliquis dicat, quod Leuitæ carebant isto iure sortis antequam Deus ista verba diceret. Sed falsum est, quia non patet unde: erat enim Leui filius legitimus: ergo succedebat pro parte virili, id est, æqualiter cum alijs fratribus, nisi pater eum ex hereditate ex aliqua causa rationabili, vel ex diuina dispositione careret hoc iure: sed nihil horum apparebat, ergo semper habebat Leui ius sortis in terra Chanaan. Cum autem ista manifestata sunt, cœpit carere iure sortis, & successerunt ei omnes fratres pro parte virili, sicut succedebant patri. Nisi forte aliquis dicat quod Leui incepit carere iure sortis cum Jacob adoptauit sibi Ephraim & Manasse nepotes suos: de quo Genes. 48. Sed non stat, quia adoptatio aliorum non tollit ius successionis libris stantibus, cum ipsis liberi directiores sint in iure succendi.

B
Item dato quod adoptatio illorum duorum tolleret ius vni de liberis Jacob cum augeret vnum ad numerum successorum suorum: non magis tolleret ius Leui quam alijs filiis, cum non sit maior ratio in uno quam in ceteris, sed non fuerunt ceteri priuati iure sortis, ergo nec Leui.

Nisi forte dicas quod Leui caruit iure hoc ex culpa, quia ipse appellatus est vas iniquitatis bellans Gen. 49.

Sed non stat, quia Simeon eodem modo carere debuisset iure sortis, quia ambo vocantur vasa iniquitatis bellantia, præallegato cap. Simeon tamen recepit sortem, vt patet infra decimonono, & ipsem Jacob cum adoptauit Ephraim, & Manasse non priuauit Simeon, sed æquauit quemlibet horum adoptiuorum ei, dicens: duo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti antequam ad te venirem mei erunt Ephraim & Manasses, & sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi Genes. 48. ergo non priuatus est Leui tunc iure sortis, & consequenter non priuatus fuit usquequo Deus eligens Leuitas ad seipsum, & dans eis iura sanctuarij transtulit ius sortis illius in ceteros fratres. Si autem non fuissent Leuitæ electi ad ministerium Sanctuarij, sed alia tribus, non caruissent iure sortis, sed habuissent sortem suam: & illa tribus, quæ eligeretur ad ministracionem diuinam, careret sorte, sicut caruit Leui, quia prouenirent ei iura Sanctuarij, quæ erant tanquam sors, & non haberet aliam sortem, vel si Deus non accepisset aliquam tribum specialiter ad cultum suum, sed primogenitos solum cuiuslibet tribus, vel aliquos ministros ad placitum, sicut nunc sit, habuisset Leui sortem suam, & quælibet alia tribus. Non ergo caruit Leui iure sortis quousq; Deus adiudicauit ei iura Sanctuarij, & abdicauit ab eo ius sortis, transferens illud in ceteros fratres. Quod autem Ioseph ante hoc haberet ius duarum sortium patet Gen. 48. nam ibi Jacob dedit duas sortes Ioseph adoptans duos filios eius Ephraim, & Manasse, ergo non successit Ioseph tribui Leui.

Item duplex pars hereditatis Ioseph, non erat per successionem, sed per quoddam aliud speciale ius adoptionis, scil. quia Jacob adoptauit duos filios Ioseph Ephraim, & Manasse, nec in hoc aliquid datum est Ioseph super fratres suos, sed filii eius factum est speciale beneficium, quod adoptati fuerint, & sicut liberi stantes ex legitimo matrimonio succidunt parentibus, ita adoptui succedent, & non tollent in hoc ius alicui de prioribus liberis, si autem hic fuisset successio, non erat necessare adoptare duos filios Ioseph, sed quod transferretur alio modo ius Leui in Ioseph. Cum tamen Jacob dixit: Duo filii tui Manasse, & Ephraim sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi, non fecit aliquam permutationem, vel translationem iuris vnius liberorum suorum in illos, sed simpliciter illos constituit filios suos per adoptionem. Vnde si tribus Leui non fuisset applicata ad Dei ministerium, & per eius determinationem priuata iure succedendi in forte patri suo Jacob, haberent sortes duas, & sic essent sortes tredecim: & possent vocari tredecim tribus, sicut nunc dempto Leui nominantur 12. tribus. Nec est hoc aliquod incon-

ueniens, quia non magis determinabatur terra Chanaan ad duodecim sortes quam ad 13. nec erat aliquod mysterium in hoc, quod essent 12. si enim filij Jacob fuissent solum tres, essent sortes solum tres nihil ergo agit esse 12. vel 13. nec ob hoc tribus Ioseph diuisa est in duas partes, quia Leui caruit, ut completeretur duodenarius numerus.

Item patet, quod non succedit Ioseph, quia si succederet tribui Leui solum esset vna tribus. Differret autem in hoc solū, qd haberet sorte duplam in magnitudine ad quamlibet aliam: & non poterant esse due tribus, quia tribus est cognatio denominata ab uno capite, à quo tota originē trahit, sed Ioseph erat vnum caput, ergo non poterat facere duas tribus, etiam si ipse, vel tribus sua succederet tribui Leui. Modus autem faciendi diuersas tribus fuit, quia Jacob distinxit duo capita in filiis Ioseph non accipiens ipsum patrem tanquam aliquod caput, & assignauit illis duas sortes, sicut duobus filiis suis Ruben, & Simeon. Gen. 48. si tamen dixisset, quod dare vellet Ioseph duplum partem hereditatis inter fratres suos, non distinguens duos filios eius, vt duo capita, vna tribus fuisset, sic autem si tribus Ioseph suscepisset ius tribus Leuiticæ, sicut ante fuisset vna tribus ab uno capite, ita postea esset vna tribus velut si defunctis omnibus tribubus maneret vna, quæ eis succederet: fuerunt tamen duæ sortes, & duæ tribus in Ioseph, ergo non fuit per successionem, sed per adoptionem, fratres autem omnes successerunt, & ipse Ioseph, vel magis proprie tribus Ephraim, & Manasse successerunt Leui, non in integrum, sed pro parte virili, cum alijs fratribus, & tribubus.

Nicolaus dicit, quod ius in primogenituræ ablatu est de tribu Ruben propter peccatum suum, eo quod ascendit cubile patris sui: Gen. 49. & translatu fuit ad tribum Iuda quantum ad dignitatē regiam, & ad tribum Ioseph quantum ad duplum portionem, quæ primogenitus debebatur. Quod ergo dicitur hic, quod filii Ioseph successerunt filiis Leui ad complendū Num. 12. tribuum, quibus erat terra diuidenda, sublata enim tribu Leui, quæ hereditatē habere non debebat ratione predicta præced. c. non remanent, nisi 11. tribus, nisi tribus Ioseph fuisset in duas diuisa; propter quod Jacob Patriarcha Manassem, & Ephraim in duo capita constituit.

Considerandum circa ista, quod ius primogenituræ pertinebat ad Ruben, quia secundum carnem maior erat, quod autem ei ablatum erat satis patet Gen. 49. sed in quo considerent ista iura primogenituræ non tantum constat: nam quod ad eum pertineret potestas regnativa inter fratres, eo quod erat primogenitus non patet, licet satis constat, quod debebat esse maioris potestatis ceteris fratribus, cum dicatur in eodem cap. maior imperio, de duplice parte hereditatis etiā non constat determinate, an esset debita primogenito, satis tamen appetet, quod dicitur habere excellentiam, cum ibidem dicatur maior in donis.

E
Et si arguatur, quod deberet habere duplum partem, vt patet Deuteronom. 21. Respondendum illam legem non extendi ad præterita, cum in ea de præteritis non cautum fuerit, illa tamen data est in deserto, & ius succedendi Ioseph fuit ante hoc per multa tempora, cum fuerit mortuus in Ægypto, ergo non obligabat ista lex, cum nondum esset. Nisi forte tunc esset talis consuetudo, vel lex communis, vt primogeniti duplum partem hereditatis consequerentur. Nunc autem etiam concessis his duobus iuribus primogenituræ: dicendum est, quod si Ruben non demeruisse tolli sibi primogenituræ iura, maneret apud eum principatus regnatuum, & daretur ei duplex pars hereditatis, non tamen faceret duas tribus, vel sortes, sed essent tribus duodecim, vt nunc sunt: si Leui non susciperet hereditatem, vt nunc factum est, vel si susciperet sortem, essent tribus tredecim, & sortes totidem, in his tamen esset dupla sors. Ruben ad quamlibet aliarum propter iura primogenituræ. Nec etiam tolleretur Ephraim, & Manasse habere duas sortes, & constituere duabus tribus, quia adoptatio dabat eis ius filiationis, & sortis. Item si adoptasset multos alios, essent necessario multæ tribus, & multæ sortes.

F
Cum autem dicit Nicolaus, quod fuit tribus Ioseph diuisa in duas tribus, quia solum manebant vndecim tribus translati iuribus primogenituræ ad Iudam, & Ioseph, & quia Leui non susciperet sortem, non stat conuenienter dictum. Nam cum duo filii Ioseph facti sunt capita tribuum,

Quid
sit tri-
bus.

Nicolas
opinio.

F

Dotto.
deter-
minat.

Impro-
basio
opinio-
nis Ni-
col.

A vt patet Genes. quadragesimo octavo capit. nondum Leui caruerat iure sortis, vt supra declaratum est: ergo non ob hoc diuisus fuit Ioseph in duas tribus.

Item dato, quod postquam Leui caruit iure sortis diuidetur Ioseph in duas tribus, non diuidetur ob hoc, quia nulla ratio vrgebat, vel aliquatenus inducebat, vt tribus Israelitearum essent duodecim, & sortes eorum duodecim; alioquin diceretur, quod si filii Jacob essent duo oportuisset diuidi in duodecim sortes, & tribus, vel si essent triginta oportuisset reduci ad duodecim, quod est absurdum, ideo non facta est ob hoc diuisio Ioseph: sed magis fuerunt duas tribus in filiis Ioseph, quia Jacob adoptauit Ephraim, & Manasse in filios, & necesse erat illos percipere duas sortes distinctas. Quare autem Jacob adoptauerit duos filios Ioseph, videtur esse causa, quia Ioseph benefecera valde Jacob, & toti domui suæ pascens eos in fame Aegypti, pro quo beneficio voluit Jacob rependere aliquid ei super ceteros fratres, & hoc fuit adoptando duos filios eius. Alia litera habet hic. *Sed successerunt eis filii Ioseph in duas diuisi tribus Manasse, & Ephraim.* Et secundum hanc videtur, quod non successerunt omnes fratres, sed soli filii Ioseph Ephraim, & Manasse, & in duas tribus diuisi sunt. Sed etiam secundum hanc literam semper stat quod dictum est, scilicet, quod non successerunt propriæ filii Ioseph, sed omnes filii Jacob fratres Leui: impossibile est enim accipere, quod propriæ successerint filii Ioseph Leuitis: nam tunc nunquā habuissent iura duplicitis sortis, sed patet ex probatis supra, q[uod] multo antequā Leui careret iure sortis, filii Ioseph habuerint ius sortis, ergo nō successerunt.

Item acquisierunt hereditatem per adoptionem, ergo non per successionem, quia adoptiuus habet ius ex adoptione, sicut alij legiti liberi. Si autem haberet quisquam ius ex successione ad aliquem, qui sit filius testatoris, nō succedit ex adoptione, quam fecerit testator, cum ista sint diuersa iura. Aliæ multæ causæ sunt, de quibus supra dictum est. Accipitur autem hic largè succedere, scilicet, habere id quod quisquam alius habiturus erat, & sic fuit hic, quia Leuitæ habituri erant sortem inter ceteros Israelitas, si Deus non priuasset eos iure hoc dans iura sanctuarij, filii autem Ioseph, qui alias regulariter vnam sortem habere debuissent, habuerunt duas, ergo isti videtur successisse Leui, quia superabundanter habuerunt, quod ille nequaquam habuit. Hac autem litera stante adhuc dicitur, quod propriæ successerunt omnes filii Israel ipsi Leui, & quod filii Ioseph nihil magis habuerunt, nō accipiente sortem Leui, quā alij accipituri erant, quod patet, quia ille succedere dicitur alicui, qui eo decedente, vel concedente, aut cedente ius aliquod recepit, quod ante non habebat, sed omnes tribus Israelitearum accepserunt aliquid iuris, quod ante non habebant, cedente priuato Leui: ergo ipsi successerunt, & non Ephraim. Maior patet, minor inducit, quia cedente Leui habuit quælibet tribus maiorem partem hereditatis, quā habitura foret. Nam si Leui accepisset vnam sortem, necesse erat fieri sortes tredecim in terra: factæ fuerunt tamen solum 12. ergo minor fuisset quælibet factis. 13. Leui autem non accipiente sorte, accreuit cuilibet tribui particula quædam, velut si inter 12. tribus adhuc diuidetur vna fors super sortes suas. Quod autem non accepit ius aliquod Ioseph, nec filii sui priuato Leui patet, quia antequam ipse priuaretur iure sortis, habebant Ephraim, & Manasse iura duarum sortium, & post priuationem Leui eadem iura retinuerunt non plurificata, ergo non successerunt Ephraim, & Manasse: solum autem successerunt Ephraim, & Manasse pro parte æquali, cum ceteris tribus: nam si Leui habuisset partem vnam, & fuisset diuisa necessaria terra in sortes. 13. & minorata fuisset fors Ephraim, & Manasse proportionaliter, sicut cuiuslibet alterius tribus, cum autem Leui non accepit possessionem inter ceteros prouenit omnibus in cōmuni id, quod peruentur erat Leui, ideo necesse est, vt maior efficeretur fors Ephraim, & Manasse, quia nō accepit Leui hereditatē quā si accepisset. Sed istud est per accidens, & indirecte, nec magis quā aliæ tribus quælibet accepérunt istæ duæ. Si autē, ideo fuisset facta diuisio tribus Ioseph in duas, & accepisset duas sortes, quia Leui carebat sorte: diceretur proprie succedere Ioseph ipsi Leuitis, sed hoc falsum est vt declaratū fuit, sed exponenda est litera de successione largè dicta, vt supra dictum est.

D Vel potest aliter intelligi etiam largè de successione, quæ non est in iure, sed in apparentia, scilicet, quod filii Ioseph non successerunt in aliquod ius, quod habuit tribus Leui, quia prius quā illa desinere habere ius, habuerunt ius duo filii Ioseph ad duas sortes, sed successerunt realiter in quantum filii Ioseph nunquā habuerunt sortem aliquam, & singuli filii Jacob erant habituri sortes singulas. In adoptione autem possessionis Ephraim, & Manasse accepserunt duas sortes: Leui autem nullam accepit: ideo videntur successisse in locum Leui, scilicet, quod vnu de filiis Ioseph accepit vnam sortem, tanquam debitam patri, quia erat de filiis Jacob, alius vero accepit aliam sortem debitam Leui.

Filios Ioseph in duas diuisit tribus. Scilicet Iosue, qui diuisit sortes. Et non dicitur diuisisse in duas tribus, tanquā ab ipso fuerit initium diuidendi, quia ipse non poterat diuidere dando duas sortes, alioquin potuisset diuidere quascunque tribus voluisset, & dare eis plures sortes, sed fuit ista diuisio facta primo à Jacob patre omnium horum, qui dixit Ioseph: duo filii tui Manasses, & Ephraim, sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi, sed Simeon, & Ruben erant duas tribus, & suscipiebant duas sortes: ergo talia iura erant Manasse, & Ephraim.

E Item istam diuisionem factam à Jacob Deus in deserto approbavit, cum iubens accipi summam omnium Israelitearum tribuum, fecit computari Ephraim, & Manasse tanquā duas tribus Numeri primo & 26.

Item in assignatione castrorum sub vexillis distinxit istas duas tribus Numeri 2.

Item in oblatione principum eandem fecit obseruari differentiam tribuum Num. 7. Non ergo diuisit Iosue vel Eleazar Ephraim, & Manasse in duas tribus, sed iam diuisio facta erat. Dicitur tamen quod diuisit, id est, quod ostendit in re diuisionem istam. Nam licet quantum ad ius essent duas tribus Ephraim, & Manasse: tamen realiter nihil accepserant tanquam duas tribus: id autem ad quod proficiebat eas esse duas tribus, erat suscipere duas sortes: nullam tamen adhuc Sortem receperant, ergo non habebant id, in quo apparebat esse duas tribus: Iosue autem diuisit in duas tribus Ephraim, & Manasse dans eis iura duarum tribuum in possessione dupli.

Secundum aliam literam, quæ habet. *Sed successerunt in eorum locum filii Ioseph in duas diuisi tribus.* Erit sensus quod filii Ioseph non fuerunt nouiter in duas diuisi tribus, sed prius erant diuisi in duas tribus à patre suo Jacob: & nunc nouiter duarum tribuum hereditatem suscepit.

F Nec accepserunt Leuitæ aliam in terra partem, nisi vrbes ad habitandum. Hic declaratur, quod dictum fuerat precedentis cap. scilicet, quod Leuitæ non suscepserunt hereditatem inter Israelitas, quia sacrificia, & victimæ erant pars eorum. Credet aliquis, quod nihil omnino suscepserunt Leuitæ in terra Chanaan, idco dicitur quod nullam aliam partem hereditatis suscepserunt Leuitæ præter vrbes ad habitandum. Datae fuerunt eis vrbes quadraginta octo, vt patet Numeri trigesimo quinto, de quarum distinctione patet infra vigesimo primo capitulo. Et illæ vrbes non erant eis assignatae in sortem, sed solum quælibet tribus dedit aliquas vrbes de eis, quas suscepserat in sorte sham, sicut patet infra vigesimo primo. Si tamen saltem vrbes darentur Leuitis in hereditatem, sicut ceteris Israelitis, fuissent eis datae in sortem: & non disserit quælibet tribus aliquas de vrbibus suis: sicut nulla tribus alteri quidquam dabat, sed quælibet Sortem recipiebat distinctam.

Item si accepissent ciuitates in sortem, habuissent eas simul, sicut quælibet tribus habebat funiculū hereditatis sua totum simul, nec intercidebatur fors vnius ab altera, nec commiscebatur ei: Leuitæ autem suscepserunt ciuitates suas dispersas in omnibus alijs tribubus, vt patet infra 21. ergo nō suscepserunt eas in sortem. Fuit tamen conueniens quod Leuitæ haberent ciuitates suas semotas & diuisas per totam terram Chanaan. Et hoc propter duo.

Primo vt facilius possent sanctorario ministrare erat enim tabernaculum domini non habens locum fixum quo usque venit in Ierusalem: stetit enim in multis locis, & quibus declaratum est Exod. 20. & Deuter. 12. si autem essent omnes ciuitates Leuitarum simul, continget quod aliquando

sanctorium

Quo modo potest sibi, q[uod] omnes filii IsraeI successerunt Leui propriæ.

C

Diuisio
Ioseph
in duas
tribus
fuit fa.
Et a per
Jacob
Et a un
per lo.
sue.

E

F

Vrbes
Leuitarum
non fuit
data per
sortes.

Quare
Leuiti
data
fuerat
vrbes
dispersa
per tri-
bus.

A sanctuarium distaret valde ab omnibus locis sacerdotum, & Leuitarum, quod importabat laborem magnum ministris sanctuarij: stantibus autem diuisis ciuitatibus Leuitarum per totam terram Chanaan, ad quamcunque partem tabernaculum domini portaretur, & maneret, essent semper loca aliqua Leuitarum coniuncta ei, & fieret leuior ministratio.

Alia causa & fundamentalior fuit, quia Deus noluit dare Leuitis agros aliquos, vel vineas, aut territoria quæcunque ciuitatum, sed solas vrbes ad habitandum cum paruis suburbanis ad alenda pecora. Si autem datae fuissent Israelitis 48. vrbes simul positæ, vel ipsi acciperent agros, & vineas vrbium omnium istarum, & colerent, quod eis necesse non erat, cum susciperent omnia iura sanctuarij, quibus poterant sustentari. Si autem non colerent agros, & vineas, & territoria omnia intermedia vrbium, maneret terra redacta in solitudinem, & terra fructifera maneret inutilis & inculta, quod ad imprudentiam regiminis pertinebat. Et si dicas, quod alij Israelitæ possent colere istos agros, & vineas atq; omnia media territoria, nec manerent inutilia.

B Non potest stare, quia licet possent colere territoria vrbium, quæ essent in extremitate sortis Leitarum, tamen ea, quæ essent in medio terræ eorum non possent col. nam 48. vrbes magnam latitudinem territorij continerent, & difficultissimum foret Israelitis alijs introire in terram illam Leuitarum ad colendum.

Item dato quod fors Leitarum esset parua latitudinis, & magnæ longitudinis, scil. à fronte orientali terræ Chanaan, vñq; ad occidentem, ita ut territoria media coli possent ab Israelitis circumstantibus ad sortem Leitarum, adhuc nō staret conuenienter positū, quia grauarentur Israelitæ. Nam licet tribus illæ, quæ essent coniuncta Leitarum sorti, possent colere terram eorum, & inde fructus perciperent, tamen tribus distantes inde nō consequerentur aliquam utilitatem de terra data Leuitis, in quo valde grauarentur, ideo non fuit conueniens ponere ciuitates omnes Leitarum coniunctas. Dato autē modo, qui fuit assignatus à Deo, non erat aliquod inconveniens, scilicet, quod quælibet tribus daret Leuitis alias vrbes, sed per totam terram Chanaan dispersas: etiam ciuitates illæ, quæ dabantur Leuitis in qualibet tribu non orant simul in terra eiusdem tribus, & sic quælibet ciuitas data Leuitis habebat ciuitates alias Israelitarum coniunctas, & habitatores illarum colebant omnia territoria talium vrbium, ita ut in tota terra Israel nihil maneret inculsum. Et hoc modo tolluntur duo inconvenientia, quæ alter signabantur. Primo quod maneret magna pars terræ Chanaan, quæ nequaquam coleretur, & tamen esset conueniens ad culturam, & alibi cultores haberent angustum territorium. Hoc modo tota terra coleretur, cum possent Israelitæ circumstantes colere territoria vrbium Leitarum.

C Secundum inconveniens erat, quod grauaretur quidā de Israelitis si essent omnes vrbes Leitarum simul, scilicet illi, qui procul manerent à Leuitis, quia nullos ipsi fructus percipere possent de terra Leitarum, sed hoc dato non esset inconveniens, quia in omnibus tribus erant vrbes Leitarum: & omnes proportionaliter tribus, sicut darent vrbes Leuitis perciperent fructus de territoriis earum, scilicet, quod tribus, quæ plures vrbes daret Leuitis, de pluribus vrbibus fructus colligeret colendo territoria omnium vrbium, quas daret sacerdotibus, & Leuitis, præter suburbania coniuncta vrbibus, & sic non grauabantur vllatenus Israelitæ dando Leuitis vrbes, quia videbantur nihil dare de suis, aut diminuere se: cum tot agros & vineas, sic haberent, sicut si nihil darent Leuitis. De ciuitatibus autem nulla cura erat, quia ipsi habebant sufficienter loca ad habitandum. Et de istis vrbibus necesse erat, quod darent eas Leuitis Israelitæ. Nam dato, quod nollent eis dare aliquā Sortem, oportebat quod darent eis locum ad habitandum, alioquin excluderent eos de terra Chanaan, quod non poterant, quia nō carebant simpliciter iure sortis, cum essent de filiis Iacob, sed solum, ut reciperen iura sanctuarij, ad quod necesse erat esse eos in terra Chanaan, ideo necesse erat, ut Israelitæ reciperen Leuitas ad habitandum in vrbibus suis dispersim, & essent mixti Israelitæ Leuitis, vel quod darent eis vrbes separatas sine territorijs, præterquam cum paruis suburbanis: conuenientius tamen tam Israelitæ quam Leuitis fuit dari eis ciuitates

D seorsum. Quod patet, quia Leuitæ multa pecora possidebant, quia ipsi recipiebant quolibet anno decimas totius Israë tam in pecoribus, quam in fructibus terræ, vt patet Num. 18. & cum ipsi alerent ista pecora multiplicarentur valde, pro quo egebant locis magnorum pascuorum, si ergo essent inter Israelitas in vrbibus ipsorum, necesse erat, vt darentur eis loca valde magna pascuorum libera, & sic in qualibet vrb tolleretur magna pars locorum suburbanorum ab vñ pularium, quod erat satis graue eis. Velsi non darentur aliqua pascuorum in ipsis territorijs vrbium Leuitis libera, necesse erat, quod depascerentur loca aliorum, quod adhuc erat grauius, & satis in ordinatum. Non fuit ergo modus aliquis ita conueniens assignandi loca habitationum Leuitis, quam ut darentur eis vrbes segregatae in qualibet tribu, & suburbana parua apud vrbes. Reliqua autem territoria manerent pro Israelitis circumstantibus ad illas vrbes.

E Et suburbania eorum ad alenda pecora, & iumenta sua. Ista suburbania non erant magnæ quantitatis, scil. duorum millium passuum ad orientem, & totidem ad occidentem ad meridiem & septentrionem, vt patet Nu. 35. erant autē suburbania hæc ad alenda pecora, quia Leuitæ in pecoribus abundabant magis quam Israelitæ, cum ipse quilibet anno susciperent decimas fructuum omnium Israelitarum, sive de pecoribus, sive de fructibus terræ, & illa pecora conseruabant, atque ex eis generabantur alia usque ad valde magnam multitudinem, ideo spiritualiter indigebant Leuitæ locis pascualibus, & ad hoc dabantur suburbania, id est, loca cōiuncta vrbibus, quasi sub vrbibus posita, scil. ad radices murorum vrbium. Idem erat de alimento iumentorum, quia recipiebant Leuitæ decimas de iumentis, quæ nutriebantur domestice, & proficiebant ad labores humanos, vt de equis, & asinis, mulis, chameis, ceterisq; similibus. Sicut præcipit dominus Moysi sic fecerunt filii Israel. Iste est epilogus præcedentium, scil. quod derat Moysi modum, quo terra diuidetur, & quod non assignaretur portio Leuitis, hic subditur, quod omnia ista executioni tradita fuerunt. Et diuiserunt terram. Istud est repetitio & explicatio sententiae præcedentis: idem enim est esse factum, sicut iussit dominus Moysi, vel quod terra diuisa fuerit, quia terram diuidendam dominus dixit per Moysen, & de diuisoribus terræ, & quibus diuidetur Num. 26. & 34. cap.

F Accesserunt itaq; filii Iuda ad Iosue in Galzala, locutusque est ad eum Caleb filius Iephone Cenezeus: Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me & te in Cadesbarne. Quadraginta annorum Num. 14.

eram quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, ut considerarem terram nunciatuq; ei, quod mihi verum videbatur. Frates autem mei, qui ascenderant mecum dissoluerunt cor populi, & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum. Iurauit q; Moyses in die illo, dicens: Terra quam calcavit pes tuus erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum, quia secutus es Dominum Deum meum. Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est usque in præsentem diem. Quadraginta & quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen quando ambulabat Israel per solitudinem: Hodie octoginta quinque annorum sum sic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo usq; hodie perseverat tam ad bellandum, quam ad gradendum. Da ergo mihi montem istū, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt, & vrbes magna atque munita: si forte sit dominus tecum, & potuero delere eos, sicut promisit mihi. Benedixitque ei Iosue, & tradidit ei Hebron in possessionem, atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezeo usque in præsentem diem, quia secutus est Dominum Deum Israel. Nomen Hebron ante vocabatur Cariatharbe. Adam maximus ibi inter Enacim situs est, & terra cessauit à prælijs.

Quid
subur-
bana.

Num.
14.

F
Supr. 1.

Ecc.
46.

3. q. 2.
ca. He-
bron.

A Accesserunt itaque. Hic ponitur secundum, quod est pars principalis huius cap. & est hic quædam introductio ad diuidendam terram: nam fuit terra diuisa, & recepta in sortes. Primò cum Iosue terram acquisitam diuisit omnibus tribubus, quæ sortem habituræ erant. Secundò terra sorte diuisa est, cum Deus mandauit Iosue, ut terram non captam etiam diuideret cum terra iam capta, ut patet præcedens cap. In secunda ergo diuisione prima sors assignata fuit tribui Iuda, quia erat principalis, & quia de hac erat Caleb, qui fuerat mislus in exploratorem, & cui promissa fuerat terra quæ calauerat, pro se, & semine suo: præponitur quomodo ipse petierit urbem Hebron, & sibi data fuerit: deinde subditur de possessione filiorum Iuda cap. sequenti. Accesserunt itaque filii Iuda ad Iosue. Id est, postquam terra cessauerat à prælijs, filii Iuda, qui erant populus magnus indigentes terra, in qua habitarent, accesserunt ad Iosue, qui erat princeps populi, & princeps diuisorum terræ, ut assignaret eis possessionem, & cum his iuit Caleb, qui erat de principalioribus in tribu Iuda: vnde postquam tota tribus accepit responsum, quod datur ei sors terræ, & de loco determinato, in quo daretur, sicut patet sequenti ca. Caleb petijt sibi dari urbem Hebron: ponitur tamen prius petitio Caleb & affectio, quæm sors filiorum Iuda, quia istud erat paruum factum, & scriptura voluit per se narrare, ne postea intercideretur historia de diuisione terræ. Nam postquam de hoc dicitur, agitur de sorte filiorum Iuda, & consequenter de omnibus alijs tribubus, quas sortes suscepserint.

De litera continuatione opinio Lyrani confutatur.

Q V E S T I O V .

NICOLAVS autem aliter continuat, scil. quod Caleb videns quod agebatur de diuisione terræ fecit mentionem de promissione sibi facta, ne terra ei promissa alteri datur, & cum voluit peteret, nobiliores in tribu Iuda associerunt eum, quia ipse erat in tribu illa famosus, & hoc est quod dicitur, quod venerunt filii Iuda ad Iosue, scil. associantes Caleb petitum sibi possessionem. Et hoc confirmari posset, quia immediatè fit mentio, quomodo Caleb locutus fuerit solum petens sibi possessionem Hebron, & nihil de possessione totius tribus agitur.

Sed dicendum videtur magis stare primum, quia secundum continuationem secundam datur necessario, quod primo petierit sibi sortem, vel possessionem Caleb quam petierit tota tribus Iuda, sed hoc non satis conuenit, quia si nondum petisset tribus Iuda possessionem, vel nondum esset assignata, & Caleb peteret sibi dari urbem Hebron: contingere postea, quod data sorte tribui Iuda acciperet Caleb hereditatē extra suam tribum, quod satis erat inconveniens, nec in aliquo de Israelitis factum est, quia sic esset iuncta possessio tribuum, quod Deus nolebat, cum ad tenendam certitudinem possessionis in tribubus, & in ipsis hominibus tribuū dederit quasdam regulas, de quibus Num. 36.

Item litera ista non applicatur valde cōuenienter ad hunc sensum: nam si esset sensus, quod Caleb petijt hereditatem primo, & cum eo iuerunt filii Iuda, non diceretur: Accesserunt itaque filii Iuda ad Iosue: sed diceretur: accessit itaque Caleb ad Iosue, & cum eo filii Iuda. Vel accessit Caleb cum filiis Iuda ad Iosue. Ista autem litera signat, quod filii Iuda principaliter accesserunt, si autē accesserit Caleb, vel nō, nihil tangit, sed postea eius enarrat petitionē, sed etiam ex illo nihil probatur, vt infra dicetur. Ideo videtur dicendū, quod filii Iuda accesserunt ad Iosue, vt peterent sibi hereditatē, & obtinuerint eam atq; fuerit eis assignata, postea autē videns Caleb ciuitatem Hebron in tribu Iuda, quæ placebat oculis eius, vt possit inde tres gigantes delere, petijt eam, & tunc nō est aliquid inconveniens, vt sup. inducebatur, scil. quod habere cōtingeret Caleb possessionē extra sortē tribus suā, quā ipse peteret. Item tunc applicabit cōuenienter litera, scil. Accesserunt filii Iuda ad Iosue. Id est, tota tribus Iuda, vel aliqui nomine totius tribus petentes hereditatē pro ipsa tribu, & postquam ipsi obtinuerūt & assignata fuit sors, petijt specialiter pro se Caleb in terra tribus illius dari sibi Hebron. Ad confirmationē quando dicebatur, quod Caleb iuit ad peten-

dum pro se hereditatē, & cum eo nobiliores de tribu Iuda, quia ipse locutus est solum, & non pro tribu Iuda, sed pro seipso. Respondetur, quod nō concluditur ex hoc, quia debent hic subintelligi alia media, scil. qd accesserunt filii Iuda nomine suo ad petendū hereditatē pro tota tribu, & obtinuerunt atq; assignata est, sicut patet seq. cap. & hæc omnia subtiliter hic. Postea locutus fuit Caleb ea, quæ habentur de danda sibi vrbe Hebron: scriptura tamen multa interdū subtiliter, potissimū ea, quæ colligi possunt aliunde ex dictis. *In Galgalis.* Id est ista petitio fuit in Galgalis. Non est aliqua ciuitas, vel oppidum: sed nomen cuiusdam agri apud urbem Iericho, vbi primo castrametati sunt Israelitæ transito Jordane, & fixerunt ibi lapides r. quos tulerant de Jordane sup. 4. & 5. non habebat autem ager iste nomen ante aduentum Israelitarum, aduentibus autem vocatus est Galgala propter circuncisionem ibi factam, ut patet supra 5. & ibi manebant castra Israelitarum toto tempore bellorum, scil. fœminæ, & parvuli, & senes cum pecoribus, & iumentis omnibusque, quæ possidebant Israelitæ: viri autem bellatores ibant in bella, & tēpore cessationis redibant in castra in Galgala, & ibi quiescebant quousque insurgerent alia bella, siue quia Deus iubebat, siue quia hostes infuriebant: nunc autem finitis omnibus bellis in circuitu, quiescebat Iosue cum toto Israel in Galgalis, & ibi petijt tribus Iuda possessionem, ibi quoque locutus est Caleb ad Iosue, quæ habentur hic. *Locutusque est ad eum Caleb filius Iephone.* Ista locutio non continuatur ad verba immediate dicta, scilicet, quod accesserint ad Iosue filii Iuda, & quod de eis locutus fuerit Caleb ea, quæ habentur hic, sed subintelliguntur in medio multa, scilicet, quomodo petierint hereditatem, & concessa eis fuerit atq; assignata, & postea Caleb petijt sibi specialiter dari sortem intra sortem tribus Iuda, & de hoc ultimo solum hic agitur. Vocatur Caleb filius Iephone, quia Iephone erat pater eius de tribu Iuda. Et ponitur ad differentiam aliorum, qui sic vocabantur: sic etiam vocatur in hacmet tribu Caleb filius Esrom. 1. Paralip. 2. cap. Cenezæus. Vocatur Caleb Cenezæus, quia vt quidam Iudei dicunt, fuit filius naturalis Iephone, quo mortuo accepit Cenez in uxorem matrem ipsius Caleb, & quia tunc Caleb erat parvus nutritus est à Cenez, & inde vocatus est Cenezæus.

Iephone quid
Caleb cur Cenezæus dicitur sit.

Alij dicunt, quod Cenez fuit frater Caleb maior ipso, & quando mortuus est Iephone pater eorum mansit Caleb sub cura fratris sui Cenez, quem habuit tanquam patrem, & inde vocatus est Cenezæus, frater quoque eius Othoniel vocatur Cenezæus sequen. capitulo.

Prima istarum positionem dubia est, quia videtur vocari Caleb Cerezæus à patre magis quæm à vitrico: alienum valde est aliquid nominari à vitrico.

Secunda positio non stat, scil. quod esset Genez frater Caleb maior eo, quia Othoniel erat filius naturalis Genez, vt patet 1. Paralip. 4. & tamen ipse est frater iunior Caleb, vt patet seq. cap. & Iudi. 1. ergo non potest esse Genez frater Caleb, quia tunc contraxisset iste Genez cum matre sua, quod absurdum est. Si autem diceretur Genez esse id quod Iephone, ita qd fuerit binomius, sicut multi alij sunt in sacra Scriptura, satis esset cōuenienter dictū, scil. qd vocetur Caleb filius Iephone ab uno nomine patris sui, & vocetur Cenezæus ab alio nomine eius. Vel quod Genez fuerit aliquis superior in linea Caleb, à quo denominetur. *Noſti quid locutus fit Deus ad Moysen hominem Dei.* Volebat Caleb petere in hereditatem Hebron, & ad hoc ostendit petitionem suam esse rationalē, vt faueatur ei hoc inducit, quia Deus promisit Caleb, vt possideret terrā, & vt magis hoc inducatur, dicit notū esse Iosue istud, quod dicit, & verū est, quia ea, quæ locutus fuit Deus de Caleb in Cadesbarne ad Moysen, nota erant ipsi Iosue, cum Moyses reuelasset toti multitudini Numeri 14.

Quid locutus fit Deus ad Moysen. Istud est quod habetur infra, scilicet, terra, quam calcauit pes tuus erit possessio tua. Et idem patet Num. 14. *Hominem Dei.* Vocatur Moyses homo Dei, quia ipse sequebatur Deum in toto corde suo, & ob hoc vocat eum scriptura famulum Dei supra primo. Etiam erat Deo fidelissimus in tota multitudine Israelitarum Numeri 12. cap. & ad Hebræ. 4.

De me & de te in Cadesbarne. Non fuit eadem locutio tota: nam de Caleb bis Deus locutus est. Primò de eo solum: secundò

D

Iephone quid
Caleb cur Cenezæus dicitur sit.

F

A secundò de eo & Iosue. De Caleb solo dixit, quòd illi, qui vi-derant maiestatem Dei, & non obedierant voci eius, non vi-derent terrā Chanaan, & subiungitur: Seruum autē meum Caleb, qui plenus alio spiritu fecutus est me, inducam in ter-ram hanc quam circuiuit, & semen eius possidebit eam. De Caleb autem & Iosue simul dictum est, quòd omnes, qui nu-merati sunt à viginti annis, super non introibunt in terram Chanaan, præter Caleb filium Iephone, & Iosue filiū Nun. De hoc Numer. 14. ex quo innuit quòd cum Deus dixerit, quòd ipse & Iosue introirent in terram Chanaan, quòd vo-lebat eis dare hæreditatem.

Sciendum tamen, quòd licet Deus locutus fuerit simul de Caleb, & Iosue, tamen Caleb non iuuat se hic ex locutione Dei de ipso & Iosue, sed de locutione quæ de ipso solū facta est, quod patet infra cum dicitur: iurauitq; Moyses in die illo dicens: terra, quam calcauit pes tuus, erit possessio tua & filiorum tuorum in æternum, quia fecutus es dominum Deum tuum: ista tamen nō fuit ad Caleb, & Iosue simul, sed ad solum Caleb, vt patet Num. 14. Caleb tamen allegans locutionem Dei, dixit de illa, quæ fuit communis ei, & Iosue: quanquam non acquireretur multum iuris ei ex hac, vt non videretur contemptus Iosue: de quo etiam sicut de Caleb locutus fuit Deus in die illa, & sic placaret eum honorando, qui est modus rhetorius satis faciens ad persuadendū. Quo facto & captato animo audientis, allegavit id quod continebat solide ius suum, cum dicit: In die illa iurauit Moyses: terra quam calcauit pes tuus, &c. In Cadesbarne. Id est, cum ista facta sunt erant Israelitæ in Cadesbarne: inde enim missi sunt exploratores, vt patet infra, & ibi inuenierunt popu-lum cum reuersi sunt post 40. dies, quia verba ista, quæ locu-tus est Deus de Iosue, & Caleb fuerunt postquam redierunt explorata terra Num. 14. & tamē tunc erant in Cadesbarne, vt patet hic, ergo in eodem loco erant castra Israélitarum, quando missi sunt exploratores, & quando redierunt.

Cades
et eius
situa.
C Ita mansio vocatur aliquando Cades absolute, sic patet Num. 13. vbi dicitur, quòd venerunt exploratores in Cades. Aliquando vocatur Cades deserti Sin, vt patet Num. 20. & 33. idem tamen locus est vbiunque ponatur. Est autem Ca-desbarne in latere meridiano terræ Chanaan circa coniunctionem lateris orientalis, vt patet Num. 34. vbi in latere meridiano ponitur Cadesbarne. Quòd autem sit circa latus orientale terræ eiusdem, vel non multum distans, patet se-quent. capitul. vbi ponitur Cadesbarne in latere fortis tribus Iuda, & magis supra decimo, vbi cum ponere intenderet re-ges occisos de Chananæis à parte orientali versus Occiden-talem, & Septentrionem, posuit Cadesbarne tanquam terminum orientalem. Ex hoc etiam patet, quòd Cadesbarne & Cades deserti Sin eadem mansio sit, quia Cades deserti Sin est in deserto Sin. istud desertum est in latere meridiano ter-ræ Chanaan Num. 34. Cadesbarne etiam est in eodem latere Numer. 34. & sequen. capi. atque supra 10. ergo idem locus est.

Item patet ex hoc, quòd quando Israelitæ miserunt duo-decim exploratores in terram Chanaā, erant coniunctissimi ipsi terræ: nam erant in Cadesbarne, vt patet hic: sed Cadesbarne est in latere terræ Chanaā, ergo nihil distare videbatur à terra Chanaan.

Quomodo tandem morati sunt Israelitæ transiendo de Cadesbarne, vsque in Chanaan. Et quare Deus non permisit per Ca-desbarne introire Israelitas, sed indurauit cor regis Edom.

Q U E S T I O VI.

S E d tunc quæret aliquis quomodo tanto tempore morati sunt Israelitæ transiendo de Cadesbarne vsq; in terram Chanaan. Nam in secundo anno ab exitu de Ægypto steterunt in Cadesbarne ante medietatem anni illius, vt declaratum est Num. 13. & postea ingressi sunt in terram Chanaan anno 40. ab exitu de Ægypto.

Respondendum est, quòd hoc non fuit propter distantiam medianam inter Cadesbarne, & terrā Chanaan, sed quia Deus dedit eis in maledictionem, quòd non transirent in terram Chanaan, vsque ad annum 40. Num. 14. alioquin breuiter

D transiſſent. Sed adhuc arguetur, quia Israelitæ postquam in secunda vice steterunt in Cadesbarne siue deserti Sin, de quo Num. 20. vsquequo introierunt in terrā Chanaā, steterunt quasi anno vno in deserto. Nam in Cades steterunt mensē primo anni quadragésimi, & in anno eodem non exierunt de deserto, quia mense 11. eiusdem anni Moyses exposuit verba totius Deuteron. coram Israelitis & mortuus est Deu-teron. 1. cap. & tamen non introierunt eodem anno in terrā Chanaan trans Iordanem, cum dicatur supra quarto, quòd die decima mensis primi transierunt Iordanem: ergo à Ca-desbarne, vsq; ad exitum de deserto in secunda vice, quando iam non detinebantur ex maledictione data, manserunt vno anno, quod non contingere, nisi poneretur magna distan-tia inter Cadesbarne, & terram Chanaan.

Ad hoc respondebit aliquis, quòd morati sunt Israelitæ tandem inter Cadesbarne, & terrā Chanaan, nō quod magna distantia sit, sed quia fecerunt bella multa postquā steterunt in Cadesbarne ante tráſitum Iordanis. Primum bellum fuit cum Chananæo rege Arad, cuius vrbes deleuerant vocantes anathema Num. 21.

E Fuit secundum bellum contra Sehon regem Hesebon Amorrhæorū, in quo deletus est ipse cum populo suo Num. 21. & Deuterono. 2. Fuit tertium bellum cum rege Og, qui erat rex Basan, de quo Num. 21. & Deuter. 3. Fuit quartum bellum contra Madianitas, de quo Numer. 31. & in his im-pediri necesse erat aliquanto tempore. Item fuerunt duo fu-nera notabilia in hoc tempore, scil. mortua est Maria soror Moysi & Aaron in Cadesbarne, & in lugendo eam occupa-ret populus aliquot diebus, sicut cum ipsa effecta est le-prosa in Aseroth mansit populus diebus 7. quo usq; reduce-retur Maria in Caſtra, & hoc propter honorem Moysi Num. 12. In morte adhuc verisimilius est, quod populus honoraret eam propter Moysen. De morte eius in Cades patet Numeri 20.

Item mortuus fuit hoc tempore Aaron, pro quo Israelitæ fleuerunt 30. diebus Nume. 20 ergo in his omnibus morari poterant Israelitæ anno vno, etiam si non esset aliqua distan-tia magna inter Cadesbarne, & terram Chanaan. Sed adhuc arguetur contra hæc: nam si Cadesbarne esset locus coniunctus terræ Chanaan, quanquam morari possent Israelitæ in Cadesbarne magno tempore: tamen immediate vt exirent de ipso loco, ingredierentur terram Chanaan: potissimum cum dicatur Cadesbarne esse in latere ipso meridiano terræ Chanaan, & ponitur tanquam terminus eius, & tamen in-ter Cadesbarne, & terrā Chanaan ponuntur mansiones mul-tæ, scil. 11. vel 12. vt patet Num. 34. cap. ergo non est Cadesbarne apud terram Chanaan, cum de manione ad mansio-nem sit necessario aliquantum spatium.

F Respondendum est, quòd Cadesbarne est in latere meridiano terræ Chanaan, ita quod est terminus tangens ipsam terrā Chanaan, vt patet Num. 34. & sup. 10. & sequen. c. nec est inter Cadesbarne, & terram Chanaan spatium alicuius mansio-nis faciendæ: factæ fuerunt tamen mansiones 11. vel 12. quia Israelitæ cum peruenissent de Ægypto per varias cir-culationes deserti vñque Cadesbarne, ingressuri erant per la-tus meridianum terræ Chanaan, quod patet, quia Cadesbarne est in meridiano latere, vt inductum est, sed non po-tuerunt introire per Cadesbarne, quia est locus iste in extremitate regni Idumæorum quantū ad partem occidentalem eius, & si Israelitæ ingredierentur per Cadesbarne necesse erat, quòd introirent per quandam partem regni Idu-mæorum, vel per regnum Amalechitarum, & Chananæi re-gis Arad, sed illi Chananæi, & Amalechitæ erant hostes Iu-dæorum, cum iam pugnassent contra illos, & postea pugnauerunt Num. 21. ideo non auderent intrare per terrā illorū, nec pterent ingressum formidates mala, quæ euenerant eis cum fuerunt iterum in Cadesbarne, de quibus Numeri 14. ideo solum petituri erant ingressum ab Idumæis, de quorum primo, & cōmuni truncu veniebant Iudæi, scil. ab Isaac, qui genuit Esau, à quo Idumæi, & Iacob, à quo Israelitæ. Et pe-tierunt ingressum, vt patet Num. 20. sed rex Idumæorū re-spondit, nō tráſibis per me, id est, per terrā meam, alioquin armatus occurrà tibi eod. c. tunc coacti sunt Israelitæ circui-re monte Seir, id est totū regnum Idumæorū versus orientē, de quo Deut. 2. scil. Circuiuimus monte Seir longo tēpore.

Tunc

A

Tunc iterum conuersi versus Aquilonem accesserunt rursus ad confinia terræ Edom, & ad confinia Moabitum & Ammonitarum, & inter ista duo regna introierunt per regna duorum regum Amorrhæorum Sehon, & Og, vt colligitur Deuter. 2. & 3. & istud erat introire per terram orientalem, sine frontem terræ Chanaan, quod patet, quia cum cepissent Israelitæ regna duorum regum Amorrhæorum transierunt Iordanem, & terra ipsorum terminatur ad Iordanem habens eum ad partem occidentalem, vt colligitur præcedens cap. & sup. 12. & Num. 32. patet ergo quod Israelitæ cum steterunt in Cadesbarne, & postea introierunt in terrâ Chanaâ: nō introierunt directè procedentes de Cadesbarne, quia tunc nullam mansionem fecissent medium, sed circuerunt lateris meridiani quandâ partē, & aliam lateris orientalis, & postea non introierunt per latus meridianū, sed per latus orientale. Quod patet Num. 34. quia Cadesbarne est in latere meridiano Iordanis, per quem ipsi introierunt, & in latere orientali: si tamen directe introissent, nulla fuisset mora, nec mansionum pluralitas. Causa autem quare Deus non permisit eos introire per Cadesbarne, & induravit cor regis Idumææ, vt nō permitteret eis ingressum, fuit duplex. Prima quia Deus dedecorat Israelitæ in pœnâ, vt manerent in deserto annis 40. quia murmurauerant Nu. 14. si tamen permisus fuisset ingressus per Cadesbarne, non completo termino dato introissent in terram Chanaan, quod patet quia Israelitæ steterunt in Cadesbarne secunda vice mensie primo anni 40. vt patet Nu. 20. si autem ingredierentur mox non fuisset completa pœna à Deo assignata, quia decesset unus annus, ideo non debuit permitti ingressus.

Si autem aliquis diceret, quod non constat, in quo anno steterunt Israelitæ in Cadesbarne secunda vice, sed solum constat, quod erat mensis primus anni alicuius.

Respondendum est, quod quantu[m] ad hoc non est necessarium determinari quis annus ille esset, & mensis ille primus, quia aut erat primus in anno 40. ab exitu de Ægypto, aut in aliquo alio anno priori: nam nō potest dici, quod fuerit primus in anno 41. quia decimo die anni 41. transierunt Israelitæ Iordanem, & iam erat mortuus Moyses & Aaron, & erant facta bella contra reges duos Amorrhæos, tamen ista facta sunt ante primum mensim anni quadraginta unius, cum in mense II. anni quadragésimi Moyses recitauerit Deuteronomium totum, vt patet Deuteronom. primo, & in eo retulit de bellis factis contra reges Amorrhæos in capit. secundo & tertio, ista tamen facta sunt post mensim illum primū, quo steterunt Israelitæ in Cadesbarne. Quod patet, quia de mansione in Cades, & mense primo fit mentio Numeri 20. De bellis autem contra Amorrhæos reges habetur. Numeri 21.

Item patet hoc, quia Aaron mortuus est post Mariam sororem suam, quæ mortua est in Cadesbarne mense primo, vt patet Num. 20. cum dicatur, quod de Cadesbarne profecti sunt Israelitæ in montem Hor, & mortuus est ibi Aaron eodem capitul. fuit tamen mortuus Aaron anno quadragesimo mense 5. anni eiusdem Num. 33. capit. ergo Maria, quæ dicitur mortua mense primo, necessario fuit mortua in mense primo anni quadragesimi, vel alicius anni præcedentis, & quocunque modo manebit ratio assignata, & fortius quidem, si dicatur quod in primo mense anni 39. vel 38. steterunt Israelitæ in Cadesbarne, cum mortua est Maria, quia non debebant introire Israelitæ ante finem quadragesimi anni in terram Chanaan.

Item satis patet, quod fuerit ille mensis primus anni 4. vt declaratum est Num. 20.

Secunda causa est, quia Deus posuerat in pœnam, quod nullus de his, qui murmurauerant introirent in terram Chanaan, sed omnes morerentur in solitudine: Numeri decimo-quarto, si tamen permitterentur introire per locum Cadesbarne, cum ibi steterunt secunda vice, multi de his, quibus pœna fuerat imposta, introirent, ergo non debuerunt ingredi. Consequentia patet, quia non erant omnes illi mortui, cum steterunt Israelitæ in Cadesbarne secunda vice: nam usque ad torrentem Zareth durauerunt, & cum transissent illum iam defecerant omnes, qui fuerant computati à viginti annis, & supra, & qui murmurauerant, vt patet Deuteronom. secundo, & tamen torrens Zareth est apud confinia Moabita-

rum, & Ammonitarum; & circa terram Sehon regis, & ad hunc locum accesserunt Israelitæ aliquanto tempore, postquam steterunt in Cadesbarne, vt patet Numeri vigesimo-primo, iuncto 20. idem patet Deut. 2. patet etiam ex ordine mansionum, quia Israelitæ prius venerunt in Iebarim, & immediate in torrentem Zareth Numeri vigesimoprimo, tamen mansio Iebarim est post Cadesbarne, distans quinq[ue] mansionibus Numeri trigesimotertio cap. ergo quando steterunt in Cadesbarne secunda vice, nondum mortui fuerant omnes, in quos lata fuerat sententia non ingrediendi in terram Chanaan. Vnde non debuit ei dari ingressus per Cadesbarne. Ratio tertia est, quia Deus volebat dare Israelitæ terram duorum regum Amorrhæorum, & isti habitabant ad partem orientalem terræ Chanaan ad orientem Iordanis, vt patet præcedenti cap. & supra 12. fuit autem terra ista habita ex occasione quadam, scilicet, quia Israelitæ miserunt ad regem Sehon, vt daret eis ingressum per terram suam, & cibos emerent nihil nocentes, noluitque hoc facere, sed exiuit in pugnam contra Israelitas in Laifa, & sic percussit eum Israel Numeri 21. & Deuteronom. 2. idem modus fuit quantum ad regem Og, quem occiderunt Israelitæ, quia exiit contra eos in bellum Num. 21. & Deuter. 3. si tamen transiissent in terrâ Chanaan per locum Cadesbarne, non pugnascent contra istos duos reges, q[ui]tia illi erant in parte orientali, vt dictu[m] est: Cadesbarne est in latere meridiano: Num. 34. *Quadragesima annorum eram, quando misit me Moyses.* Hic vult inducere Caleb, quod debeat tibi dari ciuitas Hebron, & in hoc tollit argumentum: posset enim dicere Iosue ipsi Caleb, ad quid vis accipete Hebron in hereditate, quia ibi habitant gigantes fortissimi pugnatores, & tu es iam grandæus nō potens pugnare: vnde non poteris accipere urbē de manibus eorū? respondet Caleb, quod poterit, quia fortis erat nunc ad bellum, sicut cum erat iuuenis, & format rationē, scilicet ego eram 40. annorum, quando misit me Moyses de Cadesbarne, & tunc eram vir fortis ad pugnā sicut ex cōditione ætatis ipsius patet, sed nunc manet in me fortitudo temporis illius, tam ad pugnandum quā ad gradiendum, ergo potero debellare hos gigantes, & capere urbes eorum. Ex his, quæ dicuntur hic, apparet quot anni fluxerant à tempore, quo transierant Israelitæ Iordanem usque ad tempus, quo Caleb ista locutus est, & sunt anni quasi 7. Nam Caleb erat annorum 40. quando missus est de Cadesbarne ad explorandum terram Chanaan, vt dicitur hic: sed quando loquebatur, erat annorum 85. vt patet infra in litera, ergo à tempore, quo fuerant missi exploratores, usque ad tempus locutionis huius, transierunt anni 45. sed à tempore, quo exploratores missi sunt, usque ad tempus transitus Iordanis fluxerunt anni 38. & parum plus, ergo ab illo tempore usque ad locutionem istam fluxerunt anni ferè. 7. patet consequentia subtrahendo 38. de 45. annis. Patet, quia exploratores missi sunt in secundo anno ab exitu de Ægypto, vt probatum fuit Numeri 13. & quia statio in deserto fuit annorum 40. manebunt usque ad transitum Iordanis anni 38. & ad complendum 45. restabunt 7. isti fluxerunt ex eo, quo transierant Israelitæ Iordanem usque ad tempus locutionis huius, & tantum fuit tempus bellorum. Non tamen fuerunt completi septem anni, quia exploratores nō fuerunt missi de Cadesbarne in fine anni secundi ab exitu de Ægypto, sed in fine tertij mensis, vel in principio quarti, vt declaratum est Num. 13. deficiebat ergo dimidius annus, aut ferè ad completionem annorum septem. *Quando misit me Moyses.* Tota multitudo miserat istos exploratores, sed quia Moyses erat princeps populi, dicebatur ipse missus, quia ipse administrabat omnia negotia nomine totius multitudinis. Etiam quia ad eum dixerat Deus: mitte viros, qui considerent terram Nume. 13. cap. Et dicit Caleb, quod misit eum Moyses: non eum solum, sed etiam alios 12. viros. *Moyses famulus Domini.* In laudem dicit scriptura de eo ista, quia quam aliqui alij essent famuli Domini, nullus tamen ita fideliter Deo famulabatur sicut Moyses, ideo Deus de eo dixit, quod erat fidelis in tota domo sua Num. 12. cap.

Moyes fidelis Domini seruus erat.

vt considerarem terram. Scilicet, totam terram Chanaan, cuius conditions scire volebant Israelitæ, antequam ingredierentur in eam. Quid autem in ea cōsiderare deberet, & quomodo, habetur Nu. 13. & Deut. 1. *Nunc iauitq[ue] ei, quod mihi verū videbatur.* Declarat quō ipse non demeruerit priuari terra Chanaan,

Obitus
Aaron.Situs
torrentis
Zareth.

A Chanaan, sed magis habere possessionem in ea, quia non narravit mala de ipsa, sicut alij exploratores, sed bonū quod ei videbatur. Et dicitur, quod narravit secundum cor suum, quasi dicat, quod alij narrauerunt, quod eis non videbatur: nam ipsi sciebant terrā esse bonam, cum vidissent eam: tamē de ea mala enarrabant mouentes cor populi ad murmurandum. Sic dicitur Nu. 13. & 14. quod detraxerunt terrae, quam lustrauerant apud filios Israhel. Detrahere autem non est, nisi cum quis bona cognoscens, mala enarrat, vt famam rei diminuat: si autem enunciassent, quæ eis videbantur non detraffissent Caleb autem dixit quod verū sibi videbatur, scil. quia videbatur sibi terrā esse bonā, & ita testificatus est. Etiā videbatur, qd̄ quanquā gens illa esset robusta, quod possent eam deuorare, sicut panem, si Deus propitiaretur eis Nu. 14. In Hebræo habetur. *Locutus sum ei iuxta cor meum.* Quod ad idem reddit, scil. quod locutus fuit Caleb Moysi id, quod videbatur sibi iuxta cor suum, & alij nō nunciauerunt Moysi, vel Israelitis iuxta corda sua.

B Rabbi Sa. dicit, quod locutus fuit ei secundum cor suum, & non secundum os suum, in quo dicit, quod exploratores 12. inter se conuenerant in itinere, vt mala enunciarent de terra illa: Caleb autem & Iosue quanquā non intenderent mala enunciare de terra, tamen timore mortis consenserunt in via alijs, dicentes quod etiā ipsi detraherent, postea autem non detraxerunt, sed enunciauerunt bona, ideo non locuti sunt secundum os suum, id est, secundum quod ante promiserant, sed secundum cor suum, id est, secundū quod ante mente tenebant, cum ista timentes promitterent. An verum sit nihil refert, sed ex litera nō habet colorē, quia litera ita nihil signat, nisi quod Caleb locutus fuit Moysi iuxta cor suum, id est, secundū quod intendebat, & non detrahendo atq; occultando veritatem. *Fratres autem mei, qui ascenderunt tecum.* Vocat hic fratres suos alios exploratores, & non sunt fratres in cogitatione, cum isti essent duodecim viri missi de duodecim tribubus Israhel Num. 13. cap. sed vocantur fratres, quasi complices in aliquo officio, scil. in exploratione. Non accipiuntur hic omnes exploratores, sed solum decem, quia sequens verbum non refertur ad omnes, sed solum ad decem eorum, qui detraherunt terræ. Iosue autem, qui erat alius de exploratoribus non detraxit terræ Chanaā, sed cum Caleb enunciauit bona Num. 14. Caleb, tamen hic non exceptit aliquē de exploratoribus, sed dixit quod fratres sui exploratores dissoluerant cor populi. Cauīa fuit, quia ipse loquebatur ad Iosue, qui fuerat unus de exploratoribus, & ipse solus non murmurauerat cum Caleb. In locutione autem persona, de qua fit sermo distincta est ab ea, ad quam est sermo, quia fit sermo de aliquo in tertia persona ad secundam tamen fit semper sermo. Cum ergo loqueretur hic Caleb de aliquo in tertia persona, & ad Iosue dirigebantur sermones isti, non poterat ipse intelligi nomine eorum, ad quos est sermo, nisi expresse de ipso fieret mentio. Vnde non fuit necesse quando dixit Caleb, quod fratres sui exploratores dissoluerant cor populi, quod exciperetur Iosue: si tamen Caleb ad aliquem alium loqueretur de exploratoribus sermones istos, conueniens erat, quod exciperetur Iosue, quia ibi poterat comprehendendi in tertia persona, cum non fieret ad eum sermo. *Dissoluerunt cor populi.* Id est, fecerunt timere totum populum. Est sensus quod ante hoc totus Israhel erat confortatus ad introeundum in terram Chanaan credens hostes leuiter subiiciendos eis, cum autem exploratores dixerunt populu esse proceræ stature & qd̄ nō possent pugnare contra eos, totus populus extimuit nimis, & liquefactum est cor eius, atque in dolorem, & murmurationem versi sunt. *Et nihilominus ego secutus sum dominū Deum meum.* Id est, quanquā alij detraffissent terræ, ego non detraxi dicens bonum, quod mihi videbatur, & in hoc secutus sum dominum, scilicet, quia Deus dixerat terram illam esse bonam fluentem lacte, & melle, etiam quod omnes habitatores eius disperderet à facie Israhitarum. Ego autem sic dixi, scilicet, terra quam circuiimus valde bona est, si propitius fuerit nobis Deus introducet nos in eam, nolite rebelles esse contra Deum: ne timeatis populum terra huius, quia sicut panem ita possimus eos deuorare. Numeri decimoquarto, & in hoc secutus sum sententiā Dei. Alij autē ē contrario Deo repugnauerunt, dicentes: terra, quam lustrauimus deuorat

habitatores suos. Etiam dicebant quod non possent præuale aduersus gentem illam, scil. nequaquam ad hunc populu valemus ascendere, quia fortior nobis est: Numeri trigesimo tertio, & Deus prohibuit testimonium, quod Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me: hunc introducam in terrā, quā circuiuit. *Iurauit g. Moses in die illo.* Hoc refertur ad diem, in quo Caleb secutus est dominum. Quod si accipiat proprīe ipse semper fuit secutus Deum: fuitq; cor eius rectum, in toto illo itinere, quo perrexit cum alijs exploratoribus intendit sequi eum: sed non aperuit an ipse sequeretur Deum usque ad diem illum, quo alijs exploratoribus detrahentibus terra Chanaan ipse bona enunciauit, & increpuit multitudinem: vnde voluit tota multitudo lapidare eum, & Iosue Numeri decimoquarto cap. sed gloria Domini apparet super tabernaculum protexit eos. In hac ergo die secutus est dominum Caleb, & de die hoc inteligitur, quod tunc iurauerit ei Moyses, id quod habetur hic, an Moyses iurauerit aliquid Caleb non reperitur alibi, quia numeri decimoquarto capit. vbi habentur hæc, solum dicitur, quod secutus est Caleb Deum, ideo quod possideret terram, quam circuiuit: de iuramento tamen nihil legitur.

Sed intelligendum est, quod fuerit, cum hic dicatur quod Moyses iurauit: fieret autem sic, quod Deus diceret Moysi verba, quæ recitat hic Caleb, & quæ habentur Numeri decimoquarto, scilicet, seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, introducam in terram hanc. Et Moyses retulit verba hæc ad Caleb, & vt magis assentiret iurauit ei sic futurum.

Terra, quam calcauit pes tuus, erit possessio tua. Id est, tu habebis possessionem in terra Chanaan, quā pedibus tuis calcasti. Non habentur talia verba Numeri decimoquarto, vbi de hoc agitur, sed dicitur: seruum autem meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, introducam in terram hanc, quam circuiuit, & semen eius possidebit eam: ponuntur tamen hic verba pertinentia ad eandem sententiam.

An Hebron Caleb promissa fuerit, & quomodo, qua in re Lyranus improbat.

Q U A S T I O VII.

C I E N D V M autem, quod ex his verbis vult in ferre Caleb, quod debeat ei assignari possessio, quia Deus dixit, quod terra quā calcauit pes, vel quā circuiuit, erit possessio eius, ergo possessio erat ei danda. Aliqui volunt inducere literam illam ad probandum quod ciuitas Hebron deberet dari Caleb in possessionem, & dicunt, quod cum Caleb videret animos aliorum exploratorū inclinatos ad detrahendum de terra, recessit per aliquantum tempus ab eis, vadens in Hebron solum ad locum, vbi erant sepulchra patriarcharū, & orans ne discederet à veritate, sicut alij exploratores, ideo Moyses promisit ei sub iuramento dare ei Hebron in possessionem, sic volunt Hebræi & Nicolaus. Quidquid autem veritatis historica in hoc fuerit, non appetet: tamen manifestum est dictum istud esse falsum ex parte, & partim non verisimile. Cum enim dicit, quod Caleb per aliquantum tempus recessit in terram Chanaan à ceteris exploratoribus, non est verisimile, quia ipsi nesciebant terram illam, & si unus ab alijs discederet, nunquam eos inueniret, cum ipsi non haberent aliquam certam viam, sed vagabantur hinc inde.

Item dicitur, quod secesserit ipse à ceteris ad orandum ne peruerteretur cor eius à veritate, sicut corda ceterorum, nō est verisimile, quia Caleb, & Iosue eodem spiritu bona enunciauerunt de terra Chanaan, & restiterunt multitudini increpantes eam, vt patet Numeri 14. ergo si Caleb recederet ad orandum, non maneret Iosue, cum ceteris, cum Caleb & Iosue essent eiusdem intentionis.

Item falsum est, quod dicitur, scilicet, quod Caleb secedens à ceteris, solus venit in Hebron. Nam omnes exploratores venerunt in Hebron Numeri 13. cum dicitur: Ascenderuntque ad meridiem, & venerunt in Hebron. Quod autem Moyses iurauerit, quod veniret in hereditatē Hebron ipsi Caleb, etiā non est satis verisimile: nam si fuisset hoc iam

pertinet.

A pertineret ad Caleb Hebron determinate, ita quod nemo ei posset tollere, nec Iosue, sicut non potest Iosue tollere aliqui tribui totaliter ius hereditatis, cum Moyses dixisset omnibus tribubus dandam esse hereditatem. Etiam non oportuerit, ut peteret Caleb dari sibi Hebron, quia iam data fuisset, & si fortassis petere volueret ne videretur iure suo accipere possessionem, tamen non oportuerit ut tot suasionibus, ideo magis est verisimile, quod non iurauerit Moyses ad tale, sed petivit Caleb dari sibi urbem illam, quia erat in sorte filiorum Iuda & placuit in oculis eius. Etiam quod magis est, quia si iurasset Moyses Caleb, quod Hebron cederet ei in possessionem, hoc expressisset, quod erat fortius ad iuramentum causae sua quam cetera, quae ponit hic. Imprudenter ergo suaderet si omisso maximo & directissimo fulcimento causae sua, ad ea, quae minora erant, & quasi imperitentia recurreret, sed non expressit aliquid tale, ergo credendum est, quod non fuerit. Si autem arguere velimus ex litera, solum inducitur, quod debebat aliqua possessio dari Caleb, sed non patet, quae esset. Nam Num. 14. dicitur: Seruum meum Caleb &c. introducā in terram hanc quam circuuit, & semē eius possidebit eam. Ex illo ergo non habetur, nisi quod Caleb non moreretur in solitudine, sicut alii exploratores, & Israelitæ murmuratores, sed introiret in terram Chanaan, & haberet ibi progeniem manentem in terra post eum. Si autem ex litera ista arguere velimus, idem inducitur, scilicet Terra, quam calcauit pes tuus, erit possessio tua, id est, in terra, quam calcauisti pedibus tuis, habebis possessio nem scilicet in terra Chanaan: non infertur tamen hic determinate quam terram possessurus esset.

B Aliqui tamen dicunt ex hoc inferri, quod possessurus esset Hebron, quia ipse ascendit in Hebron cum ceteris exploratoribus Numeri 13. & calcauit terram illam pes eius, illam ergo erat possessurus.

C Dicendum est non sequi ex hoc: nam tunc inferretur, quod totam terram Chanaan possessurus esset Caleb, quia totam terram calcauit, scilicet, à latere meridiano usque ad septentrionale declinando aliquando ad orientem, & aliquando ad occidentem, ut patet Num. 13. & ibi declaratum est. Sed falsum est hoc, ergo nihil magis de Hebron quam de aliqua via, vel territorio intelligitur litera haec: ideo dicendum, quod Caleb non probat petitionem suam esse necessario concedendam, sed esse iustum: si autem probasset, quod Moyses iurasset ei, quod daretur Hebron in possessionem, necessario inferebat dandam esse, nec esset in facultate Iosue non concedere, sed probabat Caleb esse iustum petitionem, quia Deus iusserat, quod daretur ei possessio aliqua, ergo quod daretur ei urbs Hebron, quae erat in sorte tribus sua satis erat rationabile. Sed dicendum non obstantibus omnibus his, quod ciuitas Hebron fuerit promissa determinate Caleb, ut patet infra in litera, cum dicit Caleb: Da ergo mihi mon-

Doctr. sententia. tem istum, quem mihi pollicitus est dominus te quoque audiens, nec tamen ex hoc conceditur positio illa hebraeorum, scilicet, quod Caleb recesserit à ceteris, & solus venerit in Hebron.

Item rationes positæ supra à quibusdam quantum ad aliquid stant. Nam verum est, quod ex litera ista, & ex litera, quae habetur Num. 14. non colligitur fuisse urbem Hebron promissam Caleb: coigitur tamen ex litera, quae infra habetur. Et cum arguitur quod non oportebat ut tot persuasionibus, cum pertineret de necessitate Hebron ad Caleb, si super ea iurasset Moyses. Respondendum est non fuisse necessarium, voluit tamen Caleb ex urbanitate & humilitate petere hoc, tanquam fieret ei gratia dando sibi quod iam suum erat.

E Et cum dicitur, quod petitio Caleb erat imprudens, quia omittebat maximum fulcimentum causæ sua. Respondendum est, quod non omisit, quia licet à principio non expresserit, tamen postea expressit, ut patet infra.

Terra, quam calcauit pes tuus, erit possessio tua. Quanquam litera ista secundum se non importet necessario, quod Hebron esset danda Caleb, ut declaratum est, quia tamen fuit ei promissa sub iuramento à Moysè, potest de illa intelligi, scilicet Terra quam calcauit pes tuus. Id est, Hebron, quae est una de terris, quas perambulasti, erit possessio tua. Et filiorum tuorum. In hoc signatur maius beneficium ipsi Caleb conferendum, quia non solum certificabatur, quod ipse possideret etiam quod

relinqueret posteros hæredes, & progenies eius duraret per multa tempora, & istud est magnū gaudium parentum, scilicet relinqueret natos, maximè cum sibi succedunt. In aeternum. Id est, per valde magna tempora. Non signatur hic aeternitas propriè, quia nulli rei competit, nisi Deo: temporis autem licet tendatur in infinitum non competit aeternitas, ut ait Boetius de consolatione lib. 5. prosa ultima. Etiam non accipitur aeternitas pro infinitate temporis iuxta modum Arist. 8. Physicorum, quia etiam in rebus nihil tale est, sed aeternum vocatur quodlibet longum tempus. Vnde interdum in scriptura accipitur pro tempore, quod est minus quinquaginta annis, ut patet de seruis hebraicis quorum auris perforabatur, quia dicuntur, quod erunt serui in sempiternum Exod. 21. & Deut. 15. & tamen durabat ista seruitus quinquaginta annis, cum in anno iubilæi omnis talis seruitus tolleretur: Leu. 25. immo non poterat durare quasi ultra annos quadraginta: nam isti, qui dicebantur effici serui in aeternum, non efficiebantur, nisi transacto anno septimo nollet exire in libertatem propter uxorem & filios, & sic iam transierat unus de septenariis: Vnde non poterant manere, nisi anni quadraginta duo, & in ipsis vocabatur seruus in aeternum. Ita accipitur in aeternum pro magno tempore, scilicet, quandiu Iudei manserunt in terra Chanaan usque ad tempora Romano-rum Titi, & Vespasiani: postea autem nullus de Iudeis possedit terram illam. Quia secutus es dominum Deum tuum. Scilicet bona dicendo de terra Chanaan, ut Deus dixerat, & dando spem de superando hostes, sicut Deus dederat: alij autem decem exploratores è contrario fecerunt: sunt autem verba ista Moysi ad Caleb. Nam Deus dixerat: Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, introducam in terram hanc: Numeri 14. Moyses autem referens verba Dei ad Caleb, transferendo ad personam suam dixit: Terra quam calcauit pes tuus erit possessio tua, quia secutus es dominum Deum tuum. Concessit ergo mihi dominus vitam, sicut pollicitus est usque in presentem diem. Hic vult concludere Caleb dicens: Dominus promisit mihi, quando eram in Cadesbarne, quod daret mihi terram hanc in possessionem & filii meis, ad quod duo requirebantur. Primum erat, quod daret mihi vitam usquequo ingredere in terram hanc, & acquireretur de manu hostium. Secundum erat, quod actualiter mihi datur in possessionem. Primum mihi datum est, quia concessit mihi dominus vitam usque in presentem diem, scilicet post illam promissionem mihi factam ceteri fratres mei exploratores mortui sunt, & omnes alij coetanei atque aetate iuniores, data super eos sententia mortis: dominus autem voluit me conseruare usque in presentem diem, cum iam sim annorum octoginta, in quo fuit singulare priuilegium. Satis ergo consequens est, quod velit impleri aliam particularam promissionis, scilicet, quod detur mihi terra ista in possessionem.

F Quadragesima quinque anni sunt, ex quo locutus est dominus verbum istud ad Moysen. Inducit hic Caleb aliud fulcimentum ad hoc, quod terra ista debeat ei dari. Et potest dupliciter induci, scilicet, per modum responsionis. Vel tanquam probatio. Primo modo est sensus: diceret aliquis, quod non erat convenienter dari urbem Hebron Caleb, quia in ea erant gigantes viri fortissimi ad pugnam, quos ipse non posset delere de terra, & sic nunquam eam caperet, & hoc quia erat iam grandæsus non potens pugnare, scilicet annorum octogintaquinq; respōdet Caleb, quod poterit delere gigantes illos, quia ipse erat quadragesima annorum, cum missus est de Cadesbarne, & nunc erat octogintaquinq; tamē fortitudo temporis illius manet in eo usq; nunc, ideo sicut tunc potuisset expugnare gentem illam, ita & nunc.

Alio modo introduceretur ista litera, ut probatio, scilicet quod Deus vellet dari istam terram Caleb, & est sensus: Deus dedit mihi ex priuilegio vitam usque in presentem diem, cum nullus de coetaneis meis manserit: dedit etiam robur magnum, cum tanta fortitudinis sim hodie, sicut cum eram quadragesima annorum, quod non reperitur in aliquo homine, ergo satis appetet, quod Deus velit hanc terram dari mihi, cum dederit omnes dispositiones convenientes ad habendum eam. Quando ambulabat populus Israel per solitudinem. Scilicet quādo erat in deserto in mansione Cadesbarne. Nam de ipso loco missi sunt exploratores, ut patet hic, & ad locum ipsum redierunt

A redierunt manente ibi populo, ut etiam patet hic, cum dicatur, quod ibi iurauit ei Moyses, quæ dicta sunt, & ibi locutus est Deus de ipso Caleb, & Iosue: stans autem in Cadesbarne Israel dicebatur ambulare per solitudinem, quia terra illa erat desertum magnum, ut patet Nume. 14. vt inam mortui essemus in Aegypto, & non in hac vasta solitudine.

B Hodie octoginta quinq; annorum sum, sic valens, ut eo valebam tempore, quo ad explorandam missus sum. In hoc patet, quod non erat aliquis in tota tribu Iuda, ita senex, sicut Caleb, nec in toto populo Israel præter Iosue, & aliquos fortè de Leuitis, & apparet, quia sententia mortis, & non ingressio in terram Chanaan fuit data super omnes numeratos à viginti annis, & supra Numer. 14. ista numeratio erat in omnibus duodecim tribubus Israel, Nume. 1. in Leuitis autem nequaquam, cùm iubeatur non ponи summam Leuitarum cum Israeletis ibidem: omnes autem hi mortui sunt ante introitum in terram Chanaan, ergo nullus introiuit in terram Chanaan, qui haberet viginti annos, & dimidium completos, quando data est sententia in Cadesbarne. Et dico de dimidio, q; a summa Israeletarū à vigesimo anno, & supra fuit accepta in monte Sinai mense secundo anni secundi, ut patet Numer. 1. & tunc omnes, qui compleuerant viginti annos cōputati sunt, qui autem nondum compleuerant, etiam si deficerent dies 15. non computabantur inter viros bellatores. Post istam autem suppurationem venerunt Israeleti in Cadesbarne, interpositis mansionibus viginti una, ut patet Numer. 33. & in his morati sunt aliquanto tempore, ita ut peruenient in Cadesbarne in fine tertij mēsis, vel principio quarti anni eiusdē: nē die 20. mensis secundi anni eiusdē recesserunt de monte Sinai, Numer. 10. cap. multi enī in Cadesbarne iam compleuerunt annum vigesimum, qui in monte Sinai non compleuerant, nec fuerant computati, & super hos non fuit lata sententia, quantum est ex tenore verborum: qui ergo erat in Cadesbarne annorum viginti præcisè, vel viginti, & vnius mensis, aut parū plus, non ligabatur sententia lata in Cadesbarne, quia non erat de numeratis, cùm nō fuisset viginti annorum in monte Sinai, qui tamen in Cadesbarne fuerunt viginti annorum, & quatuor mēsium, vel amplius, vel triū & dimidiū, ligati sunt sententia lata ibi, quia ipsi erant viginti annorum in monte Sinai, & computati sunt. Nulli igitur de his, qui habebant annos viginti, & dimidium, cùm venerunt in Cadesbarne introierunt in terram Chanaan, sed qui erant viginti annorum, & parū plus ad magis, sed à tempore illius sententiæ datae usquequo locutus fuit Caleb verba hæc fluxerunt anni 45. cùm dicatur: quadraginta quinque annis sunt, ex quo locutus est Dominus ad me verbum istud, ergo senior in toto Israel poterat esse annorum 65. nunc additis 20. quos poterat habere in Cadesbarne ad istos 45. Caleb tamē erat 85. ergo 20. annis excedebat omnes alios de populo ad minus.

C Item patet, quia nullus introiuit in terram Chanaan, qui in Cadesbarne ageret annos viginti & dimidium, sed ad magis 20. & parū plus: Caleb tamen tunc erat 40. annorum cùm missus est de Cadesbarne, ut patet hic, ergo excedebat 20. annis omnes seniores Israel. De Iosue aliud erat, quia ipse non fuit de computatis, tamen non fuit ligatus sententia illa, cùm exceperit eum Deus, Numer. 14. iste erat æquè senex, ut Caleb, vel fortè senior, cùm dicatur præced. cap. quod Iosue erat senex, & proiecta ætatis, quādo dixit Deus ad eum, ut diuideret terram. De Leuitis quoque non tenet tūpā dictum, quia sententia mortis fuit data super numeratos à viginti annis, & supra non fuit autem talis numeratio Leuitarum, sed quādam fuit ab uno mense, & supra Nume. 3. quādam à triginta annis, Numer. 4. quādam à 25. Numer. 8. ideo isti non ligabantur hac sententia, & sic poterant esse inter eos aliqui seniores Caleb. De mulieribus idem dicendum est, scilicet quod non fuerit directe data illa sententia super eas, quia dicitur de numeratis à viginti annis: mulieres autem non computabantur à viginti annis, nec secundum aliquam ætatem, quia ad nullam ministratioem necessaria erant. Nā & in Leuitis ibi siebat computatio ab uno mense, & supra nō computabantur foeminae, Numer. 3. Causa ibi dicta est: ideo poterant esse foeminae in qualibet tribu vetustiores Caleb. Non tamen ex hoc quisquam intelligat, quod nulla de mulieribus mortua fuerit in deserto, vel nullus de Leuitis ob

D istam causam: nam omnes, qui murmurauerunt, sive essent masculi, sive foeminae, sive à 20. annis, sive infra, in deserto mortui sunt. Posita tamen fuit regula de numeratis à 20. annis, & supra, quia in istis fuit generale, quod murmurarent, ideo nullus non eus sit præter Caleb, & Iosue, quia murmurauerunt. In Leuitis autem, & foeminas aliquę murmurauerunt, ideo non fuit de eis dictum aliquid generaliter, sicut de viris numeratis à 20. annis, & supra.

E Sic valens, ut eo valebam tempore, quo ad explorandum missus sum. Satis est hoc admirabile, quia quando erat annorum quadraginta missus fuit ad explorandum, ut patet supra in litera: nunc autem erat annorum octoginta quinque, & tamē dicit se ita valentem ad pugnandum, & ambulandum: in alijs autem nō contingit hoc, quia licet aliqui homines ex bonitate naturæ interdum cùm perueniunt ad annos octoginta quinque habeant motum corporis conuenientem, & operationes sanas, tamen ad pugnandum conuenientes nequaquam sunt, nec ad gradiendum, scilicet in via, & ob hoc exprimit ista Caleb, tanquam aliqua specialia concessa sibi à D. o. Item cùm enarrantur magnalia antiquorum virorum, in Ecclesiastico enarratur de Caleb, quod permanit in eo fortitudo, scilicet: Et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, & usque in senectutem permanit illi virtus, ut ascēderet in excelsum terræ locum, & semen ipsius obtinuit hæreditatem, Ecclesiastici 46. cap. erat autem hoc admirabile tempore Caleb, & Iosue, quia vita erat brevis, scilicet ad annos centum, vel centum decem, sicut fuit de Iosue, infra vigesimo quarto, non erat tamen admirabile in prima ætate seculi, quia tunc homines robustiores erant anno centesimo, cùm vita eorum ferè usque ad annos mille tenderetur, ut patet Genes. quinto cap. tunc enim ætas centum annorum erat proportionatiter, ut nunc ætas viginti annorum, vel viginti quinque, immo minus, & sic non erat plenum robur homini anno trigesimo, sed postea acquirebatur temporibus illis, postea autem mutata periodo speciei humanæ aduenit homini summa perfectio virium alijs temporibus. Sicut ergo in prima ætate seculi fuisset admirabile permanere alicui robur suum usque ad nongentos annos, quod habebat cùm esset centum, vel ducentorum annorum: ita erat admirabile de Caleb robur usque ad octogesimum quintum annum ei permanisse.

F Illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat. Accipitur fortitudo pro robore, quia virtutis nomen & habitus est fortitudo. hic autem pro corporis viribus sumitur, sed largè vocatur fortitudo: sic quoque interdum vocat Aristot. ut patet Ethic. 2. scilicet ex multum cibum sumere, & frequentes labores sustinere efficitur quis fortis. Loquitur hic Caleb de illo tempore, scil. quo ad explorandum missus est, & tunc erat annorum 40. ut patet supra: Tam ad bellandum quam ad gradendum. Posuit ista duo opera, quia ista sunt cōmunia opera roboris corporalis, & maximè pertinebant ad præsens negotiū, quia bellare etiam interdum requirit facultatem gradiendi expeditè, ut in prosecutione hostium, & ceteris motibus bellicis. Vel fortè posuit ista duo, quia si solum dixisset quod erat potens ad bellandum, sicut prius fuerat, & nihil addidisset, diceretur quod manebat in eo robur temporis prioris, sed non agilitas. Nam ad bellandum exigitur robur magis, quam agilitas: ad gradēdum autem agilitas magis quam robur, ideo Caleb expressit utrumq; in se manere. Et hoc admirabilius erat, quia senectus semper grauis est, & difficilis ad motum. Da mibi ergo montem istum. Id est, urbem Hebron.

G Nicolaus dicit ex hoc patere esse verum, quod dixit supra 11. scilicet quod Iosue ceperit urbem, quantū ad partem, quæ erat in plano, & Caleb cepit postea partem illam, quæ erat in montanis, in qua erant Gigantes, & expulit eos inde. Ad hoc tamen videtur oppositum suprà undecimō, cùm dicatur, quod Iosue expulit Gigantes de vrbibus Hebron, Anab, & Dabir, & de omnibus montanis Iudæ, & Israel. Sed de hoc ibi declaratum est, quod Caleb Gigantes illos deleuit, & non Iosue. Nec solum hoc, sed etiam urbem ipsam Hebron totam cepit tam in plano quam in montanis. De hoc tamen quidquid sit, satis tamen patet, quod non confirmatur ex litera ista positio Nicolai, scilicet quod ceperit Caleb partem montanam Hebron, & Iosue partem planam, quia

Fortitudo
quod accepit.
tur.

F

Littera
contraria
dicitur
quod cor-
cordans
da.

A dixit, da mihi montem istum. Nam non accipitur hic mons pro parte montana vrbis Hebron, sed pro quodam magno monte, in quo erat vrbis Hebron cum multis alijs vrbibus, vt patet, cùm dicitur: Da mihi montem istum, in quo Enacim sunt vrbes magnæ, atque munitæ. Magis ergo patet ex hoc contrarium.

Da mihi montem istum. Potest ergo intelligi pro sola vrbe Hebron, quæ quamquam cum multis alijs esset sita in monte, tamen solam illam petebat Caleb. Ex verbis tamen literæ magis videtur petere totum montem illum cum vrbibus, quæ in eo erant, sed tenendo hunc sensum dicetur quòd quamquam verba sua hoc sonarent, ipse tamen de sola vrbe Hebron loquebatur.

Alio modo potest intelligi, quòd Caleb peteret totum montem illum, in quo erat vrbis Hebron cum vrbibus, & locis alijs, quæ ibi erant: vnde satis verisimile est quòd peteret montem, in quo erant vrbes tres Hebron, Anab, & Dabir. Nam in qualibet harum erant Gigantes, vt patet suprà II. scilicet: In tépore illo venit Iosue, & interfecit Enacim de montanis Hebron, Dabir, & Anab: & de omni monte Iuda, & Israël. Et sic videtur hic signare Caleb, quòd in monte isto essent multi Gigantes, cùm dicit: Da mihi montem istum, in quo sunt Enacim, vrbes multæ, atque munitæ. Item quòd Dabir esset in isto monte, & pertineret ad Caleb aliqualiter patet sequenti cap. & Iudic. I. vbi dixit Caleb: Qui percusserit

B Cariathsepher, quæ est Dabir, dabo ei Axam filiam meam: si tamen non pertineret Dabir ad possessionem Caleb nihil ad eum pertineret dicere: Qui percusserit Cariathsepher, siue Dabir. Quòd autem Dabir esset apud Hebron in montanis, satis colligitur sequenti ca. & Iud. I. vbi cùm dictum fuerit de Hebron capta subiungitur, quòd inde cōscendens Caleb venit ad habitatores Dabir: & iste sensus est magis conueniens, quæ quòd solum cuperit Hebron in possessionem.

Quem mihi pollicitus est Dominus. Id est, Dominus promisit mihi dare montem istum. Quomodo promiserit non patet. Nam in verbis illis, quæ habentur Num. 14. scilicet: Seruum autem meum Caleb, &c. introducam in terram, quam circuivit, & semen eius possidebit eam: non concluditur magis quòd possessarius foret Caleb terram illam, quam aliam quæcunque: sed quia hic dicitur, quòd Deus promisit neceesse est quòd intelligatur fuisse promissum, & promissa fuit quando facta sunt ea, quæ habentur Num. 14. quamquam ibi subiectatur.

Te quoque audiente. Id est, tu etiam audisti quando Dominus promisit mihi mótem istum. Non est sensus quòd Deus locutus fuerit ad Caleb, & illa verba audierit Iosue, sed Deus locutus est ad Moysen de Caleb & Iosue semel, & iterum de solo Caleb: postea autem Moyses enarravit verba, quæ Deus dixerat de Caleb: & audiuit hæc Iosue: & ista sunt, quando iurauit Moyses Caleb: terra quam calcauit pes tuus erit possessio tua, &c. & fuit iuramentum istud coram plurimis de populo.

In quo Enacim sunt. Id est, in monte isto sunt Gigantes, Nō solum erant Gigantes in vrbe Hebron, sed etiam in vrbe Anab, & Dabir: & istæ tres erant in monte illo. Sic innuitur suprà II. scilicet: quòd interfecit Iosue Gigantes de montanis Hebron, Dabir, & Anab: & hoc quia in monte illo non erat vñica ciuitas, sed multæ.

Vrbes magna atq; munitæ. Id est, in monte isto sunt vrbes Caleb, & familiæ siue: quia ipse habebat sub se magnam familiam cognatorum, & pro omnibus petebat.

Si forte sit Dominus mecum. Id est, ideo vellem habere vrbes istas, in quibus sunt Gigantes, vt possim eos expellere de eis, si Deus me adiunget.

Et potuero delere eos. Id est, totaliter disperdere, non dimittendo radicem eorum in terra, & sic factum est sequenti cap. nam deleuit Caleb Gigantes tres de vrbe Hebron: Othoniel autem frater eius deleuit omnes tam Gigantes quæ nō Gigantes habitatores vrbis Dabir, sequenti cap. & Iud. I. de vrbe Anab, quæ erat in eodem monte, & habebat Gigantes, suprà II. non constat an deleuerit eam Iosue.

Sicut promisit mihi. Id est sicut dixit mihi Deus, quòd ego possiderem terram hanc, & semen meum post me: sed non potest terra ista possideri, nisi acquiratur de manibus gentium, ergo promisit mihi quòd acquiri posset de manibus

Capit XI V.

Gigantum istorum, quia qui promittit aliquid dari promittit omnia, sine quibus res dari non potest: & sic quamquam Deus non expressisset, quòd adiuuaret Caleb ad expellendū Gigantes de terra, dicebat Caleb sibi fore hoc promissum, quia necessariò sequitur ex promissione Dei.

Benedixitq; ei Iosue. Posita petitione hic agitur de libera concessione. Caleb enim petebat quod iam suum erat: nam Deus promiserat ei montem, in quo erat Hebron: promissio autem huius confert titulum: ideo habebat titulum, sed nondum fuerat asseditus possessionem. Et quia Iosue erat princeps in toto Israël eo auctore, & discernente voluit assequi possessionem: Iosue autem videns firmissima iura petitionis Caleb, non dubitauit concedere immediate, quod petebat. Et dicitur quòd benedixit ei Iosue, id est imprecatus fuit ei bonum. Erat autem ista imprecatio, vt diceretur: Dominus te adiuet contra Gigantes, vt prosperè deales vrbes eorum, & disperdas nomina eorum de terra.

Et tradidit ei Hebron in possessionem. Non est sensus, quòd tradiderit ei possessionem realem ponendo eum actualiter in vrbe, quia adhuc tenebatur ab hostibus, cùm postea Caleb deleuerit ex ea Gigantes, vt patet sequenti cap. sed tradidit ei possessionem, id est, ius introeundi in possessionem non requisito aliquo decreto iudicis, & ius pugnandi contra habitatores vrbis illius tanquam contra detentores rei ad eum pertinentis.

Atq; ex eo fuit Hebron Caleb. Id est, ab isto tempore coepit pertinere Hebron ad Caleb, quod intelligendum est quantum ad ius possessionis: nam quantum ad proprietatem, iam pertinebat, cùm Deus ei tradidisset promittendo realiter trahere, & illa promissio confert titulum.

Filij Iaphonne Cenez ei. Quare vocetur Caleb Cenezus, suprà declaratum est.

Vsque in presentem diem. Id est, vsque ad diem, quo liber iste scriptus est: quod fuit tempore Samuelis, tunc enim pertinet ad Caleb, id est ad filios eius, quia non viuebat tunc Caleb, cùm multa tempora intermedia transiissent, scilicet omnium Iudicum, possidente tamen semine Caleb: quia successor, & is, cui succederit, cōsentur eadem persona: potissimum cùm filij succedunt parentibus, quia in eis est aliqua identitas naturalis, vt patet 8. Ethic. vbi vocantur filij particulae consisterentia parentibus.

An filij Caleb possederint Hebron vsque ad tempus quo scriptus est liber iste. Et eius vrbis plura nomina.

Q V E S T I O VIII.

*S*ED arguet aliquis, quòd non possederint filij Caleb vrbem Hebron vsque ad tempus, quo liber iste scriptus est: immò Caleb non possedit vrbem Hebron tota vita sua: immò forte nunquam. Quod patet, quia in diuisione terre vrbis Hebron data est sacerdotibus inter ceteras vrbes de tribu Iuda, in frà 21. sed illa diuisione facta est in immediate cùm diuisa est terra aliarum tribu um, ergo viuente Caleb data est vrbis Hebron sacerdotibus, & ipse non possedit eam.

Respondendum est, quòd quamquam vrbis Hebron data fuerit sacerdotibus, semper fuit ipsius Caleb: quia non fuit translata tota in ius sacerdotum.

Pro quo sciendum, quòd sacerdotes, & Leuitæ non accepterunt ciuitates cum territorijs suis agrorum & vinearū, sicut cæteræ tribus, quia ipsi non erant vacaturi agriculturæ, cùm de iuribus Sanctuarij sufficienter hac perciperent, sed suscepserunt solum vrbes, vt ipsi habitarent, & parua spatia in circuitu earum, quæ vocantur suburbana ad alenda pecora, de quo Num. 35. & suprà in litera: ideo cùm data est vrbis Hebrei sacerdotibus sola ipsa vrbis data est, territorium autem, & rura, quæ erant in circuitu, erant habitata à Caleb & filiis suis, & hoc est habere vrbem, scilicet habere territorium eius. Nā habere solum locum ad habitandum, vel ipsos muros, intra quos claudamur, facillimum est.

Et quia hæc omnia ad Caleb pertinebāt dicitur ipse possidisse Hebron, quamquam non possederit murorum ambitus. Sic patet in frà 21. scilicet prima pars egressa est Cariatharbe patris Enac: quæ vocatur Hebron in monte Iuda, & suburbanis eius per circuitum: agros verò, & villas eius dederat

Caleb

A Caleb filio Iephonne. Non tamen est intelligendum ob hoc, quod nunc, quando dedit Iosue ipsi Caleb urbem Hebron, dederit ei solum agros, & villas eius, sed etiam dedit ei ipsam urbem: postea tamen diuisis omnibus sortibus cum de singulis dandae fuerunt ciuitates, dedit Caleb urbem suam Hebron: non quidem quod eam iam possedisset, quia nondum captar erat de manu hostium, sed quia renunciauit iuri quod habebat in urbe Hebron, ut eam haberent sacerdotes.

Quia secutus est Dominum Deum Israel. Non ponitur istud tanquam præmium, quia sequi Deum est actus cultus diuini cum exhibetur ei honor magnus in hoc, & quilibet actus huius, cum sit ex charitate, est dignus vita æterna, nec potest recipere aliquid cōdignum hic in bonis temporalibus, cum etiam Arist. actibus virtutum moralium, qui informes sunt, non credat quidquam sufficere, vt præmium, & ob hoc iubet danda maxima bona politica benè regenti, scil. honorem, & gloriam. 5. Ethic. & sic est verum quod Caleb, quia secutus est Dominum, promeruit magnum gloriae in vita æterna: sed etiam prater hoc in præsenti merebatur suscipere bona, & istud fuit quod concederetur ei longæua vita, & robur iuvenile usque ad extremam senectutem: & possessio pro se, & semine suo in sempiternum. Quomodo secutus fuerit Caleb Dominum, suprà declaratum est, scilicet, quia taliter de terra Chanaan locutus fuit, qualiter Deus locutus fuerat. Cum autem aliquis sequitur doctrinam alterius, vel dicta eius, dicitur sequi eum.

Nomen Hebron ante vocabatur Cariatharbe. Ponitur hic incidentaliter nomen urbis huius traditæ Caleb, & ipsa habet multa nomina, scilicet Hebron, Cariatharbe, & Mambre. De duobus patet hic, & communiter habet ista duo nomina. Quod autem vocetur Mambre, patet Genes. 23. & 29. cap. Hebron autem nomen proprium est eius: Cariatharbe est nomen eius compositum ex duobus appellatiis, scilicet Cariath & Arba. Primum signat ciuitatem, secundum signat quatuor, id est, ciuitates quatuor virorum. Dicitur autem quod Hebron ante vocabatur Cariatharbe. Non est intelligendum quod ista ciuitas antequam fuerit tradita Caleb, vocaretur Cariatharbe, & nunc incepit vocari Hebron, quia ante hoc vocabatur Hebron: cum in Genes. vocata fuerit Hebron 23. cap. & Numeri decimotertio cap. & tamen Moses, qui scripsit ista, fuit multo tempore antequam suscep- retur ista urbs Hebron: ideo non poterant poni per anticipationem.

Sed dicendum est, quod ista urbs etiam vocata fuerit ante Hebron, fuit etiam vocata Cariatharbe in Genes. sed dicitur hic, quod ista urbs fuit vocata prius Cariatharbe, id est quod non solum vocabatur Hebron, sed etiam Cariatharbe. Non tamen est sensus, quod prius ei fuerit impositum nomen Cariatharbe, quam Hebron: sed magis è contrario, quia Hebron est nomen proprium urbis, Cariatharbe autem est nomen impositum à casu, siue impositum fuerit à Iudeis, siue à Chananæis.

Quis imposuit primò nomen Cariatharbe ciuitati Hebron: & quare sic vocata est, in quo refellitur opinio Nicolai.

Q V A E S T I O IX.

Q UOMODO autem ista urbs fuerit vocata Cariatharbe, dubitabatur: & dubium est in duobus. Primum est, à quo fuerit nomen impositum. Secundum, quare sic nominata fuerit. De primo est dubium, quia ista urbs primò pertinuit ad Chananæos, quam Israëlitæ, cum ipsi eam fundarent, & fuerit impositum nomen à Chananæis, quia urbs Hebron nunquam pertinuit ad Israëlitæ quousque accepit eam Caleb de manu Chananæorum, sed ante hoc vocabatur Hebron Cariatharbe, ut patet hic, cum dicatur nomen Hebron prius vocabatur Cariatharbe: ergo Chananæi imposuerunt.

In contrarium videtur quod Cariatharbe non est nomen Chananæum, sed Hebraicū, ut patet ex origine, scil. Cariath, id est ciuitas, Arba, id est quatuor.

Respondendum est fatis posse dici Hebron vocata fuisse Cariatharbe ab vtrisque, scilicet tam à Chananæis, quam ab Israëlitæ. Si dicatur quod à Chananæis fatis rationabiliter di-

citur, cum ipsi primò possederint urbem illam, & fundarent eam. Et tunc respondebitur quando arguitur, quod nomen istud Cariatharbe est Hebræum, quod interdum contingit esse idem nomen in diuersis linguis, sicut leuavi est in Hebræo, & in Latino, sed non idem signat: quia in Latino signat erigere, in Hebræo autem signat cor meum: & sic de quibusdam alijs dictiōibus apud diuersa idiomata. Idem patet de multis alijs nominibus urbium, quæ constat imposta esse à Chananæis, & tamen in Hebræo aliiquid signant: sicut patet in nominibus urbium, quæ habentur in diuisionibus fortium sequentibus. Et hoc, quia quædam idiomata sunt, quæ ex parte affinitatem quandam habent. si autem tenetur quod istud nomen fuit impositum ab Israëlitæ, etiam satis rationabile est: quia nomen istud ad idioma suum pertinet. Et quando arguitur quod ipsi non tenuerunt urbem istam usque ad tempus, quo cepit eam Caleb, & tamen prius vocabatur Cariatharbe.

Respondendum est, quod quamquam non tenuerunt eam prius Israëlitæ imposuerunt ei nomen, quod de illa locuti erant propter aliqua, quæ ad eos pertinebant, scilicet, quod apud eam habitauit Abraham pater eorum. Etiam quia ibi sepultus est ipse cum filio suo Isaac, & nepote suo Jacob, qui sunt patres gentis huius. Ibi etiam sunt uxores eorum. Vnde Moses in Gen. sæpè recolit de hac urbe, & vocat eam interdum Cariatharbe, Gen. 23. Et ista positio cōuenientior est, scilicet, quod ipsi posuerint hoc nomen. Et hoc aliquiter appetet, quia cum Moses nominat hanc urbem, non solum vocat eam Cariatharbe, sed ponit alia nomina eius magis experimentia eam, scilicet Hebron, & Mambre. Si autem esset proprium nomen eius & primù Cariatharbe, posito illo non iungerentur alia.

Nunc dato quod Cariatharbe nomen fuerit impositum ab Israëlitæ est dubium, quare sic vocata fuerit. Pro quo sciendum, quod Cariatharbe vocatur ciuitas quatuor virorum, & si nos eam à Gentilibus dicamus nominatam, dicetur quod vocauerit eam Cariatharbe, id est ciuitas quatuor virorum, scilicet quatuor Gigantum, quia ibi erant quatuor Gigantes Sisai, Haiman, Tholmai: & pater eorum etiam erat Gigas, & sic erant quatuor viri Gigantes, à quibus quia præcipui erant, vocata est ciuitas Cariatharbe: & istum sensum sequuntur quidam de Hebræis.

Sed non stat, quia non poterat istud nomen esse à multis temporibus ante, cum isti tres Gigantes Sisai, Tholmai, & Haiman nō fuissent à multis ante temporibus, cum tunc essent in terra, quando data est ista ciuitas Caleb, & ipse defecit eos. Etiam pater eorum non fuit à multis ante temporibus.

Item si ciuitas ista esset nominata ab istis quatuor Gigantibus, aut nominaretur quia ipsi soli in ea Gigantes fuerunt, aut quia ipsi soli erant tunc, quando nominata est sic, & simul erant. Nam primo modo, quia non solum fuerunt Gigantes isti in urbe illa, sed plures alij à principio, quia Gigantes non nascebantur nisi ex Gigantibus, quamquam ex Gigantibus non semper nascebantur Gigantes, sed aliquando restitit, & aliquando defecit eorum progenies. Post istos autem tres, qui nominantur sequenti cap. non fuerunt Gigantes in Hebron, sed antè semper fuerat aliqua progenies Gigantum, quæ usque ad hos dilatata est: non ergo ab his quatuor magis quam ab alijs denominanda erat ciuitas. Nec est dicendum secundo modo, scilicet, quod denominata est ab istis quatuor Gigantibus, quia isti simul erant, quia solum leguntur simul fuisse isti tres, qui sequenti cap. habentur. Et non solum nunc quando concessa est Hebron Caleb: sed etiam quadraginta quinque annis antè hoc. Nam à tempore, quo misserunt exploratores usque ad tempus, quo concessa est ciuitas ista Caleb, transferunt quadraginta quinque anni. Quod patet, quia suprà dixit Caleb, quadraginta annorum eram, quando misit me Moses de Cadesbarne. & postea dixit: hodie sum octuaginta quinque annorum sic valens, ut eo valebam tempore, ergo quadraginta quinque anni medij fluxerant: & tamen tunc quando iuerunt exploratores in terram Chanaan, erant soli tres Gigantes in Hebron, qui habentur sequenti cap. ut patet Numeri decimotertio: ergo videtur, quod nunquam fuerunt isti quatuor Gigantes simul, nisi cum essent isti parvuli, & pater eorum tunc superuiereret, postea autem non fuit, tamen tunc non

A haberent ipsi nomen virorum, ita ut ab eis denominaretur vrbs.

Si nomen istud Cariatharbe fuit impositum à Iudæis, poterat imponi propter duo, scilicet propter quatuor viros suprà dictos: & sic volent aliqui Iudæi esse causam nominis vrbis huius: aut propter quatuor viros, id est propter quatuor Patriarchas principales, qui ibi sepulti erat, scil. Abraham, Adā, Isaac, & Jacob, & vxores eorum. De Adā patet immediate in litera. De Abraham patet Gen. 25. De Isaac patet Gen. 35. De Jacob patet Gen. 49. De vxoribus autem horum, & de eis simul patet Gen. 49.c. & isti erant quatuor viri, qui viri excellenter sunt: quia erant famosi & excellentiores inter alios viros.

Alij dicunt, quod ista ciuitas vocatur Cariatharbe, id est, ciuitas Arbe: fuit enim Arbe quidam Gigas, à quo descendunt omnes alij, qui fuerunt in hac vrbe: & huic videtur consonare, quod habetur infra sequenti capitulo, scilicet, quod Hebron vocatur Cariatharbe, id est, ciuitas Arbe, vbi videtur quod Arbe sit nomine alicuius viri, & iste vocatur pater Enac.

Nicolaus autē dicit, quod à Gentilibus vocatur Cariatharbe propter quatuor Gigantes ibi sepultos. Vel propter Arbe, qui fuit pater Gigantum, à fidelibus autem vocatur Cariatharbe propter quatuor Patriarchas ibi sepultos.

B Sed istud non stat, quia nullo modo poterat vocari Hebron Cariatharbe à Gentilibus propter quatuor Gigantes ibi sepultos, quia dum manserunt Gentiles in vrbe illa, nunquam fuerunt sepulti Gigantes quatuor ibi, quia isti quatuor Gigantes erant Haiman, Sisai, Tholmai, & pater eorum quartus, sed isti quatuor semper vixerunt dum ciuitas mansit in potestate Gentilium, cum excluserit eos Caleb, & deleuerit de vrbe, vt patet seq. c. & Iud. i. nullos tamen alios quatuor Gigantes in ista vrbe nominat Scriptura: nec Hebrei referunt ergo nō denominabitur Hebron Cariatharbe à quatuor Gigantibus sepultis. Quod autē Cariatharbe dicatur ab aliquo, qui vocatus fuerit Arbe, satis rationabile est.

Quomodo Hebron fuit impositum nomen hoc, scil. Cariatharbe. Vbi & formatus & sepultus creditur Adam: & ibi dicitur esse vallis lachrymarum.

Q V A E S T I O X.

C ED nunc supposito, quod ista vrbis fuerit nominata Cariatharbe ab Israëlis, erit dubium, quod fuerit ei impositum primò istud nomen.

Respondebit aliquis, quod Abraham imposuerit ei, quia ipse veniens de Mesopotamia in terram Chanaan habitauit apud vrbem Hebron, quæ alio nomine vocatur Mambre, Gen. 23. & 49. de ista habitatione Gen. 18. ob hoc etiam dicitur quod habitauit sub ilice Mambre, id est sub ilice, quæ erat apud vrbem Hebron, quæ vocatur Mambre. hoc etiā patet: quia ob hoc sepeliuit vxore suam in agro vrbis Hebron, vt patet Gen. 23. vbi satis signatur quod habitaret Abraham in vrbe Hebron, scil. in ea vel in territorio eius: ipse ergo poterat imponere nomen secundum linguam suam vocas eam Cariatharbe. Sed non stat, quia quocunq; modo prædictorū nō conuenit: si enim dicatur Cariatharbe, id est quia quatuor Patriarchæ ibi sepulti sunt, non erat hoc tempore Abraham: quia solus Adam sepultus erat cum coniuge sua. Item nō poterat vocari Cariatharbe à quatuor Gigantibus, scil. à tribus qui infrà nominantur sequen. ca. & à patre eorum, quia nullus istorum adhuc natus fuerat: nam fuit Abraham pluribus quam quadringentis annis ante hoc. Etiam non potest esse, quod ipse vocaret eam Cariatharbe, id est ciuitatem Arbe, quia dato quod Arbe fuisset pater Enac: tamen non attigisset Abraham ad tempora eius: vnde non potuisset ab eo nominare vrbem. Sed dicendum est, quod si ciuitas ista vocata est Cariatharbe ab Israëlis, accepit nomen istud primò à Moysè, quia nō fuerūt in hac vrbe quatuor Patriarchæ sepulti, vsquequod Israëli fuerunt in Ægypto. Nam ultimus eorum fuit Iacob, qui mortuus est annis decem septem postquam ingressus est in Ægyptum cum posteritate sua, vt patet Gen. 47. cap. & tunc potuit nominari ciuitas Hebron Cariatharbe, id est ciuitas quatuor virorum, quia erant quatuor Patri-

D archæ. Israëli tamen dum erant in Ægypto, nihil de hac vrbe curabant, nec de tota terra Chanaan, ideo non est verisimile quod imponerent nomen vrbi. Moyses autem incepit scribere gesta priorum temporum in Genes. & vocavit vrbe hanc Cariatharbe tanquam nomine suo principali, quia illud erat nomen secundum quod magis pertinebat illa vrbs ad Hebreos, quam alia, quia in hoc signantur patres eorum sepulti ibi. Si autē dicatur quod vocata fuit Cariatharbe à Gentilibus, dicendum est, quod appellata fuerit ab Arbe patre Enac principe vrbis illius. De tempore autem satis patet, quod fuerit post Abraham, quia Arbe secundum hoc esset auctor trium Gigantum, de quibus sequenti cap. & hoc si Enac sit ibi nomen proprium patris illorum Gigantum: nam commune nomen esse solet, & signare Gigantem. De hoc ibi dicitur: magis tamē dicendum quod fuerit impositum nomen istud à Iudæis, vt suprà declaratum est.

E Adam maximus inter Enacim situs est. In Hebreo habetur auctor, scil. Adam maximus inter Enacim. Et non ponitur ibi verbum, sed subintelligitur est, quia modus loquendi Hebraicus est decurtatus. Et dicunt Iudæi quod est sensus, quod Adam accipiatur hic appellatiuē. Nā nos accipimus Adam pro primo homine tanquam proprium, & tamen appellatiuum est, sed quia ille creatus à Deo vel formatus primus fuit, excellenter competit ei istud nomen Adam in Hebreo, tanquam si latine eum hominem appellemus non apponentes aliud nomen: sic patet Genes. 4. vbi dicitur: Et appellauit Deus nomen eorum Adam, & accipitur ibi tam pro Adam, quam pro Eua. Hic autem in Hebreo sic accipitur Adam. Vnde non constat an accipiatur communiter, vel pro illo primo homine. Exponunt autem Hebrei quod accipiatur communiter, & tunc vocant maximum hominem eum, qui statura maior ceteris erat: & iste est pater trium Gigantum Sisai, Tholmai, & Haiman. Erat autē ipse maior illis, ideo vocatur maximus Adam. Sed non stat conuenienter ista expositio, quia pater istorum Gigantum erat Gigas. Non ergo diceretur rationabiliter, q; ipse erat inter Gigantes, quia signatur quod ipse non erat de Gigantibus: vnde si pro hoc intellexisset, non diceret inter Enacim: sed dixisset maximus homo ibi situs est.

F Oportet autem exponi aliter, siue ponatur Adam appropriate, siue appellatiuē, quod Adam maximus non sit de Enacim. Ex hoc etiam patet erronea aliorum expositio, scil. quod accipiatur maximus Adam pro Arbe, qui fuit conditor ciuitatis huius (vt quidam dicunt) vel magis fuit princeps à quo denominata est Cariatharbe. Nam etiam ipse fuit de Gigantibus, cum dicatur pater Enac, sed Enac, siue accipiatur vt non men proprium, siue vt appellatiuum, signat Gigantem, qui non dicitur esse inter Enacim. Alio modo exponunt aliqui pro Abraham, qui vocatur maximus Adam, id est maximus homo nō statura, sed dignitate: iste enim fuit Patriarcha Hebreorum. Etiam inter Gentiles in magna reputatione habitus est, intantum quod princeps vrbis Hebron, scil. Ephron Hethæus dixerit ei: princeps Dei es inter nos, in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum: nec quisquam te poterit prohibere, Gen. 23.c. & iste erat ibi situs, id est sepultus, vt patet Gen. 25. & 49. Scriptura autem meminit de hoc, quia erat pater Hebreorum. Et de isto dicitur, quod erat situs inter Enacim, quia toto tempore præterito antequam Caleb acquereret Hebron, erat Abraham in terra Gigantum, quæ non pertinebat ad genus suum.

Alio modo & conuenientius dicitur: quod dicitur maximus Adam pro ipso primo parente, quem sacra scriptura excellenter, vel appropriate vocavit solum Adam. Et est sensus, quod Adam maximus, id est primus homo, qui est maximus, cum sit pater & origo totius speciei, est situs inter Enacim, id est sepultus fuit in vrbe Hebron in terra Gigantum, & iste est superior atque communior sensus, quem ferunt omnes Catholici tenent: nam Adam vixisse perhibetur apud vrbem Hebron, & ibi finiisse dies suos, ibiq; sepultus est cum Eua coniuge sua, ibi quoque eum formatum perhibent. Nam extra paradisum eum formatum constat: Eua autem formatum fuit in paradyso, vt colligitur Genes. 2. sic quoque testantur etiam gentes, quæ nunc habitant apud vrbem Hebron. Et ab antiquo huius testimonium est, Vallis quoque quædam apud vrbem Hebron, quæ ab incolis vulgariter vallis lachrymarum appellatur, eo quod Adam cœtum annis ibi Abel filium

A Iuum defunctum, vel magis occisum fleuerit quousque ab angelo admonitus est, ut cognosceret Euam vxorem suam. De hoc in libro de situ terrae sanctae. De hoc etiam Iosephus libro primo Antiquitatum: & quia in nullo alio loco tactum fuerat de sepulchro Adæ, voluit hic tangere Scripturam. Et concordat ista expositio valde superiori literæ. Nam vrbis Hebron vocata est Cariatharbe, id est ciuitas quatuor virorum, scilicet Patriarcharum. De tribus eorum, scil. Abraham, Isaac & Jacob constabat Gen. 49. quod ibi sepulti erant. De Adam autem nequaquam, ideo additum est de quarto viro. Et dicitur quod iste est Adam maximus, id est protoplastus. Quidquid autem veritas sit, constat quod litera nostra intenderit istum sensum: nam si litera nostra intendisset pro aliquo alio homine, non posuisset nomem Adam, quod apud Latinos ponitur tanquam proprium, sed diceretur homo maximus ibi situs est inter Enacim. & tamen posuit Adam: ideo intellexit de illo primo, quem vocat Adam, & non hominem nomine Latino communis.

B *Littera expositio.* Et terra cessauit à prælijs. Ista litera non dependet immideatè ex superiori, quia non est sensus quod ex hoc quod Adam maximus inter Enacim situs est terra cessauit à bellis quoque modo exponantur superiora: nihil enim sibi attinent, sed dependet ex alia sententia non tanquam ex causa, sed cōsecutiū modo historico, scilicet tradidit Iosue urbem Hebron Caleb, & tunc terra cessauit à prælijs, scilicet, quod post dationem vrbis illius non fuerunt bella, id est quod non pugnauit totus Israël contra Chananæos sicut prius pugnaerant, sed fuerunt facta alia bella mortuo Iosue contra Chananæos, cum quælibet tribus pugnabat contra aliquos de Chananæis, qui erant in sorte sua, sicut pugnauit Caleb contra Hebron, & Dabir, & aliæ tribus contra alias vrbes, de quibus Iud. i. ca. & non cessauit terra à prælijs post petitionem vrbis Hebron, & concessionem, tanquam tunc durarent bella, & postea cessauerint, sed prius cessauerant. Nam iam agebatur de diuisione sortium per tribus, cum Caleb ita petijt. Diuisione tamen, post cessationem à bellis, facta est: quia cum pugnabant, nihil aliud agebant. Et patet, quia iam cessassent bella, quia erat tunc Iosue in Galgalis, ut patet suprà in litera, quia redierat ad ipsum locum castrorum postquam cessauerunt à bellis, & in ipso loco actum est de diuisione sortium aliquarum tribuum, scilicet Iudæ, & Ephraim, & dimidiæ tribus Manasse. Datae sunt autem sortes illis, & tunc manserunt aliquanto tempore Israëlitæ non facientes sortes pro residuis tribubus, quousque congregati sunt in vrbe Silo, quæ erat in tribu Ephraim, & ibi posuerunt tabernaculum Domini, & dixit Iosue ad totum Israël: vsquequo marcescet ignavia, & non intratis ad possidendum terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis? Et tunc elegerunt singulos viros ex singulis tribubus, & iuerunt ad considerandum totam terram, & describendam eam, ut diuideretur proportionaliter: & tunc fuerunt assignatae sortes alijs tribubus, ut patet infra 18. & 19.

C A P V T X V.

G I T V R sortes filiorum Iudæ per congnationes suas ista fuit. A termino Edom, usq; ad desertum Sin contra Meridiem, & usq; ad extremam partem australis plagiæ. Initium eius a summitate maris salissimi, & à lingua eius, quæ respicit Meridiem. Egredietur q; contra ascensum Scorpionis, & pertransit in Sina: ascendit q; in Cadesbarne, & peruenit in Esrom ascendens ad Dar, & circuiens Carcaa, at q; inde pertransiens in Asemona, & perueniens ad torrentem Aegypti: erunt q; termini eius mare magnū. Hic erit finis Meridianæ plagiæ.

I G I T V R sortes. Suprà positum est de personis terram diuidentibus, & de quibusdam pertinentibus ad terræ diuisionem, scil. quomodo acceperit Iosue in possessionem urbem Hebron cum alijs vrbibus, quæ erant in monte vrbis ipsius: hic agitur de ipsa terræ diuisione.

Alph. Toft super Iosue Tom. 5. pars II.

D Terra duplicitè est diuisa quibusdam in hereditatem, alijs in eleemosynam.

Q V A S T I O I.

C I R C A quod considerandum est, quod terra diuisa est duplicitè. Quibusdam diuisa est tanquam in hereditatem, scilicet duodecim tribubus Israël. Alijs diuisa est tanquam in eleemosynam ad solam habitationem, & non in hereditatem, & isti sunt filii Levi. De distributione autem ciuitatum quæ his prouenerunt, patet infrà vigesimoprimo, scilicet quid sacerdotibus, & Leuitis de qualibet tribu prouenerit. Primum, in quo de diuisione terræ in hereditatem agitur, diuiditur in duo, quia primò assignatur possessio duabus tribubus, & dimidiæ: deinde assignatur septem tribubus: seunda infra 18. cap.

In quo considerandum, quod tota terra Chanaan largè dicta, scilicet tota terra promissionis distribuenda erat in duodecim sortes pro duodecim tribubus Israël, quia Leuitæ non erant accepturi partem, ut patet suprà 13. & præced. cap. hæc autem terra, quæ diuidenda erat, habebat duas partes principales, scilicet unam ante Iordanem ad Orientalem plagam eius, quam cepit Moyses, ut patet suprà 12. & 13. alia erat ad Occidentalem plagam Iordanis, & istam ex parte cepit Iosue, & pars eius nunquam capta est, sed subiecta tributis, ut declaratum fuit suprà 13. Prima pars, quæ erat ante Iordanem diuisa est in tres sortes, & data est duabus tribubus & dimidiæ, scilicet Rubenitis, Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse, supra 13. cap. alia pars trans Iordanem manebat diuidenda nouem tribubus, & dimidiæ, quibus daturus erat Iosue possessionem, præced. cap. & in his non fuit facta diuisione in eodem tempore, sed duabus tribubus, & dimidiæ primò sortes datae sunt, scilicet tribui Iudæ, Ephraim, & dimidiæ Manasse, & sic erant iam quinq; tribus habentes sortes. Manebant septem, quæ postea aliquanto tempore suscepserunt sortes. De his infra 18. & 19. Prima in tres, secundum quod assignantur tres sortes tribuum. Prima sortes tribui Iudæ. Secunda sortes filii Ephraim. Tertia sortes dimidiæ tribui Manasse: secunda infra 16. tertia decimonono. Prima diuiditur in quatuor partes. Primò ponitur possessio filiorum Iudæ in speciali: secundò ponitur possessio Caleb, qui erat de filiis Iudæ in speciali: tertio describitur numerus ciuitatum: quartò assignatur conditio quorundam hostium. Secunda ibi. Caleb vero. Tertia ibi. Eruntque ciuitates. Vel ibi. Hac est possessio tribus. Quarta ibi. Iebuseum autem.

Prima diuiditur in quatuor partes secundum quod termini sortis Iudæ assignantur respectu quatuor punctorum mundi, scilicet Orientis, Occidentis, Austris, & Aquilonis diuidendo totū horizontem in quatuor quartas æquales super planitiem eius transversibus duobus diametris intersectibus se ortogonaliter: & quatuor puncta, ad quæ terminantur Oriens, Occidens, Meridies, & Auster. Et quia quælibet terra habet aspectum ad ista quatuor puncta mundi, accipiuntur limites regionū singularum per aspectum ad hæc quatuor puncta, & formatur quælibet regio tamen quadrata, quamquam sit trigona, vel circularis, aut alterius figuræ: & cuilibet horum punctorum damus unum latus, scil. latus Orientale, Occidentale, Australe, Aquilonare. Et ista quatuor latera assignantur hic in sorte Iudæ: primò describitur latus Meridianum, secundò contra latus Orientale, tertio contra Aquilonare, quartò contra Occidentale. Secunda ibi. Ab Oriente vero. Tertia ibi. Et transbit ab Aquiloni. Vel magis ibi. Ascendit q; terminus in Bethagla. Quarta ibi. Et maris magni.

Quis fuit modus diuidendi terram tribuum per sortes. Et quod tribus Iuda primò petijt hereditatem suam.

Q V A S T I O II.

F *Diuisione prima partis huius capit.* C I R C A primum erant duo dubia hic inquirenda. Primum est, quia hic dicitur, quod quælibet tribus accepit sortem, quis modus fuerit diuidendi terram per sortem, cum iubeatur quod maior pars pluribus detur, & minor paucioribus, & tamen omnia sortibus diuidantur, Numeri 26.

A de hoc declaratum fuit eodem cap. & declarabitur infra decimoctauo.

Secundum dubium est, quomodo sortes non fuerunt simul factae, sed primò fuerunt datae sortes possessionum tribui Iudæ, & Ephraim, & dimidia Manasse, deinde septem reliquis.

Respondebit aliquis fortè quod hic fuisset obseruatus aliquis fauor, scilicet, quod Iosue voluerit magis complacere filiis Iuda, quia erat honorabilior tribus, deinde dedit filiis Ephraim, quia ipse erat de tribu Ephraim, Num. 13, postea autem dimidia tribui Manasse: quia etiam pertinebant isti ad cognitionem Ephraitarum, cum Ephraim & Manasse essent filii Ioseph, ceteris autem tribubus non curauit immediate assignare possessionem.

Sed non est hoc dicendum de Iosue, qui erat vir iustus, quod fauorem & affectionem personarū obseruauerit, potissimum, quia in hoc multum grauaret ceteras tribus, si diffiret magno tempore dare eis possessiones suas.

Item non stat, quia magis videtur quod ipse esset paratus diuidere terram, & dare cuilibet tribui sortem suam, sed non curabant Israëlitæ accipere sortes, ut colligitur infra decimoctauo.

Respondendum est igitur, quod dum bella durauerunt, Israëlitæ non petierunt diuidi eis sorte possessiones, nec Iosue hoc curasset. Habita autem pace Israëlitæ non petierunt diuidi eis sorte, sed incepérunt possidere terram pro indiuisio, quia latissima erat, & ipsi non valde multi sufficiebat omnibus, vt vacarent agriculturæ vbiunque vellent: & possidebatur tunc terra Cœanan à Iudeis, sicut ab exordio orbis conditi cœperunt possidere homines orbem, & non habebant distinctos agros, nec loca: sed quilibet vbiunque vellet opus faciebat. Si autem terra angusta fuisset sicut nunc propter multitudinem gentium, contendissent super proprietate rerum, & quilibet vellet habere aliquid distinctum à ceteris, ita Iudei à principio, quia pauci erant, possidebant pro indiuisio, & non curabant petere proprias sortes.

Prima autem tribus curans petere hæreditatem, fuit tribus Iuda, & hæc accessit ad Iosue in Galgalis, vt patet c. precedent. petens hæreditatem: tunc tam Iosue quam alij diuise res terræ, de quibus Numer. 34. dederunt tribui Iuda tantum de terra, quantum putauerunt ei correspondere proportionaliter in respectu ad omnes alias tribus. Cùm autem ista tribus cœpit possidere sortem suam, tribus Ephraim petiit hæreditatem, & conformiter ei data est, de qua habetur sequent. cap. Postea vero dimidia tribus Manasse petiit, & data est ei iuxta terram Ephraitarum fratrum suorum possessio: de qua infra decimoctauo. Ceteræ autem tribus septem non curauerunt petere sortes, sed terra residua præter sortem Iuda, & filiorum Ioseph possessa est pro indiuisio ab omnibus septem tribibus, nec curauerunt petere determinatas sortes, quousque Iosue increpauit tribus istas dicens: Vnde quoque marcescit ignavia, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis: vt patet infra decimoctauo. & tunc iubente Iosue elegerunt viros, qui describerent totam terram medium in septem sortes, & sic factum est. Postea autem positæ sunt sortes pro his tribibus in Silo in Sanctuario coram Domino, eodem cap. si tamen Iosue non increpauerat eos non petierant, nec receperant sortes suas fortè vñque ad magna tempora, cùm adiuncta multitudine non possest conuenienter exercere terram, nisi diuiderentur singulis tribibus portiones. Et sic non videtur respondendum, quod tribui Iuda fuerit primò assignata possessio, quia erat excellentior tribus, & regia, sicut dicit Nicolaus. Et deinde filii Ioseph, scilicet tribui Ephraim & dimidia tribui Manasse, quia transierat ad eos vnum de iuriis primogenitura Ruben. Sed ista tribus primò petiit sortem, & primò ei data est. Ceteræ autem postea petierunt, scilicet Ephraim, & Manasse: alijs autem septem non petentiibus data est possessio. Vnde si tribus Zabulon vel Nephtalim primò petiissent sortes, quam ceteræ tribus, primò eis darentur quam tribui Iuda, & quam Ephraim, & Manasse, & sic de ceteris.

Et hoc pater in tribu Ruben, Gad, & dimidia tribu Manasse: nam istæ non erant nobiliores tribus ceteris, cùm magis tribus Gad esset de filiis ancillarum, & tamen istis primò

D datae sunt sortes, quam ceteris ante transitum Iordanis, Numeri 32. & Deuter. tertio, & hoc viuente Moysè, vt patet eisdem capitulis. & hoc, quia petierunt, vt daretur eis: Numeri trigesimo secundo. Si autem quæcumque alia tribus à principio petiissent, illi fuisset data possessio. De tribu Iuda sic reperitur, quod ipsa petierit possessionem, præcedenti capitulo. De ceteris autem non patet, ergo ipsi primò data est possessio: nec fiebat aliquid excellentius tribui, quæ à principio suscipiebat possessionem, quoniam non dabatur ei propter hoc aliquid maius, quam alias dandum foret, sed proportionaliter ad alias tribus. Vnde quia tribui Iuda a principio magna possessio data est, postea de urbibus eius data est pars tribui Simeon, & non recepit partem alterius terræ, vt patet infra 19.

Considerandum autem circa diuisionem terræ Chanaan quæ est post Iordanem, quod cum tribus Iuda primò in ea petierit sortem, assignata est ei possessio ad partem Meridianam, scilicet ab Oriente usque ad Occidentem terræ illius per totum latus Meridianum. Tribui autem Ephraim data est possessio in parte opposita distantissima, scil. ab Oriente in Occidentem per totum latus Septentrionale, vt patet in seq. cap. Dimidia autem tribui Manasse assignata est possessio apud tribum Ephraim. Hoc dicit Nicolaus.

Sed falsum est, quia in latere Aquilonari est tribus Dan, vt patet infra 19. tribus autem Ephraim est circa tribum Iuda, interposita sola tribu Beniamin, vt declarabitur infra decimoctauo, & consequenter ea, quæ sequuntur ex hoc sunt falsa: sed proueniunt ex intentione Nicolai, de quo magis dicetur infra decimoctauo. ubi videntur haec innui. Mansit autem tota terra media inter Meridiem, & Aquilonem, quæ postea diuisa est in sortes sex: nam filii Simeon qui acceperunt unam de septem sortibus ultimis, non acceperunt hereditatem in terra illa media, sed in ipsa sorte Iude cepit possessionem, quia pars Iuda magna erat, & tribus Simeon parua, poteratq; capi inter terram Iuda, vt patet infra decimonono. fuit factus modus iste diuisionis, quia tribus istæ duæ erat multum bellicosa, & ponebantur in lateribus à quibus poterant venire hostes. A latere enim Orientali hostes nulli poterant venire, quia illa pars protegebatur à duabus tribibus & dimidia manentibus ante Iordanem. Occidens enim terra illarum erat plaga Orientalis terræ aliarum nouem tribuum, & dimidia. Quod patet, quia caput vel Oriens nouem tribuum, & dimidia erat Iordanis, Num. 34. Occidens tamen terræ duarum tribuum, & dimidia erat in Iordanem, vt colligitur supra decimotertio. ad Occidentem quoque non erant aliqui hostes in terra Iudeorum, quoniam Occidens terræ eorum erat mare magnum, Num. 34. sed ab ea parte non erat eis coniuncta gens aliqua, quæ aduersari posset eis. Nisi dicatur de Philistinis, Tyrijs, & Sidonijs, qui erant ad Occidentalem plagam terræ Chanaan.

F Respondendum est, quod isti non erant in termino terræ Chanaan: sed erant intra terram Chanaan tanquam pars illius, & hanc terram iussit Deus diuidi in sortes Israëlitarū, supra 13. maxima autem pars prouenit tribui Iuda, scil. tota terra Philistij, vt patet infra in litera: si autem fuisset extra terram Chanaan in termino eius, fuisset posita aliqua tribus bellicosa in latere Occidentali in transuerso, vt cuius odiret gentes illius: non ergo erat aliqua gens à parte Orientali aut Occidentali hostiis Iudeis: solum autem manebant duo latera, scil. Aquilonare, & Meridianum, ideo ad latus Meridianum data est pars tribui Iuda per totum ipsum latus: in latere autem Aquilonari data est pars filii Ephraim per totum latus: & sic custodiebantur duo latera hostilia. Aliæ autem tribus erant in medio harum duarum: non est ista habitudo sortium, quia in latere Aquilonari non fuit Ephraim, sed Dan, vt patet infra 19. & ibi magis declarabitur de situ sortium in figura.

Igitur pars filiorum Iudei. Hic incipit describi pars filiorum Iudei à parte Meridianæ. Et quamquam ista tribus sit Meridianæ respectu omnium aliarum in terra Chanaan, tamen adhuc ipsa habet in se aliquid Meridianum, & aliquid Aquilonare. Describitur autem primò latus Meridianum, & accipitur hic pars pro terra possessa per sortem. Nulla enim tribus suscepit aliquam possessionem sine forte: & hoc vt scirent, aut certificati essent, quod Deus volebat hanc, vel illam portionem terræ ab hac, vel illa tribu possideri.

Sors

Tribus
Iuda et
Ephraim
in erat
mutu
bellico

Descri-
picio sor-
tes filio-
rum Iudei
à parte
Meridi-
ana.

A Sors enim est aliquid in rebus dubiis signatum diuinæ voluntatis: & quia Iudæi dubitarent an Deus vellet hanc portionem terræ prouenire illi tribui, vel non, volebant sortes quæ à Domino reguntur, iuxta illud Proverb. 16. sortes in simum mitruntur, sed à Domino temperantur: quomodo autem in his certificant nos de eo, quod Deus vult, declaratum est Leuitici decimo sexto, & Nume. 26. atque 34. & infra 18. dicetur. Vnde dicendum, quod tribus Iuda per sortem accepit hanc partem possessionis, de qua hic agitur, & nulla alia tribus sine forte quidquam suscepit. De septem tribibus ultimis quomodo per sortes suscepint possessiones suas, satis patet infra decimo octavo, de Iuda Ephraim & dimidia Manasse non tantum patet: saltem quantum ad modum ponendi sortes, tamē sortes fuerunt positæ pro his tribubus: & prouenerunt eis portiones terræ, quas postea possederūt. De tribu Iudæ patet, quia dicitur hic: Sors filiorum Iudæ. De filiis Ephraim magis patet seq. cap. scilicet, Cecidit quoque fors filiorum Ioseph. De Manasse quoque idem patet infra 17. c. quomodo autem fuerunt posita sortes inter istas tribus, infra 18. declarabitur.

B Per cognationes suas ista fuit. Tota ista terra, quæ hic describitur fuit data filiis Iudæ, sed non fuit data sic integra, & indiuisa, sed diuisa est per familias, sive cognationes. Dicit cognatio speciales cōgregationes cognatorum sub eadē tribu, & quædā vocatur familia, & sunt maiores cōgregationes sub tribubus, aliæ autem sunt sub his congregations minores cognitorum, & vocantur domus: deinde diuiduntur domus per oeconomias & capita virorū, omnibus autem his siebant portiones in adeptione hæreditatis alicuius tribus.

C Modus diuidē dicitur in tribu. Latus meridianū sortis Iuda. Primo enim terra data toti tribui diuidebatur in tot partes, quot familiæ habebat tribus, & portio data cuiilibet familiæ subdiuidebatur in tot portiones, quot erat domus sub illa familia, & deinde adhuc portio domus cuiuslibet subdiuidebatur in alias minores particulas, quo usque daretur cuiilibet in toto populo hæritatis. Erant autem quinque familiæ in tribu Iude, ideo necesse erat, ut diuideretur in quinq; partes. Pimò sunt familiæ hæ, Selaitæ, Pharesitæ, Zareitæ. Esronitæ, Amulitæ, Nume. 26. cap.

D A termino Edom usque ad desertum Sin contra meridiem. Istud est latus meridianum sortis Iudæ: & incipit computari istud latus ab Oriente in Occidentem: nam latus meridianum tangit latus occidentale, & orientale, sicut in quadrato, vel quadrangulo necesse est, ut quodlibet latus tangat duo alia latera, & cum illis claudat duos angulos, scilicet unum ad Occidentem, & aliud ad Orientem: longitudine autem lateris huius est ab Oriente in Occidentem: & sic computatur hic. Incipit autem latus istud apud Edom, quia ibi coniungitur latus orientale lateri meridiani, & claudunt angulum contactus.

Pro quo sciendum est, quod totum latus meridianum terræ Chanaan tenet tribus Iuda, ideo idem est terminus meridianus terræ Chanaan, & totius possessionis Iude. Terminus autem meridianus terræ Chanaan incipit in solitudine Sin apud Edom, & habet ab Oriente in extremitate lateris Orientalis mare mortuum, quod est mare Sodomorum, ita ut solitudo Sin sit ipsum latus meridianum, & mare mortuum sit tanquam extremitas lateris orientalis, & terra Edom sit in contactu duorum laterum: & sic describitur Numeri 34. in principio. Idem modus est hic, quia dicitur incipere fors Iudæ, scilicet extra terram Chanaan, cum de illadixerit Deus, quod non daret Israelitis nec pedis vestigium, Deuter. 2. cap. Sed est Edom terminus extrinsecus, & ciuitas terræ Iude magis coniuncta terra Edom est Bethoron inferior, ut dicitur in libro de divisione terræ sanctæ. Incipit autem latus meridianum sortis Iudæ à terra Edom veniendo contra Occidentem, quia nihil magis est orientale in latere australi terræ huius, quam terra Edom: & ista terra est etiam meridiana terræ Chanaan, quia ipsa inclinatur ad solitudines Arabicas versus Ægyptum.

Usque ad desertum Sin. Procedendo à capite terra Edom ad desertum Sin itur per longitudinem lateris meridiani sortis Iudæ versus Occidentem, & non est processus iste versus aquilonem, aut Orientem: nam magis orientalis est terra Edom quam desertum Sin, ut colligitur Numeri 34. etiam non proceditur, ut ab austro versus Aquilonem, quia tunc desertum

Sin est ad partem Aquilonarem sortis Iudæ: sed falsum est, cùm desertum Sin sit in ipso latere terræ Chanaan, & consequenter sortis Iudæ: cùm non sit fors Iudæ australior terra Chanaan, quia non est extra eam, sed ad plus erit idem latus meridianum terræ Chanaan, & terræ sortis Iudæ. Quod autem desertum Sin in latere meridiani terra Chanaan sit, patet Nume. 34. & ibi ponitur terra Edom, & desertum Sin in hoc latere meridiani: & dicitur ibi quod pars meridiana incipit à deserto Sin. Hic dicitur quod incipit à terra Edom usque ad desertum Sin. In quo dicit aliquis esse aliquam partem sortis Iudæ. Sed hoc falsum est, quia sola terra Chanaan diuisa est nouem tribubus, & dimidiæ: ideo dicendum quod idem termini ponuntur hic, & Nume 34. sed hic ponuntur termini extrinseci, & ibi intrinseci, cū enim dicitur ibi quod pars meridiana terræ Chanaan incipit à solitudine Sin, ponitur solitudo tanquam terminus intrinsecus, qui est pars ipsius lateris meridiani: & non dicitur ibi quod incipiet à terra Edom, sed quod solitudo Sin est iuxta Edom, scilicet quod nihil de solitudine Sin est intra terram Edom, sed incipit cum ipso latere meridiani terra Chanaan, & apud principium solitudinis Sin, & lateris meridiani Chanaan est terra Edom, scilicet in coniunctione lateris huius meridiani, & orientalis sibi conterminabilis. Hic autem dicitur, quod incipiet fors Iudæ ab Edom, scilicet quod sit terra Edom terminus extrinsecus, ideo dicitur à termino Edom, scilicet quod terminus Edom est principium sortis Iudæ. Et cùm dicitur usque ad desertum Sin, non est intelligendum quod aliqua terra media sit inter terminum terræ Edom, & solitudinem Sin, quæ pertinet ad latus meridianum sortis Iudæ, quia inter terram Edom, & solitudinem Sin nihil interiacet, ut patet Nume. 34. cùm dicatur quod solitudo Sin est iuxta terram Edom, item quia dicitur ibi quod plaga meridiana incipiet à solitudine Sin. Tunc ergo non poterit esse aliquid inter terram Edom, & solitudinem Sin, vel non coniungetur terra Edom terra Chanaan: quod falsum est, cùm supponatur esse in coniunctione lateris meridiani, & orientalis terræ Chanaan, Nume. 34.

Item hic dicitur quod latus meridianum terræ Iudæ incipit à terra Edom, & Nume. 34. dicitur, quod latus meridianum terræ Chanaan incipit à solitudine Sin, ergo solitudo Sin, & terra Edom sunt idem, vel coniuncta solitudini Sin, cùm fors Iudæ sit aliquid intra terram Chanaan. Ista ergo præpositio, usque, non dicit hic terminum, sed continuationem, vel medium, sicut ista præpositio, per: ut si dicatur, quod fors tribus Iudæ incipit à termino terra Edom usque ad desertum Sin, id est, descendendo per desertum Sin, id est, descendendo per desertum Sin versus Occidentem.

Contra meridiem. Non est intelligendum, quod processus à termino terra Edom per desertum Sin sit contra Meridiem, quia tunc sequeretur, quod erant terra Edom, & solitudo Sin in parte aquilonari sortis Iudæ, ita quod terra Edom est magis aquilonaris, & veniendo versus desertum Sin veniretur contra meridiem, sed falsum est, cùm vterq; horum terminorum ponatur in meridie sortis huius: sed est sensus, quod ista præpositio, contra, non determinet aliquid verbum signans motum: ut dicatur contra Meridiem, id est, procedendo contra Meridiem, sed aliquid participium signans quietem, scilicet contra meridiem, id est, illa duo terra Edom, & solitudo Sin sunt sita contra partem meridianam sortis huius, & terræ Chanaan: immò ista duo sunt ipsem terminus meridianus terræ illius.

Et usq; ad extremam partem australis plage. Hic signatur motus, scilicet, quod veniendo de termino terra Edom per desertum Sin procedatur usque ad extremam partem terræ australis, id est usque ad ultimam partem linea meridianæ terræ huius: quia desertum Sin forte pertinet usque ad occidentalem plagam terræ Chanaan, scilicet usq; ad mare magnum, quod est Mediterraneum.

Initium eius a summitate mari saltissimi. Id est, initium plage huius meridianæ est à mari saltissimo, hoc est incipiendo à parte orientali procedendo versus Occidentem, & in extremitate lateris huius est mare saltissimum. Istud enim dicitur esse ad partem orientalem lateris meridiani, Nume. trigesimo quarto, cùm dicitur, pars meridiana incipit à solitudine Sin quæ est iuxta Edom: habebit terminos contra Orientem

A
Mare
Sodo-
mīrū
habet
multa
nomi-
na.

mare falsissimū. Et dicitur esse istud mare Sodomorū, quod multis nominibus vocatur, scilicet mare deserti, mare solitudinis, mare falsissimū, mare mortuū, mare Sodomorū, mare diaboli, lacus asphaltidis. De his omnibus, & quibusdā proprietatibus maris illius declaratum est suprà duodecimo cap. & dicitur à summittate, id est, ab extremitate superiori maris huius, quia istud mare est extensum in tota valle Sodomorum, vbi erant prius quatuor ciuitates. Et nisi diceretur à summittate, crederetur quòd inciperet pars meridiana in mari illo, scilicet in parte occidentali eius, & sic esset mare Sodomorum extra sortem terra Iudea, & terram Chanaan: sed falsum est, ideo ponitur terminus à summittate, id est, à principio maris huius à parte orientali. Et est istud mare apud montes Phasga, qui partim tangunt terram Moab, vt patet Deuteronomij tertio, vbi dicitur quod mare deserti, quod est falsissimum, est ad radices montis Phasga, extenditur autem quædam pars maris huius per latus meridianum versus Occidentem.

Et à lingua eius, que respicit meridiem egreditur contra ascensum scorpionis. Ponitur hic continuitas lateris meridiani, scilicet, quod post mare mortuum tenditur latus meridianum ad ascensum scorpionis: & dicitur à lingua eius, quia illud mare non habet eandem latitudinem vbique, sed arcuatur alicubi, & fit sinus: & quia illæ sinuationes sunt acuta, vocantur lingue. Sunt autem multæ lingue maris huius, & vna illarum respicit latus meridianum, & ab hac continuatur latus ad ascensum scorpionis.

Dicitur respicere contra meridiem, non quòd sit aspectus sicut ab aquilone ad austrum, quia tunc non extenderetur latus meridianum ab illa lingua ad ascensum scorpionis: nam latus meridianū extenditur inter Orientem, & Occidentem. Inter Aquilonem autem & Austrum non est latus meridianum, sed orientale, vel occidentale: ideo est sensus quod lingua maris istius respicit meridiem, id est, ipsa tenditur per Meridiem: sed respicere suum magis propriè est ad Occidentem.

Dicitur egredi contra ascensum Scorpionis, quia ibi cùm dicitur latus meridianum, nō enim intelligimus latera sortis Iudea, quasi latera quadrati, vel quadranguli recta, & æquidistantia: sed non est sic, quia curuatur: nam vix vñquam aliqua linea recta est in aliquo latere, sed quando fiunt magna curvitates, dicitur linea lateris egredi, vel inclinari, vel flecti: & sic egreditur hic latus istud meridianum, sed magis contra meridiem, & ampliatur terra Chanaan accipiendo aliquid de terra, quæ est contra soliditudes Arabicas, & Ægyptum.

Dicitur egredi contra ascensum Scorpionis, quia est aliquis mons, vel aliqua terra magna altissima, & vocatur ascensus scorpionis, quia excelsus locus est, & ibi scorpiones multimanent. Vel vocatur ascensus Scorpionis etiam si non sint ibi aliqui scorpiones, quia interdum sic imponuntur nomina à casu, & voluntate non existente aliquo huius authore: est autem ascensus scorpionis magis meridianus, quam mare falsissimum. Ista clausula aliter designatur, Num. 34. scilicet qui circuibunt australē plagam per ascensum scorpionis, ita vt transcant in Senna, id est, quo termini terra Chanaan circumvent à mari falsissimo per ascensum scorpionis, quia tendere à mari illo ad ascensum scorpionis non est per lineam rectam, sed deflectedem se magis in austrum, & iste circuitus vocatur hic egressio, quod idem est, quia linea egreditur à rectitudine.

Et pertransit in Sina. Aliqui intelligunt esse hunc montem Sinai, quia aliquando vocatur Sina, quia Scriptura non facit in hoc magnam doctrinam potissimum secundum conditio-nem Hebræi idiomaticis, in quo sapientia adduntur, vel apponuntur aliquæ literæ terminales, sicut dicitur Dabir, vel Dabira, Aphec, vel Apheca, Geffuri, vel Gessur, ita Sinai, vel Sina. Sed falsum est, q̄a mons Sinai non est in latere terra Chanaan: nam postquam Israelites fuerunt in monte Sinai ambulauerunt multo tempore versus terram Chanaan, si tamen esset mons Sinai in latere terra Chanaan: immediate, vt fuissent in monte Sinai introiissent in terram Chanaan. Ad hoc aliquis respondebit non valere argumentum, quia Cadesbarne est in latere meridianō terra Chanaan, vt patet hic & Num. 34. & tamen postquam Israelites steterunt in Cadesbarne

ambulauerunt multo tempore priusquam introierent in terrā Chanaan, ita potuit esse de monte Sinai. Respondendum est non stare similitudinem: nam Israelites steterunt bis in Cadesbarne: prima vice in secundo anno ab exitu de Ægypto, cùm miserunt exploratores in terram Chanaan, & tunc in reditu exploratorum non introierunt Israelites in terram Chanaā, quia Deus iussit, vt retrocederent in solitudinem per viam maris rubri, vt patet Nume. 14. & factum est: steteruntq; vsq; ad principium 40. anni, mense primo, & redierunt iterum in Cadesbarne, Num. 20. c. & tunc transituri erant Israelites, sed non permitti sunt transire immediate, quia existentes in Cadesbarne erant in extremitate terræ Edom, transituriq; erant per terram regis Edom in terram Chanaan, cumq; misserint Israelites ad regem Edom, vt concederet eis transitum, noluit, dicens: non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi, vt patet Numer. 20. ideo coacti sunt Israelites circuire montem Seir multo tempore, & peruererunt ad caput orientale terra Chanaā per terram duorum regū Amorrhiorum, vt declaratum est præced. c. si autem permitti fuissent Israelites transire per Cadesbarne immediate introiissent in terrā Chanaan. De monte Sinai non est sic, quia cùm steterunt ibi Israelites, nemo aduersatur eis, nec prohibuit accedere ad aliqua loca, ideo si esset in oīs Sinai in latere terra Chanaan non fuisset mora tāti temporis, & peruvagatio tot mansionum: nā inter montem Sinai, & Cadesbarne sunt quasi 21. mansiones, vt patet Num. 33. & in his non legitur, quòd quis aduersaretur Iudeis, sed procedebat recto itinere in terram Chanaan. Nec est etiā dicēdum, quod Deus faciebat eos circuire, sicut fecit postquam steterunt in Cadesbarne: nā in Cadesbarne peccauerūt murmurantes, & Deus dedit eis in pœnā, quòd 40. annis vagarentur per desertum, vt patet Nume. 14. & tunc cœperunt vagari: cùm autē veniebant de monte Sinai in Cadesbarne nondum peccauerāt, nec in eos vlla pœnalis sententia fuerat promulgata, ideo non habebant occasionem vagandi. Item si mons Sinai esset in latere meridianō terra Chanaan, cùm etiam ponatur Cadesbarne in eodem latere meridianō, vt patet hic, & Nume. 34. ambulauissent 21. vel 22. mansionibus Israelites per ipsum latus meridianum terra Chanaan descendendo à parte orientali lateris eius versus occidentem, quia magis orientalis locus ponitur hic Sina, quam Cadesbarne, sed ista non conueniunt.

Item non stat, quia si mons Sinai esset, de quo hic dicitur, & in latere terra Chanaan, quādo Israelites illuc accecerunt misserint exploratores ad sciendum conditiones terra Chanaan, sicut miserūt, quādo erant in Cadesbarne, quæ est apud terrā Chanaan, de quo præced. c. sed non miserunt inde, ergo non est Sinai coniunctus terra Chanaā. Item patet hoc modo scribendi Hebraico: nam mons Sinai, in quo data est lex scribitur per literam Samech, quam Hebræi Cana vocant. Sina autem, de quo hic scribitur per literam Sade, quam Hebræi vocant Cadi. Dicendum ergo, quòd non sit mons Sinai. Aliqui dicunt, quod accipitur hic Sina pro deserto Sin, quod potest vocari Sina ex modo Hebraico addendo literam sicut Mizraim, & Mizraima, Dabir, Dabira, Sed non stat, quia Sina est intra ipsum latus meridianum terra Chanaan, cùm aliqua partes sint ante illam veniendo à parte orientalis lateris huius, & aliæ sunt post eam eundo versus occidētem. Desertum tamen Sin est in principio lateris huius, vt patet Numer. 34. scilicet, plaga autem meridiana incipit à solididine Sin, ergo non sunt idem.

Sed est Sina nomen loci, vel montis, qui vocatur alio nomine Senna, quod patet Num. 34. vbi ponuntur istam loca in latere meridianō, quia sicut ponitur hic principium lateris in mari solitudinis, & deinde ascensus scorpionis, & postea Sina, ita ponuntur ibi duo prima, & deinde Senna, ergo non est hic Sina mons Sinai, nec desertum Sin, sed aliquis alijs locus, vel mons.

Ascenditq; in Cadesbarne. Iste terminus est consequens in latere meridianō post Sina, & sic ponitur in descriptione huius lateris, Num. 34. post Senna Cadesbarne, & excelsa in mōribus: tetra autem Sina, de qua erat processus est terra plana, vel vallium, Num. 34. dicitur hic, quod de Senna peruenient in meridiem termini, vsque Cadesbarne, & fortè est hoc, quia cùm tendatur de Sina versus Cadesbarne sinuatur in arcum linea lateris illius, & est egressus ad partem magis meridianā.

C
Ascen-
sus scor-
pionis
gd. fit.

C

Dicitur
sentia.

F

D

E

Aridianam ad interiores partes solitudinis Arabicæ. Est autem locus iste Cadesbarne ubi steterunt Israelite in secundo anno ab exitu de Ægypto, de quo miserū exploratores, Num. 13. & suprà præcedenti cap. in hoc loco iterum steterunt anno 40. ab exitu de Ægypto, & ibi mortua est Maria soror Moysi, & murmurauit Israel pro aqua, atq; condemnati sunt ibi Moyses, & Aaron ne introirent in terram Chanaan, quia non laudauerunt Dominum coram Israëlitis, Nume. 20.c. Est autem Cadesbarne in extremitatib' regni Edom, & cùm ibi steterunt Israelitæ, trāsire voluerunt, sed non permisit eis rex Edom, Nume. 20.

B *Et peruenit in Esrom.* Id est, de Cadesbarne versus occidētem extenditur istud latus tendendo in Esrom. Hic variat̄ur nomina locorum, per quæ describitur latus hic, & Numer. 34. nam hic ponuntur plura nomina, quā ibi, quia hic ponuntur tria, vsq; Asemona, scilicet Esrom, Addar, & Carcaa, sed Numer. 34. ponitur solum villa nomine Addar, & hoc quia quamquā eadem linea describitur hic, quæ ibi, tamen ponuntur hic plura loca ad magis notificandum, tamen nec hic, nec ibi notificantur omnia loca lateris illius. De Esrom an sit nomen loci, vel montis, aut regionis alicuius non patet.

Ascendens ad Addar, id est, inde extenditur terminus iste lateris meridiani ad locum, qui dicitur Addar, vel Daram, vt alii scribunt, & dicitur ascensio, quia à terra Esrom versus Addar est ascensus. Est autem ista villa, quæ ponitur Num. 34. cap. post Cadesbarne, & dicitur: inde egrediuntur cōfinia ad villam nomine Addar, & subtinetur ibi Esrom.

Et circumiens Carcaa. Iste est locus, vel magis aliqua regio sic dicta: & est in latere illo meridiano magis versus occidētem, & dicitur circuiens, quia cùm perueniarur ad villam nomine Addar, curuatur linea lateris illius magis versus meridiem, & circuit terram Carcaa.

Atq; inde pertransiens in Asemona. Nomen loci est ad quem peruenit post terrā Carcaa, & iste locus ponitur Nume. 34. post villam nomine Addar, quia subtinetur ibi Carcaa.

C *Et perueniens ad torrentem Ægypti.* Istud est circa finem lateris meridiani, ubi coniungitur occidentali, & isto modo ponitur Num. 34. quia post Asemona sequitur torrens Ægypti, & istud est in terra Philisthijm. Nam terra Philistinorū est in terra Chanaan in extremitate eius, ubi coniungitur latus meridianum lateri occidētali. Torrens enim Ægypti, de quo dicitur hic est latus meridianum terræ Philistinorum, vt patet suprà 13. cùm dicitur: Latissima terra derelicta est, quæ nondum forte diuisa est, omnis Galilæa Philisthijm, & vniuersa Gessuri à flumine turbido, qui irrigat Ægyptum, vsq; ad terminos Acharon contra aquilonem, & sic procedit terminus iste à meridie ad aquilonem, & computatur ibi tota terra Philisthijm, quæ in quinque regulos diuiditur, vt patet in litera: tamen ponitur incipere à flumine turbido, qui irrigat Ægyptum. Ponitur autem hic torrens Ægypti, tanquam terminus in latere meridiano terræ Philisthijm, quæ diuiditur in quinque regulos, & terminus aquilonaris ponitur in Acharon. Vocatur hic torrens Ægypti, & Num. 34. identidē, qui ponitur terminus in latere meridiano, iuxta occidētem. Vocatur tamen alibi fluuius, vt patet Gen. 15. ubi ponitur terminus terræ possidente à semine Abrahæ: semini tuo dabo terram hanc à fluuiu Ægypti, vsq; ad flumen magnum Euphratem, & ponitur ibi fluuius Ægypti pro termino in latere meridiano, quia Euphrates est in latere aquilonari terræ Chanaan, & illi duo termini ponuntur ibi, tanquam oppositi. Etiam vocatur fluuius, suprà 13. ubi dicitur, quod multa terra derelicta est à fluuiu Ægypti, vsque ad terminos Acharon, sed necessariò ponitur ibi fluuius Ægypti pro latere meridiano, cùm ponatur ei terminus oppositus in Acharon, & ille dicitur esse in latere aquilonari, nec est differētia magna, quod vocetur torrens Ægypti, vel fluuius Ægypti.

Non est tamen intelligendum, quod terra Ægypti coniungatur terræ Chanaan in aliqua parte, sed quod fluuius quidam descendens de Ægypto, & fluens per Arabicas solitudines varijs flexuosis anfractibus circuitus tangit extremitatem meridianam lateris terra Chanaan, ubi coniungitur latus meridianum occidentali. De isto flumine quidam dicunt quod sit fluuius parvus, qui vocatur Riuocorula labens per deserta Arabicæ. Aliqui verò dicunt esse Nilum fluuium

magnum irrigantem Ægyptum. Quid horum sit, declaratum est, suprà 13. circa principium. Si aliquis velit dicere manifestum esse, quod non sit Nilus, quia vocatur torrens, Nilus autem est de maximis fluminibus totius orbis: est enim unus de quatuor fluminibus egredientibus de paradiſo.

Respondendum est non esse hoc alicuius efficacia, quia modus loquendi Hebraicus in hoc non est multum distinctus, interdum vocans torrentem, interdum fluuium, quia sèpè congregations aquarum non magis appellat maria, & fluxus aquarum graues & magnos vocat torrétes. Potissimè, quia quamquā hic vocetur torrens Ægypti, tamē alibi vocatur fluuius, & signatur esse magnus, Gen. 15. & suprà 13. & necesse est esse eundem, qui vocatur hic torrens, & ibi fluuius. Nihil ergo hoc probat.

E *Eruntq; termini eius mare magnum,* id est, terminabitur istud latus meridianum in mari magno, quia non protenditur ulterius terra Chanaan, sic dicit Nume. 34. scil. & maris magni littore finiet. Vocatur mare magnū mediterraneum, quia nō potest hic accipi pro mari oceano: nō enim tāgit oceanus terram Chanaan, cùm ipsa nō sit in extremitatibus mundi: mare autē Hispanticum, quod vocatur Atlanticum à Gadibus Herculis in circuitu totius Hispaniæ per terrā Gallicorum, & Visaciorum, vocatur oceanus, & ibi iam vocatur mare Britannicum, quia Britannia maiorem, & minorem tangit. Terra autem Chanaan est in umbilico terræ habitabilis (vt ferū) ideo nō potest attingi oceano, sed mediterraneo, quod abluit totum latus occidentale terræ Chanaan apud ciuitates Philistinorū, & Tyrum, & Sidonē, quæ dicuntur urbes maritimæ. Vocatur autē istud mare magnū in cōparatione aliorum mariū, quæ sunt in terra Chanaan: sunt enim duo, scil. mare Cenereth, & mare salissimum. Vtrunque ponitur sup. 12. sunt in latere orientali terræ Chanaā, sed mare Cenereth est versus aquilonare lat: mare autē solitudinis est in cōiunctione lateris orientalis, & meridiani, vt patet Num. 34. mare em Cenereth est, quod vocat in Euāgelijs mare Genesareth, vel stagnū Genesareth, aut mare Tyberiadis, vel mare Galilæa. De hoc declaratū est sup. 12. & 11. de isto intelligitur quando cunq; dicit, quod stabat Iesus circa mare, vel nauigabat, aut ambulabat super fluctus maris, qd istud mare est in terra Galilæa, & vocat mare Galilæa, Mat. 3.c. Christus autem natus est in terra Galilæa, scil. in ciuitate Nazareth, quæ est in Galilæa; ideo vocabat eum Galilæū, & discipulos suos Galileos, sic dicitur Luc. 23. vbi dixit Pilatus Christum esse de Galilæa, & propter hoc remisit eum ad Herodem, cuius erat terra Galilæa, & discipuli Christi vocabantur Galilæi. Nam ancillæ domus Caiphæ vocauerunt Petrum Galilæum, Luc. 22. & ob hoc cùm venit in terram Ierusalem prædicare, multæ mulieres secutæ sunt eum à Galilæa ministrantes ei, vt patet Marc. 15.c. Fuit quoq; ista occasio magna ad hoc quod Iudei dicent Christum nō esse Messiam, qd de Galilæa erat. Sic patet Ioan. 7. cùm dixerunt Pharisæi ad Nicodemū: Nunquid & tu ex discipulis cūs es? Scrutare scripturas, quia Propheta à Galilæa non surgit, id est, Messias non est nasciturus de Galilæa. Erat quoq; Nazareth ciuitas Saluatoris circa mare illud Genesareth, vt patet in libro de situ terræ Sanctæ, & ipse p mare quadam vice in Nazareth venit, Matth. 9. scil. ascēdit Iesus in nauiculā, & transfretauit in ciuitatem suam. Apud istud mare reigitur Genesareth Saluator enutritus est in parua etate, & ibi prædicauit atq; fecit sanitates multas, & alia miracula, & in istud mare præcipitaverunt se porci, quos arripuerūt dæmones exentes de corpore cuiusdam sanati à Christo, Matt. 8. Aliud mare est in terra Chanaā, quod vocatur mare Sodomorum, & est in latere orientali terræ illius. Ad istud non legitur Christus accessisse, quia non est terra habitata in circuitu illius, sed tota infructifera, & fructus aliqui producti ibi, licet habeant colorem pulchrum, tamen cùm tanguntur fumum emittunt, & ad combustionem non proficiunt: sic ait Solinus in Polyhistor. cap. de Iudea. Multa nomina habet istud mare, de quibus suprà, nam de vtroque latè dictum est, suprà 12. Respectu istorum marium vocatur mare mediterraneum, mare magnum, quia ista non sunt maria, sed stagna. Vnde interdum mare, quod vocatur Cenereth, alio nomine vocatur Genesareth, vocatur stagnum. De mari Sodomorum erā patet, quia prius erat regio habens ciuitates quinq; quarum fuerūt quatuor submergæ, & terra stagnata trāsciente

Terra
Chanaan
ponitur
in um-
bilico
terra
habita-
bilis, et
quot
maria
habet.

F
Naz-
areth et
ciuitas
Salua-
toris.

A Iordan super eam, nec magis mare illud continet, quām spaciū vallis illius, vbi erāt quatuor ciuitates. Mare autem mediterraneum à mari magnō progreditur, & protendit inter terminos terrarum. Huius est, quod abluit terminos terrae Chanaan: ergo in comparatione duorum rectē vocatur mare magnum.

Hic erit finis meridianæ plagi, scilicet lateris meridiani perueniendo à parte orientali terræ Chanaan, vbi est mare mortuum, & tota longitudine lateris huius est inter duo maria.

Ab oriente verò erit initium, mare salissimum, usque ad extrema Iordanis, & ea, quæ respiciunt ad aquilonem à lingua maris, usque ad eundem Iordanis fluuium. Ascenditq; terminus in Bethagla, & transit ab aquilonem in Beitaraba, ascendens ad lapidem Boen filij Ruben, & tendens usq; ad terminos Debera de valle Achor contra aquilonem respiciens Galgala, quæ est ex aduerso ascensionis ad Ommin ab australi parte torrentis, transitq; aquas, quæ vocantur fons Solis, & erunt exitus eius ad fontem Rogel, ascenditq; per conualem filij Ennom, ex latere Iebusai ad meridiem, hæc est Ierusalem, & inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Gehennom: ad occidentem in summitate vallis Raphaim contra aquilonem: pertransitq; à vertice montis, usq; ad fontem aquæ Nepthoa, & peruenit usq; ad vi. cos montis Ephron, inclinaturq; in Bala, quæ est Cariathiarim id est, vrb̄ syluarum, & circuit de Bala contra occidentem, usque ad montem Seir, transitq; iuxta latus montis Iarim ad aquilonem in Cheslon, & descendit in Bethsames, transitq; in Thamna, & peruenit contra aquilonem partis Accaron ex latere, inclinaturq; se chrona, & transit montem Bala, peruenitq; in Iebneel, & magni maris contra occidentem fine concluditur. Hi sunt termini filiorum Iuda per circuitum in cognitionibus suis.

Descrip. pris fortis filiorū Iudea à parte orientali.

B Ab oriente verò. Hic describitur aliud latus terræ sortis Iudea, & sciendum, quod terra Chanaan, & sors Iudea habent idem latus meridianum totaliter, vt patet comparando latus sortis Iudea, quod hic descriptum est, ad latus australe totius terræ Chanaan, quod describitur Numer. 34. cap. Cetera autem latera non sunt totaliter eadem: nam licet latus orientale terræ Chanaan, & sortis Iudea sint idem quantum ad aliquid, tamen magis extenditur latus terræ Chanaan, cùm aliæ sortes etiam terminentur ad latus orientale terræ illius. De latere occidentali idem est, quia partim communicant, sed non penitus: in latere autem aquilonari nullatenus communicant, quia latus illud est in forte Dan, sed magis latus aquilonare sortis Iudea est latus meridianum sortis Beniamin, cùm sint coniunctæ istæ tribus infrà 18.

Ab oriente verò erit initium mare salissimum. Suprà dixerat esse mare salissimum principium lateris meridiani, hic dicit esse principium lateris orientalis, & verum est, quia in continuis vltima sunt idem. Latus meridianum coniungitur latere orientali in extremitate sua, & continuantur, est autem contactus iste in mari salissimo: neesse est igitur esse mare istud principium vtriusque lateris, & sic assignatur Numer. 34. vbi describitur terminus orientalis terræ Chanaan, & nunc describitur principium lateris huius orientalis incipiendo à latere meridiano, versus latus aquilonare, & in isto latere nihil est magis ad meridianam partem, quām mare salissimum, quod est in vtroque latere.

Visque ad extrema Iordanis, id est, peruenit latus istud orientale ad extremitatem Iordanis, scilicet tendendo à meridianâ parte versus aquilonarem: ista plaga orientalis terræ Chanaan contrario modo computatur, Numer. 34. cap. scilicet à parte aquilonari versus meridianam, & dicitur usque ad extremitatem Iordanis, scilicet ad partem aquilonarem, de qua fluit Iordanis.

D Initium Iordanis vbi. Et quod mare Sodomorum habet quasdam arcuationes. Et Bethagla, quæ ciuitas sit, quæ itidem sit Betharaba.

Q V A S T I O III.

P Ro quo sciendum, quod Iordanis oritur ad radices montis Libani apud ciuitatē Paneas, & inde fluit versus meridiem: est autem terminus ipse orientalis terræ Chanaā, & fluit usque ad mare mortuum, vel salissimum, de quo hic dicitur.

Quod patet suprà 3. vbi dicitur, quod cùm diuisus est Iordanis trascuntibus Israelitis, aquæ superiores steterūt in modum muri, & inferiores fluxerunt usque ad mare solitudinis, quod vocatur mare mortuum, tunc incipiendo ab ipso mari per auleum Iordanis versus aquilonē est alucus Iordanis terminus terræ sortis Iudea, non est autē sensus, quod à mari salissimo per ipsum Iordanis auleum, usq; ad fontem Iordanis tendatur terminus terræ filiorū Iudea, quia multæ aliæ sortes terminantur ad Iordanem in terra Chanaan, quod non esset si tota latitudo Iordanis, scil. ab eo loco, quo ingreditur mare mortuum, usq; ad fontem suum terminaret solam frontem orientalem terræ Iudea, sors tamē Benjamin habet ab oriente Iordanem, vt patet infrà 18. sorsq; Ephraim habet ab oriente Iordanem, vt patet seq. cap. sed dicitur usq; ad extremitatem Iordanis, id est, usque ad extremitatem illam, in qua coniunguntur mare salissimum, & Iordanis.

Pro quo sciendum est, quod mare salissimum habet latitudinem magnam, quia extenditur in tota valle Sodomorum, vbi erant quinque ciuitates, quarum perierunt quatuor. Extensio autē maior est eius versus aquilonē, de qua parte venit Iordanis, & tunc dicitur, quod tota frons mari salissimi est in latere orientali sortis Iudea, & hoc usque ad extremitatem partem Iordanis, vbi coniungitur Iordanis mari huic, & hoc est versus aquilonem, quia de illa parte venit Iordanis. Extrema autem Iordanis, quæ accipiuntur hic, sunt meridiana ipsi Iordani. Extrema autem septentrionalia eius sunt in fonte suo, quia nihil habet Iordanis magis aquilonare, quām fontem suum cùm ipse fluat ad meridiem, vt colligitur suprà 3. quia descendebant aquæ suæ ad mare mortuum. Et cùm dicitur hic usque ad extrema Iordanis, non est intelligendum, quod sit aliquid inter mare mortuum, & salissimum, & extrema Iordanis hoc modo, cùm ingrediatur Iordanis in mare hoc: sed vocant extrema Iordanis loc⁹, vbi Iordanis ingrediens mare salissimum, incipit nō cognosci. Et cùm dicitur usq; signatur aliquid medium, quia usq; semper importat terminum, ideo est intelligendum, quod litera faciat hic principium lateris orientalis à parte maximè meridiana mari salissimi, vbi coniungitur terræ Edom, & ab illa usque ad extremitatem Iordanis, scilicet vbi coniungitur mari huic est magnum spaciū, scil. tota magnitudo vallis Sodomorum, & medium horum duorum est tota latitudo mari huius: ita quod extremitas sua meridiana ponitur hic tanquam unus terminus, & extremitas sua aquilonaris ponitur, tanquam alijs terminus, & ista est extremitas Iordanis, & istud mare est extremitas vtriusque.

Et ea, quæ respiciunt aquilonem, id est, durat pars orientalis ab extremitate meridiana mari salissimi, usq; ad ea, quæ respiciunt aquilonem, id est, usq; ad partes suas, quæ sunt maximè aquilonares, & dicuntur respicere aquilonares, & inter has partes interiacet tota latitudo mari salissimi, & sunt iste partes, quæ respiciunt aquilonē illæ, vbi coniungit Iordanis mari huic: nā Iordanis non potest coniungi huic, nisi ex partib⁹ aquilonaribus, cùm fluat ab aquilone versus meridiem. Etia sunt alia partes æqualiter aquilonares illis. Et sciendum, quod istud relativum ea, signat partes mari aquilonares.

A lingua mari usq; ad eundem Iordanem fluuiam. Ista non est sententia differens à superioribus, sed declarat magis illas, scilicet quod sit ista latitudo inter linguam mari, quæ est pars meridiana mari huius, & Iordanem, scilicet extremitatem eius vbi coniungitur mari huic.

In quo sciendum, quod mare istud Sodomorum, quod vocatur mare mortuum, vel mare salissimum habet linguas, id est, quasdam arcuationes, vel sinuationes, & una harum est contra meridiem, quæ tendit per latus meridianum terræ

A Chanaan, & fortis Iudæ. Sic patet suprà, scilicet, quod latus meridianum habet initium à summitate maris salissimi à lingua eius, quæ respicit meridiem contra ascensum scorpionis, in illa ergo lingua cōiunguntur latus meridianus, & orientale fortis huius, & nunc latus orientale procedendo à meridie versus aquilonem incipit à lingua maris, & tendit usq; ad Iordanem fluuiū, id est, usq; ad locum, ubi coniungitur Iordanis mari huic, quia ibi incipit Iordanis sic vocari, & ista est extremitas Iordanis, quæ suprà dicebatur. Non est autem intelligendum, quod Iordanis sit aliquod latus aquilonare, & ista lingua maris sit latus meridianus, & inter ea sit latus orientale extensem, sed ipsem Iordanis est pars lateris orientalis fortis Iudæ. Vocatur tamen hic Iordanis locus, in quo incipit Iordanis habere nomen, scilicet quādō coniungitur mari, nā postquam introierit, absorbetur, & nomen perdit: in toto autem quod hic dictum est nihil signatur, nisi quod tota latitudo maris salissimi ab austro versus aquilonem est pars termini orientalis fortis Iudæ. *Ascenditq; terminus in Bethagla.* Hic incipit commisceri terminus aquilonaris fortis huius.

B Et sciendum, quod cū tota terra Chanaan esset divisa in fortis nouem, & dimidiā, necesse erat, ut una fors esset coniuncta alteri, & latus unius est latus alterius, & quia fors Benjamin est cōiuncta fortis Iudæ, latus meridianum fortis Benjamin est latus aquilonare fortis Iudæ, ut colligitur ex locis, quæ assignantur hic in latere isto, & ex locis, quæ assignantur in latere fortis filiorum Benjamin. Et sciendum, quod frons orientalis fortis filiorum Iudæ solum est latitudo maris salissimi, scilicet usque ad locum, ubi coniungitur Iordanis, & vocantur extrema Iordanis. Reliquus autem alveus Iordanis versus fontem suum contra aquilonem non tangit terram fortis Iudæ, sed terram Benjamin, & Ephraim, & patet, quia fors Benjamin etiam habet ab oriente linguam maris salissimi, non quod tangat eam, sed quod terminetur ad partes Iordanis, quæ sunt apud linguam illam, ut patet infra 18. cū dicitur: *Descenditq; in planicie, & prætergreditur contra aquilonem Bethagla, suntq; exitus eius contra linguam maris salissimi: cōstat tamen linguam maris esse partē orientalem, & sic nō est inconveniens, quod cundo ab oriente cōtra occidentē in Bethagla ascendatur, & veniendo ab aliquo loco occidentali respectu Bethagla contra Bethagla, & orientem descendatur.* Et sic est hic, & generaliter in omnibus locis, quæ sunt in medio aliquiū alcensus, quia ab una parte est ascensus ad illa loca, & ab alia est descensus in illa, sic patet de Thamnata. Nam Gen. 38. dicitur, quod descendit iudas in Thamnata, vel Thamnā, & iud. 14. dicitur, quod ascendit Samson in Thamnata. Et vtrunque eundem esse locum volunt.

C *Et transit ab aquilone in Betharaba, id est, de Bethagla peruenit in urbē Betharaba.* Dicitur transire terminus ab aquilone, id est, p partem aquilonare. Nam non signatur hic recessus & terminus, à quo receditur per ista præpositionē ab, q; a tunc esset processus ab aquilone versus meridiē, quia ista sunt termini oppositi: inter aquilonē tamen, & meridiē nihil est, nisi latus orientale, vel occidentale, quorum nullum hic describitur, sed ipsum latus aquilonare fortis Iudæ, & sic ponitur (ab) pro ista præpositione (per) vel (in) scilicet terminus à Bethagla in Betharaba. Et hoc ab aquilone, id est, per latus aquilonare, vel in latere aquilonari, scilicet quod ista duæ vrbes sunt in latere aquilonari fortis Iudæ, & veniendo à Bethagla in Betharaba ascenditur ab oriente in occidentem, sed est in latere aquilonari, siue per latus, quod est ab aquilone, id est, à parte aquilonari terrae huius fortis Iudæ.

D Sciendū, quod ista vrbs est in termino fortis Iudæ, & Benjamin, tamē ad tribum Benjamin pertinet, quia ponitur una de vrbibus eius infra 18. cap. *Ascendens ad lapidem Boen filij Ruben.* Inter Betharaba, & lapidem Boen sunt cāpestria magna, ut patet infra 18. & est processus per latus aquilonare ab oriente versus occidentem ad lapidem Boen, & est ascensus. Nam cū de lapide Boen venit in Betharaba est descensus, ergo è cōtrario est ascensus. Hoc patet infra 18. cap. est autem ista ciuitas aliqua, quæ vocatur Abemboen, quæ interpretatur lapis Boen, ut patet infra 18. & iste Boen erat filius Ruben, non quod esset filius suus immediatus: nam filii fuerunt solum Enoch, Phallum, Esrom, & Charmi, Gen. 46. & Num. 26. sed fuit postea Boen de progenie eius, & ab aliquo casu nominata est ciuitas Abemboen Hebraicē, id est, lapis Boen. Additur autē postea filii Ruben ad signandum quis fuerit iste Boen. Non est tamen intelligendum

Agendum ex hoc, quod Abemboen sit ciuitas, vel locus aliquis in forte filiorum Ruben, quia sors illa est ad orientalem plagam Iordanis, cum ibi duae tribus, & dimidia acceperint hereditatem, Nume. 32. & Deute. 3. & supra 12. & licet ista terra, quae hic describitur est tota ad occidentalem plagam Iordanis, hic non ponitur nomine ciuitatis huius in Hebreo, sed in Latino, scilicet lapis Boen, infra autem 18. ponitur in Hebreo, & postea declaratur, scilicet Abemboen, id est, lapidem Boen.

Quid Dobe- ra.

Et tendens usque ad terminos Debera. Id est, post lapidem Boen procedendo per latus aquilonare ab oriente versus occidentem venitur ad urbem Debera. Ista est ciuitas, quam nos vocamus Dabir, & interdum Dabira, ut patet in Hebreo, sed nos mutamus literas. Aliqui autem termini sunt hic in hoc latere, qui non exprimuntur, infra 18. quamquam idem latus describitur utroque, sed aliqua loca exprimuntur hic, quae non habentur ibi, & est contrario. Sic patet in descriptione lateris meridiani fortis Iudea, quod est idem cum toto latere meridiano terra Chanaan, quod describitur Nume. 34. sed aliqua loca exprimuntur hic, quae non habentur ibi, ut supra declaratum est.

BDe valle Achor. Id est, primus venit ad vallem Achor, deinde ad Debera. Est autem vallis Achor non multum distans ab urbe Iericho, & Galgala, scilicet loco ubi lapidatus est Achan, & combusta sunt omnia, quae ad eum pertinebant, vocatusque est locus vallis Achor: non ab ipso qui lapidatus est, quia ille vocabatur Achan, sed Achor signat in Hebreo turbationem, ut cum aqua limpida pede turbatur, & quando tradidit eum Iosue ad lapidandum dixit: quia turbasti nos, exturbet te Deus in die hac, & postea sequitur. Vocatumque est nomen loci vallis Achor, usque hodie supra 7. cap. apud locum istum transit terminus fortis Iudea, & satis conuenit, quia Iericho, apud quam est vallis Achor, est ciuitas pertinens ad Beniamin, ut patet infra 18. & tamen latus meridianum Beniamin, & latus aquilonare Iudea, idem latus sunt.

Galga- la est in for- se Benia- min.

CContra aquilonem respiciens Galgala. Est Galgala locus extra sortem Iudea ad partem aquilonarem eius, & in forte Beniamin: est autem circa vallem Achor. Quod patet, quia Israelitarum castra erant in Galgalis quando lapidatus est Achan in valle Achor, ut colligitur supra 5. iuncto cap. 7. est autem Galgala nomen mansionis, ubi primo steterunt Israelites post transiit Iordanis, scilicet, quod ibi manserunt nocte illa post diem transitus Iordanis, ut colligitur supra 4. & 5. Et in hoc loco fixerunt Israelites lapides 12. quos eduxerunt de Jordane, supra 5. ibique circuncisi sunt omnes Israelites, quia in deserto per 40. annos nemo circuncis fuit, & vocatus fuit locus ille ob id Galgala, id est, ablatio, quia ibi ablatum est opprobrium Israelitarum, supra 5. atque ibi celebratum est primum Pascha in terra Chanaan, ibique defecit manna die 14. mensis primi anno 41. ab exitu de Aegypto, ut patet preallegato cap. ibique manserunt castra filiorum Israel, quandiu bella fuerunt inter Israel, & Chananeos, ut declaratum fuit supra 10. Sunt autem ista tria loca coniuncta, scilicet vallis Achor Galgala Iericho. Nam in castris Galgala erant Israelites, quando pugnabant contra Iericho, & quotidie ibant pugnatores de castris ad circumvallandum muros urbis, supra 6. postea autem manentibus in eodem loco, furatus fuit Achan de Anathemate Iericho, & lapidatus est in valle Achor, sunt tamen Iericho, & Galgala magis aquilonares, quam vallis Achor, nam vallis Achor est in latere fortis Iudea, ut patet hic: Galgala autem ponitur esse contra aquilonem, id est, magis aquilonaris, & sic de Iericho, quoniam non ponitur in hoc latere fortis Iudea, est autem sensus literarum, quod vallis ista Achor habetur a parte aquilonari ad campum, qui vocatur Galgala.

Que est ex aduerso ascensionis Adommim. Ista ascensio Adommim est aliquis locus, vel terra, siue mons sic nominatus, & est contra Galgalam. Nam Galgala dicitur hic esse ex aduerso ascensionis Adommim.

Vel potest esse Adommim, aliquis locus in montibus, & Galgala erit ex aduerso ad montes illos, per quos ascenditur in Adommim. Est processus iste ab oriente in occidentem per ipsum latus aquilonare fortis Iudea, & istem locum ponitur in latere fortis Beniamin, quia est idem latus utriusque fortis, ut patet infra 18. c. Adommim potest esse nomen commune, & signat rubeos, vel Idumaeos, & poterit intelligi, quod iste locus sit ex aduerso ascensionis Idumaeorum. Nam

terra Edom est apud latus meridianum terra Chanaan, Nume. 34. & ibi est sors Iudea. Sed magis conuenit Adommim esse nomen proprium, quia hoc conueniret si describeretur hic latus meridianum fortis Iudea apud quod est terra Edom, sed describitur latus aquilonare.

*Situs
Edom*

DAb australi parte torrentis. Istud refertur ad Galgalam, scilicet campum illum. Et dicitur esse ex parte meridianae torrentis, quia apud Galgalam est aliquis torrens, vel fluuius, qui tendit in Iordanem, & ob hoc conuenienter erant locata castra apud Galgalam, ut posset prouideri toti multitudini, tam hominum, quam iumentorum, de aqua torrentis, & non potest vocari torrens iste Iordanis: non quidem, quod interdum flumina non vocentur torrentes modo Hebraico, quoniam interdum hoc fit, ut supra declaratum est, scilicet in torrente Aegypti, id est in flumine, quod vocat hic torrens, & Num. 34. & vocatur fluuius Gen. 15. & hic, sed quia erat distans Galgala a Iordanis, non die, quo transferunt Israelites Iordanem venerunt ad castrametandum in Solis occasu in Galgala, ut colligitur, supra 4. & 5. cap. torrens autem ille est apud Galgalam, alioquin non posceretur hic tanquam aliquid limitans. Item quia Iordanis non erat ad partem aquilonarem Galgalae, sed ad partem occidentalem. Nam cum Israelites transirent Iordanem venientes Iericho, veniebat de parte orientali ad occidentalem, sed Galgala est apud Iericho, cum vocetur ager Iericho, quia quando erant Israelites castrametantes in Galgalis apparuit Angelus Domini Iosue euaginato gladio. Et dicitur, quod erat tunc Iosue in agro Iericho, supra 5. cap. non ergo erat Iordanis, sed aliquis fluuius transiens a parte aquilonari Galgalae apud Iericho. Et fortasse est fluuius, in quem misit Eliseus sal, ut sanaret sterilitas aquae. Nam in Iericho factum est hoc ubi habitatio erat bona, & terra erat sterilis propter aquarum malitiam, ut patet 4. Regum 2. cap. Et satis consonat hoc positioni libri de situ tetrae Sanctae, ubi dicitur, quod mons, qui vocatur Quadrantana in quo Saluator noster quadragesima ieiunauit, est secundo lapide ab urbe Iericho, & est hoc ad partem meridianam Iericho, sub Quadrantana autem est riulus parvus, quem B. Eliseus sanata sterilitate eius deamaro potabilem reddidit.

*Fons
Solis
ubi sit.*

ETransitus aquas, quae vocantur fons Solis, id est, procedendo per istud latus aquilonare itur versus occidentem de valle Achor ad aquas, quae vocantur fons Solis, & istem aquam ponuntur in termino meridiani fortis filiorum Ruben, & Beniamin, ut patet infra 18. ubi ponitur nomen Hebræi Ensemes, id est fons Solis, & ponitur aliis terminus magis orientalis, scilicet tumuli, qui sunt ex aduerso Iordanis, & isti sunt apud vallem Achor, quia ubi hic nominatur vallis Achor ex aduerso Galgalae, nominantur ibi tumuli ex aduerso Iordanis. Est autem aliquis fons magnus, qui vocatur fons Solis, vel fluuius aliquis, aut lacus. Litera autem Hebraica manifeste dicit fontem, sed non est inconveniens vocari lacum fontem Solis, quia nomina ad placitum sunt, & interdum ad valde paucam similitudinem: litera tamē nostra hic magis signat, quod sit aliqua magna congregatio aquarum ex modo loquendi, cum dicat esse aquas, quae vocantur fons Solis.

FEt erant exitus eius ad fontem Rogel. Iste fons Rogel est apud Ierusalem ad partem eius meridianam. Nam Ierusalem in forte Beniamin est, ut patet infra 18. si autem esset fons Rogel aquilonaris respectu Ierusalem, neccesse esset Ierusalem includi in forte Iudea, quia termini fortis Iudea perueniunt in fontem Rogel. Apud istum fontem est quidam lapis magnus nomine Zoeloth, apud quem Adonias quartus filius Dauid immolauit victimas magnas in uitatis filii regis, & toto exercitu fecit magnum coniuvium, cum volebat fieri rex, ut patet tertio Regum primo cap. usque ad istum fontem perueniunt termini aquilonares fortis Iudea, & non tangunt ipsam urbem Ierusalem, quae est in forte Beniamin, quamquam de hoc infra dicetur. Et dicitur esse exitus eius ad fontem Rogel, non quod terminetur ibi latus aquilonare fortis Iudea, quia ultra continetur, usque ad mare magnum, sed est exitus quedam curuatio linea descriptis latus fortis. Sicut dicitur supra a lingua maris, quae respicit meridiem, egrediturque contra ascensum scorpionis. Idem autem est egredi, & exire, & sic est apud fontem Rogel, quia flectitur linea fortis Iudea ibi contra aquilonem, & dicitur exire, vel egredi.

Hebrei dicunt, quod Rogel non est nomen proprium,

sed

A sed commune, signans fullonem, vel candidantem pannos. Et dicunt, quod peruenit fors vsque ad fontem fullonis, scilicet, quod in fonte illo, vel apud illum fullones candidant pannos. Et etiam hoc modo signatur, quod transeat latus istud apud Ierusalem, quia fons fullonis est apud Ierusalem, scilicet, quod erat apud urbem quidam ager, in quo fullones candidabant pannos, ibique erat fons, qui vocatur fons fullonum, & Hebraice vocatur fons Rogel. De hoc 4. Reg. 18. dicitur de nunciis regis Assyriorum, quod steterunt circa Ierusalem, iuxta aqueductum piscinæ superioris in via agri fullonis. Apud hunc locum iussit Deus, ut exiret obuiam Isaias regi Acham, ut peteret signum à Domino Isai. 7. cap.

Dest.
prin. Sed primum rationabilius est, scilicet, quod sit fons aliquis sic nominatus, apud quem accedunt termini sortis Iudæ. Nam 4. Reg. 18. & Isai. 7. vbi de agro fullonis dicitur, non ponitur, quod sit aliquis fons fullonis, sed via agri fullonis dicitur esse circa aqueductum piscinæ.

Item in his magis credendum est Hieronymo, quam expositioni Iudæorum, quia ipse stetit in terra illa, & vidit loca, cognouitque nomina locorum. Nam pedibus suis totam terram Sanctam, & loca, de quibus in scriptura agitur cum peritissimis Hebræorum perambulauit, ut patet in quodam prologo suo super Paralip. qui incipit Eusebius.

B Situa
vallus
filij Ennom. Item false assūmitur litera Hebraica: nam Rogel non signat fullonem, sed eum qui malleis positis in aqua pannos tergit. Pro lotore, vel candidatore pannorum non dicitur Rogel, sed conem in Hebræo, & cum allegatur 3. Regum 18. & Isaiæ 7. vbi dicit litera nostræ ad fontem fullonis, vel agrum, non ponit litera Hebræa Rogel, sed conem. Hic autem dixit Rogel, & hanc differentiam voluit seruare litera nostra hic, & i. cap. 3. Regum, dicens: fontem Rogel, & 3. Regum 18. & Isaiæ 7. dicens: viam agri fullonis, ita quod Rogel non interpretetur fullo.

C Situa
vallus
filij Ennom. Ascenditque per vallem filij Ennom. Vallis filij Ennom est apud urbem Ierusalem, ut patet hic, & ibi erat locus, in quo Israëlitæ consecrabant filios suos per ignem idolo Moloch, & hunc locum destruxit Iosias rex, ut patet 4. Regum 23. cum dicitur: contaminauitque Tophet, quod est in conuale filij Ennom, ut nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem Moloch, continuatur autem latus istud aquilonare a fonte Rogel per conuale filij Ennom, quia forte est fons iste in extremitate vallis filij Ennom, & dicitur quod ascendit terminus per vallem filij Ennom duplicitate. Primo modo, id est, quod flectitur ibi versus aquilonem, scilicet, quod extendit fors Iudæ, & coangustatur fors tribus Beniamini. Et sic erat apud fontem Rogel, quod dicebatur ibi latus egrediens versus aquilonem, & continuatur ista egressio in valle filij Ennom, & quia à meridi versus aquilonem est ascensus, ybicunque flectitur latus alicuius sortis ab austro versus aquilonem, dicitur ascendere terminus.

Alio modo potest intelligi, quod ascendit, id est, quod eleuatur ibi terra, non quidem, quod in valle sit ascensus, quia hoc implicat, sed quod euntibus à fonte Rogel per vallem filij Ennom versus occidentem est ascendendum, ideo non dicitur quod ascendit in vallem filij Ennom, sed per vallem, & iste sensus est conuenientior veritati, atque consonat litteræ infra 18. vbi describitur latus australe sortis Beniamini, quod cibidem cum latere aquilonari sortis Iudæ, & ponuntur nominal locorum, quæ ponuntur hic, & è contrario, quia hic describitur ab oriente versus occidentem latus istud, ibi autem ab occidente, ut plurimum versus orientem, & dicitur: descenditque Gehennom, id est, vallis Ennom iuxta latus Iebusæ ad australrum, & peruenit ad fontem Rogel, & tamen ibi ponitur descensus à valle filij Ennom in fontem Rogel: ergo eundo à fonte Rogel in vallem Ennom erit ascensus, & sic intelligitur hic.

Situa
Ierusalem. Et lateræ Iebusæ ad meridiem hec est Ierusalem. Id est, cum trans sit terminus per vallem filij Ennom transit ex lateræ Iebusæ, & hoc ad meridiem: non quod terminus lateris huius transeat in metidiem, immo transit in septentrionem, cum istud sit latus septentrionale, sed ista determinatio ad meridiem refertur ad latus Iebusæ, scilicet, quod est iste terminus ad latus Iebusæ, id est, Iebusæorum habitantium in Ierusalem, sed est ad meridiem, id est, ad partem meridianam, quia Ierusalem est in tribu Beniamini, & ista fors est aquilonaris tribui

Iudæ, & sic terminus tribus Iuda dicetur ad meridiem Iebusæ, id est, Ierusalem.

Hec est Ierusalem. Id est, locus iste, in quo habitat Iebusæus ad cuius latus transit terminus filiorum Iuda est Ierusalem. Et non vocatur ipsa ciuitas Iebusæus, sed habitatores eius, ipsa tamen Iebus apellata est, ut patet infra 18.

Et inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Gehennom. Id est, de valle filij Ennom, quæ Hebraice vocatur Gehennom tendit terminus in verticem montis eius. Et ob hoc cum itur de fonte Rogel ad vallem filij Ennom transeundo per ipsam est ascensus, quia itur ad verticem montis, de quo hic. Et ad montem ascensus est. Ex superioribus patet, quod Ierusalem non sit in forte filiorum Iuda, sed Beniamin, quia latus sortis Iudæ, transit ad latus Iebusæ, id est, apud latus Ierusalem. Aliqui tamen dicunt partem Ierusalem esse in forte Beniamin, & partem esse in forte Iudæ, ut vult Nicolaus, de quo infra declarabitur in litera, vel infra 18. cap.

Qui est contra Gehennom. Id est, iste mons est ex opposito Gehennom, id est, vallis Ennom, scilicet, quod vallis Ennom est ab oriente, & mons ille ab occidente in eodem latere aquilonari Iudæ, infra 18. dicitur pars montis, vbi dicitur hic mons, & est è contrario, scilicet, quod de parte montis, quæ respicit Gehennom descendatur tamen Gehennom, id est, in valle filiorum Ennom, & hoc est, quia mons iste est magis aquilonaris, quam latus sortis Iudæ, & quam vallis filij Ennom. Quædam tamen extremitas eius, quæ inclinatur ad meridiem, tangit vallem filij Ennom, & vallem Raphaim. Hoc signatur satis cl. re infra 18. cap.

Ad occidentem in summittate vallis Raphaim. Id est, iste mons est ad occidentem respectu Gehennom, quia perueniendo per latus aquilonare sortis Iudæ ab oriente in occidentem prius venitur in Gehennom, quam in montem illum, & de monte transit in vallem Raphaim, magis ad occidentem. Dicitur in summittate vallis Raphaim, quia non est mons iste in medio vallis illius, quæ vocatur Raphaim, sed in summittate, id est, extrema parte, ut dicitur infra 18. vocatur vallis Raphaim, quia forte accipitur hoc tanquam nomen proprium vallis. Vl dicitur vallis Raphaim, quia habitauerunt ibi Raphaim. Sunt autem Raphaim Gigantes, & non omnes, qui in illi communiter vocantur Hebraice Enacim, sed quidam modus specialis eorum est, & hi erant valde magni. Non est autem sensus, quod quando Israëlitæ introierunt in terrâ Chanaan permanerent in valle illa Raphaim, (quamquam aliquis hoc dicet) cum postea deleti sunt tres Gigantes de Hebron, ut patet infra in litera, & multi de Dabir, & Anab, & omnibus montanis Iudæ, & Israël, ut patet supra 11. in fine, ergo posterum esse Raphaim in hac valle, cum introierunt Israëlitæ in terrâ Chanaan. Respondendum est, multos fuisse Gigantes in terra Chanaan, cum ingressi sunt filii Israel in eam, sed non erant aliqui Raphaim, quia Raphaim non dicuntur quicunque Gigantes, sed quoddam genus ipsorum, & de his nullus supererat, quando Israëlitæ transferunt Jordanem: nam Og rex Basan est de stirpe Raphaim, ut patet supra 12. & 13. vbi vocatur de reliquiis Raphaim. Hunc autem occiderunt Israëlitæ, antequam transirent Jordanem: nam Moyses occidit eum supra 12. tamen ipse non viuebat in transitu Jordanis, quia post mortem Moysi locutus est Deus ad Iosue iubens, ut transiret Jordanem cum filiis Israel, supra 1. sed post istum nullus mansit de stirpe Raphaim, & eo viuente ipse solus erat, ut patet Deut. 3. scilicet, Solus quippe Og restiterat de stirpe Gigantum, & in Hebræo ponitur de stirpe Raphaim, ergo etiam ante aduentum filiorum Israel non erant aliquanto tempore Raphaim in terra Chanaan, quæ est trans Jordanem. Poterit ergo dici terra ista Raphaim tripliciter. Vno modo, quia est sic nomen proprium vallis, etiam si non præfuerit aliqua causa, quare vocaretur sic, impositis nominibus ad placitum, sicut apud nos vocatur aliquis locus vallis Maurorum, vbi nunquam Mauri steterunt, aut quidquam fecerunt. Secundo modo potest vocari vallis Raphaim, quia licet non habitauerint ibi nunquam Raphaim, tamen venerunt aliquo tempore illuc in bellum contra alias gentes terræ illius, & fecerunt aliqua magnalia, vnde vallis illa ab eis vallis Raphaim appellata est. Tertio modo potest appellari vallis Raphaim, quia ibi habitauerint Raphaim ab antiquo, licet aliquanto tempore ante aduentum Israëitarum in terram Chanaan

D

E

F

O

nulli

A nulli ibi essent. Primi duo modi sunt conuenienter, tertius non conuenit, quia Raphaim, nunquam habitauerunt in terra trans Iordanem ad occidentalem plagam, sed in terra Og regis Basan erat habitatio eorum. Et hoc modo Og erat de stirpe Raphaim, & regnabat in terra illa: nam terra Basan, quæ erat satis magna, & præcipua denominatio regni eius fuit olim terra Raphaim. Deuter. 3. & vocatur terra ipsa Raphaim. Et non solum habitabant Raphaim in terra Sehon regis, quasi à casu tempore, quo venerunt Israëlitæ in terram illam, sed ab antiquissimis temporibus ibi habitauerunt. Nam dum viueret Abrahæ rex Chedorlaomor cū aliis regibus suis deleuerunt gætes multas, & vna harum est gens Raphaim, & isti deleti sunt in Astaroth Carnaim, vt patet Gen. 14. & tamen Astaroth est ciuitas regni Og in Basā, vt patet supra 13. & fuit magis declaratū supra 13. ergo Raphaim habebant terrā determinatam in Basan, vbi est ciuitas Astaroth, & consequenter non in terra trans Iordanem ad occidentalem plagam.

Aliquis tamen dicet, quod quamquam habitarent Raphaim in terra Basan in Astaroth: tamen poterant etiam habitare in valle hac, quæ est apud Ierusalem, & in aliis locis, sicut Gigantes non erat in vna terra determinata, sed in multis.

Respondendum est non stare, quia Gigantes non sunt, tanquam vna gens, vel natio determinata, sed nascebantur in multis regionibus: Raphaim autem erant de Gigantibus, tamen erant vna gens determinata, sicut Amorrhæi, Chananæi, & Iebusæi. Quod patet, quia cum Deus primo promisit Abrahæ terram Chanaan promisit terram decem populorū, de quibus vocatur vnu Raphaim: Genes. 15. ergo erant vniuersa gens determinata, sicut Amorrhæi, & Iebusæi, & habitabant in terra Sehon regis. Magis ergo conueniunt duo modi superiores, quam iste tertius, quamquam forte alicui non videtur tertius iste modus conueniens, quia etiam infra 17. ponitur alia terra Raphaim cum dicitur, si populus multus es, ascende in syluam, & succide ibi spatia in terra Pherezæi, & Raphaim. De quo ibi veritas declarabitur.

Contra aquilonem. Id est, mons iste, de quo dictum fuit est in vna summitate, vel extremitate vallis Raphaim, & est contra aquilonem. Ista determinatio potest referri ad montem, vel ad vallem Raphaim. Si referatur ad montem est sensus, quod est in vna extremitate vallis Raphaim, & hoc contra aquilonem, quia vallis declinat contra meridiem, & in extremitate eius, quæ est magis aquilonaris est mōs iste, per quem transit terminus aquilonaris fortis Iudæ, & tunc debet dici, quod tota vallis Raphaim sit intra fortē Iudæ, quia latus aquilonare transit per montem, qui est in extremitate vallis illius ad aquilonem. Alio modo potest esse, quod referatur ista determinatio ad vallem, scilicet, quod sit mons in extremitate vallis Raphaim, & hoc ad aquilonarem partem, id est, quod vallis est ad aquilonarem partē montis, ita quod in extremitate eius maxime meridiana sit mons iste, per quē transit latus aquilonare fortis Iudæ, & tunc sequitur è contrario, quod sit tota vallis Raphaim, & nihil pertineat ad fortē Iudæ. Quis autem horum sensuum verior sit, non patet ex hac litera. Sed dicendum, quod sit mons iste in extremitate vallis Raphaim, & vallis sit meridiana respectu vallis, & in extremitate aquilonari vallis sit mons: transitq; per partem montis terminus lateris aquilonaris fortis Iudæ, & hoc modo tota vallis Raphaim erit in forte Iudæ. De hoc infra 18. cum dicitur: descenditq; in partem montis, qui respicit vallem filiorum Ennom, & est contra septentrionalem plagam in extrema parte vallis Raphaim.

Pertransitq; ad verticem montis usque ad fontem aquæ Nepthoa. Aliqui libri habent hic ad fontem Nepthor, sed corrupta est litera, quia debet scribi Nepthoa, nam infra 18. vbi ponuntur isti meti termini dicitur ad fontem Nepthoa, & est continuatio ista lateris versus occidentem, scilicet quod à vertice montis, qui erat in extremitate vallis Raphaim transit ad fontem, qui dicitur Nepthoa, & est magis occidentalis terminus.

Et peruenit usque ad vicos montis Ephron. Etiam est hoc tendendo ad occidentem. Est autē Ephron quidā mons, apud quem sunt vici, id est, rura, vel parua loca. Apud hos vicos trālit terminus aquilonaris fortis Iudæ. Iste terminus subtiliter infra 18. vbi idē latus describitur, vt est terminus filiorū Beniamin. Sciendum, quod Ephron debet hic scribi cum f. supra autem debet scribi cum s. & sunt distincta loca, vt patet in Hebreo.

Inclinaturq; in Baala, quæ est in Cariathiarim. Id est, istud latus aquilonare fortis Iudæ inclinatur, id est, curuatur, & non est ista ciuitas versus partem exteriorem, scilicet, contra sortem Beniamin abscondendo aliquid de ea, sed est incurvatio contra ipsam sortem Iudæ, quia hic coangustatur, & dilatatur fors Beniamin, quæ est ei contermina. Et ob hoc ista curuitas vocatur hic inclinatio: curuitas autem, quæ est ad partem exteriorem quando vna fors abscondit portionem aliquam de alia, & coangustatur alia fors dilatata ipsa vocatur ista curuitas egressio, vel exitus, & dicitur quod inclinatur in Baala, id est, versus locum, qui vocatur Baala, & ista est in Cariathiarim, id est, apud urbem Cariathiarim, & est forte de villis eius. Cariathiarim autem est vna de quatuor ciuitatibus Gabonitarum, qui confugerunt ad Israëlitæ, quarum principalis vocatur Gabaon: de aliis autem vna vocatur Cariathiarim. De hoc supra 9. cap. Et cecidit ista ciuitas in sortem filiorum Iudæ, vt patet infra in litera: aliae autem tres ciuitates Gabonitarum, scilicet, Gabaon, Caphira, & Beroth ceciderunt in partem Beniamin, vt infra 18. cap.

Id est, vrbs syluarum. Ista est interpretatio nominis huius Cariathiarim, quod non ponitur in Hebreo, sed B. Hieron. addidit in litera nostra ad declarandum significationem huius nominis, & dicitur Cariath ciuitas, & Iarim syluas signat, id est, ciuitas syluarum, scilicet, existens in syluis, vt forte, quia ciuitas illa est in magnis montibus, vel syluis. Aut possum est nomen ad placitum, etiam si non sint ibi syluæ.

Et circuit de Baala contra occidentem. Latus aquilonare fluctuat apud Baalan, & cum ante hoc esset inclinatio coangustando sortem, fit postea curuitas accipiendo aliquid de aliis coniunctis sortibus, & hoc est circuere, scilicet, quod non tendit latus istud directe, sed facit arcum abscondendo aliquid de eo, quod est versus aliam sortem, & coangustatur ibi fors filiorum Beniamin, & fit circuitus iste contra occidentem, scilicet, quod veniendo de Baala ad occidentem per latus aquilonare fortis Iudæ oportet circuitum fieri.

Vsque ad montem Seir. Non est iste mons in terra Seir, quia terra Seir est terra Edom, & ista est extra terram Chanaan, cum Idumæi sint alia gentes ab Israëlitæ. Item terra Seir, vel Edom est coniuncta terra Chanaan in angulo contactus lateris meridiani, & orientalis, vt patet Numer. 34. & supra in litera. Quod autem aliquis mons intraret de terra Seir in terram Chanaan patet, quia terra Edom coniungitur terra Chanaan in lateris orientalis, & meridiani contactu, ideo mons Seir per illam terram ingredieretur terram Chanaan, & sic de illo monte, de quo dicitur supra 11. quod pars eius ascendit in Seir: hic tamen videtur, quod vocetur mons Seir ad placitum, & non quia ingrediatur in terram Seir, nisi velis facere anfractuosos valde circuitus. In quo non inscite dicitur, quod iste mons est apud urbem nomine Bethorū inferiorem, & est mons ad partem aquilonarem vrbis, vnde Bethorū in forte Iudæ est. De hoc infra 18. vbi ponuntur duo montes, vnu ad austrum Bethorū, & alias ad Africum, id est, ad aquilonem. Et de isto secundo intelligitur hic, quod patet, quia ponitur iste mons apud Cariathiarim, vel Cariath Baal, & ita ponitur hic.

Transitq; iuxta latus montis Iarim. Id est, latus istud cum continuatur ulterius transit apud montem Iarim. Aliqui scribunt montem Garizim, sed corrupta est litera: nam mons Garizim, & Hebal sunt apud urbem Hai, & Bethel coniuncti, in quibus Israëlitæ posuerunt maledictiones & benedictiones, vbi iubetur Deuter. 27. & postea complectum legitur supra 8. cap. sunt autem isti montes non longe à Iordane, & Iericho, tamen iste mons de quo hic dicitur non multum distat à termino occidentali terræ Chanaan, vt patet hic ex descriptione lateris huius, ideo non accipitur hic mons Garizim, sed mons Iarim. Sed adhuc non proprie scribitur hic, quia debet dici Iarim, vt patet in Hebreo, & in aliquibus Bibliis sic describitur, & interpretatur syluæ pluraliter, sicut dicimus Cariathiarim vrbs syluarum.

Ad aquilonem in Chestion. Ista determinatio ad aquilonem refertur ad montem Iarim, scilicet, quod est ad aquilonarem partem lateris huius: & tunc erit sensus, quod sit mons iste totus in forte Beniamin, quæ est coniuncta sorti Iudæ ad partem aquilonarem. Potest etiam referri ista determinatio ad latus aquilonare, scilicet, quod ipsum sit apud montem La-

D

Baala,
ac eius
situm.

E

F

Inferi
in c. 18.
q. 8. sit
Bethorū
esse in forte
filiorū
Ioseph.Situs
montis
Iarim.

rim,

A Beth-sames ac eius situs.
rim, sed sit ad partem aquilonarem montis, & tunc intelligetur, quod totus mons Iarim sit intra sortem Iudæ. Transit autem istud latus in Cheson, qui est locus directe in ipso latere aquilonari tendendo versus occidentem.

B Acha-ron ac eius situs.
Et descendit in Bethsames. Ista est quædam ciuitas in latere isto aquilonari pertinens ad sortem tribus Iudæ, & circa occidentem terræ Chanaan apud terram Philistinorum. Quod patet, quia quando Philistini cuperunt arcum Domini in bello, & tenuerunt eam in terra sua mensibus sex, dimiserunt eam, & venit in Bethsames, & satrapæ Philistinorum venerunt post arcum usque ad terminos Bethsames, 1. Reg. 6. si tamen non fuisset coniunctum territorium Bethsames terræ Philistinorum, non auderent satrapæ Philistinorum venire post arcum usque ad terminos Bethsames. Etiam, quia augures Philistinorum dixerunt, quod si ascenderent vaccæ cum arca directe per viam Bethsames, Deus fecisset hoc malum, alioquin à casu venerat, 1. Regum 6. non tamen dixissent hoc, nisi esset coniuncta Bethsames terræ illi. Et ista ciuitas non multum distat ab urbe Cariathiarim, de qua supra dicibatur, quia viri Bethsames visa plaga magna, quæ facta fuerat in eis miserunt in Cariathiarim, ut duceretur illuc arca, ut in præallegato cap.

C Thamna vbi.
Transit in Thamna. Ille locus est magis ad occidentem in ipso latere aquilonari, & videtur pertinere ad terram Philistinum, quæ etiam est pars quædam sortis Iudæ, ut patet infra. Non est iste locus Thamna, qui vocatur Thamnata, ut aliqui volunt, de qua dicitur Iudic. 14. quod descendit Samson in Thamnata. Et dant causam, quia Samson erat de tribu Dan, ut patet Iudic. 13. ista autem tribus accepserat sortem maxime aquilonarem, ut colligitur infra 18. & Thamna, de quo hic est ad partem valde meridianam, cum sit in sorte Iudæ, quæ erat in ipso latere meridiano terræ Chanaan.

D Situs terra Phili-stijm.
Sed hoc nihil differt: immo magis ex hac litera dicitur coniuncta 14. Iudic. colligitur, quod sit iste locus, ad quem descendit Samson, & vocatur Thamnata: nam Thamna est iuxta Bethsames, vel non multum inde distans, & est magis occidentalis, cum describatur hic latus aquilonare sortis Iudæ procedendo ab oriente in occidentem, sed Bethsames est locus coniunctissimus terræ Philistinorum, scilicet, quod territorium eius, & terræ Philistinorum coniunguntur, ut supra declaratum est: ergo Thamna est in terra Philistinorum. Thamnata autem, de qua dicitur Iudicum 14. est etiam in terra Philistinorum, quia dicitur in principio literæ ibidem: descendit Samson in Thamnata, videntesque ibi mulierem de filiabus Philistinum, & postea dicitur: Vidi in Thamnata mulierem de filiabus Philistinorum, &c. ergo satis conuenit esse eundem locum Thamna, de quo hic dicitur, & Thamnata, de quo Iudic. 14. Argumentum autem non tenet de distantia sortis tribus Dan à forte tribus Iudæ: nam si descendisset Samson ad aliquem locum intra sortem Dan, erat verisimile argumentum: descendit tamen in terram Philistinorum, ut patet Iudicum 14. tota autem terra Philistinorum erat intra sortem Iudæ. Quod patet, quia terra Philistinum incipit à parte meridiana terræ Chanaan, & terminatur ad Acharon tanquam ad terminum aquilonare supra 13. Acharon tamen fuit in forte Iudæ: ergo tota terra Philistinum, quæ erat magis meridiana erat in terra sortis Iudæ: ideo cum Samson descendisset in terram Philistinum necessario descendebat in sortem Iudæ.

E F
Dicendum igitur, quod Thamna, de quo dicitur hic sit Thamnata, de quo dicitur Iudicum 14. & de loco illo accepit Samson uxorem primam in terra Philistinorum. Etiam Thamna, de quo hic, est de quo dicitur Genesis 38. scilicet, quod ascendit Iudas in Thamna ad tondendos greges. Satis tamen posset dici, quod est Thamna, de quo infra 19. quæ ponebatur in forte Dan.

F Epilog⁹ prædi-ctorū.
Sciendum, quod in Hebreo non ponitur hic Thamna, sed Themana, & signat partem meridianam, scilicet, quod de Bethsames transit ista fors in partem meridianam.

G autem
Sed non est conueniens sensus, ideo litera nostra posuit tanquam nomen proprium vrbis, & vocat Thamna, quia quamquam litera hebraica dicat Themana secundum puncta affigata: tamen secundum literas positas eadem dictio est Themana, & Thamna.

H O 2
Peruenit contra aquilonem partis Acharon. Id est, istud latus

I Acha-ron ac eius situs.
aquilonare sortis Iudæ transit apud Acharon, & hoc ad aquilonarem partem Acharon, scilicet, quod ipsum latus est aquilonare respectu Acharon, ex quo sequitur, quod claudatur Acharon intra latus sortis Iudæ, cum sit magis meridianus locus, & fors Iudæ est magis meridiana omnibus aliis sortibus. Si autem esset aquilonaris Acharon respectu istius lateris, maneret extra in alia tribu: tamen in forte Iudæ est, ut patet infra in litera. Est autem Acharon ciuitas magna in terra Philistinorum una de quinque ciuitatibus habens unum regulum, vel satrapam, ut patet supra 13. cap. & 1. Regum 6. ubi sunt ciuitates Philistinorum, qui miserunt mures aureos, & anos cum arca Domini. Est etiam ista ciuitas, in qua erat Beelzebub Deus magnus Philistinorum, ad quem cōsulendum pro vita misit Ochozias rex Israël, ut patet 4. Reg. 1. scilicet. Ita consulete Beelzebub Deum Acharon utrum vivere queam de infirmitate mea hac. Ista ciuitas vocatur nunc vulgariter Acre, & de hac adducitur quoddam in modum mineralis, quod azurinum dicitur ad faciendas literas, vel pingendas imagines, & vocatur vulgariter Azul de Acre. Et ab hoc loco nominatur quidam ordo militum, qui fuit in Ecclesia cum obtinuerunt terram Sanctam, scilicet, ordo beati Ioani de Acre, vel de Acharon.

I E
Ex latere. Id est, non transit latus aquilonare sortis Iudæ per urbem Acharon, ita quod ipsa sit in confinibus sortis huius, & alicuius alterius, sed transit ex latere id est, ad unum latus ciuitatis transit terminus sortis Iudæ. Quod autem latus vrbis sit hoc: declaratur, quod sit aquilonare, cum dicitur: Peruenit contra aquilonem partis Acharon, id est, contra partem aquilonarem vrbis Acharon.

J Inclinaturg, Sechrona.
Inclinaturg, Sechrona. Id est, terrainus iste, vel latus sortis Iudæ inclinatur contra urbem Sechrona. Alia ciuitas est, quæ vocatur Zephrona, sed differt ab ista in scriptura. Etiam ista est in latere aquilonari sortis Iudæ, Zephrona autem est in termino aquilonari totius terræ Chanaan, Numer. 34. multum tamen distat latus aquilonare sortis Iudæ, & latus aquilonare totius terræ Chanaan: nam inter latus aquilonare sortis Iudæ, & latus aquilonare terræ Chanaan, erant fortis octo tribuum, & dimidiæ, cum fors Iudæ sit maxime meridiana, scilicet, in ipso latere meridiano locata. Est autem Sechrona pertinens ad sortem Iudæ, & dicitur inclinari terminus sortis Iudæ, quia angustatur hic: sicut dicebatur, quia inclinatur in Cariathiarim.

K Et transit montem Baala.
An sit mons aliquis sic nominatus, vel sit aliqua ciuitas, apud quam sit mons, & propter ciuitatem vocetur sic mons non constat: est autem iste mons in latere isto satis propinquus mari magno, quod est terminus occidentalis.

L F
Peruenit in Iebneel. Iste est ultimus locus, qui ponitur in latere sortis Iudæ aquilonari tendendo ab oriente versus occidentem. Est autem aliqua ciuitas ista pertinens ad filios Iuda.

M Et maris magni contra occidentem fine concluditur.
Istud non pertinet ad latus aquilonare, sed ad occidentale: ultimus autem lateris aquilonaris est Iebneel, mare magnum est latus occidentale, ideo coniungendo ista duo latera fit contactus in Iebneel. De latere occidentali non ponuntur hic multa loca sicut in latere meridiano, & aquilonari supra descriptis, & hoc, quia mare magnum claudit totum latus occidentale sortis huius, & ob hoc dicitur, quod concluditur, id est, simul claudit, scilicet, quia non claudit aliquam partem lateris huius occidentalis mare magnum duntaxat, sed totum latus simul claudit. Et vocatur mare magnum istud, id est, mediterraneum, quod non est magnum respectu maris Oceani, sed est magnum respectu aliorum marium, quæ sunt in terra Chanaan, scilicet, maris Cenereth, maris mortui, de quo supra dictum est. Istud mare non solum claudit latus occidentale terræ sortis Iudæ, sed etiam claudit totum latus occidentale terræ Chanaan, ut patet Numer. 34. cap.

N Hi sunt termini filiorum Iuda.
Hic ponitur epilogus prædictorum, scilicet, quod omnia, quæ descripta sunt pertinent ad terminos filiorum Iudæ.

O Per circuitum.
Id est, omnes termini in circuitu totius sortis descripti sunt, quia quatuor latera habet ista fors, & cuiuslibet lateris posita fuerunt nomina locorum, scilicet, ab oriente mare solitudinis, quod est falsissimum. Ab occidente

A autem mare magnum, à meridie loca multa supra descripta, & ab aquiloni loca alia.

In cognationibus suis. Id est, isti termini supra positi claudunt fortē filiorum Iudæ per cognationes suas, id est, totam terram, quæ data est illi tribui, & diuisa est per cognationes, id est, familias, quia non fuit data terra sic tota sub uno cumulo, sed secundum numerum familiarum fuerunt factæ portiones de terra illa: omnes autem hæ portiones familiarum claudabantur sub his terminis, qui assignati sunt.

De figura sortis Iude, & poteris per te faciliter eam scribere in plano.

Q V A S T I O IV.

AD hoc autem, quod consideretur modus sortis istius evidenter, fiat unus quadrangulus quorum duo latera reliquias duobus sint maiora, & apud illa ponantur nomina quatuor pñctorum eccl., scilicet, Orientis, Occidentis, Aquilonis, & Austri, & in latere orientali, quod est paruum solum scribatur mare falsissimum, quia frons illius maris occupat totam frontem orientalem sortis Iudæ: in alio opposito latere occidentali paruo describatur mare magnum solum, quia istud solum claudit frontem occidentalem huius sortis, vt patet in litera: in latere autem meridiano magno describantur nomina aliquorum locorum, quæ habentur à principio, cap. huius, scilicet, ascensus scorpionis, Cadæbarne, torrens Ægypti: in latere autem opposito aquilonari describantur aliqua de locis, quæ habentur ab illo loco, ascensit terminus in Bethagla, scilicet, Bethagla, Fons solis, Fons rogel, Bethsames. Et per hæc intelliges omnia alia, vel poteris scribere omnia si feceris latera magna, seruando ordinem, qui habetur in litera ab oriente tendendo in occidente: ideo pone figuram in plano.

Caleb vero filio Iephonne dedit partem in medio filiorum Iuda, sicut præcepérat ei Dominus: Cariatharbe patris Enac; ipsa est Hebron. Deleuitq; ex ea Caleb tres filios Enac Sesai, & Aimam, & Tholmai de stirpe Enac: atque inde descendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariathsepher, id est, ciuitas literarum. Dixitq; Caleb: Qui percusserit Cariathsepher, & cuperit eam, dabo ei Axam filiam meam vxorem. Cepitq; eam Othomiel filius Cenez frater Caleb iunior. Deauitq; ei Axam filiam suam vxorem. Quæ cum pergerent simul, sua est à viro suo, vt peteret à patre suo agrum. Suspiravitq; vt sedebat in asino. Cui Caleb, Quid habes, inquit, At illa respondit: Da mihi benedictionem: Terram australēm, & arenem dedisti mihi, iunge, & irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius, & inferius.

Caleb vero. Hic ponitur secundum principale, scilicet, possessio Caleb, qui erat de filiis Iudæ in speciali. Supra fuerat posita petitio Caleb quantum ad urbem Hebron, & alias, quæ erant in monte urbis illius: hic ponitur recapitulatio horum, & adeptio urbis Hebron: nam supra solum posita fuerat concessio eius.

Caleb vero filio Iephonne dedit partem in medio filiorum Iuda. Istud conuenit superioribus, quia supra dictum fuerat, quod isti erant termini totius sortis Iudæ per cognationes suas, & quia ad unam cognationem pertinebat Caleb filius Iephonne, agitur de eius hereditate, quæ data est ei specialiter ex causa supra assignata. Vocatur filius Iephonne, quia fuit Iephonne vir unus de stirpe Iudæ, & ponitur nomen patris ad differentiam, quia alii vocantur Caleb, ad differentiam horum expressum est nomen patris, sicut dicitur Caleb filius Esrom. I. Paralip. 2. cap.

Dedit partem in medio filiorum Iuda. Non quidem, quod eset totaliter in medio sortis Iudæ per æque distantiam, quia de hoc nihil constat, sed erat in medio sortis Iudæ, id est, in ipsa sorte inter alias partes sortis, & accipitur istud medium per interpositionem.

Sicut præcepérat ei Dominus. Id est, quia Deus iusserat partem Caleb, quod Deus promiserat ei urbem Hebron, vt patet præcedenti cap. scilicet. Da mihi montem istum, quem pollicitus est mihi Dominus, te quoque audiente. Istud relatum ei, nō refertur hic ad Iosue qui dedit urbem Hebron, sed ad Caleb: nam Deus non præcepit, quicquam Iosue de Caleb, sed ipsi Caleb locutus est dicens, quod ei daret terram Hebron, quam calcauerat pes eius, & tunc non accipitur hic præcipere proprie, sed pro dicere, vel enunciare, scilicet, quod Deus prænunciauit Caleb, quod daret ei urbem Hebron. Et hoc factum est in Cadæbarne, sicut significat ipse Caleb præcedenti cap. & dicitur multotiens sic, quod Deus præcepit aliquid Moyſi, id est, prænunciauit: sic patet supra 6. & 11. circa finem.

Cariatharbe patris Enac. Id est, dedit ei Hebron, quæ vocatur Cariatharbe, vt declaratum est præcedenti cap. & vocatur patris Enac, scilicet, quod denominabatur ab illo. Erat enim Arbe vir de Giganteo, & ab isto descenderant Gigantes, qui erant in urbe Hebron, quando iuerunt Israëlitæ illicet, & cepit eam Caleb. Et potest iste Arbe vocari pater Enac dupliciter. Vno modo accipitur Enac, vt est nomen commune, & tunc est sensus, quod Arbe est pater Enac, id est, pater Gigantum urbis Hebron.

Alio modo accipitur Enac, vt nomen proprium, & tunc vocatur Enac pater trium Gigantum, qui nominantur hic in litera. Arbe autem erat auctor ipsorum, & ab eo nominatur ciuitas Cariatharbe, id est, ciuitas Arbe. Et forte ista est potissima ratio, quare ista ciuitas sic vocatur, & ob hoc conuenientius est accipi hic Enac tanquam nomen proprium.

Ipsa est Hebron. Id est, ista, quæ vocatur ciuitas Arbe, est, quæ dicitur Hebron. Istud est primarium nomen suum Hebron: Cariatharbe autem postea ex causis supra tactis vocata est, vel quia Arbe, qui erat vir de genere Giganteo erat quasi dominus in urbe ista, vel forte rex, & nominata est ciuitas sua.

Deleuitq; ex ea Caleb tres filios Enac. Id est, tres Gigantes, qui erant in ea, quorum nomina patent in litera.

Sed dicet aliquis quomodo Caleb ponit delere Gigantes istos de Hebron, quia supra 11. dicitur, quod expulit Iosue, & deleuit omnes Gigantes de montanis Hebron, Dabir, & Anab, & de omni monte Iudæ, & Israël.

Ad hoc ibi responsum est, quod Caleb deleuit Gigantes istos, ascribitur tamen Iosue, quia ipse fuit à Deo datus dux ad capiendum terram Chanaan: ideo quidquid ad hanc captionem pertinet ascribitur Iosue, quamquam alij fecerint.

Item arguetur similiter quomodo cepit Caleb urbē Hebron, cum dicatur supra 10. quod cepit eam Iosue. Ad hoc responsum est supra 10. & 11. De ista deletione dicendum videtur, quod fuerit post mortem Iosue: nam Iudic. 1. agitur de his, quæ facta sunt post mortem Iosue, & ibi dicitur quomodo Caleb cepit urbem Hebron. Aliquis autem forte dicet, illud factum esse per recapitulationem, sicut multa alia sunt in sacra Scriptura. Sed non stat, quia Iudicium 1. in principio dicitur, quod post mortem Iosue consuluerunt filii Israël Dominum quis esset dux belli, & datus est Iudas, & ponuntur bella per ordinem cum conditionibus signantibus ordinem temporis, scilicet, post hoc, & ponitur de bello contra Hebron, & Gigantes, de quibus hic, quod fuerit post quædam bella illorum: ergo post mortem Iosue factum est hoc. Hic autem ponit per anticipationem, & hoc quia agebatur de divisione sortis Iudæ, in qua accepit partem Caleb. Potuit autem scribi hoc anticipative, quia tam liber iste, quam Iudicium fuerunt scripti multo tempore post res gestas, utrumque enim scripsit Samuel Propheta, ideo potuit anticipare, vel recapitulare, quia omnia iam transierant.

Tres filios Enac. Poteſt accipi hic Enac communiter, vel proprie, vt supra dicebatur: si sit appellatum nomen est filius, quod isti erant filii Enac, id est, filii Gigantum, scilicet, de stirpe Gigantea. Alio modo Enac accipitur tanquam nomen proprium, & est nomen patris istorum trium Gigantum, & sic videtur conuenire litera Numer. 13. vbi dixerunt exploratores de istis tribus Gigantibus: vidimus ibi monstrum filiorum Enac de genere Giganteo: quibus comparati videbamus locustæ. Si autem acciperetur Enac appellative pro Gigante: dicendo filij Enac dicebatur de genere Gigant-

A Gigantæo, & tamen positum est vtrunq; ideo videtur, quod accipitur Enac tanquam nomen proprium, & erit pater istorum trium Gigantum.

Sisai, Haiman, & Tholmai de stirpe Enac. Isti tres Gigantes sunt, de quibus habetur Numer. 13. cap. & iam isti essent viri senes, quando deleti sunt de vrbe Hebron, quia quando venerunt exploratores Israëlitarum in terram Chanaan erant isti tres Gigantes viri, & vocantur monstra Nume. 13. iam tamen fluxerant anni 45. & plures vsquequo facta est diuisione fortium, quia ut patet præcedenti cap. ex tempore, quo missi fuerunt exploratores de Cadesbarne vsquequo Caleb petuit Hebron à Iosue, transierunt anni 45. adhuc plures postea fluxerunt ad captionem vrbis, quia non fuerunt deleti Gigantes usq; ad mortem Iosue, ut supra declaratum est: non erant autem in hac ciuitate plures his tribus Gigantes, quia in toto orbe rari erant, nec à principio fuerunt in magno numero: & tamen semper adhuc pauciores siebant quo usque paucisper deficiebat in omnibus locis stirps eorum. Sic factum est de Raphaim, qui erant Gigantes multi, & valde magni totam terram Basan regni Og occupantes: tempore tamen Moysi solus Og rex de stirpe Gigantum Raphaim restiterat, ut patet Deuter. 3. cap. sic etiam isti iam deficiebant, cum soli tres in vrbe Hebron restitissent, quos deleuerunt Israëlitæ, & postea nūquain fuit quisquam de Gigantibus in Hebron. In cæteris quoque locis, in quibus aliqui restiterant deleuerunt eos Israëlitæ in terra Chanaan, ut patet supra II. scilicet, in illo tempore venit Iosue, & deleuit Enacim de montanis Hebron, Dabir, & Anab, & de omni monte Iudeæ, & Israël: manserunt tamen aliqui in terra Philistinorum in vrbe Geth, quam terram non ceperunt Israëlitæ, & de terra hac fuit Goliath Gethæus, de quo I. Regum 17. fuerunt quoque alii Gigantes de terra eadem, de quibus 2. Regum 21. cap.

*An
vrbi
Dabir
pertinet.
meres
ad Ca
lib.*

Atque inde concendens venit ad habitatores Dabir. Istud de vrbe Hebron, & Dabir simul factum est. Pro quo considerandum est, quod ista fuerunt post mortem Iosue, ut supra dictum est, & colligitur Iudic. I. ca. vbi mortuo Iosue cum consuleretur Deus quis acciperetur dux ad bellum, responsum est, quod Iudas, & quia una tribus non est aliquid vnum perse, sed vel per aggregationem, vel dependentiam, aut relationem ad vnum poterat esse dux: ideo electus est dux de tribu illa, & iste videtur fuisse Caleb, quia iste erat honorabilior in tribu tota, cum datus fuisse in diuisorem terræ de tribu hac Numer. 34. & Deus promiserat ei dare vrbum Hebron. Erat etiam iste senior omnibus de tribu Iudeæ, & omnium aliarum tribuum præter Iosue, & Leuitas, quia ad minus excedebat in viginti annis quemlibet de toto Israël, ut declaratum fuit præcedenti. Magis etiam colligitur hoc ex verbis suis hic, & Iudic. I. vbi cum agatur de bello totius tribus Iudeæ locutus est Caleb, dicens, qui percusserit Cariathsepher, dabo ei Axam filiam meam, si tamen ipse non esset dux, non haberet causam rationalem loquendi hoc, proponendo præmia facientibus aliquid strenuum in bello: erat ergo dux belli. Et sicut fecit ire exercitum ad pugnandum cōtra alia loca de quibus dicitur Iudic. I. ita fecit eum ire contra Hebron, quæ ad eum specialiter pertinebat, & subuertit habitatores eius, deleuitq; Gigantes. Et dicitur hic, quod inde concendens venit ad habitatores Dabir, in quo signatur continuitas belli, scilicet, quod immediate quo deleta est Hebron, venerunt viri de tribu Iudea cum duce suo Caleb ad vrbum Dabir. Dicuntur autem ascendisse in eam, quia est Dabir in montanis, & Hebron, & Anab, ut patet supra II. dicitur autem, quod inde, id est, de vrbe Hebron peruererunt in Dabir, quia erant coniunctæ istæ vrbes. Etiam ciuitas Anab videtur fuisse simul cum eis ex verbis præalligati capit. iuit etiam Caleb ad hanc vrbum immediate, quia ad eum pertinebat: sibi enim promissa fuerat, & data, licet non tantum de ea exprimatur. Quod patet, quia Caleb non solum petuit vrbum Hebron, sed totum montem, in quo erat ipsa vrbs cum aliis ciuitatibus, ut patet præcedenti capit. scilicet, da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus, in quo Enacim sunt, & vrbes magnæ, atque munitæ, sed non videtur, quod Iosue repudauerit petitionem Caleb: ergo totam regionem montis ei tradidit: Dabir autem erat in monte illo, ergo tradita est. Quod patet, quia supra II. ponuntur istæ tres vrbes in eodem monte cum dicitur: Deleuit Iosue Enacim de montanis Hebron,

Dabir, & Anab. In quo ponitur, & de copulato extremo, & signatur idem esse ad omnes pertinēs. Item appareat hic, quia ciuitas Hebron dicitur, quod ascendit Caleb in Dabir: si tamen non essent istæ duæ vrbes, quasi coniuncta non dicere tur hoc, sed quod iuit in Dabir quasi esset aliquid distans.

Sed dicet aliquis, quod quamquam Dabir, & Anab essent in monte, in quo erat Hebron, tamen non fuerunt datae Caleb, quia licet petierit, non fuit datum quidquid petiit.

Sed dicendum est non stare, quia Deus promiserat Caleb dare montem illum, quem petiit: ergo non recusaret Iosue dare, quia omnia compleuit, quæ Deus iusserat. Quod autem Deus istud promiserit Caleb, patet ex verbis Caleb præcedenti ca. scilicet. Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est mihi Dominus, te quoque audiente. Et si dicat aliquis, quod solum promiserat Deus Hebron, quæ erat in monte, & ad hanc refertur promissio Dei. Non stat, quia immediate dicitur: in quo Enacim sunt vrbes magnæ atq; munitæ: ergo dicendum est, quod etiam alia vrbes fuerint datae Caleb præter Hebron, quamquam de Hebron principaliter agitur, & de his fuit Dabir una quam nunc iuit ad inuadendum.

Item patet hoc aliqualiter ex verbis suis, cum dixit infra, qui percusserit Cariathsepher, & canceperit dabo ei Axam filiam meam: si tamen ciuitas adeum non pertineret non conuenienter diceret prædicta.

Ad habitatores Dabir. Nondum fuerat ciuitas literarum, sicut ad ciuitates planas atque campestres, ciuitæ sunt autem mortuo eo à Caleb. Ista ciuitas vocatur alii nominibus, scilicet, Cariathsepher: aliud quoque habet, quod patet infra in litera: cum dicitur: hæc est Dabir: ad finem cap.

Quæ prius vocabatur Cariathsepher. Id est, ista ciuitas habebat prius aliud nomen. An vero simul ab antiquo habuerit ista duo nomina: scilicet, Cariathsepher, & Dabir, & nomen Cariathsepher quasi iam abolitum fuerit, vel prius solum vocata fuerit Cariathsepher, & postea abolito illo introductum fuerit alterum, scilicet, Dabir, non constat. Et cum dicitur hic, *Quæ prius vocabatur Cariathsepher:* non est referendum ad tempus Caleb, scilicet, quod tunc solum vocaretur Dabir, & ante fuerit vocata Cariathsepher, quamquam Iud. I. videtur hoc innui, cum dicitur: Venit ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariathsepher, sed est sensus, quod ante tempus Caleb vocata fuerit Cariathsepher, & tunc quoque sic vocaretur. Deinde tempore scriptoris libri abolitum erat nomen illud, & solum vocabatur Dabir, & quia inter tempus Samuelis, qui scripsit librum istum, & liberum Iudicum, & tempus Caleb fluxerunt aini multi: ea, quæ fuerunt tempore Caleb, dicebantur aini iqua tempore Samuelis. Ponitur autem hic nomen antiquum in Dabir, scilicet, Cariathsepher, quia tempore Caleb istud erat magis in visu, & ipse non vocauit vrbum istam Dabir, sed Cariathsepher. Quod patet infra, cum dicitur, *Qui percuaserit Cariathsepher, &c. & ad declarandum quomodo non vocauerit Caleb vrbum illam,* sicut nunc vocabatur, dictum est, quod Dabir prius vocabatur Cariathsepher, vel quod vetus nomen vrbis erat Cariathsepher, ut patet Iudic. I.

Quare Dabir vocetur ciuitas literarum, & an ibi fuerint studia, vel inuenta fuerint litera terre illius.

Q V A E S T I O V.

CIRCA hoc dicunt Hebrei, quod ista ciuitas dicitur Cariathsepher, id est, ciuitas literarum, vel ciuitas libri magis proprie, quia post mortem Moysi in planitu eius deleta sunt aliqua capitula de libro legis: Othoniel autem facto in se spiritu Domini renouauit ista, quæ deleta erant, & ob hoc ciuitas Dabir, in qua ipse habitauit, quiacepit eam: vocata est Cariathsepher, id est, ciuitas libri, quia ea, quæ in libro legis deleta erat ipse restaurauit ibidem. Nicolaus arguit contra hoc, quia repugnat literæ ista positio: nam dicitur hic: Venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariathsepher: ergo non fuit positum nomen istud ex aliquo, quod fecerit Othoniel in vrbe hac, quia tunc debet litera ē contraria stare, scilicet, venit ad habitatores Cariathsepher, quæ prius Dabir vocabatur. Hoc satis confirmari potest Iudic. I.

A cum dicitur. Venit ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariathsepher. Antiquum erat nomen hoc in ea Cariathsepher. Dicendum est positionem Iudaeorum esse fictitiam, scilicet, quod aliqua capitula de libro legis deleta fuerint in planctum Moysei, quia non videtur ad hoc aliquis rationabilis modus, scilicet, ad quid lex deleri deberet, vel quomodo deleretur, quia si istud fieret, miraculo se fieret: nam Moyses totam legem scriperat, & fecerat reponi Deuteronomium legis in arca ante mortem suam, Deuter. 31. ca. si ergo deleretur, oportebat, quod in libro illo deleretur, & fieret miraculo se, quod non est concedendum, quia Deus non facit miracula sine causa multum rationabili, & necessaria ad aliquid: hoc autem satis fatuum erat. Hoc tamen non obstante, redargutio Nicolai contra Iudeos non stat, cum dicit, quod non fuit impositum Cariathsepher post Othonielem, sed ante eum iam erat antiquum, & dicendum, quod licet non constet an Chananæi, vel Iudei nomen istud imposuerint: tamen non est dicendum, quod prius referatur hic à Caleb, scilicet, quod ista ciuitas, quæ vocatur Dabir, prius, id est, ante Caleb vocabatur Cariathsepher. Vel, quia iam erat istud nomen vetus, vt patet Iudic. 1. sed referuntur ista ad tempus scriptoris, scilicet, quod Dabir vocabatur prius Cariathsepher, scilicet, tempore Caleb, vel paulo ante eum, & postea etiam vocata est sic ciuitas, & sic eam vocavit Caleb, sed tempore Samuelis scriptoris libri huius non vocabatur sic terra ista, sed Dabir, ideo dicitur, quod erat antiquum nomen eius Cariathsepher, scilicet, in tempore Caleb, & Othonielis. Nicolaus autem dicit, quod Dabir vocabatur prius Cariathsepher, id est, ciuitas libri, vel ciuitas literarum, quia ibi vigebat forte alicuius doctrinæ studium inter Chananæos, vel viguerat ante hoc, & sic rationabiliter vocari possunt Cariathsepher omnes ciuitates, in quibus magna studia florent. Vel vocatur Cariathsepher, id est, ciuitas literarum, quia literæ gentis illius in ciuitate illa repertæ sunt: nam sicut idiomata multa sunt, ita, & multiplices sunt literarum characteres apud gentes varias, quamquam non tantæ characterum varietas, vt idiomatum est, literæ autem gentis Chananæorum fortassis à literis aliarum gentium, id est, characteribus, & sono discrepant: sicut Latinorum, Graecorum, & Hebraeorum non sunt cædem in sono literæ nec in configuratione similes.

Quæ gens imposuit vrbi Dabir hoc nomen Cariathsepher.

Q V A E S T I O VI.

C **S**ED tunc stat dubium quis istud nomen imposuerit, scilicet, an Hebrei, vel Gentiles. Si dicamus, quod Chananæi: satis contueniens videtur, quia in terra illa studium fuit ante tempus Iudeorum inter Chananæos, vel inuentio literarum terræ illius: ob hoc autem verisimilius est, quod ipsi Chananæi indigenæ terræ nomen imponerent ad celebrandum terram suam, quam Iudei ex eo, quod à prioribus seculis accidisset, nunc nouum vrbi nomen fingerent.

Et tamen tunc obstat, quia Cariathsepher est nomen puræ Hebreum, sicut patet in scriptis originem, & qualitatem Hebraicarum dictiorum, qualiter ergo imponerent Chananæi nomen istud?

In contrarium aliquis dicet, quod impositum fuit nomen istud ab Israëlitis, vt patet ex origine dictioris.

Sed tunc obstat confirmatio positionis superioris, scilicet, quomodo Israëlitæ imponerent nomen vrbi Chananæorum ex eo, quod à multis temporibus prius accidisset in terram Chananæorum.

Respondendum videtur, quod ista vrbs fuit locus studiorum, vel inuentionis literarum, vt dictum est, & Gentiles ad celebrandum famam terræ sua vocauerunt vrbe Cariathsepher, id est, vrbe literarum: non quidem in his vocibus, sed in aliis vocibus Chananæi idiomatis idem signantibus Iudei autem cum venerunt in terram, scientes nomen vrbis quid signaret in sermone Chananæo, imposuerunt aliud nomen in lingua sua, quod idem signaret, & istud fuit Cariathsepher. Nomen autem quo Chananæi vocabant vrbe hanc non patet, nisi quantum ad hoc nomen Dabir, & sic aliquando fit, vt duæ gentes imponant rei duo nomina idem

D signantia, & quælibet gens secundum proprietatem linguæ suæ. Sic patet de Jacob, & Laban, quia quando confederati sunt super montem Galaad ponentes cumulum lapidum, quasi in testem, vocavit eum quilibet secundum proprietatem linguæ suæ. Jacob vocavit montem Galaad, quod interpretatur acerius testimonij: Laban vero posuit nomen fyrum terre Mesopotamiae, quod signat cumulum testis, vt patet Genes. 31. ca. & sic non stabit aliquid inconveniens: nam verum erit, quod Chananæi posuerunt nomen vrbi suæ vocantes eam ciuitatem literarum, vel vrbe libri, & hoc multo tempore antequam veniret Israëlitæ in terram Chanaan. Tamen istud nomen Cariathsepher non posuerunt ipsi. Sed postea venientes Israëlitæ posuerunt secundum conditio nem linguæ suæ, quia nomen Chananæum positum vrbi hoc signabat: Caleb autem, quando locutus fuit de vrbe Dabir, locutus fuit secundum linguam suam vocans eam Cariathsepher, sed postea tempore Samuelis scriptoris libri huius utrumq; nomen tam Chananæum, quam Hebreum signans ciuitatem literarum deletum erat: ideo dictum est, quæ prius vocabatur Cariathsepher, vel cuius nomen vetus erat Cariathsepher, Iudicum 1.

Id est, ciuitas literarum. Istud non est in Hebreo, sed transla tor noster apposuit ad cognoscendum quid signaret nomen istud Hebraicum, & sic est in multis aliis nominibus hebraicis, & quamquam interpretetur Cariathsepher, id est, ciuitatem literarum, proprius tamen vocatur ciuitas libri, sed ad idem reddit.

Dixit Caleb, qui percussit Cariathsepher. Locutus fuit Caleb verba ista, cuin iam peruenient filii Iudei ad expugnam Cariathsepher, quæ forte erat ciuitas fortiter munita: erat enim in montibus, vt patet supra 11. scilicet, quod deleuit Iosue Enacim de montanis Hebron, & Dabir: erantque pugnatores eius validi, potissime, quia ibi erant Gigantes, sicut in vrbe Hebron, & Anab. Et ob difficultatem expugnationis, vt aliquid viri probi attenderent nimis ad capiendam vrbe, promisit capienti filiam suam Axam. Ita ciuitas habebat regem, qui iam interfectus fuerat cum aliis regibus occisis tempore Iosue, vt patet supra 12. & tamen nondum fuerat capta ciuitas eius, quia iste rex forte fuit occisus in pugna ad aquas Meron, vbi maxima pars Chananæorum conuenerat contra Iosue, & Israëlitas, vt supra 11. Sic fuit de rege vrbes Hebron, quia ipse fuit de quinque regibus primis occisis in terra Chanaan, scilicet, de illis, qui latebant in spelunca vrbe Macea, vt patet supra 10. tamen vrbs Hebron postea capta fuit a Caleb post mortem Iosue, vt declaratum fuit hic, & colligitur Iudic. 1. Sciendum, quod Caleb conniventer dixit verba hæc propter duo. Primum, quia ipse erat dux belli, vt supra declaratum est: ad iudicem autem pertinet in bello proponere præmia bene pugnantibus, vel comminari pœnas, aut inhonorationes fugientibus de acie. Sic dicit Homerus de Hectore in Iliade, & allegat Aristot. 3. Ethic. agens de fortitudine, quæ est per timorem, scilicet.

*Quem ego videro sine bello fugere, faciam
Quod non sit sibi sufficiens fugere canes.*

Ita David cum pugnaret contra Ierusalem, scilicet, contra montem Sion, vbi erant Iebusi, ait, qui percussit lebusum, in primis erit princeps, & dux, & sequitur, quod ascendit Ioab, & factus est dux, vt patet 1. Paralip. 11. & 2. Reg. 5. Erat autem tunc David dux belli, quia erat rex. Alia causa erat, quia ciuitas Dabir pertinebat ad Caleb: ipse enim petierat montem, in quo erant Hebron, Dabir, & Anab, & datus est ei, vt supra declaratum est.

Qui percussit Cariathsepher, & ceperit eam. Non intelligitur, quod per se caperet vrbe, & occideret habitatores illius, quia tunc cum dicitur, quod Othoniel frater Caleb percussit, & ceperit eam, sequeretur, quod ipse per se hæc omnia fecisset: non est tamen verisimile: tum quia non posset hoc facere Othoniel per se, nec cum cognatis suis: tum quia iam tota tribus Iudei cum tribu Simeon ascenderant de Hebron in Dabir, & ad expugnandum vrbe: quomodo ergo isti cessarent à bello permittentes solum Othonielem pugnare? non est enim rationabile.

Dicendum ergo, quod verba Caleb intelligebatur de eo, qui primo percuteret habitatores Dabir, & irrumperet vrbe effringendo portas, & intrando, vel ascendendo muros.

Et po-

An Ca
l b vor
ba con-
uenie-
ter di-
xit de
danda
filia
sua.
F

A Et ponuntur duo, scilicet percutere Cariathsepher, & capere: percutere enim est, quod percuteret aliquos de habitatoribus vrbis, scilicet, quod qui primus occiderit aliquem de habitatoribus Dabir. Capere vrbem accipitur hic pro ingredi in eam, vel irrumpere ad capiendum eam: & sic filia Caleb danda erat ei, qui occiderit primum de viris Dabir, & ingrediretur primus in vrbem, & hoc fecit Othoniel frater Caleb. Similis modus proponendi fuit Daud, cum pugnaret contra Iebusos habitantes in arce Sion 2. Reg. 5. Posuerat Daud in die illa præmium, qui percussisset Iebusum, & tertiisset Domatum fistulas, & abstulisset clados, & cæcos odiētes animam Daud, & 1. Paralipo. 11. clarus hoc ponitur, scilicet. Dixitque Daud: omnis, qui percussiterit Iebusum in primis erit prieceps, & dux: ascendit autem Ioab primus filius Saruix, & factus est princeps. Dabo ei Axam filiam meam vxorem. In hoc apparet, quod esset Caleb vir valde honorabilis in tota tribu Iuda, & diues, alias nullus se vellet exponere tanto periculo mortis irrumpendo primus in vrbem, & percutiendo primo viros Dabir. Magnum enim est, quod pretio vitæ emitur, & reuera nihil hoc carius. Erat tamen Caleb princeps nobilissimus, & dux in tribu Iuda, & quilibet de tota tribu intelligeret se esse gloriosum, si acciperet filiam eius in vxorem: unde credendum est quod non solum Othoniel, sed etiam alii viri bello strenui ad capiendum hoc præmio conati sunt, præualuit tamen Othoniel. Item credendum videtur multis, quod non solum Caleb proponeret filiam suam accipiēti, & percutienti vrbem Dabir, sed etiam, quod daret ei vrbem illam in dotem cum filia, quia vrbs ad eum pertinebat, sed non multum tenendum est, quamquam aliquibus sic videatur. Nam etiam si dedisset Caleb vrbem Dabir Othonieli fratri suo cum filia sua, quia erat vterq; ad eum pertinens, tamen non erat multum rationabiliter dictum, q; ipse à principio proposuisset dare filiam suam, & cum ea vrbem, quia nesciebat quis accepturus esset vrbem, & posset eam dari alicui quasi nihil attinente ad eum. Item non videtur, quod etiam Othonieli fratri suo dederit vrbem Dabir cum filia sua Axa, quia immediate agitur de agro, quem petit à patre suo Axa dicens: Terram australem, & arentem dedisti mihi, da & irriguam aquis, & subditur, quod Caleb dedit ei irriguum superius, & irriguam inferius, si tamen dedisset Caleb filiam suam in dotem vrbem Dabir cum territorio suo, non videtur satis, quod esset arens terra, quia alias non potuisset à principio sustentari. Item ex concessione Caleb sequi videtur, quod modicū de hereditate dederat filiam suam, cum subdatur: Dedit ei irriguum superius, & irriguum inferius, id est, quod apud illam possessionem, quam à principio tribuerat addidit alias partes, vnam supra possessionem illam, & aliam inferius: utrunque autem aquis irriguam. Si autem dedisset ei à principio totam vrbem Dabir cum territorio suo, quomodo diceretur, quod dedit ei irriguum superius, & inferius? nam erat vrbs ista in montanis, vt patet supra vndecimo cap. & satis in eminenti loco, nam etiam Hebron erat in montanis, & tamen de vrbe Hebron ibatur ascendendo in Dabir, vt patet hic, & Iudicum primo.

Cepitque eam Othoniel filius Cenez. Non habetur in Hebreo iunior, sed hic additum est, quia sic habetur Iudi. 1. vbi idem factum narratur: iste Othoniel vocatur Cenezæus sæpe, sicut Caleb, sed vt dicitur magis propriè vocatur Othoniel Cenezæus, quam Caleb, quia Cenez erat pater Othonielis, & frater Caleb: Determinatio autem magis fit à patre, quam à fratre, iste Othoniel erat egregius bellator, ideo cum audiuit propositum præmium à Caleb conatus est irrumpere prius in vrbem, & expugnare hostes: unde habuit Axam vxorem.

Frater Caleb iunior. Ista additio, scilicet quod esset Othoniel frater iunior forte potest ad hoc ponī, vt intelligatur quomodo accepit vxorem filiam Caleb: nam Caleb erat iam vetus: si autem Othoniel esset ei coætaneus, vel quasi, nō posset accipere in vxorem inueniendam filiam Caleb. Dicitur ergo, quod erat frater iunior, & sic adhuc poterat esse conuenientis ætatis, vt acciperet Axam filiam Caleb in vxorem. Quod autem Othoniel esset iunior Caleb necesse erat: quia omnes, qui erant numerati à 20. annis, & supra cum facta est murmuratio in Cadesbarne mortui sunt in deserto præter Caleb, & Iosue, vt patet Num. 14. & 26. & Ecclesiastici 46. operat ergo, quod Caleb esset senior Othoniele, & omnibus, qui

tunc erant præter Iosue, & quosdam Leuitas, & non solum erat senior, sed etiam erat ad minus senior Othoniele annis 20. nam omnes, qui erant annorum 20. cum venerunt Israëlite in Cadesbarne mortui sunt in deserto, quia super illos sententia data est, vt patet Num. 14. sed Othoniel non fuit mortuus, & non fuit de duobus exceptis, scilicet de Caleb, & Iosue: ergo non nundum erat natus, cum peruentum est primo in Cadesbarne, vel non erat 20. annorum, sed Caleb erat tunc annorum 40. vt patet præcedens, cap. scilicet 40. annorum eram quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne: ergo ad minus 20. annis excedebat Othoniel, & quilibet de tota tribu Iuda, & ceteris tribubus, sed valde pluribus credendum est, quod excederet, ita quod esset Othoniel tunc satis iuvenis, scilicet 30. annorum aut pauciorum. Quod pater, quia terra post mortem Iosue queuit aliquot annis, quibus non declinauerant Israëlite ad idola, vt patet Iudi. 2. scilicet, quod in diebus seniorum, qui vixerunt longo tempore post Iosue, non declinauit Israel ad malum: deinde suscitatae sunt gentes contrâ Israëlitæ declinantes ad idolatriam, & presserunt eos: suscitauit autem Deus hunc Othoniel in iudicem, & 40. annis iudicauit terram. Satis ergo erat iuvenis, quando pugnauit cōtra viros Dabir. De hoc Iud. 3. c.

Deditque ei Axam filiam suam vxorem. Hoc enim promiserat Caleb, ideo compleuit, accepitque Othoniel Axam in conjugem, & dotem cum ea, scilicet partem terra de montana terra, quam tradiderat Iosue Caleb in possessionem.

Vtrum potuerit Othoniel accipere Axam filiam fratris sui in vxorem. Et an esset iste gradus prohibitus in veteri lege. Et an tunc vir, & vxor ad paria iudicarentur, quantum ad matrimoniale vinculum sicut nunc in novo testamento. Et, quod maximum malum esset natura, & politia communis vxorum.

Q V E S T I O VII.

SED contra hoc aliquis dicet, quomodo potuit accipere Caleb filiam in vxorem Othoniel? Nam erat consobrina eius, scilicet filiam fratris sui, sed iste gradus in lege vetitus erat Leuit. 18. vbi ponuntur gradus illiciti ad contrahendum matrimonium, & dicitur: Turpidinem fororis patris tui non reuelabis, quia caro patris tui est: Turpidinem fororis matris tuæ non reuelabis, eo quod caro sit matris tuæ. Sicut ergo non licebat filio accipere in vxorem fororem patris sui, vel matris, ita non licebat alicui accipere filiam fratris sui in vxorem, vel filiam matris suæ, quia erat idem gradus attinetia utrobiq; ideo sicut primum non licebat, ita nec secundū ergo Othoniel nō debuerat accipere Axam filiam fratris sui Caleb. Ad hoc respondent aliqui, quod Caleb non sponte egit hoc, sed à principio proposuit, quod si quis caperet Dabir, daret ei filiam suam in vxorem, quia non venerat ei in mentē de Othoniele fratre suo, si autem de illo cogitasset, non proposuisset talia: postea autem cum Othoniel cepisset vrbem, erubuit Caleb, qui erat valde reuerendus vir, si non daret filiam suam Othonieli, sicut promiserat: ideo tradidit, quamquam videretur illicitum. Sic quoque fecit Iephe Gaadites: nam cum iuit in bellum vovit, vt si Deus reduceret eum cum gaudio in domum suam, quidquid ei primo occurseret de domo sua immolaret, & occurrit vñica filia, quā postea (licet cum magno dolore) immolauit, vt patet Iudi. 11. Sed ista responsio non satis videtur: nam cum cepit Othoniel vrbem Dabir, & videret Caleb, quod erat ei danda filia sua in vxorem, si displiceret ei, quia erat illicitum, habebat legitimam excusationem, & pulchram ad non complendum, scilicet, quod ipse non excogitasset de Othoniele, qui ad eum consanguinitate tam coniunctus erat, & in generali sermone non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, sed non esset Caleb concessurus determinare filiam suam Othonieli, si cum eo loqueretur de captione vrbis Dabir: ergo quamquam sic loqueretur, non erat obligatus ad dandum filiam suam Othonieli. Item non poterat Caleb per votum, vel promissionem suam obligare se contra id, quod lex simpliciter vetat, sed vetat talia contubernia, ideo etiam si specialiter promisisset dare eam

A Othonieli non teneretur, & non solum non teneretur sed etiam nō esset sibi licitum facere, quia tunc esset fraus omnibus legibus, & eneuaretur earum vigor, si quis per votum suum aut promissionem licite pesset facere contra legem, q̄ alias nequaquam facere potuisset, ideo nec obligatus fuit ad dandum, nec licuit ei dare illam. Nam si licuisset, dato, quod non esset obligatus, debuisse dare ad complendum promissa, sed neutrum erat. Cum ergo Caleb dederit filiam suam Othonieli habens excusationes legitimas, & necessarias, videtur, quod volens fecerit. Nec est simile de Iepte Galaadite immolante filiam suam: nam iste non immolauit propter verecundiam, quasi erubesceret nō completere promissā, quia nequaquam erat verecundum, cum omnibus notum esset, quod ipse non aduertisset in generali sermone de filia sua vñica, sed de eo, quod immobile esset, ideo licet non completeret non esset ei erubescendum, ita ipse dicit se fecisse per ignorantiam votum istud, & putabat se teneri voto, ideo, vt non infringeret religionem occidit illam. Sic patet Iudi. 11. cum dicitur: Heu filia mea deceperisti me, & ipsa decepta es, aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. Et hoc non erat mirabile, quia inter Iudeos frequenter eueniebat, vt rari, vel quasi nulli essent homines sapientes circa questiones legis, vt scirent iudicare ad quid homo teneatur, & sic credendum est, quod nullus fuerit, qui potuerit declarare Iepte, quod non teneretur ad votum emissum. Sic fuit tempore Machabaeorum: erat enim vetitum sabbato quidquam operari, ideo crediderunt Iudei se non posse resistere pugnantibus contra eos diebus sabbathorum, vnde cum pugnarent contra eos Gentiles, nō se defenderunt munientes loca, nec saltem mittentes lapidem unum in eos, sed permisérunt se occidi dicentes. Moriamur omnes in simplicitate nostra, testes sunt super nos cælum, & terra, quod iniuste perditis nos. I. Machabæo. 2. c. si autem illi sciuisserint licitū esse defendere se sabbathis restitissent hostibus. Et postea adhuc alij Iudei nesciebant an liceret eis defendere se in sabbathis, sed quia viderunt, quod hoc modo cito delerentur omnes de terra, conuenerunt inter se, vt pugnantibus in diebus sabbathorum responderent, vt codem c. Non ergo fuit simile de completione voti Iepte Galaaditis & de completione promissi Caleb dando filiam suam Othonieli. Item in hoc non excusat Othoniel, sed Caleb quodam modo: nam sciebat Othoniel illicitum esse, quod acciperet filiam fratri sui in vxorem. Quamquam ergo Caleb, quando proposuisset verba hēc in generali non considerasset de Othoniele fratre suo, tamen Othoniel sciebat, quod illicitum erat sibi accipere filiam fratri sui vxorem: cum ergo conaretur irrumper primo urbem, & percutere hostes, vt haberet Axam in uxorem deliberatè malum agebat, quod nequaquam est excusabile, & non solum cum conatus est accipere urbem, vt haberet Axam (quia licet istud desiderium erat illicitū quantum aliquid, erat licitum quantum ad aliud) sed quando capta vrbe voluit accipere Axam in uxorem, & petuit, totaliter illicitum fuit: potuerat enim capta vrbe non petere Axam in uxorem, vel gratis oblatam non recipere. Nam non obligabatur ipse ad recipiendum, vel petendum, si Caleb obligabatur ad dandum, si tenuisset promissnm, quod ergo sponte voluisse illicitum perpetrare, inconueniens videtur. Item nō est tale sentiendum, tam de Caleb, quam de Othoniele, quia Caleb erat vir iustus, cum Deus ei promisisset dare montem Hebron, & scriptura de eo prohibeat testimonium, quod secutus fuerit Deum supra 14. de Otheniele autem identidem est: erat enim vir bonus, quem Deus suscitauit Saluatorem Israel, vt patet Iudic. 3. scilicet qui suscitauit eis Saluatorem, & liberauit eos, Othoniel videlicet filium Genez fratrem Caleb minorem, fuitque in eo spiritus Domini, & iudicauit Israël: si ergo illicitum fuisset, non est credendum, quod isti viri commisissent, aut alter alterum committere permisisset. Quidam autē volentes totaliter saluare istam controuersiam dicunt, quod Othoniel non erat frater Caleb, sed consobrinus eius, scilicet filius fratri sui, scilicet Genez, & tunc manifestum est, quod potuerat accipere Axam filiam Caleb in uxorem, quia erant duo patruelē, id est filii duorum fratrum, qui erant fratres, & iste gradus non erat prohibitus lege mosayca. Et cum obiicitur, quod scriptura vocat Caleb fratrem Othonielis, respondent, quod illi, qui sunt de co-

gnatione eadem, vocantur fratres, maximē, qui sibi attinent in gradu propinquio, scilicet consobrinus ad patruum, vel aunculum, & sic vocabantur Abraham, & Loth fratres Genesis 13, cum dixit Abraham ad Loth: Ne quāso rixa sit inter me, & te, pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus. Constat tamen, quod Loth non erat frater Abraham, sed erat Abraham patruus illius, quia Loth erat filius Abram fratris Abrahæ Genesis vndecimo, ita hic Othoniel vocabitur frater Caleb, licet sit filius fratri sui, scilicet Cenez. Dicendum, quod ista responsio satis tollebat omnia inconuenientia, tamen non conuenienter dicitur, quod Othoniel non sit frater Caleb. Nec potest responderi per similitudinem de Abraham, & Loth: aliud enim est, cum aliqui vocant se fratres, aliud autem cum scriptura prohibet testimonium de aliquibus, quod sint fratres: nam homines, qui nō sunt fratres interdum vocant se fratres, quia se diligunt, vel ad captandam benevolentiam, & sic cum Abraham vellet visitare iurgium inter se & Loth, vocauit eum fratrem ad magis captandum benevolentiam, scriptura tamen non vtitur talibus modis loquendi, cum ipsa ex se prohibet testimonium de aliquibus, quod sint fratres: similis modus patet de rege Tyri, qui vocauit fratrem suum regem Salomon. 3. Reg. 9. tamen manifestum est, quod nulla consanguinitate iungerentur, quia rex Hiram erat de Chananis. Sed adhuc dato, quod scriptura ex seipso, interdum sequens modum loquendi vocet fratres eos, qui non sunt, tamen hic ponuntur aliqua, ex quibus manifeste appetit, quod non sit talis modus, sed vere essent fratres Caleb, & Othoniel. Nam vbiq; agitur mentio de Caleb, & Othoniele, vocatur Othoniel frater minor, vel junior Caleb: si tamen esset large vocatus frater, non posserentur iste limitationes maior, & minor: ideo dicendum, quod vere erat Othoniel frater Caleb, & consequenter non poterit stare solutio posita. Nicolaus non curans an sint fratres, vel dicit, quod satis stat conuenienter, quod accepit Othoniel filiam fratri sui in uxorem. Et quando arguitur, quod iste gradus erat prohibitus, respondet falsum esse, nam vetabatur, quod quis acciperet amitam suam, id est sororem patris in uxore, vel materteram, id est sororem matris, tamen non prohibebatur è contrario, quod acciperet filiam fratri sui, vel sororis sue in uxorem. Et cum arguitur, q̄ isti in eodem gradu sibi attinent, respondet hoc non obstat propter duo.

E Primò, quia illi gradus erant prohibiti propter reuerentiam, ne quis tractaret eam, quam tractare non deberet irreuerenter. Discooperire autem turpitudinem est tractare maxime irreuerenter, ideo non conueniebat hoc respectu superiorum, scilicet, quod quis acciperet sororem patris sui, vel matris. Quod tamen aliquis acciperet filiam fratri sui in uxorem non stabat eadem ratio, quia non tractabat eam irreuerenter, cum esset minor, vel descendens, & ad minores non est reuerentia: licuit ergo accipere.

F Secunda ratio est, quia quamquam esset idem gradus, tamen non stabat eadem ratio, nam licet nunc secundum statutum noui testamenti vir, & vxor ad paria iudicentur, quantum ad matrimoniale vinculum, tamen secundum vetus testamentum maior reputabatur vir, quia licebat alicui accipere plures vxores, nulli tamen foeminae licuit accipere saltem duos viros, ideo quamquam non liceret alicui foeminæ accipere filium fratri sui, vel sororis sue in virum, tamen licuit alicui accipere filiam fratri sui, vel sororis sue in uxorem.

Sed istæ responsiones Nicolai non multum stant. Prima cum dicit, quod isti gradus erant prohibiti propter irreuerentiam, ideo vbi nulla erat irreuerentia, quod liceret, falsum est nam tunc solum vetita fuisset copula virorum ad foeminas, quæ aliquo modo habent ad eos rationem superioris, vel directe, vel transuersaliter, sed falsum est, quia maior est prohibitio virorum ad quasdam æquales, & ad quasdam inferiores: frater enim & soror æquales sunt, & non debent sibi inuicem aliquam reuerentiam, ergo liceret fratri accipere sororem in uxorem, quod est falsum.

Etiā prohibitum est, ne quis accedat ad filium suum, vel neptem, & tamen sunt inferiores, ad quas nulla est reuerentia. Etiā vetitum est, ne quis cognoscat carnaliter nurum suum, aut uxorem fratris sui, & sic de multis aliis, omnes tamen istæ, aut æquales, aut minores sunt: ergo non erat causa prohibitionis irreuerentia, sed naturæ sacra colligatio, & vere-

Caleb
vir in
fus.

An O
thoniel
est cō
sobrin
Caleb
& non
frater.

cundia

A cundia atque iura propinquitatis magna. Sic videtur exprimi. Leui.18. scilicet. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedit.

Item quando in eodem capitulo exprimitur de qualibet copula illicita causa, non ponitur irreuerentia pro causa, sed identitas magna sanguinis, vt cum dicitur: Non reueles turpitudinem talis, vel talis, quia turpitudo tua est, vel turpitude patris tui, aut matris tui: aut turpitude fratribus: ad seipsū autem non tenetur aliqua reuerentia, & tamen aliqui complexus erant vetiti, quia in illis discooperiret quis turpitudem suam. Sed siue cognoscat aliquis sororem pannis, vel matris, siue aliquis cognoscat filiam fratribus sui æqualiter reuelat turpitudem sanguinis sui, cum æqualiter ad se isti pertineant, scilicet in eodem gradu, ergo æqualiter erit prohibitum vtrumque, & in hoc non est ratio vlla dubitandi. Secunda ratio Nicolai non facit multum ad propositum, & etiam præsupponit falsum. Primum patet: nam ex hoc, quod non licebat viro, & vxori æqualia in veteri testamento, non liceret alicui fœminæ accipere in virum filium fratribus sui, vel sororis suæ, quod expresse vetitum erat. Ita non liceret alicui fœminæ accipere in virum patrum suum, vel auunculum, s. fratre patris sui, vel matris suæ, sed Othoniel erat patruus Axa filius Caleb, ergo non licebat ei accipere Othonielem in virum.

B Si autem dicas, quod Othoniel accipiebat Axam, & licebat ei, licet non liceret Axa accipere Othonielem: non stat, quia matrimonium inducit relationem, & sicut Othoniel accipiebat Axam in cōiugem, ita accipiebat Axa Othonielem in virum, ideo si vni licet, & alteri, aut si vni non licet, neutri licebit. Et si respondeas, quod Axa non accipiebat Othonielem, quia non petebat cum in virum, quia hoc non licebat ei, sed Othoniel accipiebat Axam, quia petebat eam, & hoc licebat Othonieli, quia erat vir: non stat hoc. Nam isto modo tolleretur prohibito à Deo imposta Leu.18. quia quamquam non liceat alicui fœminæ accipere in virum filium fratribus sui, vel sororis suæ: tamen licebit viro petere in vxorem sororem patris sui, vel matris, quia licet viro, quod non licet vxori, sed ista non stat: nam in hoc includit contradictionem, quod liceat viro accipere aliquam in cōiugem, & quod non liceat fœminæ accipere illum in virum, quia tunc cum ex parte vxoris non sit licitum contrahere, non contrahetur, aut si cōtractum fuerit dirimetur tanquam illicitum contubernium: ergo necesse est æqua esse iura viro, & fœminæ quantum ad posse contrahere. Item cum dicitur, quod in veteri testamento non licebant æqualia viro, & vxori: nihil ad propositum, quia hoc intelligitur de viro & vxore, postquam sunt vir, & vxor post contractum matrimonij, sed antequam contraxerint, cum non sint alligati, nihil magis licet viro, quam fœminæ, quia ab alterutro absoluti sunt, sed in contrahendo est sic, ergo non magis licebat alicui accipere filiam fratribus sui, vel sororis, quam aliquis acciperet sororem patris, vel matris fecus autem si iam contraxisserit: nam tunc verum est, quod non licerent eis æqualia. Item falsum supponit, cum dicit, quod licebat viris in veteri testamento accipere plures vxores: tamen nulli fœminæ licuit accipere plures viros, in quo innuit, quod ista erat libertas quædam data viris in fœdere matrimoniali, sed falsum est, quia hoc non fit tanquam vni tribuatur plus iuris, quam alteri, sed quia repugnat intentioni naturæ, & honestati humanae, & toti nobilitati politicae. Si enim plures viros aliqua fœmina haberet, fortè gignere non posset. Quod apparet in prostitutis publice in lupanari, intentio tamen matrimonij est ad prolem. Item essent proles incertæ, & omnes degeneres tanquam vulgo concepti: nemo etiam bona sua posteris suis relinquere certus esset. Etiā homines parum, aut nihil propter cognitionem se diligerent, quia dilectio est, cum quis aliquem cognoscit patrem, aut pater cognoscit filium, sed tunc vtrumque esset incognitum: ergo nihil magis diligenter pater filios, quam extraneos, quo nihil deterius: vnde in urbibus nullus amor foret, nec in toto genere humano ex identitate cognitionis. Nihil ergo feret, quod tantum naturæ, & omni bono repugnet quantum communitas vxorum, aut, quod vni fœminæ plures viros accipere liceret. Dato autem, quod unus vir accipiat plures vxores, nullum horum inconuenientium sequetur, ideo quamquam iura diuina, vel humana concedere voluiscent æqualia fœminis, & viris, vel maiora vxoribus, quam viris, nequaquam

tamen concessissent alicui fœminæ, quod possit accipere plures viros. De his non oportet in præsenti speculari: diximus enim de his diffuse in quodam tractatu nostro n. anuali de platonica, & socratica politia, & an conueniret politia vxorum communitas. Eadem enim damna sequuntur prorsus, etiam si non sint omnes vxores communes, si licuerit alicui accipere plures viros. Non ergo datum est in lege veteri viris super fœminas hoc libertatis, vt possint plures vxores accipere, & fœmina non possit accipere plures viros, sed ista à iure naturali proueniunt, cui repugnat cōmunitas quæcumque vxorum, & tamen non repugnat simultanea bigamia, aut trigamia, aut in quocunque numero: Licebat tamen aliquid viris in veteri testamento super fœminas, quia poterat viri repudiare fœminas, siue cum causa siue sine causa: fœminæ tamen non poterant repudiare viros aliquo horum modorum, & sic rationes istae non multum agunt.

Ideo respondendum videtur, quod istud matrimonium secundum se illicitum erat, tamē ex dispensatione ad aliquid bonum factum est, & licet non appareat illa dispensatio credendum est, quod fuerit: iste enim est modus communis in sacra Scriptura, quia viri sancti, & magna auctoritatis faciebant interdum quædam, quæ erant directè contra præcepta legis, & tamen quando ipsi faciebant, totus populus credebat bene facta esse, quia existimabat, quod Deo iubente illa facerent, & qui postea legebant factum, hoc modo interpretabantur. Sic enim Deus iussit, vt nemo immolare nisi in altari suo in loco ubi inuocaretur nomen eius, vt patet Ex. 20. & Deute.12. & si quis alibi immolare vellet, reus mortis erat, ac si hominem occidisset Leu. 17. c. Elias tamen confituit altare in monte Carmelo. 3. Regum 18. & non appetet, quod Deus iussit: creditur tamen esse per dispensationem, & incitationem Dei, quia confirmatum est opus eius miraculo, cum Deus miserit ignem de celo super sacrificium Elias, vt patet eodem c. David quoque instituit altare in area Areunam Iebus ei extra sanctuarium. 2. Regum 24. sed illud Deo iubente per prophetam Gad factum est Samuel quoque in multis locis immolauit: nam legitur immolasse in Mephaph. 1. Regum 7. immolabat quoque in Ramatha urbe sua ubi ædificauit altare. 1. Regum 8. immolauit quoque in urbe Bethlehem. Patet mandatum Domini præallegato capitulo, de aliis autem nequaquam, sed creditur per dispensationem factum, quia isti erant viri prophetæ, & creduntur fecisse instinctu Dei. Ita conformiter de Caleb, & Othoniele credendum est: isti enim erant viri sancti, vt patet præcedenti capit. de Caleb, cum scriptura laudet eum, & ipsem Deum perhibet testimonium, quod secutus fuerit ipsum, & in catalogo patrum sanctorum veteris legis positus est, vt patet Ecclesia. 46. capit. De Othoniele patet, cum in eum venerit spiritus Domini, & fecerit eum liberatorem, & saluatorem Israel, q̄ ergo in aliis non licuisset, his licuit: nec videtur alias modus conueniens respondendi.

Dict
vera
respon
sio.

E

F

An ex promissione, quam fecit Caleb de dando Axam in vxorem viatori Dabir, obligata esset Axa ad accipiendum illum in virum.

Q V A S T I O VIII.

QUÆRET, nunc aliquis an ex promissione, quam fecit Caleb, scilicet, qui percusserit Cariathsepher dabo ei Axam filiam meam, teneretur Axa suscipere in virum eum, qui cepisset Cariathsepher.

Repondendum est, quod ex hac promissione non tenebatur Axa ad contrahendum matrimonium cum aliquo, ideo licet Othoniel, vel aliquis alius cepisset urbem Dabir, nō tenebatur Axa eum suscipere in virum. Nam matrimonia spontanea esse debent: si tamen fuisset Axa obligata ad contrahendū cum capiente urbem Dabir ex promissione patris sui Caleb, fierent matrimonia inuita, ideo cū data fuerit Axa in vxorem Othonieli capienti urbem Dabir, credendum est, quod ipsa sponte consenserit tradi ei in vxorem, vt complaceret patri. De Caleb etiam dicendum est, q̄ ex promissione sua non fuit obligatus simpliciter ad dandam filiam suam in vxorem, quia si ipsa non vellet, non poterat eam alicui inuitam tradere, sed obligabatur facere quantum posset, persuadendo,

A dendo, ut filia sua acciperet in virum capientem urbem Dabir: hoc autem citra penarum inflictionem, & minas qualescunque. Nam tunc esset hoc cogere: & hoc non debebat interuenire in contrahendo matrimonium. Et dato quod pater sciret filiam consensuram, si ei quidquam comminaretur, non tenebatur saltem leuiter comminari, & si cepisset Othoniel urbem Dabir, postea vero Axa nollet in eum consentire, ut in virum, non teneretur Caleb reus promissionis si suaderet filie quantum fas erat, ut acciperet illum in virum: nam dato quod antequam Caleb ista verba proposuisset petiuisset a filia sua, an vellet accipere in virum capientem urbem Dabir, & ipsa consentiret, & postea capta urbe, non consentiret in capientem, non tenebatur accipere illum in viru, quia semper habebat libertatem mutandi propositu, donec esset alligata vinculo matrimonii: Caleb autem, quia ista promisit putauit securum sibi esse posse complere, quod dixerat & hoc quia puella tempore illo, sicut & nunc ut in plurimū, non accipiunt in viros, nisi eos, quos parentes eis dederint, nec alios petunt, ita confisus est Caleb de filia sua, quod nullum alium vellet, nisi quem ipse daret, & quem ipse daret puella sponte susciperet; potissimum si puella erat bone indolis, subdita voluntati patris, & hoc Caleb experimento nouisset.

Qui cum pergerent simul. Ille est quidam casus incidens aliquo modo depedens ex contractu matrimonij supra posito. Acciperat enim Othoniel Axam in vxorem, Caleb autem dederat ei in dotem aliquam terram arentem, ideo vir eius suavit illi, ut a patre peteret agrum alium, & ipsa petiit atq; collatus est: & dicitur, quod pergebant simul. Resertur ad omnes tres, sc. Caleb Othoniem, & Axam, & tunc fuit opportunitas petendi agrum. *Suasa est a viro, ut peteret a patre agrum.*

Othoniel tacite locutus est Axam vxori sua, quod petret agrum a patre, & hoc est suadere, id est ad sorte tuam trahere, quod est opus rhetori, sc. verbis compositis alios ad id, quod ipse vult perducere, & quia consensit Axa dicitur persuasa a viro. Sciemus quod Othoniel solum suavit vxori petere agrum a patre, quia forte paruam ei sortem dederat: Axa autem ut conuenientius suaderet patri exornauit propositionem sua dicens, terram australem & arentem dedisti mihi, da & irriguam aquis. In Hebreo habetur. *Quae cum pergeret incitauit eum.* Id est, quod Axa incitauit virum suum Othoniel ad petendum, & vtrumq; esse potest, sc. quod primo Axa virum suum solicitaret ad petendum agrum, sed Othoniel non consentiens incitauit eam, ut peteret, & conuenientius erat quod ipsa peteret quam vir, cum pater facilius filie consentiret, & tunc suasa est Axa, ut peteret. Litera autem nostra posuit, q; vir solicitasset Axam, quia manifestum est, q; solicitauerit etiam secundum sensum literae Hebraicæ, cum ipsa ad ultimum petierit, quia tamen interdum litera Hebraica nimis barbarica est, secutus fuit translator sensum, quem litera facere intendebat: & non illum, quem in superficie facit. *Suspirantq;*, ut sedebat in asino. Id est Axa sedebat in asino, quia pergebat in itinere, & tunc suspirauit. Magna enim est astutia mulierum, & eis omnes exprimere affectus, & fingere vultum in promptu est: hic autem Axa rhetoricius vfa coloribus præmisit oīnia, quæ negotium prius ad suasionem recipere poterat: solum enim vir suus suaserat petere agrum, quia tamen petitio simplex nihil suadet, posuit fundamenta suasionis, tam in re quam in verbis: in re autem, quia antequam quidquam peteret suspirauit, monstrans veritatem desiderij: in voce vero, quia preposuit terram australem, & arentem &c. Suspirium Axam fuit ad duo. Primo ad excitandum patrem ad loquendum, erubescet forte Axa incipere petere, ideo voluit, ut pater prius loqueretur, & sic ipsa magis occasionem loquendi haberet, & sic factum est, quia suspirante ipsa, pater dixit quid habes, & tunc ipsa dixit: Da mihi benedictionem, &c. si autem non suspirasset, non haberet aliquid per quod patrem prius ad loquendum excitaret. Secundum fuit suspirium ad minorē suasionem: nam ut in plurimum magis mouent res quam verba, ut patet 10. Eth. circa principium, licet verba superaddita rebus non mediocrem efficaciam habeant: vnde una de partibus rhetoricae cōsistit in prolatione, prolatione autem cōsistit in habitudine vultus, & grauitate oculorum: ideo eadem verba ab alio, & alio dicta magis, vel minus mouent. Et sic Eschines cum esset exul apud Rhodium insulam, qui egregius orator erat, legereturque coram eo cunctis a-

Dstantibus mirantibus, atque laudantibus Demosthenis oratio ait, quid si audissetis ipsam bestiam sua verba resonante? quasi dicat: differentior esset suasio. De hoc Hieronymus in Epistola ad Paulinum. cap. 2. nec solum ad suasionem gestus, qui cum prolatione est, multum agit, sed etiam quedam alia demonstratio passionum in exterioribus sine sermone, ut si quis miserum se ponat, quod habitudo eius eum sine verbis miserum prodat, alioquin parum efficax est persuasio, & sic cum quis iniuriam passus Demosthenem suo tempore opinatissimum oratorem rogasset, ut causam eius iudiciliter peroraret, negauit eum iniuriam passum, quia hoc placido vultu, & quasi nihil passus petiisset, cum autem ille è contrario crebro assereret se iniuriam pertulisse, nec adhuc crederet Demosthenes, in lachrimis motus est, quod in felicitati sua noua adderetur angustia: scilicet quod ei orator non consentiret, quod videns Demosthenes, nunc inquit, credo quod iniuriam pertulisti, atque eius causa perorandum suscepit. Ita de Axa filia Caleb si peteret terram sibi dari, quia erat terra sua Australis, & arens, & non monstraret ex habitu quod angustaretur, quia talem terram suscepisset, parum moueretur pater, ideo affectus intimos fortassis vibriores, quam essent suspirio prodidit, quo commotus pater, quod petierat concessit. *Cui Caleb.* Non respondit vir eius ad suspirium permittens, ut responderet pater, quia sciebat, quod Axa petere vellet agrum a patre, & si ipse loqueretur tolleretur occasio loquendi Caleb, ex quo perturbaretur suasio Axam.

Quid inquit habes? Suspiria affectuum interiorum signativa sunt, nisi falsa sunt, ideo pater putauit quidquam pati filiam, & ob hoc petiit quid haberet.

At illa. Id est, & illa respondit. Iam enim captauerat occasionem liberius, & sine rubore loquendi ab alio concitata, ideo subiunxit. *Da mihi benedictionem.* Semper signat benedictio augmentum, maledictio autem diminutionem, vel penuriam, aut avaritiam. Sic patet Deuterono. 28. cap. vbi ponitur benedictio in filiis, in agris, in terræ nascentibus, diuinitatis, & honore: & rursus ex contraria causa ponitur maledictio in his: & tamen non potest ibi signare maledictio, nisi diminutionem in omnibus rebus. Benedictio autem augmentum, sic quoq; Malachiæ 3. c. in decimis, & primitiis vos maledicti estis, id est vos diminuimini in rebus vestris propter decimas, & primitias, scilicet, quia non soluitis eas qualiter oportet. Evidenter autem patet secunda ad Corinth. 9. cap. cum dicitur: Extimavi fratres rogare, ut veniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem, hanc paratam esse sic quasi benedictionem, & non quasi avaritiam: vbi ponit avaritiam, & benedictionem opposita, sed avaritia signat diminutionem: ergo benedictio signat multiplicationem vel augmentum. Et iterum ibidem, qui parce seminat, parce metet, qui in benedictionibus sensitat, de benedictionib. & metet. vbi opponitur seminare in avaritia, vel benedictione: sed seminare parce est pauca semina mittere, ergo seminare in benedictionibus est seminare in abundantia magna, & ita Aza petens benedictionem a patre, petebat abeo, quod aliquid ei concederet. Erat autem iste modus petendi, sicut nunc aliqui petunt ab aliis aliquid in vniuersali, ut promittant, & postea particulariter determinant quid sit illud.

Terram australem, & arentem dedisti mihi. Ista proposuit Axa ad exornandum, & fulciendum petitionem suam: nam si simpliciter dixisset, pater da mihi agrum unum, sicut suaserat vir eius Othoniel, non videretur petitio sua habere aliquam causam: vnde fortassis admitti non deberet, sed extimaretur, quod Axa petebat ex cupiditate maxima, quia non erat satiabilis quocunque dato. Expressit ergo, scilicet, terram australem, & arentem, quasi dicat, ista terra non est utilis ad fruges, vel arbores propter magnam aquarum penuriam, ideo da mihi insuper aliam irriguam.

Non est intelligendum, quod terra, quam dedisset Caleb esset totaliter arens, quia tunc non dedisset eam solum, quia dando illam nihil dabat, sed erat arens, id est non sufficiens in aquis, quia indigebat terra illa irrigatione ad aliquid. Veneratur hic terra australis, id est, secunda secundum conditionem auctri venti, vel terræ australis. Non est sensus, quod propter esse nimis australem terra ista erat sine aquis, quia magis ad austrum erant alia terra irrigua, ut patet ex cōcessione Caleb, scilicet,

C
Mulier
re ma-
gnæ a-
sturia.

Prola-
tio ma-
gnæ ha-
bet effi-
caciā
in per-
suaden-
do.

Benedi-
ctio au-
gmen-
sum si-
gnat.

F

E Quan-
do Axa
xi p-
tri ter-
rā au-
strum
per ali-
q; are-
te n de-
di timu-
bi.

A scilicet, dedi ei irriguum superius, & irriguum inferius: ergo necesse erat, quod alterum istorum irrigorum esset magis australe, quam terra data prius Axæ, quia ex illo signatur, & ita duo irrigua erant coniuncta terræ datae illi, cum unum vocetur superius, & aliud inferius: & tunc si erat terra ista ad faciem australem, necesse erat, quod irriguum inferius esset magis australe, si vero erat posita contra Aquilonem, necesse erat irriguum superius esse magis australe, quam possessio prius data Axæ. Item non est sensus, quod ista terra erat australis, id est disposita contra austrum, & ob hoc erat arenæ, immo è contrario accidit, quia ventus australis est magis nimbus, quam quicunq; alius: & sic ponit Ouidius huic vento, quasi proprium connotatum esse pluuiosum, cum ait:

Pluviisque madescit ab Austrō.

B 1. Metamor. vocat pluuium, id est pluuiosum. Aquilo autem non est pluuiosus: immo pluuias tollit, & inde nomen accepit Aquilo, quasi aquas ligans, ideo propter esse australem terram hanc non erat arenæ. Item cum necesse sit unum de ipsis duobus irriguis esse magis australe quam ista possessio data Axæ à principio, vt supra probatum manifestum est, quod non erat arenæ propter esse australem, quia alia australior erat irrigua: sed est sensus, quod dederat sibi terram australem, id est de conditione terræ australis, vel Meridianæ: terra autem ad Meridiem declinando versus æquinoctiale, & per totam Aethiopiam, & Libyam est totaliter deficiens humorem, & pluuiæ sunt rarissimæ: ita quod maxima pars terræ soluta est in viuas arenas, ita suo modo terra, quam dederat Caleb filia suæ Axæ erat Australis, id est arenæ de conditione terra Meridianæ, quod expressit in sequenti connotato, scilicet & arentem. Aliqui volunt, quod vocetur australis, quia perficitur australi vento. Et quando obiicitur, quod iste pluuiosus est, respondent, quod licet in quibusdam terris sit pluuiosus, in aliis tamen est siccus, & calidus: & sic erat in terra illa. Respondetur, quod hoc etiam non stat, nam tunc terræ coniunctæ, quæ perlantur Austrō essent arentes, sicut illa, quæ data fuerat Axæ: sed falsum est, quia superius, & inferius data est ei terra non arenæ.

C Item nihil ista agunt ad intentionem Axæ, quia ipsa non vocavit terram sibi datam australem, & arentem quasi esset terra paucarum pluuiarum, sed quia erat terra, in qua non erant fontes, aut flumina irrigantia, quod patet ex adiuncto. Dixit enim, da & irriguam aquis, sed irrigua non dicitur à pluuiis, quæ cadunt, sed ab aquis irrigantibus, & in terra natu: ideo tenendum est, quod dixi. Da & irriguam aquis, id est, etiam da mihi terram, quæ rigetur aquis. Non petuit Axæ, quod tolleretur terra sibi data, & alia irrigua daretur, sed quod adderetur alia, quia hoc suaserat vir eius, scilicet quod peteret agrum à patre, sic autem consecuta est, quod volebat: & dicitur terra irrigua aquis, in qua fontes erumpunt, qui deriuati per alios terram humectant. Vcl quod in ea torrentes, aut flumina sint, & bonitate terræ huius irriguæ suppleretur defectus terra arentis prius data. Dedit itaque ei Caleb. Vedit, quod iustum petiisset, ideo concessit terram irriguam aquis. *Irriguum superius, & irriguum inferius*, id est, illa terra erat arenæ, & habebat alias terras coniunctas irriguas. Tradidit autem ipsi Caleb terram irriguam ex vtraque parte, & hoc vocatur irriguum superius & inferius. Et vocantur inferius & superius respectu terræ, quæ prius data fuerat Axæ, quia unum irriguum fuit ei datum à parte aquilonari illius terræ, & illud vocabatur irriguum superius, quia terra aquilonaris dicitur superior terra Meridiana, quia versus illa inclinantur aquæ: irriguum à parte Meridiana vocabatur irriguum inferius. Poterat autem aliter intelligi, scilicet quod possessio tradita Axæ esset quasi in descensu alicuius terræ, & super illam erat alia terra irrigua, & vocatur irriguum inferius. Sed primus modus conuenientior est.

Hac est possessio tribus filiorum Iuda per cognationes suas. Erantque ciuitates ab extremis partibus filiorum Iuda, iuxta terminos Edom à Meridie, Cades, & Eder, & Iagur, & Cina, & Dimona, & Adada, & Cades, & Asor, & Iehuan, Ziph, & Telem, & Baloth, Asor, Noba, & Carioth, Hesron, hac est Asor Amam, Sama, & Molo- da, & Asergadda, & Hassemon, & Bethphœlæth, & Asor

sual, & Bersabee, & Baziothia, & Baala, & Lim Essem, & Eltholad, & Cesil, & Harma, & Siceleg, & Medeme- na, & Sesenna, Labaoth, & Selim, & Ahen, & Remon Omnes ciuitates 29 & villaearum. In campesribus vero Estao, & Sarea, & Asena, & Zanoe, & Engannim, & Taphua, & Enaim, & Ierimoth: & Adulam Socho, & Azeba, & Saraim, & Adithaim, & Gedera, & Gedero- taim: urbes quatuordecim, & villaearum Sanan, & Ha- dassa, & Magdalazad, Delean, & Masepha, & Ieathel, La- chis, & Baschat, & Egon, Cebbon, & Leheman, & Ceth- lis, & Gideroth, & Bethdagon, & Naama, et Macedaci ciuitates sexdecim, et villaearum. Labana, et Hether, et Asan, Iephtha, et Esna, et Nesib, Ceila, et Achzib, et Ma- resa, ciuitates nouem, et villaearum. Accaroncum vicis, et villulis suis. Ab accaron usq; ad Mare omnia, que ver- gunt ad Azotum, et viculos eius. Azotus cum vicis, et vil- lulis suis. Gaza cum vicis, et villulis suis, usque ad tor- rentem Egypti, et mare magnum terminus eius. Et in monte amar, et Iether, et Socoth, et Danna, et Cariath- senna, hæc est Dabir: Anab, et Istemo, et Anim, Gosen, et Olon, et Gilo: ciuitates undecim, et villaearum. Arab, et Ruma, et Esaan, et Ianu, et Bethaphua, et Apheca, Athmata, et Cariathasbi: hæc est Hebron, et Ior, ciuitates nouem, et villaearum. Maon, et Charmel, et Ziph, et Lo- ta, Iezrael, et Iucadam, et Zanoe, Accaim, Gabaa, et Tha- na, ciuitates decem, et villaearum. Alul, et Bessur, et Ze- dor, Mareth, et Bethanoth, et Hellecon, ciuitates, et vil- laearum Cariathbaal, hæc est Cariathiarim urbs sylua- rum, et reppa: ciuitates due, et villaearum. In deserto Betharaba, Meddin, et Sachacha, et Nebisan, et ciuitas Salas, et Engaddi, ciuitates sex & villaearum. Iebus cum autem habitatorem Ierusalem non potuerunt filii Iuda delere, habitauitque Iebusæus cum filiis Iuda in Ierusa- lem usque in præsentem diem.

E F Hac est possessio tribus filiorum Iuda. Hic ponitur tertium, in quo nominantur ciuitates pertinentes ad islam tribum, nam supra descripti sunt termini, intra quos claudebatur tota possesso filiorum Iuda, hic in speciali enarrantur ciuitates, quæ erant in sorte illa, & sic fit in aliis tribubus, licet in quibusdam non ponitur numerus ciuitatum, sed describuntur termini, vt patet de sorte filiorum Ephraim sequ. c. & de sorte dimidia tribus Manasse, infra 17.c. Ista litera potest legi cum superiori, & erit Epilogus, nam licet in fine terminorum totius terræ dictum fuisset supra: Hi sunt termini filiorum Iuda per circuitum in cognationibus suis, quia tamen interpo- situm fuit de vrbe Hebron & Dabir: repetitur hic Epilogus, scilicet *Hac est possessio filiorum tribus Iuda*. Id est, terra, quæ clau- ditur inter terminos supra enarratos, quam possedit tribus Iuda. Si autem referatur ad literam sequentem, est quasi titulus, in quo demonstratur in generali, quod immediate particulariter designatur, & est sensus: istæ vrbes, quarum no- mina sequuntur in litera est possesso filiorum Iuda. Per cognationes suas. Id est erant diuisæ per cognationes & familias, quia cuiilibet familiæ dabantur certæ ciuitates, & sicut hereditas, quæ semel erat vnius tribus, nunquam erat alterius tribus vedi- tione, aut prescriptione, donatione, vel alio titulo, ita & ciuitates, & territoria, quæ semel pertinebant ad familiam vnius tribus, nunquam poterant pertinere ad aliam familiam eiusdem tribus, etiam si omnes de illa familia morerentur vno superite, sic quoq; erat de minoribus cognationibus, quæ vocantur domus: nam etiam istæ habebant distinctas portiones, quas semper retinebant, etiam si minuerentur, vel augerentur in multitudine. Erantque ciuitates ab extremis quartibus. Hic computantur ciuitates fortis Iuda. Et considerandum, quod ista fors fuit maior omnibus aliis, quod patet numerando ciuitates aliarum fortium infra 18. & 19.c. & fuit primo facta quam ceteræ, nam ista tribus primo petiit sortem quam ceteræ, vt supra probatum fuit, & data fuit sibi tota terra hæc. Deinde tribus Ephraim, & dimidia tribus Ma-

Nume-
ratio i
ntratu-
ritatu-
mū ad
tribu-
mū Iuda.

A

nasle petierunt, quo usque Iosue monuit, vt peterent, vt patet infra 18. & quia ista fors fuit valde magna, postea, cum completa est diuisio totius terræ Chanaan, fuit diuisa in duas sortes, scilicet, quod Simeon, quæ erat parua tribus, suscepit est inter latitudinem fortis Iudeæ, & suscepit ciuitates de his, quæ nominantur hic, vt patet infra 19. & appetit magis, quia ciuitates omnes, quæ habentur infra 19. in forte Simeon, nominantur hic.

*Cum terra Chanaan fuerit diuisa forte, quomodo erratum est,
cum sortes per Deum operabantur. Et qui fuerit
modus ponendi sortes secundum tri-
bus Israel.*

Q V A E S T I O IX.

SED queret aliquis cum terra tota fuerit diuisa forte, & sortes operabantur per Deum, quomodo erratum est, vt primo daretur tota terra istarum vrbium Iudeæ: deinde quædam pars magna eius data fuerit tribui Simeon.

Aliquis forte dicet, quod ista diuisio fuit facta ab hominibus, scilicet Eleazar, & Iosue, & duodecim viris de duodecim tribus, vt patet Numer. 34. & poterant errare, ideo putantes, quod proportionaliter responderet cui libet alteri tribui de residua terra, dederunt hanc portionem filiis Iudeæ: postea autem inuenito, quod non responderet aliis sic proportionaliter, acceperunt de forte Iudeæ portionem quædam pro tribu Simeon.

Sed tunc instabitur, quod ista diuisio facta est per sortem, cum Deus iussit Numer. 26. quod omnia sorte diuidentur, & isti non preterissent domini iussionem, fors autem non erraret, quia à Deo, nam sortes in sinum mittuntur, sed à Domino temperantur.

Respondebit aliquis, quod fors non errauit quantum ad id, quod Deus volebat, quia sic euenit qualiter Deus voluit, sed ipse permisit, vel fecit venire hunc errorem, quia ipse non operabatur specialiter in his sortibus, ita ut per sortem monstraret cui tribui quam sortem euenire vellet, sed sicut in aliis communibus sortibus diuisoriis, quibus quotidie homines vivunt, per quas non plene manifester monstratur nobis, quid Deus velit, & sic potuit accidere error per sortem & postea correctus est ille error.

Sed non potest hoc stare, quia Deus iussit istas sortes poniri, & multum eas commendavit Numer. 26. & 34. capitulo. si tamen nullius essent utilitatis, sicut sortes communes diuisoriæ, non iussisset illas poniri, sed iussit quia intendebat per hoc declarare quam partem terræ vellet vni tribui prouenire, & quam alteri: potissimum, quia istæ sortes ponebantur cum magna solemnitate coram Domino in Sanctuario, vt patet infra 18. sicut posuerunt Apostoli sortem super Barnabam, & Matthiam: Act. 1. ergo ad inuocationem totius populi, vt per illas sortes, quam partem terræ cui tribui prouenire vellet, demonstraret, nunquam ista fors erraret.

Respondendum est, quod fors posita est cum primo data fuit illa terra filiis Iudeæ, & postea posita est fors cum quædam pars huius terræ data est tribui Simeon: tamen non errauit fors, sed semper à Deo directa est. Fuit autem modus huius, quia Deus iussit, vt diuisores terræ darent maiorem partem terræ maiori tribui, & maiori familiæ maiorem portionem, & tamen quod omnia sorte diuidentur, Num. 26. ad hoc autem faciebant tot partes terræ quæ erant tribus, quibus dandæ erat portiones, & istæ partes habebant se proportionaliter ad multitudinem, vel paucitatem virorum in qualibet tribu, scilicet si una tribus erat dupla ad aliam, faciebant viam sortem duplam ad aliam, & sic secundum proportionem tribuum inter se erat proportio sortium ad inuicem, tanquam non essent dandæ per sortes, sed arbitrio diuidentium: postea autem ponebantur sortes & exhibant sortes, sicut determinauerant diuisores: de quo magis infra 18. dicetur. Cum autem tribus Iudeæ suscepit hereditatem nulla alia tribus petebat, ideo diuisores considerauerunt tantum de terra quantum intelligebant conuenire tribui Iudeæ proportionaliter ad alias tribus, & quia nulla tribus æqualis erat ei in magnitudine acceperunt magnam terram. Patet hoc ex computationibus duabus, quarum una facta est in anno 2. ab exitu de

Egypto in monte Sinai, vbi fuerūt in hac tribu septuaginta quatuor millia sexcenti, nulla autem alia tribus accessit ad illum numerum, & quædam non accedebant ad medietatem, vt patet Numer. 1. Identidem in secunda numeratione anno quadragesimo ab exitu de Ægypto fuerunt in tribu Iudeæ septuaginta millia quingenti, & ad hunc numerum nulla tribus etiam tunc accessit, & quædam non accesserunt ad medietatem: Nū. 20. & postea in terra Chanaan etiam fuit semper maior tribus Iudeæ aliis tribubus, ita ut interdū plus quam duæ vel tres tribus haberet. Patet in computatione, quam fecit Ioab iussu Dauid, in qua de toto Israël, scilicet duodecim tribus inuenta sunt octingenta millia virorum fortium, & de solo Iudeæ inuenta sunt quingenta millia virorum. Reg. 24. c. ob hoc dederunt diuisores hanc magnam portionem pro tribu Iudeæ, non quod dedissent, quia expectabant sortem, sed quia ipsi in corde suo separabant eam pro Iudeæ, & in hoc errauerunt non potentes iudicare, an proportionaliter haberet tota terra residua ad residuas tribus, sicut illa, quæ separabatur pro tribu Iudeæ ad ipsam tribum.

Causa autem erroris horum fuit, quia non considerauerant residuam terram describentes eam, & putauerunt maiorem esse: data autem forte Iudeæ, & Ephraim, & Manasse miserunt ad describendam totam terram, vt patet infra 18. c. & tunc inuenitus est prior error, & in forte Iudeæ assignata fuit portio tribui Simeon, quia partem illam receperat Iudeæ pro portionem aliarum tribuum ad suas sortes.

De sorte autem quomodo non errauerit dicendum est, fuit autem modus, quod separata illa terra, quam putabant diuisores cōuenire tribui Iudeæ proportionaliter ad alias tribus, positæ sunt sortes decem, quia tot erant tribus, quibus diuidenda erat terra Chanaan trans Iordanem, computando dimidiā tribum Manasse pro una tribu, quia una fors fuit ei data, & per hoc videri debebat, cui tribui Deus dari vellet hanc terram, & tunc exiuit fors Iudeæ Deo dirigente illam, & prouenit ei terra ista.

Sed tunc dices, quod fors errauit, quia non determinauit, quod prouentur erat huic tribui, cum postea diuisa fuit ista portio in duas.

Respondendum est, quod ista fors non errauit, vel si hoc voces errare, quia non totū prouenit tribui Iudeæ, quod nunc segregatum pro ea erat, respondebitur, quod necesse erat hunc errorem accidere, quia quomodocunq; fors illa determinaret, necesse erat esse errorem, quia facta sic portione terræ, & positis decem sortibus ad videndum quæ carum exiret, aut exiret fors Iudeæ, aut alicuius aliarum tribuum. Si fors Iudeæ erat error, quia non tanta terra ei prouentura erat quanta ei nunc proueniebat: si autem exiuisset fors alicuius aliarum tribuum, esset necessario maior error, quia quilibet alia tribus erat minor Iudeæ tribu: ideo si ista portio terræ erat magna respectu tribus Iudeæ proportionaliter ad alias tribus, a fortiori esset magna pro quaenque alia tribu: ideo nulli tribui poterat prouenire, quin postea diuidetur in duas portiones, aut plures: nulli autē tribui magis conueniebat quæm tribui Iudeæ, quæ erat maior ceteris, ideo prouenit ei, nec fuit error ullus sortis, cum esset impossibile aliter accidere bene. Error autem fuit diuidentium terram, quia non proportionaliter assignauerunt pro tribu Iudeæ, & ceteris tribubus. Sed postea error iste correctus est, cum ipsi diuisores vidētes terram residuam non sufficere proportionaliter aliis tribubus, deciderunt de forte Iudeæ quantum posset sufficere tribui Simeon, quæ parua erat, & tunc fors prouenit ei, & fors emendauit errorem diuisorum.

Considerandum autem circa vrbes, quæ hic ponuntur, quæ sunt valde multæ, nam in sola tribu Iudeæ hic ponuntur plures, quam centum viginti vrbes, cum ergo numerentur ciuitates omnium aliarum tribuum, videbitur terra Chanaan esse aliquid valde magnum, velut si quis diceret dimidium Europæ: sed falsum est, quia non erat magna terra, vt patet ex descriptione terminorum suorum, & per descriptionem libri de situ terræ sanctæ. Nam Iordanis, & mare magnum sunt duo termini oppositi, scilicet Orientalis, & Occidentalis: & tamen non est valde magna distantia inter terminos: idem de terminis Septentrionali, & Meridiano, scilicet de Hebron, quæ est iuxta latus meridianum, & Emath, quæ est iuxta latus Septentrionale: & tamen non multum distat. Est autem

Tribus
Iudeæ e-
rat nu-
mero-
sior ca-
teris.

D

Quo
modo
sors nō
errauit
in ter-
ra diu-
sa pro
tribu
Iudeæ.

F

Error
terram
diuide-
tiuum.

In sortis
Iudeæ po-
nuntur
plures
quæ cetera
tribus v-
erbis.
Terra
Chanaan
parua.

princi-

A principium errandi, quia sacra scriptura non accipit vrbes, sicut nos accipimus, sed vocat vrbes omnia loca munita, siue magna, siue parua, quae nos in ciuitates, & villas distinguimus. Erant etiam tunc omnia loca pro maiori parte munita, quia erant regna parua & reges multi, ideo bella vndeque, & sicut nunc in extremitatibus regnorum sunt loca omnia munita propter timorem hostium, ita tunc ubique loca erant murata: praecepit in terra Chanaan, ubi erant fortassis reges sexaginta, ut declaratum est, supra duodecimo capitulo & hoc modo in uno regno non valde magno poterunt esse trecenta vrbes, id est trecenta loca paruula, & magna, ciuitates, villae, & castella, & ita erat in terra Chanaan: ambitus tamen totus eius non erat magnus.

Quare in sorte Iudea non computantur omnes vrbes sub eadem summa.

Q V A E S T I O X.

B **V A E R E** aliquis, quare fiunt diuisiones in computatione ciuitatum, scilicet, quia deberent computari omnes vrbes alicuius sortis, & deinde ponit summa totalis omnium, sed hic, & in aliis sortibus fit aliter, nam computantur decem vel 20. vrbes per se, & postea toditem, vel plures, & ponitur summa carum, & sic fiunt multæ paticulares computationes.

Aliquis respondebit, quod istud sit ad distinguendum familias: nam supra dicebatur: haec est possessio filiorum Iudea per cognitiones suas, id est quae diuisa fuit familiis, & domibus: diuisiones autem ponuntur hic, scilicet, quod cuiam familiae prouenirent vrbes tot, & alteri tot.

Sed hoc non stat, quia tunc tot diuisiones fierent hic, quot erant familiae in tribu Iudea, sed hic fiunt octo summulae, & diuisiones: in tribu autem Iudea solum erant familiae quinque, ut patet Numeri 26. ergo non fiunt istæ diuisiones pro familiis, sed etiam pro domibus: quia domus erant cognitiones minores per familias, ita quod quilibet familia diuidetur in domos.

Sed etiam hoc non stat, quia si ponerentur pro familiis, & domibus diuisiones, cum familiae essent quinque, ponerentur quinque portiones familiarum: rursum autem quilibet familia diuiditur in domos, ideo multæ portiones essent assignanda domorum plures, quam decem vel duodecim, & sic fierent plusquam quindecim portiones.

Item non consonat huic, quia quibusdam dantur hic ciuitates triginta nouem, aliis autem ciuitates sex tantum, sed non est verisimile, quod aliqua familia sic se haberet ad aliam ut sex ad 39.

Item non stat, quia infra 19. in tribu Simeon ponuntur duæ diuisiones tantum, & tamen manifestum est in tribu Simeon plures familias esse: erant enim quinq; ut patet Nu. 26.

Item si ad signandas diuisiones familiis prouenientes ponentur istæ summulae, cum in qualibet tribu essent aliquæ familiae, ut patet Nume. 26. ponentur in qualibet sorte aliquæ diuisiones, sed falsum est, quia non ponuntur, nisi in sorte Iudea, & Simeon, in aliis autem nequaquam, ut patet considerando infra 18. & 19. cap. Dicendum autem videtur, quod istæ diuisiones ponuntur ad signandum diuersitatem regionum, nam in qualibet harum sortium erant regiones, vel partes terræ diuersæ, ideo computat ciuitates, quæ erant in qualibet parte, vel regione harum per se, ut si quis computare deberet omnes ciuitates regni castellæ per se, cōputaret eas, quæ erant in Galicia, & per se quæ erant in Bethycia regione, & sic de aliis partibus regni, vel ciuitates quæ sunt in uno archiepiscopatu per se, & quæ in alio archiepiscopatu per se, & quia erant multæ ciuitates in forte tribus Iudea, curavit scriptura obseruare differentiam istam in forte Iudea, & non servauit in omnibus, sic quoque factum est in ciuitatibus, quæ pertinebant ad tribum Simeon infra 19. cap. Erantque ciuitates ab extremis partibus. Incipit computare ciuitates, & primo ponit eas, quæ erant in extremitate sortis, ubi finitur tota terra Chanaan in latere meridiano sortis Iudea, & vocantur istæ extremae partes, tam respectu sortis Iudea quam totius terræ Iudeorum, vel Chanaan, quia ut declaratum fuit supra, idem est latus meridianum sortis Iudea, & terræ Chanaan: & ciui-

tates, quæ erant ad istud latus computantur hic. *Iuxta terminos Edom à Meridie.* Istæ ciuitates erant ad Meridiem sortis Iudea, & illud est latus aquilonare terræ Edom; quia terra Edom, & sors Iudea sunt simul, & terra Edom est magis australis: ideo ubi est latus Meridianum terræ Iudea, est latus aquilonare terræ Edom, & non coniungitur totum latus terræ Edom, & non coniungitur totum latus terræ Edom toti lateri sortis Iudea usque ad Occidentem, quia terra Edom est Orientalis, & tangent sortem Iudea à capite Orientis, & peruenit usque ad partem quandam versus Occidentem, sed non per totum latus: ab Oriente tamen extenditur magis quam terra sortis Iudea. Et istæ ciuitates, quæ hic numerantur sunt à parte Meridiana sortis Iudea, & tamen incipiunt hic à parte Orientis, li sortis: & vtrumq; verum est, sc. quod istæ vrbes sunt coniunctæ lateri Meridiani, & tamen sunt apud Orientem, quia latus Meridianum inter Orientale, & Occidentale intercipitur: & ciuitates quæ sunt ad unam extremitatem lateris Meridiani sunt Orientalis pariter, & Meridianæ, & quæ sunt in alio latere sunt Occidentales, & Meridianæ ad aliud, & aliud comparatæ. *Cabseel, & Eder, Iagur.* Istæ sunt ciuitates magis Meridianæ, in tota sorte Iudea, quia sunt coniunctæ ipsi lateri Meridiani, & incipiunt ab Oriente versus Occidentem, sc. quod licet Cabseel, & Eder sint æqualiter Australis, tamen Cabseel est magis Orientalis quam Eder, & sic de ceteris tendendo per ipsū latus Meridianum ab Oriente versus Occidentem. *Et Cina.* Istæ est una de ciuitatibus, nam hic non possumus dicere, quod sit nomen montis, vel latus, aut regionis, cum solum ponantur nomina ciuitatum, & est ista ciuitas in ipsomet latere Meridiani: nam supra dicebatur, quod terminus creditur per ascensum scorponis, & pertransit usque in Sina, & satis convenit hoc, quia sicut supra ponebatur Sina ad quandam partem versus medietatem lateris, ita ponitur hic ista vrbs in respectu aliarum, quia non ponitur in principio, sed quarta eam incipiendo à Cabseel à latere Orientali in principio lateris Meridiani: non est tamē ista Sina, quæ habetur supra, sicut patet ex litera hebraica, quia ista scribitur cum Cophet, & superior cum Zadi, ita ut pro ista dicatur quina in Hebreo, & pro alia cina, & vna interpretatur lamentum, & alia scutum. *Cedes, & Asor.* Istæ duæ ciuitates etiam ponuntur in alia tribu, scilicet Nephthali, patet infra 19. & simul ponuntur sicut hic: & tamen non sunt eadem, quia Cedes, & Asor sunt ibi in Galilæa, hic autem sunt in forte Iudea: pertinent enim illæ duæ vrbes ad tribum Nephthali, & Cedes est in Galilæa infra 20. capi. Et facta est ciuitas refugij. De tribu Iudea data est una vrbs in refugium, sed ista fuit Hebron, ut patet eodem capitulo aliquando contingit esse ciuitates, vel oppida plura nominata eodem nomine & quiuoce. De ciuitate Cedes fuit rex unus de occisis à Iosue supra 12. sed de qua harum fuerit, non multum constat, ibi dictum est. Etiam Asor est in tribu Nephthali: & dictum est de Asor, quod esset potentissima quandam inter omnia regna Chananiorum, & quod ipsa eorum gereret principatum supra 11. cap. habuit quoque regem Iacobin, qui conuocauit ceteros reges ad pugnandum contra Israel, & venerunt ad aquas Meron eodem capitulo. Quæ autem istarum esset, in qua dominabatur rex ille, & cuius rex interfex dicitur à Iosue supra 12. cap. declaratum est. Quod est Asor terræ Nephthali patet supra 12. cap. ex dictis, & illa adhuc fuit in potestate gentilium, & rex eius presul Iudeos, ut patet Iudicum 4. cap. Iethnan. Istæ ciuitas prouenit filiis Iudea, sed postea data est sacerdotibus, nam tribus Leui non suscepit sortem cum ceteris tribubus, sed datae sunt ei ad habitandum ciuitates, & suburbana ad alenda pecora, & fuerunt quadraginta octo, ut patet Numeri 35. & precedens capitulo. posse autem in diuisione dante qualibet tribu aliquas vrbes sacerdotibus, & Leuitis, dederunt Iudas, & Simeon nouem ciuitates, de quibus fuit vna Iethnan, ut patet infra 21. capitulo. *Iethnan*

Sed hoc falsum est: non est enim eadem ciuitas, quæ vocatur hic Iethnan, & infra 21. capitulo. sed est error ex modo scribendi Latinorum, qui nomina Hebraica raro, aut nunquam bene scribunt, quia conditio idiomatis non permittit, sed alia ciuitas, quæ infra vocatur Lothe, vel Iote est idem cum Iethnan, de qua infra 21. c.

Ciph, Telem, Baloth. Ad tribum Iudea semper pertinuerunt, nec datae sunt sacerdotibus, nec translate in tribum Simeon. Aliqui scribunt sic istam vrbe tanquam vnam, scilicet Ziph-

E
Cina
ac eius
situs.

Cedes,
et A-
for.

F

Iethnan

A telem, sed duæ ciuitates sunt: nam alias non reperientur hic triginta nouem vrbes, sed 38. ideo diuiditur, & debet scribi Tiph, & Telem. *Afor, Noba.* Aliquæ Bibliae habent Afor noua, tanquam sit nomen adiectum signans nouitatem, sed est nomen vrbis, scilicet. *Noba:* alioquin non essent triginta nouem vrbes, vt infra dicitur. Ista vocatur in Hebræo Liadata. Ecce ponitur hic multotiens Afor, sc. ter. quia iterum ponitur infra Afor, & alia, sc. 4. est in tribu Nephtali, nec potest aliquis dicere, quod eadem sit tota illa Afor, sed replicetur, nam tunc solum essent ciuitates 37. ergo sunt tres distinctæ ciuitates, & quælibet vocatur Afor in tribu Iuda, præter eam, quæ est in tribu Nephtali, de qua infra 19.c. & hoc per æquiuocationem à casu, sicut fit in nominibus propriis virorum. *Carioth.* Ista semper mansit in tribu Iudeæ, quia nec Leuitis, nec tribui Simeon data est. Et *Hesron.* Aliquæ Bibliae habent Hesron, sed corrupta est litera. Ista ciuitas est in ipsomet latere Meridianæ fortis Iudeæ circa medium lateris, & iusta est ciuitas, quæ ponitur supra in terminis, cum dicitur: Ascenditq; in Cadesbarne, & peruenit in Hesron. *Hec est Afor.* Ista est alia Afor à duabus supra dictis, & omnes tres sunt in sorte Iudeæ, nec coincidunt, vt dictum est. *Aman, Same.* Ista duæ ad tribum Iuda perrinuerunt. *Meloda.* Ista vrbis primo data est tribui Iuda, cum ei soli facta est fors, sed cum factæ sunt sortes omnibus aliis tribubus repertum est magnam esse improportionabilitatem ad alias sortes, ideo decimus est de ea iuxta quantitatatem sortis sufficientis Simeon, vt dictum est, & datae sunt ei ciuitates 17. vt patet infra 19. cap. & de his fuit ciuitas Meloda, vt patet codem cap. *Afer.* Aliqui dicunt esse istam ciuitatem, quæ fuit in sorte Simeon, & vocatur Assen, vel Ason secundum alias bibliae. Sed non videtur esse eadem, sed infra ponitur quedam ciuitas dicta Assen, & ista est eadē cum illa. Ista ciuitas etiam nominatur infra iterum, sed non est eadem, quamquam sit eadem vox, quia sicut in isto nomine Afor coincidunt tres ciuitates Afer. Aliqui putat Afer, de qua hic esse Afer, de qua supra 12.c. Sed multum differunt, vt patet in Hebræo. *Gadda, & Hassemon, Bethselet.* Ista tres in tribu Iuda semper manserunt. De Hassemon dicunt aliqui, quod sit vna de illis, quæ datae sunt tribui Simeon, & vocatur ibi Assen. dicunt tamen quod aliquando adduntur aliquæ litteræ more Hebraico, vt cum dicitur Dabir, Dabira: Aphæc, Aphæca, Gessur, Gessuri, vt supra declaratum est, & sic dictū est Asem Asem. Sed falsum est, quia sic ponitur quedam ciuitas, quæ esset eadem cum illa, sc. Esem. Gadda aliqui putant esse eandem cum Gador, de qua supra duodecimo cuius erat unus rex, sed falsum est. *Afer, Suab.* Ista sunt duæ vrbes, vt patet hic: in tribu autem Simeon infra 19. videntur ista ponit tanquam vna vrbis: magis tamen dicendum, quod sit vna ciuitas: & est eadē, de qua infra 19.c. vt patet in Hebræo. Et *Bersabee.* Ista est vna ciuitas in tribu Iuda, & postea data est tribui Simeon, vt patet infra 19. & ista erat in extremitate latris Meridiani, vel iuxta ipsum: ideo quando Israëlitæ volebant mensurare maiorem distantiam intra terram Chanaan, ponebant Bersabee pro vna extremitate, & Dan, scilicet. quandom ciuitatem, quæ vocatur Lefendam, & prius vocabatur Lais, de qua infra 19. cap. & Iudicum 18. cap. Inter istas duas erat tota distantia à Septentrione in Austrum, quia Dan erat in regione Roob, vt patet Iudicum 18. capit. & tamen terra Roob ponitur tanquam extremum, vel quasi extremum latris Septentrionalis, vt colligitur Numeri 13. cap. vbi exploratores introcuentes per partem Meridianam, scilicet, deseruum Sin, dicitur quod explorauerant vsq; Roob, & sic Bersabee, & Dan tanquam maximè distantia loca totius terra Chanaan ab Austro in Aquilonem nominabantur à Iudeis frequenter: sic patet primo Regum 3: cognovit vniuersus Israël à Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini: & postea ibidem signatur, quod ista loca sint extremitates terræ, scilicet, & creditum est Samuel factum esse prophetam Domini in omni Israël ab initio terræ usque ad fines eius. *Bazothia.* In tribu Iuda semper mansit. *Bala.* Aliquæ Bibliae habent Abala, sed litera corrupta est. Ista est vna de ciuitatibus datis postea tribui Simeon, vt patet infra 19.c. Et *Hus.* Sic nominatur terra, in qua habitavit Iob, vt patet Iob primo, scilicet vir fuit in terra Hus nomine Iob, sed dicitur esse ista ciuitas in terra Idumæorum, cum dicatur Iob esse vnum de regibus Idumæorum (vt quibusdam videtur) de qui-

D bus dictum est Gen. 36. cap. Esem. Ista est ciuitas, quæ postea data est tribui Simeon, & vocatur Asem infra 19. cap. & satis videtur, quia hic ponitur alia ciuitas, quæ data fuit Simeon, & multæ de sequentibus. Aliquando tamen mutantur literæ: maximè apud librarios nostros, qui non multum curant circa Hebraicas dictiones scriem literarum obseruare, & frequenter vnum nomen in duo diuidunt, & duo in vnum inconuenienter coniungunt. *Heltholad.* Ista ciuitas etiam data fuit postea in forte tribui Simeon infra 19. cap. & ista vocatur Heltholad, vel Theltholad, vt patet in Hebræo. *Cesil.* Ista mansit in forte Iudeæ. Aliqui volunt Cesil esse vrbem datam tribui Simeon, quæ infra 19. vocatur Bethul. Sed non stat. Et *Harma Siceleg.* Ista duæ vrbes prouenerunt tribui Simeon infra 19. capit. Est autem Siceleg locus, in quo denunciata est David mors Saulis, & Ionathæ, & fuga Israël, vt patet secundo Regum primo, scilicet, factum est postquam mortuus est Saul, vt reuerteretur David à cæde Amalech, & maneret in Siceleg dies duos. Et satis apparet, quod sit ciuitas illa, quia veniebat tunc David de persecutione Amalechitarum, qui habitant extra terram Chanaan ad Meridianam partem eius, vt colligitur primo Regum decimo quinto c. Siceleg autem est in latere Meridianæ terra Chanaan, ideo potuerunt venire illuc Amalechitæ, & ipsi succenderant vrbem Siceleg, atque duxerunt captiuos omnes, qui inueniti sunt in vrbis. De pugna quam habuit David contra Amalechitas pro his patet primo Regum 20. cap. & in hac vrbis habitabat David dum erat profugus à facie Saulis, vt patet eodem cap. Ciuitas Harma habuit regem, qui occisus est tempore Iosue, vt patet supra 12. cap. vrbis Siceleg est quam rex Achis rex Geth dedit David ad habitandum, & propter hoc facta est postea illa ciuitas regum Iuda, quamquam pertinet ad tribum Simeon. De hoc primo Regum 27. cap. *Medemena.* Ista vrbis mansit tribui Iuda. *Sensenna.* Ista est vrbis, & videtur illa esse, quæ ponitur in termino terræ Chanaan in latere australi: Numer. 24. cap. & idem latus est austrare totius fortis Iudeæ, & terræ Chanaan totius, quamquam aliqui dicant Sesenna esse vrbem, quæ vocatur Sina supra in princip. capit. vbi ponuntur termini Meridiani. *Lebaoth Selim.* Ista duæ vrbes manserunt in sorte Iudeæ. Et *Henremmon.* Ista ciuitas data est postea tribui Simeon, & vocatur Remmon infra decimo nono cap.

E *Ciuitates triginta nouem.* Id est istæ ciuitates triginta nouem hic positæ pertinebant ad tribum Iuda à principio, nec solum hæ, sed etiam omnes aliae, quæ subduntur: fit tamen diuisio ex causa supra posita. Ista est summa ciuitatum supra enumeratarum, & ex hoc patet, quomodo istæ ciuitates congrue, aut vitiose scribuntur, diuidendo, aut coniungendo. In Hebræo dicitur. *Ciuitates viginti nouem.*

F Respondent aliqui esse rationem diversitatis, quia litera Hebraica quamquam exprefserit omnes ciuitates has, quæ postea diuisæ sunt inter Iudam, & Simeonem, tamen solum posuit summulum quantum ad ciuitates Iudeæ. Nam de his datae sunt aliquæ Simeoni, vt patet ex dictis supra, & comparando ciuitates, quæ habentur hic ad eas, quæ habentur infra 19.c. nam aliquæ, quæ sunt hic, reperiuntur ibi.

Sed arguetur contra hoc, quia non reperitur, quod decem de ciuitatibus hic enumeratis habeantur infra 18. sed ad plus septem, vel octo.

Sed dicet aliquis, quod quamquam nomina mutata sint, sicut interdum fit in sacra Scriptura, cum multæ res sint binomia, aut trinomia, tamen decem de ipsis ponuntur ibi.

Hoc aliqualiter erat coloratum, sed adhuc non stat, quia tunc necesse erat, vt sicut hic deficiunt ciuitates decē, ita deficit in aliqua aliarum summulari, vel in omnibus simul septem vrbes, cum de vrbibus Iudeæ fuerint datae 17. vrbes Simeoni, vt patet infra 19. tamen de aliis summulis non reperiatur sic, quod in numero deficiant septem, cum reperiantur: ergo non prouenit iste defectus, quasi solum computentur in summula vrbes tribus Iudeæ.

Ideò dicendum satis videtur, quod litera Hebraica nunc corrupta est, quia scriptores cum ponere debuissent triginta nouem, scripsierunt viginti nouem, nec est à ratione prorsus alienum, vt sicut vitio scriptorum nostrorum in quibusdam interdum corruptam bibliam nostram fatemur, ita & in quibusdam (licet rarissime) bibliam Hebreorum vitiatam asteramus, cum & ipsi Hebrei affirment esse quosdam errores in

Meloda
ciuit
primo
data
est.

B

Bersabee.

C

*Situs si
celeg.*

A res in bibliis suis, quos vocant ticum cofrin, id est, errores scriptorum, vel librariorum. Scriptor autem noster videns euidentissimam veritatem, scripsit 39. Vel fortassis error iste in bibliis Hebræorum post Hieronymum scriptorem factus est. Et villa earum. Id est non solum acceperunt filii Iuda istas ciuitates, sed etiam villas, quæ erant in territoriis earum. Vocantur villa rura, vel loca parua non munita, quæ interdum viculi vocantur. Loca autem munita ciuitates semper appellantur, In campestribus vero, supra descriptæ fuerant ciuitates, quæ erant circa ipsum latus Meridianum, & coniunctæ terræ Edom: hic describuntur aliae magis separatae à latere illo, quæ dicuntur esse in alia regione, vel prouincia, scilicet, in campestribus. Et in hoc apparet, quod supra dicebamus, scilicet, quod istæ diuisiones summularum, quæ hic sunt erant, quia istæ ciuitates, quæ sub diuersis summulis ponuntur, erant in diuersis regionibus, vel partibus illius, cuius sortes erant emerse terræ.

Haul, & Sarea. Alia ciuitas sic nominata est in tribu Dan. & sunt primæ duæ Sarea, & Esthaol, vt patet infra. 19.c. sed vrbes distinctæ sunt, cum in fortibus diuersis sint. De vrbe Sarea erat Samson: Iudicum 13. & inter vrbe Sarea, & Esthaol sepultus est: Iudicum 16. in Hebræo habetur Astael, vbi nos habemus Haul: & sic istæ duæ vrbes, s. Sarea, & Esthaol sunt in duabus tribubus, s. in Dan, & Iuda, sed nō sunt eædē vrbes.

Asena, Azanoe, & Enganim. Istæ ciuitates manserunt semper in forte Iudeæ non datae sacerdotibus, nec translatæ ad tribū Simeon, Azanoe, & Zanoe, de qua sequitur infra eadem ciuitas sunt in nomine, licet differant in re: litera tamen nostra quandam vocavit Zanoe, & aliam Azanoe: sed non est mutanda litera, vel addenda. Enganim sic differt ab Engaddi. Primum interpretatur fons hortorum, secundum fons heduli, & debet scribi cum in. *Taphua.* In Hebræo vocatur. *Taphua.* Sed hoc ex conditione idiomatis est. Ponunt enim p. vbi nos ponimus ph, pro f, & sic dicunt Philisthiim, vbi nos dicimus Philisthiim, & Sapadin, vbi nos dicimus Saphidin, & sic in plurimis: nam in principio, vel medio dictioñis nunquam faciunt sonare, f, sed p, linguae Latinæ alia est conditio. Ista ciuitas ponitur infra seq. c. in tribu Ephraim, ibi tamen non ponitur vt ciuitas, sed vt terminus, quia aliquo modo coniungitur sors Ephraim cū sorte Iudeæ, nam sors Iudeæ habet mare salissimum pro fronte Orientali, vt patet supra in litera, & sors Ephraim etiam illuc terminatur, vt patet sequ. c. & sic poterit tangere sors Ephraimi sortem Iudeæ in vrbe Taphua, quæ ponitur tanquam terminus extrinsecus sortis Ephraim: est autem Taphua circa Jordanem, & mare salissimum, quod est mare Sodomorum, vt patet sequ. c. *Et Enaim.* Potest esse Enaim nomen loci, quod in Hebræo ponitur Genef. 38. vbi litera nostra dicit in bivio itineris, & satis est rationabile fuisse locum, quia postquam accessit Iudas ad Thamar, & pastor suus diceret precium illi, dicitur præalleg. cap. quod quæsiuit pastor homines loci illius, vbi erat mulier, quæ federat in bivio, & responderunt non fuisse in loco illo scortum. *Ierimoth.* Ista ciuitas fuit, de qua exiuit rex Pharan, qui cum rege Ierusalem, & aliis tribus regibus expugnabant Gabaon, & postea Iosue hunc cū cæteris latentes inuenit in spelunca Macea, & cruci affixit sup. 10.c. de hoc etiam sup. 12.c.

Adulam. Ista ciuitas alio nomine vocatur Adolam & apud hanc vrbum est quædam spelunca, in qua semel latuit Dauid cum fugeret à facie Saulis. De hac vrbe erat vir, cuius filiam accepit in vxorem Iudas, & de hac vrbe erat Hiras pastor Iudeæ, qui vocatur Adolamites Gen. 38.c. de hac vrbe fuit unus de regibus, quos occidit Iosue supra 12.ca. *Socho.* Ista videtur esse ciuitas, quæ alio nomine vocatur Sochot, de qua Iudic. 8.c. vbi occidit Gedeon septuaginta principes vrbis Sochot, quia noluerunt ei dare panes, cum persequeretur Zeph, & Zebec. Est ista ciuitas ad Orientale partē sortis Iudeæ. Sed falsum est, quia istæ duæ vrbes multum differunt in modo literarū, vt patet in Hebræo. *Et Azecha.* Ista est vrbs circa Macea, & non multum longe à Bethoron, & vsque ad hunc locum cederunt lapides grandinis de cœlo super Chananæos in decensu Bethoron, cum persequeretur eos Iosue die qua stetit sol supra 10. cap. *Saraim, Adithaim.* Istæ duæ vrbes cum cæteris præcedentibus in hac summula manserunt semper in forte Iudeæ. *Gedera.* Ista videtur esse ciuitas, quæ vocatur Gader supra 12.c. de qua rex erat unus de interfectis tempore Iosue, &

non obstat, quod vocetur hic Gadera, quia aliquando sit hoc in dictiōibus secundum morem Hebraicū, vt Dabir, Dabira, Gader, Gadera. Et istud est verum, vt patet ex modo scribendi literæ Hebraicæ. *Giderothaim.* Vrbs ista in forte Iudeæ semper mansit. *Vrbes quatuordecim.* Si litera inspiciatur sunt quindecim. Dicit tamen aliquis hoc factum esse ex inaduentia librariorum nostrorum, qui aliquando dictioñes Hebraicas diuidunt, & aliquando componunt, & sic una dictioñe diuisa apparebūt ciuitates quindecim, quamquam sint quatuordecim.

Sed hoc non stat, nam etiam in Hebræo sic est, vt quindecim computentur.

Respondet Nicolaus, quod hoc factum est, quia est hic vna ciuitas, quæ habet duo nomina, & hoc satis rationabile est. Sicut supra ponebatur Esrom, & postea dicebatur hæc est Asor. Ita patet infra de Dabir, quam litera etiam vocat Cariathena, & Cariathiarim vocatur Cariathbaal, & sic de multis.

Et villa earum. Id est rura parua, vel viculi, quæ apud istas ciuitates erant, fuerunt in forte Iudeæ. In Leuitis autem non erat sic, quia licet darentur eis vrbes cum suburbanis, tamen villa earum, id est rura non proueniebant eis, nec aliqua pars territorij ultra suburbana, sicut patet de vrbe Hebron, quæ data est sacerdotibus, villa tamen eius, & agri data sunr Caleb filio Iephonne infra 21. cap.

Sanan, & Adasa. Hic ponuntur sexdecim vrbes sub alia summula, quia erant in alia parte terre, vel quasi regione distincta à superioribus: nam sicut populi septem Chananæorum habitabant in terra, & habebant inter se diuisam per terminos terrarum, sc. per flumina montes, & alia diuisoria: ita & apud Iudeos diuersas computatas esse regiones rationabile est, & tunc cuiuslibet regionis, vel terræ per se ciuitates computabantur. Ista vrbs Adasa in aliis libris scribitur Aseda, & melius videtur. *Magdal gad, Delean.* Ista duæ, & superiores manserunt ad tribum Iuda ad nullum alterum translatæ. *Mespha.* Quidam dicunt istam esse ciuitatem, quæ vocatur Mesphad: & hoc verum est, vt patet ex modo scribendi literæ Hebraicæ, & ex modo mutationis literarum, quia consuetus est in idiome isto: in hoc enim loco fecit sacrificium Samuel. Et cum Philisthiim astarent, vt cæderent Iudeos, perterrituit dominus Philisthiim. 1. Regum 7. erat autem Mesphat locus orationis, vt patet primo Machab. 4. cap. *Et Ieether.* Alia ciuitas in hac tribu vocatur Ieether, sed differentes sunt. *Lachis.* Ista est ciuitas, ad quam venit Iosue, vt oppugnaret eam postquam oppugnauit Macedam, & cepit eam die, quo stetit sol super 10. de hac erat rex Iaphie unus de quinq; pugnantibus contra Gabaon, & comprehensis in spelunca eodem cap. & est iste rex unus de 31. regibus occisis tempore Iosue supra 12. ca. *Sit⁹ Ba schat.*

*Alia ciuitas est, quæ vocatur Lais, & aliqui vocant eam Lachis, est autem in tribu Dan, quam vocauerunt Iudei Lesen Dan, vel Dan absolute ex nomine tribus Dan, vt patet infra 19. & Iudicum 18. & ista est, quæ maxime distabat à Berabee, vt supra declaratum est. *Baschath.* Ista ciuitas non multum distat à Lachis Macea, & Eglon, vbi fuit bellum Iosue, die quo stetit Sol. *Eglon.* Ista ciuitas est, de qua erat rex Dabir unus de quinque oppugnatoribus Gabaon, & captus est postea cum cæteris in spelunca Macea supra 10. vrbs quoque sua cito post hoc deleta fuit à Iosue, vt patet eodem cap. *Chebon.* Istæ septem ciuitates sequentes in ista summula ad tribum Iuda pertinuerunt, & nulla de eis filii Simeon, vel Leuitis data est vt colligitur, infra 19. & 21. *Et Macea.* Ista est vrbs, apud quam erat spelunca, in qua latebant quinq; reges. Hanc ciuitatem cepit Iosue die, quo stetit sol, & apud hanc fixa erant castra filiorum Israël in regione illa supra 10. *Et villa earum.* Id est viculi, vel rura, & agri, cunctaque territoria pertinentia ad istas vrbes data sunt filii Iuda. *Lebna.* Hic ponuntur nouem vrbes in alia summula ex causa supra assignata, quia pertinebant ad aliam regionē. Ista ciuitas prima aliquando vocatur Lobna, & aliquando Lebna: in Hebræo autem vocatur Liphna, vel Libna, quod idem est. Et ista est ciuitas, quam cepit Iosue immediate post vrbum Macea die, quo stetit Sol supra 10. & de hac fuit unus de regibus interfictis tempore Iosue, de quo supra 12. ista vrbs postea data est sacerdotibus infra 21. cap. *Ether, & Asan.* Prima autem harum mansit tribui Iudeæ: secunda videtur esse data tribui Simeon, sc. illa, quæ vocatur infra 19.c. *Afon, Iephtha, Esra, Nesib.* Ista tres manserunt in tri-*

A bu Iudæ. Aliqui putant Iephtha, & Iethan, de qua infra. 21.c. esse idem: sed falsum est, vt patet ex litera Hebraica. *Ceila*. Ista est vrbs ad quam fugit Dauid, cum persequeretur eum Saul: & cum ibi maneret quæsivit à Domino, an traderent eū viri Ceile in manus Saulis, & responso, quod traderent, fugit de vrbe 1. Reg. 22. c. *Marefa*. De ista vrbe loquitur Miche. 1. c. com minando ci captiuitatem, & spoliationem omnium bonorū, sc. adhuc hæredem adducam tibi, quæ habitas in Maresa, vs que ad ollam veniet gloria Israël. *Ciuitates nouem*. Non deficit aliqua in summula, sicut in duabus primis.

Et vielle earum. Id est datae sunt cum agris, & territoriis, & omnibus ruribus suis, *Acharon*. Hic ponuntur ciuitates quædam Occidentales in forte Iudæ, sc. tota terra Philistinoru: nam hic ponuntur ciuitates principales. Est enim terra terra Philisthiim diuisa in quinque ciuitates principales, quæ propriæ sunt ciuitates, scilicet. Acharon, Geth, Gaza, Azothum, Aschalon. quia in his erant quinque principes, vt patet Iudicum 3. siue quinque reguli supra 13. Erant autem alia ciuitates minores terræ illius, quæ principaliter non nominantur: ideo 1. Regu. 6. cum ponuntur ciuitates Philistinorum, qua miserunt mures aureos, & anos cum arca Domini, istæ quinque solum nominatae sunt: constat tamen quod alias vrbes habebant. Nam Sicleg erat vrbs. 1. Reg. 27. & 30. tamen erat Philistinorum, quia rex Achis dedit eam Dauid, cum erat profugus apud eum, vt habitarer in illa primo Regum 27. & sic de multis aliis vrribus, vt de Thannata, quæ ponuntur vrbs supra in litera, & infra 19. tamen erat in terra Philistinorum: Iudicum 14. c. ciuitates autem principales rerræ Philisthiim, & tota alia regio cecidit in forte Iudæ. Quod patet, quia Acharon ponitur hic vrbs terra Iudæ, & tamen Acharon est extremus locus in tota terra Philistinoru contra aquilonem, vt patet supra 13. Nam incipit terminus Meridianus terra Philisthiim in Gaza circa torrentem Ægypti, & finitur apud Acharon ad aquilonem, vt in eodem cap. ergo principales vrbes Philistinorum sunt magis australes quam Acharon sed declinando ab Acharon versus Meridiem tota terra Chanaan pertinet ad forte Iudæ, cum ista tribus teneat latus Meridianu terra Chanaan: ergo tota terra Philisthiim pertinebat ad tribum Iudæ. Et fatis hoc signatur ex modo terminorum assignato in litera. *De vrbe Acharon*, quæ nunc sit supra dictum est.

Acharon cum vici, & villulis suis. Habebat Acharon magnu territorium, quia erat magna vrbs, & totum prouenit tribui Iudæ. Vocantur vici rura maiora: villulæ sunt rura minora, vbi pauca habitacula sunt, & nomine villarum, & vicorum intelliguntur omnia territoria vrbis.

Ab Acharon usque ad Mare. Acharon non est in littore maris, sed magis appropinquat Azotum mari. Omnia autem, quæ ab Acharon versus mare sunt, pertinent ad forte Iudæ, quia illa terminatur mari magno, vt patet supra in litera. Etiam pertinent hæc ad terram Philisthiim quæ à parte aquilonari terminatur in Acharon, vt patet supra 13. sed ab Occidente mare magnum est finis eius.

Omnia, quæ vergunt ad Azotum, & viculos eius. Id est etiam tota terra, quæ est ab Acharon versus Azotum erat in forte Iudæ, quia Azotum est magis australe, quam Acharon, & est magis Occidentale apud mare: est autem Azotum vna de quinq; præcipuis ciuitatibus terra Philisthiim, vt patet supra 13. & 1. Regum 6. & ista etiam pertinebat ad forte Iudæ, istam autem terram Philisthiim, nunquam acceperunt ad habitandum filii Iuda, quamquam subiecerunt eam sibi tributariam tempore Dauid, & Salomonis.

Azotus cum viculis, & villulis suis. Non solum terra Acharon, quæ tendebat versus Azotum erat in forte Iudæ, sed etiam Azotus cum toto suo territorio, quod comprehenditur nomine villarum, & viculorum: dicuntur villulæ parua rura, & viculi parui vici, vbi sunt valde pauci habitatores, ponuntur autem ista, vt in plurimum pro eodem: hic accipitur Azotus, & aliquando declinatur Azotum in neutro. *Gazam cum viculis, & villulis suis*. Ista erat alia de quinq; ciuitatibus Philistinorum principalibus, & pertinebat ad filios Iuda: erat autem Gaza in parte maxime Meridianâ terra Philisthiim, & erat in angulo contactus Occidentalis, & australis lateris terra Chanaan. In hac ciuitate fuit Samson, quando excæctus, applicitusque columnis duabus occidit valde magnam

multitudinem Philistinorum cadente domo super omnes, quia ipse prostravit columnas tenentes domum Iudi. 16. & in hac ciuitate tenebatur vincitus catenis, & molebat, vt patet p-allegato ca. Solum nominantur hic tres vrbes Philistinoru: Gaza, Azotus, & Acharon: supersunt duæ de principalibus, scilicet. Aschalon, & Geth, sed etiam istæ duæ datae sunt in sorte tribui Iudæ, sed quia erant in medio ciuitatum harum trium prædictarum, non curavit exprimere scriptor. Et hoc signatur, cum dixit ab Acharon usque ad mare omnia, quæ vergunt ad Azotum, & ibi sunt Aschalon, & Geth. *Visque ad torrentem Ægypti*. Refertur hoc ad tribum Iuda, & ad vrbe Gazam. Primo modo est sensus, quod terminus tribus Iudæ ex hac parte est torrens Ægypti, & mare magnum: nam mare magnum est terminus Occidentalis totius terræ Chanaan Nume. 34. ideo etiam erit terminus fortis Iudæ. Et iam torrens Ægypti erat terminus terra Chanaan ex latere Meridiano: nam cum latus Meridianum protendatur ab Oriente ad Occidentem, in extremitate eius vbi coniungitur Occidenti, est torrens Ægypti, & sic in angulo contactus lateris Meridiani, & Occidentalis sunt mare magnum, & torrens Ægypti, & ibi torrens Ægypti intrat in mare magnum, ideo si Nil dicamus istum torrentem Ægypti, dicemus, quod non absorbetur à mari rubro, nec subintrat in mare Mediterraneum in Ægypto, sed in terra Chanaan, & propter hoc satis patet quod non sit iste torrens: nam Nilus septem ostiis diffusus mari Ægyptio absorbetur, vt ait Solinus in Polyhistoru.

Alio modo potest referri hoc ad Gazam, sc. quod Gaza est apud torrentem Ægypti, & mare magnum, quia est in parte contactus lateris Occidentalis, & Meridiani, & sic est maximè Meridiana, & maximè Occidentalis: torrens autem Ægypti est in extremitate lateris Meridiani apud Occidentem, & ibi est Gaza. Quod patet, quia sicut torrens Ægypti ponitur pro termino Meridiano terra Chanaan: ita Gaza ponitur vt terminus Meridianus. Genes. 10. cap. sc. Facti sunt termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram usque ad Gazam, & ibi ponitur Sidon pro termino aquilonari, quia est ad partem aquilonarem. Gaza autem ponitur pro termino Meridiano, & sic idem est terminus, tam Occidentalis quam Meridionalis fortis Iudæ, & Gazæ.

Visque ad torrentem Ægypti, & mare magnum terminus eius. De forte Iudæ intelligitur, quæ peruenit usque huc, & ista accipit totam longitudinem terra Chanaan, sc. ab Oriente eius usque ad Occidentem illius, quod non est in omnibus aliis fortibus, vt infra declarabitur. Et ponitur torrens Ægypti etiam, non quod torrens ille sit totum latus Meridianum fortis Iudæ, quia est in extremitate solum, sed ad signandum, q; nulla alia tribus habebat quidquam ad Meridiem ultra Iudam, nam dato quod accederet fors Iudæ ad mare magnum, adhuc non esset certum, an alia fors intercederet inter eam, & partem Meridianam terra Chanaan. Nam etiam alia fortes præter Iudam accedunt ad mare magnum, vt patet de Ephraim sequen. cap. ideo additum est, quod terminus fortis Iudæ erat etiam apud torrentem Ægypti, sed torrens Ægypti est in latere Meridiani, ergo nulla alia fors intercedit inter forte Iudæ, & latus Meridianum terra Chanaan, istarū ciuitatum terra Philisthiim non ponitur hic numerus aliquis. Quod patet, quia non sunt in summula sequenti, quia illæ ponuntur in alia regione, scilicet, in monte.

Etiam, quia ibi dicitur, quod sunt ciuitates undecim, & totidem sunt sine his ciuitatibus terra Philisthiim non fuerunt autem istæ numeratae, quia certus erat numerus ciuitatum principalium terra Philisthiim, sicut supra positus est 13. cap. vbi dixit terram illam diuidi in 5. ciuitates, quas nominibus suis expressit.

Et in monte. Hic ponitur alia summa ciuitatum pertinientium ad aliam regionem. Nam supra positæ immediate pertinebant ad extremitatem plagæ Occidentalis. Hic ponuntur ciuitates sitæ in monte, id est in parte montana, sic fuerat supra dictu de campestribus vbi assignatae sunt ciuitates 14.

Sanir, & Leether. Prima harum mansit in tribu Iuda semper secunda data est sacerdotibus, vt videtur infra 21. De prima harum dicitur Canti. 4. vbi sponsus vocat dilectam suam de multis montibus dicens: veni de Libano sponsa mea, veni de Libano veni, coronaberis de capite Ammana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, & de montibus partorum.

A dorum. Ibi Sanir est nomen ciuitatis, & vertex Sanir dicitur altitudo montis, in quo est Sanir, & hoc consonat literæ cū dicatur hic, quod in monte erant ciuitates iste vndeclim: prima erat Sanir, secunda harum, scilicet Ether est, qua vocatur Ether à quibusdam infra 21. & data est in partem sacerdotum, quod patet ex literis Hebraicis. *Socho*. Ista est alia ciuitas ab illa Socho, de qua supra dicebatur, quia multotiens est idem nomen miltarum vrbiū: sicut Asor est nomen quatuor vrbiū, ut supra declaratum est. *Danna*. Ista vrbs, & præcedens semper manserunt in sorte Iudea.

Cariath-sena hec est Dabir. Ista ciuitas Dabir habet multa nomina. Antiquitus vocata fuit Cariath-sopher, vt patet hic, & Iudi. i. hoc autem nomen abolitum fuit, inansit nomen Dabir, & aliud additum est, scilicet Cariath-sena, & istud forte erat magis frequentatum tempore scriptoris libri huius, ideo posuit istud ad notificandum: tamen pro illis, qui eam aliquando aliter vocatam sciunt, additum est, quod hæc est Dabir, in ista vrbe erant gigantes, sicut in Hebron, & Anab supra ii. & cepit eam Othoniel supra in litera, & Iudicum i. fuit autem postea data ista ciuitas sacerdotibus in diuisione ciuitatum per omnes tribus pro illis, vt patet infra 21. Et *Anab*. Ista ciuitas est in montanis sicut Dabir. Nam supra ii. dictum est, quod deleuit Iosue Enacim de montanis Hebron, & Dabir, & Anab, & de omnibus montanis Iudea, & Israël. Erant autem in ista vrbe gigantes, quia de ea specialiter dictum est, quod fuerint ibi gigantes. Et *Istemo*. Ista etiam est ciuitas montana sortis Iudea, & data fuit postea filio Aaron infra 21. capit. Et *Anim*. Aliquis videtur ista esse ciuitas quæ data est tribui Simeon quæ vocatur Aym, infra 19. & vere est eadem, vt patet in Hebreo. *Gesen*. Alij vocant eam Gesen, & litera latina scribit Gesen, quamquam in Hebreo scribatur Gosen ex conditione idiomatis, de ista ciuitate dicitur supra 10. cum ponuntur gentes quas delauerit Iosue, scilicet à Cadebarne usque Gazam, & omnem terram Gosen, quamquam alicui volunt ibi Gosen esse regionem, & non ciuitatem. *Olon*. Alia ciuitas est quæ vocatur Egdon, & etiam est in hac tribu, vt supra patet. Et *Gilo*. Ista ciuitas semper manserunt in sorte Iudea, sicut & duæ præcedentes, de ista vrbe erat Achitophel consiliarius Dauid qui se suspendit, & vocabatur Gilonites 2. Reg. 15. cap. *Ciuitates vndeclim*, & *villæ earum*. Id est ista nouem ciuitates cum villis suis, id est, cum ruribus, vel paruis locis non muratis pertinuerunt ad sortem Iudea, & in hoc patet, quod non computentur cum his ciuitates terræ Philisthiim, quia essent plures quam ii. incipiendo autem à Sanir quæ ponitur prima in montanis sunt ciuitates ii. *Arab*. Aliqui scribunt Axab: facilis est mutatio, si scribatur Axab coincidet in nomine cum alia ciuitate quæ ponitur in sorte Aser, vt patet infra 19. cap. & de illa dicitur supra ii. quod rex Iacob vocauit regem Axab ad pugnandum contra Iosue, & de illa ciuitate fuit unus de regibus occisis tempore Iosue, supra 12. cap. sed debet scribi Arab, vt patet in Hebreo, vbi ista nomina proprie scripta sunt. Et *Ruma*, Quidam ciuitas parua est in tribu Iudea.

Esaan, & *Ianum*. In sorte Iudea manserunt istæ vrbes semper, de ipsis vrbiibus non dicitur vbi sint, sed aliquæ earum sunt apud terram Philisthiim, sicut Aphec, & aliae erant montane, sicut Hebron, nam ipsa ponitur in montanis cum duabus supra positis, scilicet Dabir, & Anab.

Et *Bethaphua*. Ista ciuitas differt à Taphua de qua supra ponitur etiam in hac tribu, & de sequen. cap.

Et *Apheca*. Ista ciuitas aliquando vocatur Aphec, & ali quando Apheca: quia modus Hebraici idiomatis, est interdum in terminabilibus addere, & interdum diminuere, vt Dabir, & Dabira, & sic Aphec, & Apheca, de hac ciuitate erat unus de regibus occisis tempore Iosue, vt patet supra 12. & ibi vocatur Aphec, ista vrbs erat in terra Philisthiim in extremis apud terram quæ possidebatur ab. + & multotiens cum pugnatur essent contra Israël, ponebant castra in Aphec, unde in bello quo ceperunt arcum Domini posuerunt castra in Aphec 1. Reg. 4. & iterum in pugna contra Philisthiim cum occiderunt Saulem, & Ionatham super montes Gelboe posuerunt castra in Aphec 1. Reg. 29. *Athura*. Ad tribum Iudea semper pertinuit.

Cariatharbe, hec est Hebron. Ista est in montanis, sicut Anab, & Dabir, quæ dicuntur supra esse in monte, cum ponantur in eodem monte, & satis coniunctæ, vt colligitur supra ii. &

ex dictis supra in litera. Vocatur Cariatharbe ex causa declarata præcedens. c. in fine, & dicitur hæc est Hebron, quia alio nomine vocatur Hebron. Et ne quis arbitraretur esse duas vrbes dictum est, quod ista est Hebron. Quomodo ista vrbs data fuerit Caleb, patet præced. c. Quomodo fuerit acquisita, patet supra in litera, & Iudi. i. c. Ista vrbs facta est vna de ciuitatibus refugij, ad quas confugiebant, qui effuderant sanguinem nolentes infra 20. Etiam data fuit in partem sacerdotibus. Manserunt autem viculi eius, & agri ipsi Caleb, vt patet infra 21. Et *Sior*. Ista non fuit translata ad sacerdotes, nec ad tribum Simeon.

Ciuitates nouem, & *villæ earum*. Iste nouem ciuitates ponuntur sub vna summla differentes ab aliis ex eadem causa, ex qua in omnibus aliis summulis, quia pertinebant ad quendam speciale regionem. Villæ earum sunt rura, & omnia territoria agrorum, & vinearum, & montium. *Maon*. Hic ponuntur ciuitates aliae, quæ pertinent ad aliam regionem, & sunt i. prima est Maon, & apud istam est desertum, quod vocatur desertum Maon, in quo fuit Dauid, cum Saul persecutus est eum ad capiendum, & venientibus nuntiis, quod difunderent se Philisthiim super terram, cessavit Saul querere Dauid, & ob hoc vocauit Dauid locum illum petram diuidentem: 1. Regum. 23. Et *Charmel*. Ista ciuitas est apud montem Carmelum, & ab ista ciuitate videtur denominatus mons ille. Est autem ciuitas hæc apud urbem Maon, & sunt deserta, & montes apud ciuitates has. Propinquitas earum colligitur 1. Reg. 25. vbi cum dicitur de Carmelo dicit scriptura. Erat vir quispiam in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo, & sic ponuntur ista duo coniuncta ibi, sicut hic Charmel, & Maon. Et *Ciph*. Ista est alia ciuitas apud duas prædictas, & est circa desertum. Apud eam enim est desertum magnum in cuius colle quodam, qui vocabatur Achile Dauid latuit, & Ziphæi venerunt ad Saul nunciantes ei, quod esset Dauid apud eos 1. Reg. 26. quod autem ista ciuitas sit apud duas præcedentes colligitur ex litera ista, & ex his, quæ habentur 1. Reg. 24. & 25. & 26. vbi ponitur Dauid latuisse in deserto Maon, & in Carmelo, & in deserto Ziph, & cum Dauid esset in Carmelo iussit viris suis, vt irent in desertum Maon ad destruendum domum Nabal, & vxor Nabal inde venit in occursum Dauid versus Carmelum, & non contingeret, si multum distarent istæ vrbes. Et *Lothe*. Ista cum tribus præcedentibus semper manserunt in sorte tribus Iudea. Ista est, quæ vocatur Iethan infra 21. capit. & data est sacerdotibus, vt patet ex literis Hebreis, & more latino deberet vocari Lothe, & non Lothe. *Iezrael*. Ista est ciuitas, de qua accepit Dauid vxorem tertiam, quæ vocatur Achinoen, vt patet 1. Regum. 25. & genuit ex ea primogenitum suum Ammon, vt patet 2. Reg. 3 cap. ista ciuitas videtur esse propinquæ duabus primis, scilicet Maon, & Carmel, quia Dauid morabatur in terra illa, quasi latens, & profugus ibi acciperet vxorem, & tamen dicitur 1. Regum. 25. quod accepit Abigail vxorem quondam Nabal in uxorem, & Achinoen Iezraelitem, & hic ponitur ista ciuitas cum illis, ista ciuitas erat apud terram Philisthinorum. Nam cum pugnauerunt Philisthiim contra Israël, & mortuus est Saul posuerunt Philisthiim agmina in Aphec, & Israëlitæ castrenses fuerant super fontem, qui erat in Iezrael 1. Reg. 29. c. alia Iezrael fuit in sorte Manasse, de qua infra 17. & ibi declarabitur, *Iucadam*, *Zanoe*. Alia vrbs ponitur supra vocata Azanoe, quæ est in campestribus, sed distincta est ab hac.

Et *Accain*. Ista vrbs cum præcedentibus in hac summla fuerunt semper in sorte Iudea. *Gaba*. Alia ciuitas vocabatur Gabaath, quæ est in sorte Beniamin, vt patet infra 18. & differt ab ista, quia ista est in sorte Iudea, quamquam illa interdu vocatur Gaba, & fuit, in qua habitauit Saul, qui erat de stirpe Beniamin, de quo 1. Reg. 13. & 26. eadem vrbs vocatur Gaba, & Gabaath, nec differt quantum ad hoc in Hebreo per appositionem literæ: sed Gaba, de qua hic, & illa, de qua in sorte Beniamin differunt. Et *Thamna*. Ista ciuitas est in sorte Iudea ad partem aquilonarem in ipso latere aquilonis, vt patet supra cum dicitur: Descendit in Bethsan, transitque in Thamna. Est autem circa terram Philisthinorum, quia apud Thamna ponitur in eodem latere aquilonari Acharon, quæ est vna de quinque ciuitatibus præcipuis terræ Philisthiim. Alia ciuitas Thamna ponitur in sorte tribus Dan, vt patet infra 19. Verum est Thamnam, de qua hic, & illam, quæ est in

Nume
ratio
liarun
ciuita
tum.

Quid
Car-
mel at
eius si
tas.

Lothe.

F

Quid
Ruma.

Quid
Aphe-
ca e-
sus fi-
sus.

Aib.
matha

Quid
Tham-
na ac eius
sus.

A sorte Dan, infra 19. esse idem, & illam, de qua Iudic. 14. & de qua Gen. 38. sed non est eadem cum ea, de qua supra dicebatur in termino fortis Iudeæ, quia in omnibus his ponitur in Hebreo Thanan, & supra in terminis Iudeæ ponitur Themana, & signat secundum Hebreos australiem partem: litera autem nostra transtulit Thamna, quia magis videbatur sibi significare urbem, quam plagam mundi, ut patet ex contextu, & alia vrbs erat in sorte ista, quæ vocabatur Thanna: secundo factum est: quia licet in Hebreo ponatur supra Themana quantum ad assignationem punctorum, tamen literæ eodem sunt in Thamna, & Themana, puncta autem faciliter mutari possunt, literæ autem nequaquam. *Ciuitates decē, & villa earum.* Istæ decem supradictæ, quæ erant in una regione speciali cum villis suis, id est territoriis, & locis pertinuerunt ad sortem Iudeæ. *Hethul.* Hic ponuntur ciuitates sex sub una summa distingue à superioribus ex causa assignata in aliis. Et *Bethsur.* Alia ciuitas vocatur Bethsan, & est in ista sorte, sed differt ab ista, Alij dicunt istam esse unam de ciuitatibus, quæ prouenit sorti Simeon infra 19. cap. & vocatur ibi Bethul, *Gedor.* Aliqui dicunt esse istam urbem eam, cuius ponitur rex quidam supra 12. alij volunt urbem illam esse, quæ vocatur supra Gedera: nam supra 12. vocatur Gader, sed ista differt à Gader, quia debet ista vocari Gedor, illa autem quæ vocatur Gedera, est eadem cum ea, de qua supra 12. t. *Mareth, Bentha-* noth, & *Bethbecen.* Istæ vrbes semper pertinuerunt ad sortem tribus Iudeæ.

B *Ciuitates sex, & villa earum.* Istæ quæ ponuntur hic in una summa cum territoriis suis pertinuerunt ad sortem Iudeæ. *Cariathbaal.* Hic ponitur aliae due ciuitates in summa pertinentes ad sortem Iudeæ, & eadem ratio distinctionis est in eis, quæ in aliis. Prima est Cariathbaal, quæ alio nomine vocatur Cariathiarim. Hæc erat in terra Heuæorum, & una de quatuor urbibus Gabaonitarum, quæ confederate sunt Israelitis. Nomina eorum sunt Gabaon, Caphira, Beroth, Cariathiarim, ut patet supra 9. Tres primæ quæ erant magis aquilonares cesserunt in sortem Beniamin, quæ est tribus coniuncta tribui Iudeæ, ut colligitur ex litera in principio ca. iuncto ca. 18. vbi ponitur idem latus vtriusq; sortis, & Cariathiarim, quæ erat magis australis eccecidit in sortem Iudeæ, vocabatur ista Cariathbaal, id est ciuitas Baal, quia forte in hac urbe colebatur idolum Baal.

Nic. op. reiici- sur. Et dicit Nicolaus hoc conuenire, quia erat in syluis, siue vocatur ciuitas syluarum: & in syluis siebat cultus idolorum. Sed hoc non erat ad cultum Baal, sed ad priapum: siebat enim cultus iste in densitate arborum, vel in locis subterraneis, ut patet 3. Reg. 15. & hoc, quia post cultum idoli vacabant libidini secundum exigentiam sacrorum, & ad hoc erant loca accommoda sylue, vel densitas arborum, & subterranea loca. De sacrificiis Priapi satis diximus Exod. 20. in fin. *Hæc est Cariathiarim.* Posuit primum nomen scriptura, quia forte tempore scriptoris libri huius erat magis visitatum nomen istud, ab antiquo autem magis fuerat visitatum nomen Cariathiarim: vtrunque tamen horum est nomen Hebreum, cū Cariathbaal interpretetur ciuitas Baal, & videatur nomen impositum à Iudeis propter idola, quæ ibi colebantur tempore gentilium, sicut fuit nominata quedam urbs Bethauen, id est ciuitas idoli, quia ibi specialiter idola colebantur, aut erant aliqua templo nimis speciosa. Cariathiarim etiam videtur esse ex origine Hebraici sermonis, quia interpretatur ciuitas syluarum. Aliqui scribunt Cariathiarim, sed error est, quia ista est ciuitas alia apud Astaroth in terra Basan ad Orientalem plagam Iordanis in sortem filiorum Ruben, ut patet supra 13. *Vrbs syluarum.* Ista est interpretatio nominis Hebrei Cariathiarim, & non habetur in Hebreo, sed translator noster apposuit ad signandum quid nomen Hebreum importet. *Et Arebba.* Ista, & superior semper manserunt in sorte Iudeæ ad nullum translatæ. *Ciuitates due, & villa, earum.* Id est istæ duæ ciuitates cum villis, id est ruribus, & toto territorio cesserunt in sortem Iudeæ. *In deserto.* Hic ponuntur sex ciuitates pertinentes ad unam terram specialem, quæ vocatur desertum, sicut ponebatur esse alia regio in cœlestibus vbi ponebantur ciuitates 14. & alia regio in monte, vbi signabantur ciuitates 11. ut supra patet, & ista terra vocatur desertum Iudeæ, in qua beatus Iohannes prædicabat baptismum penitentia, ut patet Mat. 3. & ibi veniebant ad eum multi atq; baptizabantur ab

D eo in Iordan, & sunt istæ ciuitates apud Iordanem: nam Iohannes prædicans in deserto Iudeæ, baptizabat ad se venientes in Iordan, ut patet præallegato cap. quod etiam satis colligitur ex his verbis. Nam aliqua harum sunt ad Iordanem, ut est Betharaba: vnde confinia deserti huius tangunt Iordanem. *Betharaba.* Aliqui dividunt istam dictiōnem in duas, velut si sint duæ ciuitates. Et tamen non stat, quia tunc existent ciuitates septem, sed infra dicitur, quod sunt ciuitates sex. Est autem Betharaba circa Iordanem, sc. quod confinia eius tangunt Iordanem. Quod patet, quia ista ponitur secunda ciuitas in latere aquilonari fortis Iudeæ veniendo ab Oriente in Occidentem, ut patet supra. Terminus autem Orientalis fortis huius est mare falsissimum, & extremitas Iordanis & ibi ponitur prima ciuitas Bethagla, ut patet in litera. Hæc autem à Iordan duobus milliariis distat, ut supra declaratū est, & apud hanc est Betharaba, ut patet ibidem, & sic confinia Betharaba satis peruenient in Iordanem: sed ista ciuitas est in deserto Iudeæ, ergo satis poterat beatus Iohannes prædicare in deserto Iudeæ, & ibi baptizare in Iordanem. Est autem ista ciuitas de valde aquilonaribus fortis Iudeæ, cum sit in ipso latere aquilonis, ut patet supra in litera. *Meddin, & Sachacha.* Istæ duæ ciuitates, & præposita semper ad sortem Iudeæ pertinuerunt. Alia ciuitas est similis isti, quæ vocatur Salecha, & est in regno Og, ut patet supra 12. & 13. cap. & ista ciuitas data est in possessionem duarum tribum, & dimidiæ.

E *Et Nelson.* Sicut superiores pertinuit semper ad Iudam. *Ciuitas salis.* Ista est ciuitas quæ consuevit vocari semper Bethsames, & interpretatur domus solis, vel ciuitas solis. Trælator noster voluit hic ponere interpretationem eius in Latino: nomen autem ipsum in Hebreo non posuit, & tamen alibi ponit vocans eam Bethsames, & ista ponitur in latere aquilonari fortis Iudeæ, ut patet supra in litera. Ista autem est ciuitas, ad quam primo venit arca domini missa de terra Philisthiim, portantibus eam vaccis fretis, & mortui sunt pluri mi de Bethsamitis, quia viderunt arcam Domini, ut patet 1. Regum 6. hic non debet dici ciuitas solis, sed ciuitas salis, ut patet in Hebreo. Apud nos autem facilis est corruptio nominis, ideo non est ista ciuitas Bethsames, quæ est ciuitas solis, de qua supra. *Engaddi.* Ista est ciuitas in deserto hoc, & ab ea nominatur mons altissimus Engaddi. Est autem ista ciuitas in terra campestri apud Iericho, ut patet in libro de situ terræ Sanctæ. In deserto huius urbis in locis tutissimis abscondit se semel Dauid fugiens à facie Saul, & ibi intravit Saul in quadam spelunca, in qua latebat Dauid cum suis, & præcedit oram vestimenti eius exiuitque post eum clamans 1. Reg. 24. est autem ista ciuitas versus mare mortuum, scilicet in valle illa, per quam decurrit Iordanis, & coniungitur mari mortuo, & ibi suut mirabiles vineæ Engaddi, vnde & oprobium afferri solebat. Sunt autem nominatissimæ vineæ Engaddi, de quibus sponsa in Cantico cap. primo ait: Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. De ista urbe dicit Solinus in Polihistorum ca. de Iudea: Engaddi oppidum infra Essonos fuit, sed excisum est, verum inlytis nemoribus adhuc durat decus lucis, sed palmarum eminentissimis, nihil vel ævo, vel bello derogatum. De balsamo autem, quod in vineis Engaddi accipitur, qualiter conficiatur ibidem Solinus refert.

F *Ciuitates sex, & villa earum.* Id est istæ ciuitates sex cum omnibus territoriis pertinentibus ad eas, & locis sibi coniunctis pertinebant ad sortem Iudeæ.

Iebusæcum autem. Hic ponitur quartum huius cap. scil. habitatorum conditio. Est habitatorum conditio esse fortes ad pugnam, vel esse ad modum foeminarum imbellis. Ibi Iebusæ crant fortes, ideo non potuerunt filij Iuda expellere eos de urbe, sed manerunt in castro montis Syon usquequo Dauid pugnauit contra eos, & Ioab ascendit primus tangens fistulas domatum, ut percutiens Iebusæos, & factus est dux belli in domo Dauid secundo Regum quinto, & primo Paralipom. II. cap.

Iebusæcum autem habitatorem Ierusalem. Terra Chanaan erat septem populorum, scilicet Chananorum, Amorrhæorum, Iebusæorum, &c. & de his erant habitantes in Ierusalem Iebusæi.

Non potuerunt filij Iuda delere.

A

An propter fœdus, quod fecit Abraham cum rege Gerara non licuerit Iudeis expugnare Iebusæos habitatores Ierusalem.

Q V A E S T I O XI.

ISTAM literam aliqui exponunt duplum. Quidam dicunt non potuerunt, id est, non potuerunt de iure, quamquam de facto potuissent si bella essent. Alij dicunt non potuerunt, scilicet, de facto, quia quamquam pugnauissent, non prævaluerunt aduersus eos.

Prima sententia est Rab. Salom. dicit enim quod isti Iebusæi, qui erant in Ierusalem non erant de Iebusæis, sed quidam de stirpe regis Abimelech, qui regnauit in Gerara cum hoc iniit fœdus Abraham, quia ad eum venit Abimelech precatus pro fœdere, scilicet, ne noceret ei, aut stirpi suæ, & iurauit Abraham. Idem factum est cum Isaac: nam Abimelech rex Geraræ de genere prioris venit ad Isaac facturus fœdus cum eo, & idem modus fuit, scilicet, quod Isaac pepigit ne noceret ei. De primo Genes. 21. de secundo Genes. 26. ca. De isto fœdere dicit Rab. Salom. quod tempore Iosue nondum elapsum fuerat tempus durationis fœderis, ideo non potuerunt de iure filii Israël pugnare contra istos Iebusæos, quia infringenter iuramentum patrum suorum, & illud possumus, quod de iure possumus. Et cum arguitur de David, qui postea pugnauit contra istos Iebusæos, & cepit fortalicia eorum, 2. Reg. 5. Respondet, quod tempus fœderis interpositi erat iam translatum, ideo licet poterat pugnare, ac si non esset fœdus interpositum.

Sed ista positio non stat: satis enim videtur aliena à litera, quia litera dicit de Iebusæis habitatoribus Ierusalem: unde ergo apparet, quod ibi morarentur aliqui Geraritæ, scilicet, de genere Abimelech regis Geraræ? potissimum cum Gerara satis sit distans à Ierusalem. Nisi quis voluerit Ierusalem esse, quæ olim vocabatur Gerara. Sed nullus hoc dicit. Solum autem mouetur Rabbi Salomon, quia dicitur non potuerunt, quod ipse vult exponere, scilicet, non potuerunt de iure: sed nemo eum cogit ad hoc.

Sed præter hoc non stat ista positio: nam cum dicit, quod tempore, quo Israëlitæ intrauerunt in terram Chanaan nondum transierat tempus interpositum, ideo non potuerunt de iure pugnare cōtra Iebusæos: tempore autem David præterierat d:ratio p:actum, ideo potuit pugnare: videtur hoc esse valde fictum, nam Abraham semel legitur pepigisse fœdus cum Abimelech rege Geraræ, & iterum Isaac, sed in nullius fœdere tempus aliquod determinatum est: nam Abraham iurauit, quod non noceret regi Abimelech, nec posteritati eius, vt patet Genes. 21. Isaac autem solum iurauit, quod non noceret regi, & populo suo, Genes. 26. sed hic nullum tempus interpositum est, ergo non est rationabile dictum, quod tempore David fluxerit tempus interpositum, & nondum fluxisset tempore, quo Israëlitæ venerunt in terram Chanaan.

Immo non potest stare, quod tempus fuerit aliquod determinatum, quod saltem posset durare ad ducentos, vel trecentos annos: nam aut arguet Rab. Salom. ex fœdere, quod fecit Abraham, aut ex fœdere, quod fecit Isaac. Si ex secundo non potest arguere aliquod tempus: nam non solum promisit Isaac non nocere Abimelech regi, sed etiam populo suo: Genes. 26. Si arguat ex fœdere Abraham extendetur istud usque ad secundam generationem, quia solum petiit Abimelech ab Abraham, vt non noceret ei, nec filio suo, nec filio filij sui: sic habetur in litera Hebraica, Genes. 21. secundum quam tenetur Rab. Salom. loqui, ideo solum extendebatur pactum usq; ad nepotes Abimelech regis: sed cum venerunt Israëlitæ in terram Chanaan iam transiissent nepotes, & pronepotes Abimelech, cum tempus istud fuerit plurimum q̄ quadringtonitorum quinquaginta annorum. Quod patet, quia istud pactum fuit factum breuiter post nativitatem Isaac, vt colligitur Genes. 21. sed ab eo tempore usque ad exitum de Ægypto fuerunt anni 405. vt probatum est Gen. 15. ab exitu autem usq; ad introitum in terram Chanaan fuerunt 40. anni, & postea steterūt multo tempore Israëlitæ pugnando contra Chananæos, scilicet, quasi 7. annis, vt probatum est præced. c. ergo in tempore diuisionis fortium plures

transierāt, quam 450. anni. Et dato, quod solum essent quadringtoni anni, iam fluxisset tempus; quia solum iurauit Abraham pro filio, & nepote: & Abimelech iam haberet filiū, vel filios multos, cum haberet uxores, & concubinas, vt colligitur ante hoc Genes. 20. cap. solum ergo pro vita duorum hominum iurabat, quæ non durarent quadringtonis annis, ergo iam à multis annis transiisset tempus durationis fœderis interpositi, & possent pugnare Israëlitæ contra habitatores Ierusalem. Sed aliquis vellet arguere ex litera nostra, quod non licet Rabbi Salom. eam assumere in confirmationem positionis suæ: quanquam satis licet contra nos arguendo: litera enim nostra dicit, quod iurauit Abraham ne noceret Abimelech, nec posteris eius, nec stirpi illius, sed nomine posterorū descendentes omnes de ipso intelliguntur: ideo non solum iurauit non nocere filiis, & nepotibus Abimelech, sed etiam aliis posteris, & sic nondum esset finitum tempus p:acti. Nos enim confitemur hunc esse sensum literæ Hebraicæ, quæ dicit: Non nocebis mihi nec filio meo, nec filio filij mei, id est, non nocebis mihi, nec aliquibus descendantibus de me. Et ob hoc litera nostra tenuit istam sensum. Si autem Rabbi Salom. ex litera nostra vellet confirmare positionem suam, dicens quod litera Hebraica intellexit id, quod litera nostra, adhuc non poterit stare, quia ipse, & alij Hebrei contrario modo exponunt passum illum dicentes solum intelligi de filiis, & nepotibus: immo ex illo passu ipsi notant, quod amor patris solum extenditur ad nepotes, quia solum curauit Abimelech de salute usque ad nepotes. Sed adhuc omisso hoc, si exponant literam illam secundum sensum literæ nostræ fortius redargueret, quia litera nostra dicit, quod iurauit Abraham non nocere Abimelech, & posteris eius, & stirpi illius: sed stirps Abimelech erat in Ierusalem tempore David, sicut tempore, quo ingressi sunt Israëlitæ in terram Chanaan, sicut confitetur ipse Rab. Salom. ergo non poterat habita ista positione David pugnare contra Iebusæos, sed Rab. Sal. dicit, quod licuit ei. Item motuum Rab. Sal. ex pacto quod fecit Abraham non est validum, quia istud pactum non fuit factum, nisi pro persona sua, & non pro successoribus suis, cum Abimelech petiisset ab Abraham, quod iuraret, ne noceret ei, nec posteritati sua, & sic iurauit Abraham, cū autem aliquis scipsum solum obligat non sunt obligati successores eius, nisi esset obligatio super res, quia tunc in quibusdam factus est, sed cum aliquis obligat se solum ad faciendum aliquid, vel non faciendum, quod concernit personam, & non aliquam rem, quæ obligetur, vt obligari ad pugnare, vel non pugnare, obligato ipso non sunt obligati aliqui successores eius, sed Abraham non iurauit pro posteris suis, ergo non tenetur. Sed forte dices, quod Abraham obligauit se, & posteros suos: tamen scriptura, quæ est breuiloqua non exprimit omnes circumstantias factorum, potissimum ubi non intenditur principaliter ipsum factum, & sic tenebantur p:onsione eius posteri sui, quia hoc eis cognitum erat. Respondendum est, quod solum se iuramento obligauit, quod satis colligitur ex eo, quod factum est postea cum Isaac: nam Abimelech rex Geraræ iniit fœdus cum Isaac, vt patet Gen. 26. siue sit ille Abimelech, qui cum Abraham inierat fœdus, siue aliquis de filiis eius: si tamen fœdus initum cum Abraham tenuisset, non oportuisset, vt nouum fœdus fieret: venit tamen rex ipse Geraræ ad iniendum fœdus, vt patet Genes. 26. ergo intelligebat non tenere primum, hoc autem est, quia Abraham solum pro se iurauerat. Sed aliquis forte dicet, quod hic non fuit confessio noui fœderis, sed confirmatione prioris initii cum Abraham, sicut sepe fœdera antiqua ne abeant in oblivionem ratificantur, & tamen dato, quod non confirmarentur tenerent, si primo tenuerunt. Sed hoc non stat, quia si fœdus initum cum Abraham tenuisset tempore Isaac, non cū tanta affectione procurasset rex Geraræ consederari Isaac. Nam licet non confirmaretur fœdus teneret antiquum, tamen rex Geraræ per seipsum cum amicis suis, & magno comitatu venit ad Bersabee, ubi morabatur Isaac, ergo non erat confirmatione, sed noui fœderis stabilitio. Item litera ibi factis signat, quod fœdus illud nouiter factum fuerit, cum dixit Isaac Genes. 26. quid venisti ad me hominem, quem odisti, & expulisti à nobis? Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum: idcirco diximus, sit iuramentum inter nos, & neamus fœdus, vt non facias nobis quicquam mali.

D

E

F

A

Item patet, quod sit nouum fœdus: nam si vetus esset confirmatum, secundum ea, quæ prius fuerant, confirmaretur: alioquin non est confirmatio prioris, sed noui constitutio, & tamen non fuit idem modus fœderis inter Abraham, & Abimelech, & postea cum Isaac, quia Abraham iurauit non nocere Abimelech, nec posteritati eius: vel secundum superficiem literæ Hebraicæ iurauit non nocere Abimelech, & filio eius & nepoti: Isaac autem solum iurauit non nocere Abimelech, & eis, qui cum eo erant, scilicet, ei, & amicis suis, & populo: ergo non fuit idem pactum, quia in substantiali oribus deuiant, vnde necessarium est dicere fuisse duo pacta distincta.

Et tunc stat argumentum, quod iam expirasset primum, alioquin non curasset Abimelech secundum pactum formare: potissimum quia istud secundum non erat, ita solidum, sicut primum. Pacta tamen renouantur, vel ut non abeant in obliuionem propter vetustatem, vel ut aliquid noui superaddatur, & tamen nunquam demitur aliquid: hic autem minus erat: ergo non tenebat primum.

Respondebit aliquis forte, quod pactum primum initum inter Abraham, & Abimelech obligabat posteros eius, quia tamen Abimelech expulerat Isaac de terra sua, in quo faciebat contra pactum infringebat pactum ex parte Isaac: quia frangenti fidem frangenda est, & ob hoc ad hoc, quod maneret pactum, oportuit nouiter constitui. Istud

B quamquam habet aliquem colorem, tamen falsum est, vt conclaudi potest faciliter ex dictis. Quia tamen idem sequitur hoc dato, non est curandum inducere: ideo dicendum, quod etiam hoc dato non stat dictum Rab. Salom. Nam si secundum fœdus initum est, quia primum est abolitum propter infidelitatem Abimelech: ergo non obligabantur Iudei, nisi secundum formam fœderis Isaac: sed iste solum iurauit non nocere Abimelech, & amicis suis, & populo: ergo non tenebatur seruare hoc ad filios, vel nepotes huius Abimelech: ideo non solum quando introierunt in terram Chanaan venientes de Ægypto poterant pugnare contra Geraritas, sed etiam immediate post mortem Abimelech huius. Item his omisis, dato quod pactum factum per Abraham obligasset Iudeos usque in æternum: tamen non potest stare dictum Rab. Salom. quia rex Jerusalem cum exercitu suo venerat in pugnam contra amicos Iudeorum, & solum ex hac causa quia erant facti amici Iudeorum, scilicet, contra Gabaonitas, vt patet supra 10. ergo iam erat violatum fœdus, & non tenebantur Iudei ad non nocendum habitatores Ierusalem.

C Item etiam omnibus his concessis non stat, quia manifestum est, quod Iudei acceperunt urbem Ierusalem, cum dicatur hic, quod habitauerunt Iebusæi in Ierusalem inter filios Israël: ergo aut gratis dederunt urbem Iebusæi Israélitæ, aut bello fracti, vel timore maioris potentiae conterriti.

Primus modus non est verisimilis, quia magis vellent Iebusæi pro se urbem quam pro Israélitæ: quocunque aliorum modorum dato frangebant Israélitæ pactum, & faciebant aliquid malum Geraritis habitantibus in Ierusalem: ergo siue pactum teneret, siue non teneret, necesse est dicere, quod Israélitæ pugnauerunt: & sicut pugnauerunt ad capiendum urbem pugnauissent ad capiendum totam ciuitatem si potuissent, sed non præualuerunt.

Item dato, quod proteruiens negare velles pugnauisse Israélitæ cum Iebusæis ad capiendam urbem Ierusalem, sed quod Iebusæi sponte sine bello, aut metu belli dederint partem urbis Israélitæ, non stat. Nam primo pugnauerunt Israélitæ contra Iebusæos, scilicet, contra regem Ierusalem, & alios quatuor reges delentes eorum exercitum, & ipsos reges intra speluncam captos postea suspendentes: sicut ergo licuit eis ibi pugnare contra viros Ierusalem, ita postea liceret: id eo non stat ista positio.

Sed exponendum est alio modo, scilicet, quod non potuerunt filii Israël, scilicet, de facto delere habitatores Ierusalem: nam urbes eorum ceperunt quantum ad partem, qua planior erat, partem autem fortalicij in monte Sion non potuerunt capere, & mansit sic usque ad tempus David, qui pugnauit contra habitatores fortalicij, & cepit eos, 2. Reg. 5. & 1. Paralip. 11. & manserunt aliqui de illis Iebusæis habitantes postea in Ierusalem. Quod patet: quia cum percuteret An-

gelus populum peccata magna, dictum est ad David, vt constiteret aram Domini in area Areunam Iebusæi, 2. Reg. 24. cap. & iste sensus secundus colligitur ex litera, cum dicatur infra, quod habitauerunt Iebusæi inter Israélitas. Non poterant tamen hoc facere nisi accepissent Israélitæ bello aliquam partem Ierusalem, & in alia fortiori manerent Iebusæi, quod magis patet Iudic. 1.

Considerandum est, quod ista ponuntur hic per anticipationem. Nam non fuit pugna contra Ierusalem viuente Iosue, sed post eum, vt patet manifeste Iudic. 1. vbi dicitur, quod post mortem Iosue factus est Iudas dux bellum, & ponitur de bellis eius; inter quæ ponitur de bello contra urbem Ierusalem, quod ipsi fecerint, positum tamen fuit hic incidentaliter, quia urbs Ierusalem pertinebat aliquo modo ad filios Iuda, & quia hic descripta fuit eorum pars, subiunctum est de bellis, quæ fecerunt in Ierusalem, scilicet, quod non potuerunt contra eam penitus præualere. Ex hoc infertur, quod Iosue non scriptit librum hunc nec quisquam eo viuente, quia ista facta sunt aliquantis temporibus post mortem eius, sed tempore scriptoris libri erant facta tam hæc, quam ea, quæ acciderunt aliquantis temporibus post mortem Iosue, ideo scriptor potuit uti anticipatione.

Poterit aliquis dicere, quod Iosue scriptit hæc, sed posuit illa prophetice.

Dicendum est non stare, quia hæc omnia historica sunt, scilicet, diuisiones locorum, & descriptiones gestorum ipsorum: nihil quasi pertinet ad Propheticum modum: maxime quia litera dicit usque ad presentem diem.

Ideo dicendum, quod non fecit Iosue librum istum, sed Samuel, qui librum hunc, & librum Iudicum scriptit: ideo aliquid, quod ad illum librum pertinebat, hic anticipavit, & potuit hoc conuenienter facere, quia tam gesta tempore Iosue quam Iudicum ante Samualem finita sunt: ipse enim se computat iudicem ultimum, vt patet 1. Reg. 12. & de historia eius nihil habetur in libro Iudicum, sed in libro 1. Reg. in principio.

*Samuel
hunc
librum
Iudicū
scriptit.*

Non potuerunt filii Iuda delere. Non debet intelligi, quod non potuerunt capere urbem, quia immediate patet contrarium cum dicatur, quod habitauit Iebusæus cum filiis Iuda in Ierusalem: sed non potuerunt delere, id est, totaliter eradicare, quia delere signat omnimodam extirpationem: & hoc quia aliqui manebant in arce montis Sion: quibus manentibus non erant destructi, vel deleti Iebusæi. Sed quare filii Iuda pugnabant contra urbem Ierusalem, quia non pertinebat ad eos urbes cum esset in forte Beniamini, vt patet infra 18. cap. ibidem declarabitur.

Habitauitq. Iebusæus cum filiis Iuda in Ierusalem. Ceperunt ciuitatem filii Iuda, & non potuerunt accipere arcem in quo manserunt multi de Iebusæis, & isti dicuntur manere in continuo bello, sed magis dabant alias temporales inducias: nam alioquin non possent manere tanto tempore Iebusæi in loco, vel Iudei. Iste inducias cum finiebantur licebat eis pugnare in alterutrum. Et sic factum est tempore David, qui poitea cepit fortalicium illud, & vocatum est ciuitas David. Quomodo autem est verum, quod habitauerint filii Iuda cum Iebusæis, cum dicatur Iudic. 1. quod filii Benjamin acceperunt urbem Ierusalem, & habitauerunt cum Iebusæis in Ierusalem, declarabitur infra 18. in fine.

Usque in presentem diem. Id est, etiam tempore scriptoris libri huius nondum erat totaliter capita urbs Ierusalem. Et hoc etiam signat, quod liber iste fuit magno tempore factus post mortem Iosue: si enim Iosue scriptisset non posuisset clausulam, quæ signat magnam distantiam à tempore, quo datae fuerunt sortes iste tribubus. Sic erat in tempore Samuellis: transferant enim plures quam trecenti quinquaginta anni, & non solum manserunt Iebusæi cum Israélitæ in Ierusalem usque ad tempus Samuellis, sed etiam tempore David manebant usquequo constitutus est rex super totum Israélitæ: tunc enim delevit Iebusæos de arce 2. Reg. 5. & 1. Paralip.

11. cap.

D

E

*Delere
quid.*

F

A

C A P V T XVI.

Cecidit quoque fors filiorum Ioseph ab Iordane contra Iericho, & ad aquas eius, ab Oriente solito, quae ascendit de Iericho ad montem Bethel, & egreditur de Bethel Luzam, transitq; terminum Archiatroth, & descendit ad Occidentem iuxta terminum Iesleti, usque ad terminos Bethoron inferioris, & Gazer, finiunturq; regiones eius mari magno: possederuntque filii Ioseph Manasses, & Ephraim. Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas, & possessio eorum contra Orientem Asteroth, Addar, usque Bethoron superiorem, egrediunturq; confinta in mare. Machmetath vero Aquilonem respicit, & circuit terminos contra Orientem in Thanathselo, & pertransit à torrente Ianoe, descenditq; de Ianoe in Natharoth, & Noaratha, & peruenit in Iericho: egrediturq; ad Iordanem de Taphua, pertransitq; contra mare in Villam arundineti: suntq; egressus eius in mare salissimum. Hac est possessio trib. filiorū Ephraim per familias suas; urbesq; separatae sunt filii Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, & ville earum. Et non interfecerunt filii Ephraim Chananum, qui habitabat in Gazer. Habitavitq; Chananus in medio Ephraim usque in diem hanc tributarii.

Cecidit. Supra signata est descriptio sortis filiorum Iude: hic assignatur duplex fors filiorum Ioseph. Et diuiditur in duo. Primo ponitur sortium assignatio: secundo maioris hereditatis petitio circa finem sequenti cap. scilicet.

Locutusq; sunt filii Ioseph. Prima in duas: primo describitur fors Ephraim: secundo assignatur fors Manasse sequenti cap. Prima in duas, primo ponitur sortis assignatio: secundo pracepti Domini violatio infra. Et non interfecerunt.

Quare data est fors primo filiis Iude: deinde filiis Ephraim.

Q V E S T I O I.

CIRC A primum queret aliquis de ista assignatione ordinis in distribuendo, scilicet, quare primo data est fors filii Iude, deinde data est filiis Ephraim.

Respondet Nicolaus praecedenti cap. quod erat tribus Iuda excellentior, scilicet, regia, ideo assignata fuit ei primo fors, postea filii Ioseph Ephraim, & Manasse erant digniores, quia translatum fuit ius primogeniturae quantum ad duplum sortem in Ioseph.

Sed dicendum est, quod hoc fortassis teneret si omnes tribus petiissent dari sibi possessionem simul, & Iosue vellet dare primo dignioribus, sed non petebant: immo marcebant ignavia possidentes terram pro indiuiso, & non curantes singuli suscipere possessiones suas, quosque Iosue increpuit eas, & iussit describi sortes infra 18. cap.

Tribui ergo Iude primo data est possessio, quia ista primo petiit sibi dari hereditatem aliis nondum potentibus, assignata autem hereditate petiit tribus Ephraim, & similiter data est: similiter quoque dimidia tribus Manasse. Cetera autem nihil petierunt quousq; Iosue admonuit, ut acciperent, ut declaratum fuit praecedenti cap.

Quomodo uni tribui, vel duabus poterat assignari fors non assignando aliis.

Q V E S T I O II.

QVARETUR etiam de assignatione sortis filiorum Ephraim, & Manasse: nam si tuisset data possessio omnibus tribubus simul, & posse sortes inter omnes, sicut factum est infra 18. non videretur difficile, quod ponerentur

sortes illis, & quidquid proueniret forte proueniret: tamen vni tribui quomodo posset dari fors?

Respondendum est, quod petente tribu Ephraim partem hereditatis, Iosue & alij diufores terra considerauerunt quantum posset prouenire tribui Ephraim de terra illa, ita ut maneret tantum proportionaliter pro qualibet alia tribu, & sepeauerunt illam terram pro tribu Ephraim. Non tamē dederunt immediate ei, sed sorte dirimendū erat, quia Deus iusserat, ut nihil sine sortibus fieret: Numer. 26. cap. Fuit autem modus sortium talis, quod nomina omnium tribuum, quæ nondum acceperant possessionem scripta sunt in cedulis singulis, & posita in aliquo inuolucro, & missa est manus, ut educeretur cedula una, quæ indicaret cui tribui prouenire debebat ista terra portio assignata, & exiuit cedula tribus Ephraim: unde ei data est. Hoc modo de sorte dimidia tribus Manasse factum est. De sortibus autem magis dicetur infra 18. non fuit autem in sortibus Ephraim, & Manasse, sicut in possessione Iude: nam prouenit Iude plusquam habere debet proportionaliter ad alias tribus, & ob hoc quamquam per sortem prouenerit, tamen postea cum positæ sunt ultima sortes diuisa est fors Iude in duas, & data est una pars Si-moni, ut patet infra 19. & declaratum est praecedenti capit. Ephraim autem, & Manasse datum est proportionaliter de terra, ut aliis tribubus, ideo quamquam præcessit ad sortes postea positas nihil ademptum est de eis.

Cecidit autem fors. Accipitur fors pro possessione data per sortem: nam sine forte nihil dandum erat Numer. 26. & sic factum est.

Filiorum Ioseph. Id est, Ephraim, & Manasse. Iste duo acceperunt sortes duas, sed ponuntur hic in principio tanquam acceperint unicam sortem, quia erant ambo filii Ioseph, & habituri erant unam sortem, nisi adoptasset Jacob duos filios Ioseph, de quo Genes. 48. cap. ideo postea distinguuntur duas sortes eorum. De sorte Ephraim agitur hic: de forte dimidia tribus Manasse agitur sequenti cap. & tamen hic ponuntur termini meridiani, & orientales huius sortis, quasi esset unica, & verum est, quod à parte orientali est eis idem terminus, à parte autem meridiana nequaquam: sed terminus unius harum vocatur latus ambarum tanquam sit eadem fors: idem de parte aquilonari, & ob hoc sequenti cap. ponitur distinctio sortis Manasse à sorte Ephraim.

AIordanē contra Iericho. Hic describitur latus meridianum, & istud est tribus Ephraim. Nam erat fors Ephraim magis meridiana quam fors Manasse, ut patet sequenti cap. fors autem Ephraim erat coniuncta sorti Beniamin, ita quod fors Iude esset maxime meridiana perueniens ab oriente in occidentem. Apud eam erat fors Beniamin perueniens ab oriente in occidentem, & apud hanc erat fors Ephraim: ita quod latus meridianum sortis Ephraim erat idem cum latere aquilonari sortis Iude, hic autem describitur latus meridianum sortis Ephraim, & quia latus istud terminatur inter orientale, & occidentale latus, describitur ut tendens ab oriente contra occidentem, & incipit istud latus in Iordanē ab oriente, & terminatur ad mare magnum in occidentem, & dicitur à Iordanē contra Iericho, id est, iste est terminus incipiendo à Iordanē veniendo contra Iericho: nam Iordanis est ad orientalem plagam Iericho, cum sit Iericho in terra Chanaan, & tamen Iordanis ponitur terminus orientalis in terra Chanaan Numer. 34. veniendo ergo à Iordanē versus Iericho erat processus ab oriente in occidentem: incipiebat autem latus in Iordanē, quia nulla fors exceedebat Iordanem de nouem sortibus, & dimidia, quæ erant proprie in terra Chanaan, & veniebat versus Iericho, non quidem, quod includetur Iericho in forte Ephraim, vel Manasse, quia est in forte Beniamin, ut patet infra 18. cap. sed venit contra Iericho, quia transit latus sortis istius apud Iericho ad latus aquilonari Iericho.

Et aquas eius ab Oriente. Id est, istud latus meridianum sortis Ephraim venit à Iordanē versus Iericho, & aquas illius, sunt autem aliquæ aquæ Iericho, scilicet, lacus aliqui qui transcurrit apud Iericho, & ad illas aquas etiam dirigitur latus istud sortis Ephraim, & hoc ab oriente. Ista determinatio potest referri ad istud accusatum aquas, vel ad totum suprapositum. Referendo ad aquas est sensus, quod pertinet latus istud ad Iericho, & aquas eius, & iste aquæ sunt ab oriente, id est, à parte

D

Modus
mittē
di for-
tes.

E

Filiij
Ioseph.

F

Nulla
fors de-
nouer.
& di-
midia
Iorda-
nam
exce-
debat.

orient-

A orientali Iericho. Si referatur ad totum coniunctum est sensus, quod latus istud peruenit ad Iericho, & aquas eius, id est, veniendo à Iordane in Iericho, & aquas suas est venire ab oriente in occidentem.

Adhuc potest ista litera aliter intelligi, scilicet, quod veniat latus meridianum de Iordane in Iericho, & aquas eius, & hoc ab oriente, ideo, istud sit principium lateris huius meridianum incipiendo ab oriente versus occidentem. Nam latus istud inter orientale, & occidentale concluditur, ideo ita poterat incipi ab occidente versus orientem, sicut è contrario. Dicitur ergo, quod incipitur hic ab oriente.

Solitudo qua ascendit de Iericho ad montana Bethel. Hic continuatur latus meridianum, & cum peruerterit à Iordane usq; ad Iericho & aquas illius, ascendit ad montana. Nam eundo de Iericho versus ciuitatem Hai, vel Bethel est ascensus. Est enim Iordanis in quadam magna valle, quæ Gortus, vel Anlon vocatur: inde ad Iericho fit ascensus: postea autem fit ascensus ad montana Bethel tendendo in occidentem.

Sciendum, quod ista est Bethel, apud quam dormiuit Jacob cum ibat in Mesopotamiam, & vidit scalam & Dominum innixum super scalam, vocavitq; nomen urbis Bethel, cum prius vocaretur Luza Genes. 28. non est autem ista Bethel ista Bethel id, quod Ierusalem.

Licet Nicolaus saepe hoc asseruerit, & multi alij hoc tangent doctores. Nam infra 18. ponuntur istæ duæ ciuitates in sorte Beniamin, scilicet, Bethel, & Ierusalem: & est Bethel de primis, Ierusalem autem de extremis. Item 1. cap. Iudic. ponitur de captione, & combustione urbis Ierusalem, deinde subditur de captione urbis Bethel, & est aliud modus valde distinctus: ergo necessario sunt duæ ciuitates. De quo magis dictum est Genes. 12. & 28.

Ad montana Bethel. Terra montuosa est apud Bethel. Sic patet, quia vrbs Hai est apud Bethel, cum exstantibus viris Hai ad pugnandum contra Iosue exierunt quoque viri de oppido Bethel supra 8. sed apud urbem Hai erat solitudo, vt declaratum est eodem cap. in litera, & fugit Iosue cum toto exercitu versus solitudinem, & est solitudo in latere sinistro, scilicet, aquilonari. Per hanc transit fors filiorum Ephraim. Nam vrbs Bethel ad sortem Beniamin pertinet, vt patet infra 18. & fors Beniamin est meridiana respectu sortis Ephraim, vt patet coniungendo ea, quæ habentur praecedenti cap. cum eis, quæ habentur infra 18. in quibus demonstratur esse idem latus sortis Beniamin, & Iudeæ, sed fors Iudeæ est maxime meridiana, ideo si fors Ephraim est coniuncta sorti Beniamin erit à parte aquilonari ista coniunctio, & per illam terram montanam, quæ est ad aquilonem Bethel transit latus Ephraim, de quo hic dicitur. Ista vrbs Bethel non fuit capta, dum vixit Iosue, licet erat apud urbem Hai, quam cepit ipse, & viri huius urbis exierunt in pugnam contra ipsum relinquentes apertam portam urbis supra 8. cap. sed ceperunt filii Beniamin urbem hanc post mortem Iosue, vt patet Iudicum 1. cap.

Et egreditur de Bethel Luzam. Tendendo ab oriente versus occidentem venitur de Bethel in Luzam: est autem Luza apud Bethel.

An Bethel, & Luza sit idem locus.

Q V A S T I O III.

SED arguet aliquis contra, quia Bethel & Luza ponuntur tanquam unus locus, vt patet Genes. 28. scilicet, appellavit nomen loci Bethel, quæ prius Luza vocabatur: sic patet infra 18. ubi vocatur Luza Bethel.

Respondet ad hoc Nicolaus, quod Bethel, & Luza sunt idem locus, & tamen possunt nominari duo loca, & hoc quia à principio solum extiterat una pars, fuit autem postea addita alia, & ista potest vocari tanquam alias locum: sic est de ciuitate Parisius: tota enim ciuitas vocatur Parisius, tamen proprie ciuitas est id quod est inter duos pontes, & illi qui sunt in loco hoc quando vadunt ad aliam partem, quæ est extra pontes, dicunt, eamus extra ciuitatem, & qui sunt in parte illa dicunt: eamus in ciuitatem, cum vadunt ad partem, quæ est intra pontes. De his duabus partibus urbis Bethel dicit, quod una vocatur Bethel, & alia Luza. Consider-

D randum ad cvidentiam huius, quod ciuitas Bethel, & Luza est idem locus, & scriptura tanquam pro eodem semper ponit. Ille locus à principio semper vocabatur Luza ex nomine imposito ab incolis, postea autem vocatus est Bethel ex impositione facta à Jacob. Genes. 28. cap. & hic locus diuisus est in duas partes, quarum una est magis occidentalis, & ambæ nominantur Luza, vel ambæ Bethel, vt patet ex communia locutione scripture: sicut multotiens sunt duo loca separata, & habent modum unius loci, vt si distinguantur flumine inter medio, vt interdum fit, scriptura autem voluit hic distinguere istas duas partes Bethel, quasi duas ciuitates distinctas, & vocavit unam eam Bethel, scilicet, magis orientalem, & aliam vocavit Luzam. Sed iste modus loquendi in scriptura rarus est, ideo immediate 18. cap. cum agitur de Bethel nominatur idem locus Bethel, & Luza.

Transitq; terminum Archiatharoth. Est Archiatharoth ciuitas, apud quam transit linea describens latus meridianum fortis Ephraim, & non est ista ciuitas in forte Beniamin, sed intra Ephraim aliquando tamen ponuntur termini intrinseci, & aliquando extrinseci: sic declaratum fuit præcedenti cap. ubi ponebantur in latere aquilonari fortis Iudeæ aliqua vrbes, quæ pertinebant ad sortem Iudeæ, & aliae pertinebant ad sortem Beniamin.

Et descendit usq; ad Occidentem ad terminos Iephleti. Id est, procedendo ad occidentem peruenit latus istud meridianum ad terminos Iephleti. Est enim Iephleti ciuitas in forte Ephraim. Quod patet, quia Iephleti ponitur in latere meridiano, quod describitur hic: ergo necesse est, quod sit in forte Ephraim, vel in forte Beniamin, quia istud latus meridianum est commune duarum tribuum. Est enim meridianum in forte Ephraim, sed est aquilonare respectu fortis Beniamin, vt declaratum est in superioribus. Sic enim est in omnibus tribubus, quod inter quarumlibet sortes ponitur unum latus commune: sed Iephleti non est in forte Beniamin, ergo erit in forte Ephraim. Antecedens patet, quia infra 18. ponuntur nominatim, & sub numero ciuitates Beniamin, & non ponitur ibi Iephleti. Idem argumentum est de Archiatharoth. Pertinet ergo ad sortem Ephraim: & dicitur: Descendit usq; ad occidentem ad terminos Iephleti, non est sensus, quod in terminis Iephleti sit occidentalis pars sortis huius, quia immediate ponuntur plures partes in hoc latere versus occidentem: & dicitur, quod finitur mari magno: sed ponitur hic (usq;) pro (versus) vel (contra) scilicet, quod latus meridianum sortis Ephraim descendit contra occidente ad terminos Iephleti. Nam in latere ipso sunt termini isti, sed sunt declinando multum cōtra occidentem. Alio modo potest intelligi, quod accipiatur usq; propriæ, scil. quod peruenit latus istud ad terminos Iephleti usq; ad occidentem, id est, usq; ad occidentem terminorum Iephleti, scilicet, quod termini huius ciuitatis multum extenduntur, & tangit eos latus sortis huius usq; perueniat ad latus occidentale terminorum Iephleti, & adhuc tenditur ulterius latus huius sortis quoque perueniat ad mare magnum.

Usq; ad terminos Bethoron inferioris. Est ista ciuitas tendendo versus occidentem. Est autem Bethoron duplex, scilicet, Bethoron inferior, & Bethoron superior, utq; horum locorum ponitur in terminis huius sortis. Nam Bethoron inferior ponitur hic in latere meridiano. Bethoron superior est in latere orientali, vt patet infra. Est autem Bethoron in ciuitatibus sortis Ephraim arguendo, vt supra arguebatur, scilicet, latus meridianum sortis Ephraim: quod hic describitur est latus aquilonare sortis Beniamin, ideo necesse est Bethoron positum in hoc latere pertinere ad alteram de his duabus tribubus: sed non pertinet ad Beniamin, ergo pertinet ad Ephraim. Antecedens patet, quia ponuntur ciuitates Beniamin expresse de quibus nulla est Bethoron: ergo pertinet ad Ephraim.

Et Gazer. Ista ciuitas est magis occidentalis quam Bethoron procedendo in latere meridiano. De hac fuit unus de regibus interfectis tempore Iosue: de quo supra 12. Ista ciuitas erat Chananæorum, & non potuerunt à principio Ephraim suscepta possessione urbis huius delere Chananæos, postea autem prævaluerunt contra eos, sed non d. Iuerunt facientes eos sibi tributarios, vt patet infra: deinde tempore Salomonis, qui accepit filiam Pharaonis regis Ægypti in uxorem, ascidit

D

Quid
Ar-
chi-
tha-
roth
ac ei-
sum.

E
Quid
Iephle-
ti.

F

Duplex
Betho-
ron.

A Salomo ascendit rex Aegypti in terram Iudæorum, & pugnauit contra Gazer cepitque eam deletis Chananæis, tradiditq; in domum filia suæ, vt patet 3. Regum 9. cap. ista ciuitas postea data est sacerdotibus cum de singulis tribubus assignata sunt ei vrbes, vt patet infra 21. alia ciuitas est quæ vocatur Iazer: sed ista est in terra duarum tribuum, & dimidia pertinens ad terram Og regis Basan: Deuteron. 3. & Numer. 21. cap.

Finiunturq; regiones eius mari magno. Id est, terminus lateris huius Meridiani finitur in mari. Est enim mare istud Mediterraneanum, quod vocatur magnum respectu maris Ceneth, & maris Sodomorum, quæ sunt lacus magni in terra Chanaan, & non maria. Istud est verum mare nascens de mari Oceano, & transiens per multas partes terræ, scilicet, inter Europam, & Africam, & rursus has duas ab Asia diuidens, quia cum tendat ab Occidente versus Orientem, scilicet, de freto Atlantico, quod est in fine totius regionis Hispanorum, ubi coniunguntur latera Europæ, & Africæ, & continentis terræ diuisio, aqua æstus maris Oceani absorbetur: & inde cum incipiat tendere versus Orientem per totam continentem terram, vocatur mare Mediterraneanum. Quod cum accesserit ad partem mundi, quæ Asia nominatur, eam non secat in duas partes, sicut Africam, & Europam à continentibus partit, sed in modum crucis tendit ad duas partes mundi, scilicet, contra Aquilonem & contra Meridiem, & in hac extensione maris diuiditur Asia ab aliis duabus partibus mundi ita, vt tres partes mundi à se inuicem mari Mediterraneano interposito diuidantur. In Asia autem non est pars illa maris Mediterraneani, sed est aliud mare, quod vocatur mare rubrum veniens à parte Orientali orbis, nasciturque apud Indiam, & fluit per Asiam declinando versus latus Aquilonare eius apud montem Caucasum, deriuaturque versus Occidentem usque ad deserta Arabica: pertransitque in Aegyptum, ibique mari nostro Mediterraneano absorbetur. Vocatur autem illud mare rubrum, quia aqua eius rubra est cum in eius littoribus, & alioe partes rubrae terræ sint, ex quibus aqua perpetuo rubricatur, & versus istud mare est maior populatio Asiae. Nam ex impetu Occani continentis terræ clausis irruptis aquæ eius intrauerunt facientes mare Mediterraneanum. Non tamen sine magna Dei dispositione factum est, vt maria subintrarent terras, ad magnas quippe necessitates nobis maria profuerunt. Nec tanta hodie foret peritia, aut humanorum ingeniorum excellentia, opumque copia, & rerum gestarum humanarum magnitudo, nisi maria nobis terras cito adibiles fecissent, atque vniuerso orbi communicatio marina utilitate inducta est. Istud mare Mediterraneanum, quod in freto atlantico absorbetur peruenit ad urbem Ierusalem, & cum declinat ibi mare istud versus Meridiem tangit oras terræ Chanaan, ibique terram illam ab Africa diuidit est enim terra Chanaan terminus occidentalis totius Asiae, sicut enim tota terra Chanaan mari magno Mediterraneano finitur: ita & tota Asia Occidentali freto clauditur, nec procedendo ad Occidentem quidquam de Asia reperietur ultra terram Chanaan.

C *Possederuntq; Hic ponitur aliud latus terræ Ephraim, scilicet, orientale usque ad aliam partem. Machmetath vero. Circa primum.*

Possederunt filii Joseph. Ponitur latus Orientale idem duabus his fortibus Ephraim, & Manasse, quia erant coniunctæ: pertingebantque sortes Orientales eorum in eandem linem: distinguuntur tamen postea sortes ipsæ, quia latus Meridianum fortis Manasse est latus Aquilonare fortis Ephraim, vt patet sequenti cap.

Manasses, & Ephraim, & factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes. Scilicet, medietas Manasse, quia alia medietas accepit primo possessionem ante Iordanem in terra duorum regum Amorrhæorum, de qua supra decimo tertio capitulo, dicitur: Per cognationes suas, quia non fuit data terra sic diuisa cuilibet harum tribuum, sed diuisa est portio cuiuslibet in alias minores partes secundum familias, quæ erant in qualibet tribu. Medietas enim tribus Ephraim quatuor familias habet, vt patet Numerorum vigesimo sexto, cum tota tribus habeat octo tribus autem Ephraim habet familias quatuor, vt patet eodem capitulo, & sic necesse erat diuidi sortem Ephraim saltem in quatuor partes, & sortem Manasse in totidem: deinde quælibet portio familiæ viuis

diuidetur in partes minores pro cognitionibus minoribus, quæ vocantur domus.

Possessio eorum contra orientem Atharoth. Id est, istæ ciuitates, quæ ponuntur hic sunt ad partem orientalem fortis Ephraim, & Manasse. Vel istæ ciuitates sunt possessio orientalis istarum duarum tribuum. Vel aliter quod linea describens latus orientale harum tribuum transit per ciuitates istas, quæ dicuntur hic, & non dicitur hic contra orientem, id est, procedendo contra orientem, sed possessio ad orientem, id est, sita ad partem orientalem.

Atharoth. Ista ciuitas est principium lateris orientalis incipiendo à parte aquilonari, & tendendo in meridiem. Et patet hoc, quia finis huius lateris ponitur mare falsissimum, vel mare Sodomorum, sed istud est valde meridianum, cum sit caput fortis Iudee super praecedenti capit. & ista est maxime meridiana, ergo necesse est ab aquilone incipi hic. Ista ciuitas est in forte filiorum Joseph, quamquam non patet an in forte Ephraim, vel Manasse, cum non ponantur determinante vrbes harum tribuum. Etiam termini non ponuntur hic distincti pro his tribubus, sed pónuntur termini quatuor, qui includant istas duas sortes tanquam esset una: distinctione autem aliqualis ponitur sequi. cap. interponendo quodam latus inter tribum Ephraim, & Manasse. Sed dicendum, quod licet litera non determinet: satis tamen colligitur istam urbem esse in forte Manasse, quia hic describitur latus orientale veniendo ab aquilone versus meridiem: sed fors Manasse est aquilonaris, & fors Ephraim est meridiana, vt patet sequenti capit. ergo ista vrbis est in tribu Manasse, cum est maxime aquilonaris in latere isto, & sit prima, alioquin tribus Ephraim esset ab aquilone.

Addar usque Bethoron. Ciuitas Ataroth erat, vbi incipiebat latus istud a parte aquilonari, & inde tendebatur in ciuitatem Addar, & post in Bethoron. Iste sunt magis meridianæ. Et accipitur hic Bethoron superior, quæ est magis orientalis, quam Bethoron inferior, cum sit alia Bethoron in ipso latere meridianæ versus occidentem. De ista Bethoron an sit in tribu Ephraim, vel Manasse non appetet hic ex litera. Nec potest responderi, sicut de ciuitate Ataroth, quia illa erat in principio lateris orientalis ambarum fortium, & erat à parte aquilonari, ideo necesse erat in forte Manasse: Bethoron autem est in medio, vel ultra medium lateris, ideo non constat in qua sorte harum sit: constat tamen quod una de duabus Bethoron sit in forte Ephraim, quia infra 21. cum ponuntur ciuitates Leuitarum dicitur, quod de tribu Ephraim data fuit Bethoron sacerdotibus. Satis autem dici potest quod vtraque Bethoron sit in forte Ephraim, una in latere orientali, scilicet, Bethoron superior, & alia in meridiano: scilicet, Bethoron inferior.

Egrediunturq; confinia in mare. Id est, terminorum orientalium fines sunt ad mare: vocantur enim confinia vbi termini aliquarum duarum rerum coniunguntur, scilicet, confinia, id est, fines cum finibus: & sunt confinia ista ad mare, id est, ad mare falsissimum, quod est mare Sodomorum. Est enim istud mare in latere orientali terræ Chanaan, & ad ipsum peruenit frons orientalis fortis Iudeæ: occupatque illud totum: peruenit quoque ad extremitatem maris illius fors Beniamin, vt patet infra 18. ca. fors autem Ephraim non pertinet ipsum mare, sed accedit ad Iordanem versus unam extremitatem huius maris, & dicuntur egredi confinia ad mare, quia latus meridianum, & orientale non terminantur directe in hac sorte ad mare, sed quædam particula acuta huius fortis terminatur circa mare, & illud paruum quod a reliquo videtur recedere, dicitur exire, vel egredi.

Machmetath vero Aquilonem respicit. Hic ponitur aliud latus fortium prædictarum, scilicet, aquilonare: & computari incipit ab occidente, & venitur ad orientem, & inde in meridiem declinatur. Est autem Machmetath ciuitas in forte Manasse, vt patet sequenti cap. & respicit contra aquilonem: quia ipsa est in ipso latere aquilonari fortis huius apud tribum Afer.

Et circuit terminos contra Orientem. Id est, fors ista in latere aquilonari facit circuire terminos, quia linea describens latus aquilonare istud flectitur à rectitudine subintrando in tribum Afer, & aliquando egrediendo, & iste circuitus est contra Orientem, scilicet, quod latus istud tendit ab occidentali

D

Situs
Atharoth.

E

Situs
Betho-
ron.

F

parte

A parte ab urbe Machmetath, & procedendo versus orientem sunt circulationes.

In Thanathfelo. Ciuitas est in forte Manasse in latere suo aquilonari: alia autem ciuitas est, quae vocatur Thanath in forte hac, ut patet sequenti cap. & Iudic. 1.

Et pertransit ab oriente Ianoe. Hic curuatur latus aquilonare in latus orientale, & describitur aliquiliter latus orientale quod supra descriptum fuerat: non enim poterat linea aliqua terminans sortem transire ab orientali parte alicuius urbis, nisi sit illa latus orientale. Nam latus aquilonare, & meridianum ad nullius ciuitatis partem orientalem transcut: ideo necesse est, ut cum linea describens latus aquilonare perueniat à parte occidentali usque ad orientalem per ciuitates supra assignatas coniungatur lateri orientali, & istud describitur descendens in meridiem ab aquilonari parte. Et tunc stat quod transeat linea lateris ab oriente Ianoe: quia ista est ciuitas in forte Manasse, & non est totaliter orientalis, sed apud orientem tribus illius: ideo linea describens latus transit ad partem orientalem urbis Ianoe.

Descenditq[ue] de Ianoe in Ataroth. Ille descensus est in latere orientali declinando à parte aquilonari versus austrum, & quia partes aquilonares sunt celsiores terra meridiana, dicitur descendere terminus. Et ista ciuitas Ataroth est, de qua supra dicebatur, & erat in parte orientali: sed poterat ponи in latere orientali continuando illud. Vel in latere aquilonari incipiendo ab illa in oriente versus occidentem.

Et Noarath. Ista ciuitas est etiam in latere orientali tam Manasse, quam Ephraim. De ista urbe, in qua harum duarum fortium sit non patet.

Et peruenit in Iericho. Non accedit terminus istarum duarum fortium à parte orientali ad Iordanem secundum totam frontem suam orientalem, sed describuntur hic quædam ciuitates, quæ sunt orientales in his fortibus, & hoc quia tribus Issachar claudit istas duas sortes pro maiori parte in oriente, ut patet sequenti cap. ubi dicitur quod Manasse, & Ephraim coniunguntur in latere orientali in forte Issachar, & in latere aquilonari in forte Aser. Si non possent ambæ coniungi in forte Issachar: Et tunc erit aliquid de forte Issachar magis orientale, quam sortes Manasse, & Ephraim, & illa pertingit ad Iordanem, sicut patet infra 19. cap. scilicet, quod sunt exitus eius in Iordanem. Ex quo patet, quod non describuntur omnes sortes terræ Chanaan procedendo ab oriente usque ad occidentem, sic quod qualibet tangat aliquid in termino orientali, scilicet, secundum suam totam frontem orientalem, & tangat frontem occidentalem terræ Chanaan secundum suam totam frontem, sed quædam de fortibus tangunt utrumque terminum, ut fors Iudea, ut patet praecedenti cap. & fors Beniamin aliquiliter. Quædam autem de aliis secundum quandam partem tangunt, & secundum quandam non: sicut fors Ephraim, & Manasse, quæ in parte occidentali clauduntur mari magno, & in parte orientali non attingunt Iordanem, nisi pro quadam parte. Cum autem dicitur, quod peruenit fors Manasse & Ephraim in Iericho, non est sensus, quod sit ista urbs in aliqua harum fortium, sed est in forte Beniamin, cum ponatur prima ciuitas illius infra 18. ca. sed nec est in latere meridiano, aut aquilonari ista ciuitas. Est autem quædam pars acuta, quæ lingua vocari potest, quam subintrat fors Ephraim in partem fortis Beniamin claudendo ab oriente partem fortis Beniamin, & tunc transit apud Iericho. Est autem ibi Iericho principium orientalis frontis fortis Beniamin. Et adhuc subintrat magis fors ista Ephraim claudendo sortem Beniamin, quo usque perueniat circa sortem Iudea: & ibi manent quidam exitus fortis Beniamin in Iordane, & apud linguam maris falsissimi. Hoc modo fors Issachar claudit sortes Manasse, & Ephraim pro maiori parte orientalis frontis. De quo patet seq. cap.

Et egreditur ad Iordanem de Taphua. Id est, Iericho transit in Taphua, & postea accedit ad Iordanem, & ibi tangit frontem orientis terræ Chanaan, quæ est Iordanis. Est autem Taphua ciuitas quædam in forte Iudea, ut patet praecedenti cap. & quamquam non sit fors Ephraim, vel Manasse coniuncta immediate sorti Iudea cum intercidat fors Beniamin, ut probatum est eodem cap. tamen coniungitur fors Ephraim sorti Iudea in parte orientali in valde paucō, & hoc per quadam linguam egredientem, siue particulam parvam, quæ subin-

D
trat ad contactum partis orientalis Beniamin, & Iudea, sic quoque fors Issachar tangit sortem Ephraim & Manasse in parte orientali sequenti cap. & tamen quædam pars terræ ciuitatis Taphua cecidit in sortem Manasse, & vocantur incolæ illi habitatores fontis Taphua. Patet sequenti cap. scilicet, & egreditur in dexteram iuxta habitatores fontis Taphua: etenim in forte Manasse ceciderat pars Taphua. Pars autem ista proueniens Manasse est ad partem orientalem apud Iordanem: nam Taphua egreditur terminus horū in Iordan.

Pertransitq[ue] contra mare in valle arundineti. Est enim Iericho circa Iordanem, fluit autem Iordanis in mare falsissimum, ut patet supra 3. fors autem tribus Iudea tangit totam frontem maris falsissimi sua fronte orientali: & hoc usque ad linguam maris huius, ubi Iordanis subintrat mare, & definit vocari Iordanis, ut colligitur praecedenti cap. spatium autem Iordanis in directo Iericho usq[ue] ad mare est frons tribus Ephraim, & Manasse cum tribu Beniamin. Aliqualiter autem attingit fors Issachar Iordanem etiam apud Iericho, ideo ibi non tangit Iordanis ab Ephraim, & Manasse: fors autem Ephraim & Manasse cum tetigerit Iordanem declinat per littus Iordanis versus meridiem, & hoc est in valle arundineti. Ista vallis est quædam pars illius magnæ vallis, per quam transit Iordanis, & quia in parte hac sunt arundines in magna copia, vocatur vallis arundineti.

E
Suntq[ue] egressus eius in mare falsissimum. Id est, finis istarum duarum fortium est circa mare falsissimum, quod est mare Sodomorum: non tamen accedit illuc, sed fors Iudea & Beniamin coniunguntur ibi ex propinquitate: tamen dicuntur exitus eius ad mare falsissimum, quia finis est circa mare illud, scriptura autem interdum non facit differentiam in coniunctione esse, & esse prope. Ista tota litera ex loco illo.

Possedekuntq[ue] filii Ioseph. Vique huc, potest legi aliter & breuiter, quia ex praedictis patet, scilicet, quod illud latus, quod ibi dicebatur esse orientale sit aquilonare commixtum orientali, sicut solum orientale, & quamquam modus legendi superior videatur satis rationalis quibusdam, veritas tamen est secundum hanc expositionem, quæ ponetur, & incipit litera exponenda.

Et possessio eorum contra Orientem Ataroth. Hic incipit describi latus aquilonare, & incipit ab Oriente versus Occidentem: & patet, quia dicitur hic contra orientem, id est, quod sit ista ciuitas in latere, quod describitur hic ad partem orientalem. Patet etiam quia in fine lateris huius dicitur: Egrediunturq[ue] confinia eius in mare: & accipitur ibi pro mari magno, cum ponatur sine connotatione: illud autem est in parte occidentali terræ Chanaan, ut patet Numer. 24. capit. Est autem sensus litera.

Possessio eorum. Ut legatur per se, scilicet, quod totum clausum sub his terminis, quæ ponuntur hic sit possessio Ephraim, & Manasse, illa particula.

F
Contra Orientem. Debet legi cum litera inferiori, scilicet, quod incipiat hic latus unum, & est aquilonare; quia tamen quolibet latus in quadrato, aut quadrangulo terminatur ad duo latera, terminabitur latus aquilonare inter orientem, & occidentem: Incipit autem hic descriptio illius à parte orientali, & hoc est in ciuitate Ataroth, quæ potest ponи in latere aquilonari, & in latere aquilonari diuersimode.

Addar usque Bethoron superiorem. Id est, latus istud aquilonare tendere incipit ab Ataroth veniendo ad oriente, & postea tendit in villam Addar, & deinde in Bethoron superiorem. Erat autem tunc Bethoron tribus Manasse in latere aquilonari tribus istius: & Bethoron, de qua dicitur infra 21. cap. erit Bethoron inferior, quia illa erat de tribu Ephraim, ut ibi dicitur, in tribu tamen Ephraim non erat, nisi una Bethoron, scilicet, inferior, quæ erat in latere meridiano illius, ut patet supra. Vocabitur autem tunc Bethoron superior, vel inferior in comparatione ad aquilonem, quia pars aquilonaris est altior parte meridiana, ideo Bethoron aquilonaris dicitur superior: Bethoron autem meridiana vocatur inferior.

Egrediunturq[ue] confinia in mare. Istud est mare magnum, quod est in latere occidentali terræ Chanaan claudens eam totaliter ab occidente, ut patet Num. 34. cap. & dicuntur confinia in mare egredi, id est, coniunguntur in mari termini istorum laterum, scilicet, terminus lateris aquilonaris, & occidentalis. Non accipiuntur autem proprie confinia in medio ali-

cuius

B
Quid Nostrata ac citius sum.

C

D
Quid Taphua.

A cuius lateris. Hic latus orientale terminatur, & sic tam latus meridianum quam aquilonare fortis Ephraim, & Manasse ad mare magnum pertingit, ex quo necesse est, quod ambæ sortes perueniant ad mare magnum, sic patet seq.ca. scilicet, quod vtranque claudit mare.

Machmetath. Hic describitur latus Oriëtale istarum duarum sortium, quod est tertium: latus autem quartum, scilicet, Occidentale non describitur, quia totum illud est portio quædam maris magni: vnde cum dicatur supra de latere Aquilonari, & meridiano, quod pertingunt ad mare magnum, sufficienter appetet, quod totum latus illud est littus maris: cum mare magnum teneat totam frontem Occidentalem terræ Chanaan. Incipit autem istud latus Orientale ab Aquilonari parte, in qua est Machmetath ciuitas, quæ potest aliqualiter ad latus orientale pertinere, & ad aquilonare, sicut diximus supra de ciuitate Astaroth. Et est ista ciuitas de tribu Manasse apud tribum Issachar, cui coniunguntur duæ sortes istæ in parte orientali, vt patet sequenti capitu. *Aquilonem respicit.* Scilicet quod ista ciuitas maxime respicit partem aquilonarem mundi in tota sorte Manasse, & Ephraim, quia ciuitas ista est ultima in latere orientali procedendo versus aquilonem. *Et circuit terminos contra orientem.* Id est latus istud, quod incipit à Machmetath circuit terminos, qui sunt contra orientem, scilicet, quod linea describens latus orientale eleuatur de Machmetath contra orientem faciendo circulum, & abscondit quandam particulam de terra versus sortem Issachar, quæ claudit ab oriente sortem Ephraim, & Manasse, vt patet sequenti cap. *In Thanathfelo.* Ciuitas quædam est in latere orientali sortium istarum. Aliqui diuidunt facientes nomen duarum vrbiuum. Sed falsum est: de ciuitate autem Machmetath transit in Thanathfelo, & ambæ sunt in latere orientali, magis tamen orientalis est Thanathfelo, quia circuit terminus ad orientem de Machmetath in Thanathfelo.

Quid lanoe. *Et pertransit ab oriente Ianoe.* Ista est ciuitas de orientalibus in sorte Manasse, & Ephraim, sed non est in ipso latere orientali sortium, quin potius transit ad orientalem partem vrbis huius latus orientale.

Descenditq; de Ianoe in Atharoth. Latus istud orientale cum computetur à parte aquilonari versus meridianam dicitur descendere, quia altior est terra aquilonaris meridiana: est autem Ianoe magis aquilonaris quam Atharoth, sed ambæ pertinent ad idem latus, scilicet orientale. Alia ciuitas est, quæ vocatur Astharoth, & differt ab ista. Est autem in terra duarum tribuum & dimidiæ, pertinetque ad tribum Manasse, scilicet ad dimidiæ partem illius, vt patet supra tertiodécimo, fuit autem antiquitus vrbs illa sedes gigantum in terra Basan: ibi enim pugnauerunt contra eos tempore Abraham reges, qui venerant cum Chodorlaomor Gen. 14.c. & est ciuitas principalis in regno Og, in qua ipse regnare dicebatur supra 12. & 13.c. *Et Noaratha.* Ista ciuitas est magis contra meridiem in eodem latere orientali. *Et peruenit in Iericho.* Id est ad Iericho: non quod includatur ciuitas ista intra sortem Ephraim, vel Manasse, sed quia apud eam transit latus orientale, est autem Iericho in forte Beniamin infra 18.cap. Ista, quæ sequuntur conformiter exponenda sunt, vt supra expouimus.

Hec est possessio tribus filiorum Ephraim. Id est tota terra, quæ includitur sub terminis supra assignatis pertinet ad filios Ephraim, vel est possessio eorum: non est intelligendum sic vniuersaliter, quia infra istos terminos non solum continetur terra Ephraim, sed etiam Manasse, vt supra dicitur. Nam cū describerentur latera ista dictum est, possederunt filii Ioseph Manasses, & Ephraim, & in principio dictum est: cecidit fors filiorum Ioseph &c. ponitur tamen de Ephraim, quia cum sortes duæ sint inclusæ sub his terminis, & hic velit dicere de sola sorte Ephraim, & postea dicat de Manasse dixit, q; hæc est possessio Ephraim, & debet exponi, id est, intra terminos istos assignatos est possessio Ephraim, sed non pertinet ad Ephraim quidquid intra istos terminos est. *Per familias suas.* Id est possessio Ephraim diuisa est in portiones secundum numerum familiarum: sunt autem quatuor familiae in hac tribu scilicet Suthalaitæ, Becheritæ, Tchenitæ, Beranitæ: Num. 26. ca. Postea diuideretur adhuc terra in minores portiones, quia in qualibet familia sunt domus, quæ sunt cognationes

D minoræ, nā ipsi Iosue, qui erat princeps Israel, & diuisor terræ, data est ciuitas vna pro cognatione sua, scilicet Thánathfare in monte Ephraim, vt patet inf. 19.c. *Vrbesq; separatae sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse.* Nicolaus dicit quod habuerunt Ephraite vrbes inter filios Manasse, quia fors Ephraim aliquando subintrat in sortem Manasse, & tunc dicuntur ciuitates Ephraim esse in tribu Manasse. Sic est aliquando de aliis tribibus, quod linea describēs latus alicuius tribus fleetur à sua rectitudine, & subintrat sortem alterius tribus. Sed dicendum est quod ista litera aliud sonat, scilicet quod omnes ciuitates sortis Ephraim sunt inter ciuitates tribus Manasse. Pro quo sciendum q; in tribu Ephraim, & Manasse non factum est sicut in aliis tribibus, vt communiter: quælibet enim tribus accepit sortem suam, & fuerū termini eius distincti à terminis aliarum sortium: in sortibus autem Manasse, & Ephraim positi sunt termini, sub quibus simul contineantur ambæ sortes, vt patet in toto isto cap. & sunt ciuitates harum tribuum commixtae: non tamen penitus, sed vrbes Ephraim sunt simul, & non extenduntur ab oriente in occidente tanquam fors ista habeat quatuor latera, sed fors dimidiæ tribus Manasse est magis extensa: & includit intra se vrbes sortis Ephraim, claudens à parte aquilonari, & orientali, & forte ab occidentali: ab australi autem non claudit. Et hoc modo stat litera, scilicet quod separatae sunt vrbes filiis Ephraim in medio filiorum Manasse, ita quod tota terra, quæ clausa est sub terminis suprapositis accipiatur tanquam sit terra sortis Manasse, & in medio sortis huius relinquantur vrbes multæ de tribu Ephraim, & illæ sunt fors Ephraim: Simile patet seq.ca. scilicet in meridiem terminus ciuitatum Ephraim, quæ sunt in medio vrbiuum Manasse: & tamen quamquam clauderet Manasse vrbes Ephraim non claudebat eas ab omni parte, quoniam latus meridianum tenebat fors Ephraim in coniunctione ad sortem Beniamin: & hoc signatur sequi. cap. scilicet ita vt ab austro sit possessio Ephraim, & à meridiem sit possessio Manasse. Clauditur autem à duobus lateribus fors Ephraim à sorte Manasse, scilicet in aquilonari & in orientali. De aquilonari patet, cum dicatur sequenti cap. quod ab aquilone est possessio Manasse, & ab austro possessio Ephraim. Clauditur etiam à latere orientali: nam totum latus orientale harum duarum sortium pertinet ad Manasse. Quod patet, quia cū fors Ephraim sit meridiana respectu sortis Manasse, vt dictum est: deberet ei correspondere pars meridiana huius totius lateris orientalis supra descripti, quo clauditur vtraque tribus, vel saltem aliqua particula illius, & tamen non correspondet, quia extremitas meridiana lateris huius orientalis in terra Taphuæ, & valle arundineti apud mare falsissimum: & tamen adhuc terra ista pertinet ad sortem Manasse, vt patet seq.ca. sic ergo non videtur correspondere sorti Ephraim aliquid in latere orientali, aut valde parum apud mare falsissimum.

F Ab occidente autem tangit mare fors Ephraim, vt patet sequenti cap. scilicet & vtranque claudat mare: nec tamen penitus coniunguntur, nisi clauditur fors Ephraim à sorte Manasse in latere aquilonari, quia aliqua pars lateris aquilonaris pertinet totaliter ad sortem Ephraim, & ibi coniunguntur ambæ sortes in sorte Issachar, scilicet in latere eius meridiano, vt colligitur sequenti cap. ideo fors Ephraim per se non potest figurari, quia non habet aliquos certos limites ex omni parte, sed est clausa intra sortem Manasse. Vtraque autem poterit describi tanquam vna fors, cum ponatur termini ambarum quasi vnius, in nulla alia sorte sic factum est præterquam in sorte Simeon, & Iudæ. Nam prius designata fuit in sortem Iudæ tota terra, quæ habetur præcedenti cap. & non fuit tunc data fors alicui alteri tribui: ideo diuiseores terræ putantes se proportionaliter dare tribui Iudæ, sicut manebant pro cæteris tribibus, dederunt præter proportionaliter aliud excedens: postea vero cum tota residua terra reliquis tribubus diuisa est, inuenient quod minus alius proportionaliter quam tribui Iudæ proueniret, diuisa est fors Iudæ, & datæ sunt ciuitates quædam eius pro tribu Simeon, & de illis vna fors data est, cum illa fors totaliter sit intra terminos sortis Iudæ, nec assignantur aliqui termini in sorte illa, vt patet infra 19.cap. sed sunt ciuitates illæ inter sortes Iudæ. Sunt tamen distinctæ, quia inter ciuitates Simeon nulla intercidit de ciuitatibus Iudæ, & vocatur illæ duæ sortes, vt patet Iudi-

A cum primo, scilicet, & ait Iudas Simeoni fratri suo, ascende mecum in sorte mea, & pugna contra Chananæum, vt ego pergam in sorte tua. Distinguuntur etiam fors Simeonis contra ceteras sortes septem ultimas, quæ factæ sunt, & distributa in Silo: nam secunda earum ponitur, vt patet infra 19.c.

Et villa earum. Id est territoria, & rura, vel vici, qui erant in confiniis ciuitatum traditarum Ephraim prouerunt tribui illi, & non ponuntur hic nomina, nec numerus ciuitatū Ephraim, sicut in tribu Iuda factum est, & fit infra in sortibus aliarum tribuum: infra 18. & 19.

Præcepti diuinis nitrans gressio. Et interfecerunt filii Ephraim Chananæum. Hic ponitur præcepti diuinis transgressio, scilicet, quod Ephraites cupiditate tributorum non occiderunt Chananæos habitantes inter ipsos: iusserat tamen dominus, quod de Chananæis, Amorites, &c. & omnibus populis septem quorum terram Israelite in possessionem accepturi erant, nullum omnino dimitterent vivere: Deuteronomio 20. ideo non poterant componere foedera, vel facere aliquam conditionem pacis, siue ut amicorum, siue tributariorum, siue sub conditione seruorum. Offensus autem Deus, quia dereliquerunt gentes istas superiuere: conuertit eas in malum Iudeorum, scilicet, vt ipse contererent in bello, & affligerent se Iudeos. Sic patet Iudicium 2. Ita duntaxat, vt non feriretis foedus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorum subuerteretis, & nolueritis audire vocem meam: cur hoc fecistis? quamobrem nolui eos delere a facie vestra, vt habecatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam: sic enim promiserat eis Numerus 33. cap. scilicet sin autem nolueritis habitatores terre huius, qui remanserint interficere, erunt vobis quasi clavi in oculis, & lanceæ in lateribus, & aduersabuntur vobis in terra habitationis vestrae, & quidquid illis facere cogitaueram vobis faciam. Ideo quando scriptura enarrat de ipsis gentibus relictis, ad redargitionem tribuum, quæ hoc fecerunt, sermo est. *Et non interfecerunt filii Ephraim Chananæum.* Quasi dicat potuerant occidere, sed noluerunt facientes eum tributarium sibi. De filiis Iuda alter dicitur præced. cap. scilicet non potuerunt filii Iuda deletere Iebusum habitatorem Ierusalem: ideo illis non imputatur ad culpam: cum tamen potuerunt tempore David, deleuerunt eum capientes arcem urbis. De filiis Manasse sic fuit, qui quamquam à principio non potuerint delere Chananæos de quibusdam urbibus suis, tamen postea potentes non expulerunt facientes eos sibi tributarios, vt patet sequenti c.

Chananæum, qui habitabat in Gazer. Vocantur isti Chananæi, quia pertinebat ad unum de illis septem populis, qui specialiter vocatur Chananæus. Vel potest accipi generaliter pro omnibus populis terra Chanaan: nam Chananæi dicuntur à Chanaan, & quia terra Chanaan continebat septem illas gentes, potuerant vocari omnes Chananæi, & sic accipitur interdum. Gazer, de quo dicitur hic est ciuitas quædam in sorte Ephraim, & est in latere Meridiano eius versus Occidente, vt patet ex litera supra & ista ciuitas fuit data sacerdotibus, vt patet inf. 21.c. tamen non acceperunt possessionem eius usque ad magnum tempus, quia toto tempore mansit in potestate Chananæorum usque ad tempora Salomonis. Tunc enim rex Ægypti ascendens in terram Chanaani pugnauit contra Gazer, & cepit eam deletis Chananæis: tradiditque in dotem filiæ suæ vxori regis Salomonis 3. Reg. 9. capit.

Habuitque Chananæus in medio Ephraim. Ideo est, inter Ephraites. Non accipitur hic medium pro medio secundum æquidistantiam ab extremis, sed pro medio per interpositionem, & sic vocamus medium omne illud, quod inter aliqua duo est, licet non æquidistant. Non enim est Gazer in medio Ephraim per æquidistantiam, sed magis in extremitate meridiana, nam in latere meridiano supra descripto ponitur: sed quia est inter alias ciuitates terræ Ephraim, dicitur esse in medio Ephraim.

Visque in diem hanc tributarius. Id est, usque ad tempus, quo scriptus fuit liber iste, scilicet tempore Samuelis. Nondum enim captus fuerat locus ille de manu Chananæorum usque ad tempora Salomonis, vt dictum est. In hoc autem grauabant, & defraudabant Ephraites sacerdotes, quia de sorte eorum sacerdotibus locus iste dandus erat: Ephraites autem poterant delere inde Chananæos, sed non delebant, vt acciperent ab eis tributa, ideo sic tradiderant tanquam retinerent: si aut tributum quod praestabant Chananæi prouenisset sacer-

Dotibus, quibus dabatur Gazer in possessionem, non tantum peccassent filii Ephraim. Nunc autem dupliciter peccabant: primo, quod non occidebant Chananæos, quos occidere poterant: secundo, quia tributa debita sacerdotibus usurpabant: velut si quis fructus fundi alterius ipso iniuto perciperet. Quamquam etiam sacerdotibus non licebat suscipere tributa à Chananæis, vt permetterent illos manere in terra, si possent excludere, si tamen sacerdotes non possent excludere, & filii Ephraim, in quorum terra erant, nolent delere, licet sacerdotibus accipere tributum à Chananæis, quoniam deterius erat manere Chananæos in terra tributorum onere solutos.

CAPUT XVII.

E C I D I T autem fors tribui Manasse: ipse enim est primogenitus Ioseph. Machir primogenito Manasse patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habitavit possessionem Galaad, & Basan: & reliquis filiorum Manasse iuxta familiias suas, filiis Abiezer, & filiis Helec, & filiis Esrihel, & filiis Sechen, & filiis Hepher, & filiis Semida. *Isti sunt filii Manasse filii Ioseph,* mares per cognationes suas. Salphaad vero filio Hepher filii Galaad filii Machir filii Manasse non erant filii, sed sole filiae, quarum ista sunt nomina, Maala, & Noa, & Egla & Melcha, & Thersa. Veneruntque in conspectu Eleazaris sacerdotis; & Iosue filii Nun, & principum dicentes: Dominus præcepit per manum Moysi, vt daretur nobis possessio in mediofratrum nostrorum. Deditque eis iuxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum. Et cederunt funiculi Manasse, decem absque terra Galaad & Basan trans Iordanem. Filiæ enim Manasse possederunt hereditatem in medio filiorum eius. Terra autem Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse, qui reliqui erant.

C E C I D I T autem. Descripta in superioribus sorte tribus Ephraim, hic describitur consequenter fors tribus Manasse, quia istæ duæ tribus erant ex eodem patre & successione velut in unam sortem: sed habuerunt duas ex adoptione, quia Jacob adoptauit Ephraim, & Manasse: assignatae eis sortes duas in hereditatem sua, sicut Ruben, & Simeon: Gen. 48. cap. fuit autem tribus Manasse diuisa in duas mediætates, & una accepit possessionem ante Iordanis transitum ad Orientem: alia vero post Iordanem ad Occidentem, & ista secunda accepit simul sortem cù Ephraim. De ipsis duabus sortibus Ephraim, & Manasse simul dicendum tanquam de una sorte erat, quia termini supra assignati includunt intra se utrunque sortem, quamquam duæ sortes nominantur, nec erat aliquid addendum intra id, quod dictum fuerat præce. c. Sed quia fors Manasse erat diuisa in duas partes, vt diceretur de illa, quæ erat ante Iordanem, facta est hic specialiter mentio de sorte Manasse, & enarrata sorte illa ante Iordanem ponitur aliquid de sorte Manasse, quæ erat coniuncta sorti Ephraim. Non est tamen intelligendum, quod huius sortis Manasse, quæ erat cù sorte Ephraim ponantur hic aliqui termini præter terminos supra assignatos, sed dicitur aliquid de habitudine sortis Ephraim, & Manasse, & ponuntur incidentia de ciuitatibus Manasse.

Diuiditur autem litera in duas partes, quia primo tribus Manasse assignatur possessio: secundo utriusque sortis petita dilatatio ibi. *Locutus est sunt filii Ioseph.* Prima in duas: primo ponitur dimidia tribus Manasse prius assignata possessio: secundo describitur secunda partis noua distributio ibi. *Salphaad vero.* Et illa diuiditur in duas: primo possit assignata feminis: secundo assignatur viris ibi. *Fuit autem minor.*

Circa primum. *Cecidit autem fors tribui Manasse.* Hic accipitur fors pro tota terra, quam possederunt filii Manasse sine ante Iordanem, siue post: & enumeratur primo pars, quæ erat ante Iordanem. De illa autem non videtur quomodo dicatur fors. De tribu enim Ephraim, & dimidia tribu Manasse, quæ cum eo sortem accepit, dicendum videtur, quod diuines terre separa-

Peccaverunt dupliciter E. phraites sub iudeo sibi in tributarios Gaze ritus.

D

E

F

Tribus
Manas-
se assig-
natur
posse-
sio.

A separauerunt tantum de terra quantum proportionaliter conueniret Ephraim, & Manasse in respectu ad alias tribus, & tota illa terra sub eisdem terminis clausa est: sed rursus in hac terra superauerunt partes duas, vnam quæ correspondet tribui Ephraim, & ista erat maior, cù populus Ephraim esset maior tota tribu Manasse, quanto magis medietate Manasse. Aliam partem segregauerunt conuenientem mediati Manasse nondum tribuentes eis partes has: sed posuerunt fortes, & prouenit quilibet pars harum ei cui assignata erat. De media autem tribu Manasse accipiente sortem ante Iordanem non patet, an per sortem habuerit possessionem, nec confueuerunt dicere communiter loquentes fuisse datas sortes ad habendas partes terræ illius, sed Moyses diuisit illam duabus tribubus, & dimidit, sicut ibi recte visum est. Nō est tamen aliquod inconueniens, si dicamus sorte diuisam fuisse terram illam ab eo, quia eodē modo fieret de sortibus, sicut hic factum est. Si autem dicamus quod non diuisit Moyses terram forte, vocabuntur sortes duarum tribuum, & dimidit, idest possessiones earum: & sic aliquando vocantur in illis sortibus, quæ posse sunt in terra post Iordanem.

B *Manasse fuit primogenitus Ioseph. Ephraim tamē præ Ioseph. Ita est.* Ipse est primogenitus Ioseph. Duos filios solum habuit Ioseph, scilicet Manasse, & Ephraim. Fuit autem Manasse primogenitus, ideo cum benediceret eis Iacob iam caligans oculis, & imposuisset manum dextram super Ephraim, dure tulit Ioseph dicens: Non ita pater conuenit, quia hic est maior. Cui respondit pater: Scio fili mi, scio Gen. 48.ca. sed quamquam Manasse esset primogenitus secundum carnem: Ephraim prelatus fuit ei ibidem, & postea in omnibus. Nam vnu de quatuor vexillis Hebraeorum in deserto denominabatur à tribu Ephraim, & tribus Manasse erat sub illo vexillo Num. 2.cap. excelluit etiam, quia de tribu Ephraim fuit Iosue, qui fuit princeps Israhel. Item quia de tribu Ephraim fuerunt reges Israhel, de Manasse autem nulli. Ieroboam enim primus rex Israhel in divisione Israhel fuit de tribu Ephraim, & cōsequenter tota sua progenies regum.

C *Machir filius Manasse.* Refertur ad superiora, scilicet cecidit fors Machir primogenito Manasse. Nam dicebatur quod cecidit fors Manasse primogenito Ioseph, & quod ista fors tota cecidit Machir primogenito Manasse. Habuit enim vnicum filium Manasse, scilicet Machir, ideo tota posteritas tribus Manasse deriuata est per Machir, & ita potest vocari tribus Machir sicut tribus Manasse, quia nihil amplius in vno quam in altero continetur. Et ob hoc sicut cecidit fors ista Manasse, ita dicit quod cecidit Machir primogenito eius: & non solum cecidit Machir fors, quæ erat ante Iordanem ad orientem, sed etiam fors, quæ erat ad occidentalem plagam forte Ephraim.

Quomodo Machir vocatur primogenitus Manasse, si est vnicus. Et quod primogenitus, primus, proximus dupliciter exponuntur.

Q V A S T I O I.

Sed dicet aliquis, quomodo vocatur Machir primogenitus Manasse, si vnicus est? Respondet aliquis quod non fuit vnicus, quamquam non legantur alij, sed fuerunt alij, de quibus scriptura non meminit. Respondendum est non stare, quia Num. 36.computatur familiae tribus Manasse, & istae nominantur à filiis, vel nepotibus principis tribus alicuius, sed non ponuntur aliqua familiae denominatae à filiis Manasse, nisi familia Machiritarum à Machir, omnes autem alij à filiis Machir nominantur, vt patet ibidem: ergo non fuerunt plures filii Manasse. Nam si dicas illos fuisse: non faciat aliquam familiam, nec rursus erunt sub aliqua, cum non sint de filiis illorum, à quibus nominantur familiae: ergo non erunt in aliqua familia, quod est inconueniens. Necesse est ergo dicere quod non habuerit Manasse alios filios præter Machir.

Aliquis forte poterit dicere quod habuit aliquos filios, sed illi in parua ætate mortui sunt, ita quod non reliquerit prolem, quæ facere posset familiam aliquam, vel suscipere hæreditatem: & tūc respectu illorum vocabitur Machir primogenitus Manasse.

Respondendum est quod etiam non fuerunt aliqui tales

aliquando nati, qui postea morerentur, sed solus Machir fuit filius Manasse: & hoc signatur Gen. vlt. cum describitur lōgæuitas Ioseph, scil. quod vidit filios Ephraim usque ad tertiam generationem: filij quoq; Machir filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph: si tamē alios filios habuiss. t Manasse præter Machir, diceret de filiis eorum, quod vidisset eos Ioseph, vcl quod nati sunt in genibus Ioseph: solus tamen Machir expressus est, vt filius Manasse, ergo videtur, quod solū Machir habuit Manasses. Vocatur tamen iste primogenitus eius more scripture, quæ non semper vocat primogenitum eum, post quem alij nati sunt, sed eum, ante quem nemo natus est, etiam si post eum nemo natus fuerit. Nomina enim ista primogenitus proximus, propinquus, & primus exponuntur dupliciter, scilicet negative, vel comparativè: & iste modus tam apud dialecticos, quā apud ciuilis, & Canonici iuris professores, atque apud poetas his duobus modis exponuntur, & posita reperiuntur: de quo late diximus in libro nostro de 5.metaphoricis Paradoxis. In sacra Scriptura etiam reperiatur iste modus loquendi, scil. vt nomina, quæ solēt communiter ponit relativus ponantur nō relativus, sicut in isto nomine filius, & filia, sic patet Canti. 2. scilicet. Sicut lily inter spinas sic amica mea inter filias, & ibidem iterum. Sicut malus inter ligna syluarum: sic dilectus meus inter filios. Non accipiuntur hic relativus, quia tunc exprimeretur de filiabus cuius filia sunt, & de filiis identidem: sed accipitur filia promuliere absolute, scilicet quod inter mulieres erat illa dilecta, sicut lily inter spinas, & inter viros erat sponsus, sicut malus inter ligna syluarum.

Item de isto nomine primogenitus apparet, quod aliquando accipiatur non relativus, & vnicus filius sit primogenitus: sic dicitur de Christo, qui fuit unicus virgini, & tamen primogenitus suus vocatur Matth. 1. ca. Nec solum in novo testamento, sed etiam in veteri. Nam vocantur primogeniti in veteri testamento omnes, qui primo erumpabant de vulva, etiam si post eos nemo nasceretur: nam iubetur, quod omne masculinum adaperiens vulvam sanctificetur domino: Exo. 13. & 34. sed isti vocantur primogeniti, & iura, quæ soluebantur in fæderotibus in sanctificatione horum, vocantur redemptio primogenitorum: Nume. 3. & 18. ergo necesse est omnes huiusmodi vocari primogenitos. Sed multi erant huiusmodi, post quos nemo noscetur: sicut in illis, qui vnicum filium habebat. Ergo vocantur primogeniti, ante quos nemo nascitur: etiam si post illos nemo nascatur: sic erat de Machir, quod ante eum nemo fuit genitus à Manasse, cum vnicum genererit: ergo ille erat primogenitus. Sed tūc restat dubium, si vnicus erat filius Manasse Machir, quomodo dividitur tribus Manasse in octo familias, quarum una vocatur familia Machiritarum: Num. 26.cap. Ad hoc respondentium est, quod omnes de tribu Manasse descenderunt de stirpe Machir, & tamen nō dicuntur omnes esse de familia Machiritarum: qualiter autem hoc sit declaratum est sup. 14.ca. Patri Galaad. Machir genuit Galaad, & ab isto vocatur vna de familias tribus Manasse, scilicet familia Galaaditarum: nam Machir habuit plures filios, & ab isto denominata est familia distincta à familia patris quamquam ipse esset de familia illa: alij autem filii fuerunt Machir, per quos denominata est familia patris eorum, scil. Machiritarum. Quod autem plures filios habuerit Machir patet Gen. 50. scil. filij quoque Machir filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph: ergo plures filios habuit, & isti data est terra Galaad, vt patet infra: est enim Galaad nomen montis in terra duorum regum Amorrhæorum, & nomen viri, non tamen fuit nominatus mons ille Galaad à nomine viri, scil. quia ipse, vel sua posteritas possederit terram montis illius: sicut Iahir de filiis Manasse capiebat terram quandam in regione illa vocavit eā Auothiahir, idest villas Iahir ex nomine suo: Num. 32. & Deut. 3. cap. sed mons iste vocatus fuit Galaad ante illum virum, nam mons iste sic vocatus est, quando transiuit per eum Iacob fugiens de terra Mesopotamia, & super eum ipse, & Laban inierunt pactum posito lapidum aceruo quasi in testem ad futurā rei memoriam, vocavitque Iacob montem illum Galaad, id est aceruum testimonij Gen. 32. ca. iste autem vir, qui vocatus est Galaad fuit multo tempore post: nā fuit in quarta generatione post Iacob, & Iacob imposuit nōmē montis illi Galaad, patet hoc, quia Iacob genuit Ioseph, qui genuit Manasse, qui genuit

A Machir, qui genuit Galaad, quæ satis colliguntur hic in litera. Etiam dicendum est, quod iste vir nō vocatus fuit Galaad ex nomine montis: nam fuit natus in Aegypto, dum Israelites non haberent curam yllam eundi in terram Chanaan, & ad terram vbi est Galaad mons. Est autem in terra duorum regum Amoritesorum, sed fuit istud nomen æquiuocatum pluribus à casu, sicut contingit in multis alijs, quæ multis viris æquiuocantur nō ex aliqua ratione, & aliquando viris, & locis, & aliquando multis locis, de quolibet modo patent exempla. Non vocatur hic Machir pater Galaad, quasi nullum aliū genuerit: plures enim genuit, vt supra dictum est, sed Galaad solus fuit excellentior inter filios Machir: fuit enim vir pugnator, vt patet hic & ob hoc solum connumerata est familia distincta à familia patris sui, reliqui autem filii manserunt sub familia Machitarum quæ est patris ipsorum. *Qui fuit vir pugnator. Istud dicitur de filio Machir.* Aliquis dicit hoc exprimi, quia in introitu in terram duorum regum Amoritesorum fortiter pugnauit, & obtinuit terram istam, quæ data est ei in possessionem. Sed non stat quia non peruenit Galaad ad tantam ætatem, vt introiret in terram Chanaan, nec saltē exiuit in Aegypto cum inde egredetur Israel. Quod patet, quia Galaad natus est viuente Ioseph, vt colligitur Gen. 50. s. filij quoq; Machir filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph, sed præcipius filius Machir legitur Galaad: ergo ipse cū aliquib' alijs natus est in genibus Ioseph, quo dato patet, quod non potuerit introire in terram Chanaan, quia Ioseph mortuus est annis fere centum octogintaquatuor ante introitum in terram Chanaan, sed nullus homo tempore illo tandem vivebat, ergo non vixit Galaad vsque illuc. Patet antecedens, quia mansio Israëlitarum in Aegypto fuit annorum 215. vt probatum est Gen. 15. & Exod. 1. quibus addantur anni quadraginta, quibus manserunt Israëlitæ in deserto ante introitum terræ Chanaan erunt 255. à quibus subtrahantur anni quibus vixit Ioseph post introitum Israëlitarum in Aegyptum, & isti sunt septuaginta vnius, manebunt anni centum octogintaquatuor. Antecedens patet, quia Ioseph erat annorum triginta, quando fuit presentatus Pharaoni ad indicandum de somniis eius Gen. 41. & immediate venerunt septem anni sterilitatis secuti sunt: in fine autem anni secundi sterilitatis venerunt Israëlitæ in Aegyptum, quod patet Gene. 45. ca. vbi dixit Ioseph fratribus suis, quod adducerent Jacob patrem suum in Aegyptum, quia adhuc quinque anni famis magna restabant, & tunc sequitur, qd' venerit Jacob, & progenies sua: erat ergo Ioseph annorum 39. quando descenderunt Israëlitæ in Aegyptum, quibus demptis à centum, & decem annis quibus vixit Ioseph, vt patet Gen. 50. manebut anni 71. à tempore descensus Israëlitarum in Aegyptum vsque ad mortem Iosephi. Et dato qd' in eodem anno nascetur Galaad, de quo probatum est, quod natus fuerit in genibus eius, manebunt anni 185. vsque ad introitum in terram Chanaan, sed non vixisset tanto tempore Galaad: nam nullus tanto tempore ea ætate durabat, nec ex tempore Abraham & Isaac: non ergo introiuit in terram Chanaan. Et si quis dare vellet etiam quod tanto tempore viuere potuisset: manifestum est, quod nō posset tunc pugnare, ita vt vocaretur vir bellator, quia ceperit terram possessionis suæ, scilicet montem Galaad. Nam Moses in quo tam diurna sanitas fuit, vt in anno cœtesimo viresim vita suæ, in quo & mortuus est, oculi eius non caligauissent, nec dentes eius moti fuissent, vt patet Deute. 34. non poterat iam progredi ad bellum, vt patet Deut. 31. quanto magis vir qui egisset centum octoginta quatuor annos.

C Item & potissimum, quia dato qd' Galaad tanto, & maiori tempore viuere potuisset, tamen non potuit ingredi in terram Chanaan, nec accederet ad eam, quia in Cadesbarne data est sententia super omnes numeratos à viginti annis, & supra qd' non introirent in terram Chanaan, nec viderent eam Num. 14. si tamē Galaad stetisset ibi, nec esset ipse esset de numeratis: ergo apprehenderet cum sententia, quia nō fuit de exceptis. Solum enim Caleb, & Iosue excepti sunt. Nō stat igitur quod venerit Galaad ad terram Chanaan, nec pugnauerit contra aliquos hostes in terra duorum regum Amoritesorum.

Item non fit de eo aliqua mentio in scriptura. Nam Nu. 32. & Deut. 3. vbi de hoc agitur dicitur de Iahir filio Manasse, quod ipse pugnauerit, & acceperit villas Basan, vocavitque

D eas ex nomine suo Auothiahir, sed nihil dicitur de Galaad. Nec solum hoc, immo dicendum est, quod Galaad non exierit de Aegypto, cum reliquis Israelitis, sed ibi ante mortuus est. Nam sicut non posset viuere cœtum octogintaquatuor annis, ita nec viueret cœtum quadragintaquatuor demptis 40. quibus manserunt Israëlitæ in deserto. Nullus enim eo tempore ad 144. annos accessisse legitur.

Ideo dicendum, quod ante exitum Israëlitarum de Aegypto multo tempore mortuus est: vocatur tamen hic vir pugnator, quia in terra Aegypti erat vir bellicosus, vt si forte aliquando Aegypti contra alias gentes pugnauerunt, & ipse illic vadens in armis prospere agebat, factus sit extremis bellator, sicut de Moysè refert Iosephus, qd' in ducē belli militis est à rege Aegypti contra Aethiopes quando expugnauit urbem Saba, & accepit in uxorem filiam regis Aethiopum, de quo dictum est Exod. 2. & Nu. 12. c. Vel forte habebat in ipsa terra

E Egypti Galaad alia exercitia in armis, pro quibus per excellentiam eum scriptura virum bellatorum appellauit. *Habuitque possessionem Galaad, & Basan.* Idest Galaad Nepos Manasse habuit in possessionem terram Galaad, & Basan: non accipitur hic Galaad pro ipso viro dicto Galaad, sed pro sua progenie, siue familia denominata ab ipso, quia, vt hic probatum est, non potuerit venire Galaad in terram illam. Considerandum autem est, quod non solum Galaad, id est familia Galaditarum accepit in possessionem terram Galaad, & Basan, sed etiam aliae familie in tribu Manasse: nam diuisa fuit tribus ista in duas medietates, & una accepit possessionem in terra Galaad, & Basan ad orientalem plagam Iordanis cum tribu Ephraim, de qua immediate: sed tribus Manasse habet familias 8. vt patet Num. 26. ergo quatuor familie accepérunt possessionem in terra Galaad, & Basan, & consiluit in terra Chanaan ad Occidentem Iordanis, & nō solum familia Galaditarum: nominatur tamen quod ipsa accepit possessionem istam, scilicet in terra ista, & non habitauerit ad occidentalem plagam Iordanis, quamquam non ipsa habuit totam istam possessionem. Quod autem familie reliqua, cū ea suscepérunt ibi possessionem, non patet, & dicitur de terra Galaad, nō quod illam totam accepit tribus dimidia Manasse in sortem. Diuidebatur terra Galaad in duas partes cacumine montis in longum porrecto distinguente, una autem pars quæ adiacebat ad unam partem montis cecidit in sortem tribui Gad, alia medietas cecidit in sortem dimidiæ tribui Manasse, vt patet supra decimotertio, & Deuter. 3. fuerunt enim istæ duæ partes montis ad duos reges pertinet, scilicet medietas ad regem Sehon, & medietas ad regem Og supra 12. c. medietas autem pertinens ad regem Og data est dimidiæ tribui Manasse: ista vocabatur olim terra gigantum: ibi enim habitauerunt Raphaim, de quorum reliquis erat Og rex Basan sup. 12. & 13. c. ipse qui ppe solus restiterat de stirpe Raphaim, vel gigantum, vt dicit litera nostra: Deute. 3. c. & in Basan est ciuitas Aslareth, quæ est metropolis gigantum: ibi enim quondam habitauerunt, & ibi oppugnauerunt eos reges venientes cum Chodorlaomor: Gen. 18. c. in hac autem urbe præcipue regnare dicebatur rex Og sup. 12. & 13. quia ipse erat de stirpe gigantum illorum, vt dictum est. Suscepit autem familia Galaditarum possessionem in terra hac cum tribus aliis familiis, ita vt esset hic medietas familiarium Manasse, & aliæ quatuor familie ad occidentalem plagam Iordanis. Sed quæ fuerint familie habitantes hic, vel quæ ad occidentem Iordanis non patet. Et si aliquis dicat contra, quia immediate determinantur in litera familie, quæ suscepérunt hæreditatem cū Galaad, s. filij Abiezer, filij Asihel, filij Hepher, & sic de ceteris. Respondendum est, quod non exprimuntur hic familiæ solum, quæ accepérunt in hæreditatem montem Galaad, & terram Basan, sed etiam totam aliam terram, quæ prouenit Manasse: & istam terram accepit medietas tribus Manasse, quæ sunt quatuor familie: hic autem nominantur omnes familie Manasse, scil. octo. Quod patet, quia non ponuntur plures familie Manasse Nu. 26. quam hic: ideo est hic sensus quod familia Machir, qui est pater Galaad, & familia Galaditarum cum omnibus, quæ sequuntur, possederunt terram Galaad, & Basan, & nō solum hanc, sed etiam aliam sortem, quam accepit Manasse ad occidentalem plagam Iordanis. Et patet, quia hic ponitur familia Hepheritarum, & tamen Hepheritæ non suscepérunt possessionem in tertia Galaad,

& Ba-

Familiæ Ma-

nasse.

A & Basan, sed ad occidentem Iordanis cum tribu Ephraim. Quod patet, quia Salphaad erat filius Hepher de familia Hepheritarum, ut patet hic, & tamen filii Salphaad non acceperunt possessionem in terra Galaad, & Basan: nam ipsae venerunt coram Iosue, & Eleazaro sacerdote petentes hereditatem, ut patet hic: constat tamen quod Iosue non diuidebat terram al quam in Galaad, & Basan, quia totam illam terram diuisit Moyses, cum tunc superuiceret, ut patet Nume. 32. & Deute. 3. & sup. 13. Iosue autem solum diuisit terram ad occidentalem plagam Iordanis in terra Chanaan: ergo familia Hepheritarum saltem patet quod accepit possessionem ad occidentem Iordanis. Et reliquias filiorum Manasse iuxta familias suas. Illa sententia est dependens a superioribus quod cecidit fors tribui Manasse, & Machir filio eius, & Galaad filio Machir, & reliquias filii Manasse. q. d. ista fors non solum quibusdam familias prouenit, sed omnibus ut patet, quia computatur hic capita omnium familiarum Manasse, ut patet in litera, & est ista fors non illa, quam accepert solum ad orientem Iordanis, sed tota: scil. siue illa siue alia: quia duas partes, quae prouenerunt tribui Manasse vocantur hic una fors, eo quod erat una tribus, & non debebat accipere plures sortes, & sic patet, quia cum dixerit cecidit fors Manasse &c. enarratur totum quod possedit Manasse, siue ante Iordanem, siue post Iordanem. Accipiuntur hic reliqui filii Manasse pro omnibus de posteritate Manasse: siue pro illis, qui sunt capita familiarum: siue pro omnibus aliis. Et patet, quia dicitur iuxta familias suas, si tamen acciperetur pro illis, qui sunt capita familiarum, non diceretur sic. *Iuxta familias suas.* Idec terra, vel fors Manasse cecidit, sed non sic indiuise, quin potius iuxta familias suas, cuilibet familiae sua dabatur portio, & quia in tota tribu erant 8. familias, ut patet Num. 26. fuerunt 8. partes factae in sorte ista, quatuor ante Iordanem, & totidem post Iordanem: nomina autem capitum familiarum ponuntur hic.

B *Nomina famularum Ida nasse.* *Filiis Abiezer.* Sunt octo familias in hac tribu, & duas iam posite sunt nominatis duobus capitibus carum. Prima est familia Machiritarum, pro qua nominatus est Machir primogenitus Manasse. Secunda familia erat Galaaditarum Nu. 26. & pro hac nominatus fuit supra Galaad filius Machir, qui fuit vir pugnator: nominantur autem hic sex alii, qui sunt capita sex familiarum. Et primus est Abiezer a quo familia Abiezitarum. Iste vocatur Iezer, & familia sua Iezeritarum: Num. 26. cap. *Et filii Helech.* Ipsi sunt omnes de familia Heleccitarum, cuius caput est Helech, de quo Num. 26. c. *Filiis Esriel.* Id est etiam prouenit fors ista filii Esriel, & ista vocatur familia Esrielitearum. *Et filii Sechem.* Ipsi etiam data est pars possessionis, & vocatur familia Sechemitarum, cuius pater est Sechem. *Et filii Hepher.* Ab isto denominatur familia Hepheritarum, de qua erat Salphaad, & filiae suae petentes possessionem infra. *Et filii Semida.* Ab isto vocatur familia Semidaitarum. Omnibus his assignatae sunt portiones in sorte Manasse, non quidem aequales, sed plurib' maior pars, paucioribus vero minor: sic enim iubetur etiam de tribibus Num. 26. ca. Sciendum circa istas familias tribus Manasse, quod familiae, ut communiter in aliis tribibus sunt cognationes quedam denominatae a filiis ipsius viri, a quo tribus denominantur, ut tribus Beniamini denominantur a Beniamini, & a filiis immediatis Beniamini denominantur familiae tribus huius, & sic in aliis. Aliquando autem non solum denominantur familiae a nomine filiorum, sed etiam a nomine nepotum, ut patet in tribu Iuda. De qualibet autem tribu quomodo familiae eius denominantur, & a quibus patet Nume. 26. c. in tribu autem Manasse denominantur familiae a filiis nepotibus, & pronepotibus: nam Manasse genuit solum Machir, a quo vocata est familia Machiritarum. nepos autem Manasse fuit Galaad, a quo familia Galaaditarum: Galaad autem habuit multos filios. scilicet, Iezer, Hepher, Semida Helech, Sechem Esrihel, & ab his denominatae sunt familiae sex, de quibus supra dictum est, & patet Num. 26. cap.

C *Quid sunt famularum tribuum.* *Isti sunt filii Manasse filii Joseph.* Non sunt omnes filii eius immediati, quia hoc solum erat de Machir, alii autem nepotes, & pronepotes: omnes tamen descendentes filii appellantur. *Mares per cognationes suas.* Dicitur de maribus, quia quamquam aliqua familia fuerunt predictorum, tamen ab illis non denominata sunt familiae, quia a filiis non poterat denominari tribus, nec familia, cum foemina transcat in familiam viri,

D a quo dicitur. Nam Iacob 12. filios habuit, & vnam filiam scilicet Dinam Gen. 30. c. tamē a filiis denominata sunt tribus, a filia autem nihil, ita de familia non poterat aliqua filia imponere nomen familiae, etiam si aliquis, qui erat caput alicuius tribus solas filias genuisset: utpote si Beniamin solum filias genuisset non vocarentur ab eis aliquae familiae in tribu Beniamin, sed a filiis earum, postea denominari possent familiae. Vel dicitur hic de maribus, quia omnes praecedentes, licet aliquas filias habuissent, tamen etiam filios habebant a quibus posset denominari familia aliqua si denominanda foret, vel qui saltet possent suscipere hereditatem patrum indubitate. De filiabus autem si quis solum filias haberet magis dubium videretur, ideo de eis ponitur casus immediate, scilicet, de filiabus Salphaad, qui filias solum habuit. Et quia in nullo alio accidit hoc de predictis preterquam in Salphaad, dicitur de ceteris mares per cognationes suas, id est omnes predicti erant mares, & habebant aliquos filios mares. Scidum, quod quamquam esse marem faciat esse posse denominare familiam, & posse succedere in hereditate, hic tamē solum agitur quantum ad successionem: nam licet Salphaad habuisset filios mares non denominassent illi alias familias iam, nec etiam filij aliorum, a quibus denominabatur familia faciebant denominari alias familias, sed dubitabatur de successione, ideo expressum est, quod omnes haberent filios mares, Salphaad autem soias feminas, & de ipsis non erat ita planum, an ita succedere deberent in hereditatem paternam, sicut filij. Respondit tamen Dominus ad hoc dubium Num. 27. cap.

E *Per cognationes suas.* Id est quilibet in cognatione sua, quasi dicat omnes isti habebant filios mares, qui possent loco eorum accipere hereditatem, & hoc quilibet in cognatione sua. Consiluit autem in hoc dubium: portiones enim hereditatis assignabantur cuilibet harum familiarum, & quia nullas de his, a quibus familiae denominabatur existebat eo tempore, quo diuidebatur terra, suscipiebant filij eorum, vel nepotes pro eis, si tamen esset aliqua familia, in qua successores essent solum feminæ, videbatur dubium, an illa deberent succedere familia illi, scilicet, quod sicut caput familiae accepisset portionem fortis si superset, ita ista feminæ succederent: & iam hoc declaratum fuerat: fuit tamen hic disinctum de maribus, & feminis, quia a principio dubitatum fuerat de hoc.

F *Salphaad vero filio Hepher.* Ponitur hic Salphaad in dativo, scilicet non erat aliqui filij Salphaad, sed filiae. Iste est, de quo dixerunt puellæ, Salphaad pater noster in peccato suo mortuus est in deserto, & non fuit in seditione, quæ concitata est contra dominum sub Core, Num. 27. c. & hoc quando petebant hereditatem ei debitam. *Filio Hepher filii Galaad, filii Machir, filii Manasse.* Ponitur ista ordinatio ad secundum quis fuerit Salphaad, scilicet, quod fuit filius immediatus cuiusdam capitum familiae. Nam ab Hepher denominata est familia Hepheritarum, Num 26. c. Forte autem Hepher non habuit aliquem filium praeter Salphaad, & ille solas habuit filias, ergo in familia Hepheritarum sole foeminae manebant tunc: unde satis erat ratio dubitandi, an ista familia debet de lege non superstite viro, vel deberent succedere istæ feminæ, ut permaneret nomen familiae. Nam familia, vel tribus non manet, nisi manente aliqua certa possessione, a qua denominatur tribus. Vel si familia Hepheritarum non daretur possessio commiserentur aliis familiis, & cum non haberent per quid distinguenterentur, cito fierent ab origines, id est incognitæ stirpis, sicut fit de illis, in quibus non seruantur iura primogeniturae. De his late dictum est Leuit. 25. scil. quare non permittebant vendi simpliciter possessiones in terra Chanaan.

G Sed tunc dato, quod non manerent viri in hac familia, quomodo suscitaretur, quia a foeminis denominari non potest? Respondendum est, quod secus in conseruari nomen familiae quod in nouiter effici. Denominari enim nouiter non contingit, ut dictum est sup. sed conseruari poterit, scilicet quod foemina illæ accipiant viros de alia familia eiusdem tribus, & filii inde geniti non nominentur de familia patrum, sed matrum. Quamquam contrarium regulare sit: magis tamen videtur quod non defecissent omnes matres de familia Hepheritarum, licet non essent masculi aliqui de stirpe Salphaad: ideo quamquam non accepissent filiae Salphaad hereditatem pro patre suo, non perirebat familia Hepheritarum: sed nomen Salphaad de familia sua.

A

sua. Et hoc patet ex querela filiarū Salphaad petentiū posses-
sionem scilicet cur tollitur nomen illius de familia sua, quia
non habet filium? Num. 22. cap. si tamen nulli masculi essent
in familia Hepheritarum, nō diceretur, quod delebatur no-
men Salphaad de familia sua, sed quod delebatur familia
Hepheritarum, præsupposuerunt tamen familiam manere.

Item patet, quia dixerunt: Detur nobis possessio inter co-
gnatos patris nostri, sed ipse non erant accepturae posses-
sionem extra familiam suam, ergo aliqui erāt cognati patris sui
scilicet fratres filij Hepher: & cum illis suscepserent filia Sal-
phaad possessionem, quia pertinebant omnes ad eandem fa-
miliam, & hoc idem Deus iussit eodem capitulo scilicet. Da-
eis possessionem inter cognatos patris sui, & in possessione
succedant.

Non erant filii, sed filiae sola. Quasi dicat si fuissent filii, & fi-
liae simul, vel solum filii, non dubitaretur, quia dato, quod fi-
liae non possent succedere, filii succederent: solis tamē filia-
bus superstitibus videbatur dubium, iam tamen determina-
tum erat. Erat enim regula, quod quando, quis haberet filios
aliquos, etiam si multas filias haberet solum filii succederent: si
tamen solae filiae essent, succederant ipsae, velut mares, sic pa-
tet Num. 27. ca. scilicet. Homo cum mortuus fuerit absque
filio, ad familiam eius transibit hereditas. Ideo filiae quando tra-
deabantur inuptui non accipiebant in dotem aliquam pos-
sessionem, sed dona aliqua, sicut nunc est respectu filiorum, vbi
obseruantur iura primogeniturae, quia ea, quae ad primoge-
nitaram pertinent non possunt vendi, nec alienari: vnde si
aliquis huiusmodi multos filios habuerit, non poterit cui-
quā eorum quidquā dare de possessionibus, quae ad primoge-
nitaram pertinent, sed dat aliqua munera.

De istis filiabus Salphaad sepe ponitur: bis enim coram
Moysi questio orta est ad earum petitionem.

Primo cum peterent sibi dari hereditatem, quę debeba-
tur patri suo Salphaad si superuixisset, vel habuisset mares
heredes, & ista determinata fuit Nume. vigesimo septimo ca-
pitulo. Alia fuit ad petitionem filiorum Manasse propter fi-
liae Salphaad: nam adiudicato, quod hereditas eis assignanda
foret, conquesti sunt filii Manasse, quod si filiae Salphaad nu-
berent cui vellent, transirent in familiam, vel tribum illam,
cuius essent viri, quos acciperent: & tunc hereditas earum
sequeretur eas, & perueniret in posteros earum, si tamen ac-
cipierent viros de alia tribu filii carum essent de alia tribu, quo
facto maneret hereditas, quę erat pars fortis Manasse, in e-
ternū apud alias tribus, & diminueretur, sors Manasse. Moys-
es nesciens respondere quesiuit à domino, & responsum est
iustum petere filios Manasse: ideo iudicatum est, vt filiae Sal-
phaad non possent accipere viros de alia tribu Num. trigesi-
mo sexto capitulo.

Quorum sunt ista nomina. Ponuntur eadē nomina sepe, quia
vt dicunt iudicii erant fœminæ honorabiles, & prudētes, ideo
commemoratione dignæ, earum prudentia satis patet ex pe-
titione sua Num. 27. cap.

Veneruntque in conspectu Eleazari sacerdotis, & Iosue filij Nun.
Nam volebant petere hereditatem, quę competebat eis no-
mine patris sui Salphaad, ideo quando fuit assignata sors tri-
bui Manasse ipse venerunt petitur, quod eis proueniebat, &
quia erat Eleazarus sacerdos unus de principalibus diuini-
bus terre, & Iosue alius, venerunt ante eos: nec solum ante
istos, sed etiam ante omnes assignatos ad hāc diuisionem fa-
ciendam, erant enim Eleazarus, & Iosue, & duodecim alijs vi-
ri de duodecim tribus, quorum nomina patent Numeri
34. cap.

Sed quia isti duo erant principiores, de his solum ex-
pressum est nominativum.

*Quare filiae Salphaad petierunt aliquid coram Iosue, cum iam
iudicatum esset coram Moysi, quod petierant.*

Q V A S T I O II.

SED diceret aliquis, cur filiae Salphaad petierunt aliquid
coram Iosue, quia iam fuerat adiudicatum eis, q̄ petierūt
coram Moysi ante transitum Iordanis.

Respondendum est, quod actiones distinctæ sunt: petie-
runt enim coram Moysi, quod declararetur posse succedere

patri suo non habenti liberos masculos, & assignaretur eis
possessio, quæ patri assignanda erat, & in hoc obtinuerūt co-
ram Moysi Numeri vigesimo septimo capitulo: nunc pete-
bant executionem huius, vel missionem in possessionem: nā
Moyses solum eis adiudicauerat ius succedendi, sed quia
tunc nondum data erat aliqua possessio dimidiæ tribui Ma-
nasse in qua erat familia Hepheritarū, in qua erat Salphaad,
non potuit sententia plenę tradi executioni: nunc autem as-
signabat Iosue possessionem dimidiæ tribui Manasse, in
qua erat familia Hepheritarum, de qua erat Salphaad, ideo
petierunt istæ puellæ assignari sibi possessio secundum
portionem patris. Et patet ex verbis suis, quia ex re iudi-
cata egerunt dicentes, Dominus præcepit per manum
Moysi, vt daretur nobis possessio in medio fratribus nostro-
rum &c.

Et principum. Aliqui intelligunt istos esse principes tribū: ha-
bebat enim qualibet tribus principem unū, vt pater Nu-
meri 1. & 2. & isti erant viri honorabiles in toto Israel: sed
non intelligitur de his, quin potius de quibusdam aliis duo-
decim viris, qui designati fuerant à Domino viuente Moy-
se, vt patet Numeri 3. 4. & vocantur principes, quia istis daba-
tur principatus quantum ad diuidendum terram. *Dicentes:*
Dominus præcepit per manum Moysi. Petebat assignari sibi por-
tionem hereditatis inter reliquos de familia Hepheritarum.
Et quia posset obiici, quod non erat eis debita sors, quia erāt
fœminæ, & fœminis non datur successio, confirmant peti-
tionem suam ex re iudicata, scilicet, quia iam Deus iussérat,
vt daretur eis portio Nume. 27. scilicet iustum rem postulant
filiae Salphaad: da eis possessionem inter cognatos patris sui,
& in hereditatem succedant: Dicitur per manum Moysi, id
est per Moysen: quia non locutus fuit Deus ista ad populum
per angelum suum, sicut in monte Synai, cum dedit præ-
cepta. Et istud vocat scriptura Deum loqui per se, quia existi-
mabant Iudæi Deum esse qui loqueretur. Locutus fuit autē
per Moysen, quia ipse retulit verba hæc ad populum, ideo
per manum eius, id est per eum iussit Deus. Est autem mo-
dus iste vulgaris loquendi, scilicet istud negocium expedie-
tur per manus meas, & tamen non expediatur per manus, sed
alias: quia tamen manus est organum organorum omnes o-
perations, quae aliquo modo fiunt per organa attribuuntur
manui.

Vt daretur nobis possessio in medio fratribus nostrorum. Id est in-
ter fratribus nostros, accipitur enim hic medium per interpo-
sitionem, & non pro æquidistantia: nam Num. 27. vbi ponit
sententia data à Deo super hoc, dicitur: Iustum rem po-
stulant filiae Salphaad: da eis possessionem inter cognatos
patris sui: sed scriptura non facit differentiam dicere in me-
dio, vel inter: ideo qui interdum innituntur similibus verbis
ponderantes ea, & obseruantes differentiam secundum na-
turam vocum nimis errant: accipiuntur hic fratribus pro
cognatis: nam filiae Salphaad non habebant fratribus: si enim ha-
buissent sublata foret omnis quæstio de successione filiarum
Salphaad. Nam cum quis habebat liberos mares, etiam si ha-
beret filias, soli mares succederant: & si haberet, quis vnicū
filium mare, & plurimas filias ille solus succederet, filiae aut
non succederant nisi in defactum filiorū, vt patet Nu. 27. c.
data fuit autem hereditas filiabus Salphaad, quia nullus erat
filius masculus, vt patet præallegato capitulo more tamen
scripture vocantur fratribus id est cognati. Et patet hoc ex tex-
vnde trahitur ista littera, quia Num. 27. c. dicitur: Da eis her-
editatem inter cognatos patris sui, & illæ allegantes hāc sen-
tentiam Dei dixerunt, q̄ Deus iussérat dari eis possessionem
inter fratribus suos, pro eodem fratribus & cognatos accipientes.
Sed non accipiuntur hic fratribus pro omnibus cognatis lar-
ge: nā qui erant in tota tribu Manasse nō vocabantur fratribus
filiarū Salphaad, nec inter eos suscepserūt hereditatem, quia
tūc potuissent accipere portionem ad partem orientalem Ior-
danis cū reliqua dimidiæ tribu Manasse: acceperūt aut solum
in tribu Hepheritarum, quia in hac familia erat Salphaad: &
hoc etiā patet ex sequenti, quia cū ipse petiissent dari sibi sor-
te inter fratribus suos, data est eis pars inter fratribus patris sui.

Deditque eis iuxta imperium domini possessionem. Deus iussérat,
quod daretur eis possessio, quia recte petebant, & quia tem-
pore Moysi nulla erat possessio, quae assignari posset eis, data
fuit tempore Iosue.

Arguet

A Arguet aliquis, quod potuisset assignare eis Moyses partem: nam ipse diuisit terram duorum regum Amorrhorum tribui Ruben, & Gad, & dimidia tribui Manasse Deuter. 3. & sup. 13. ergo in illa sorte dimidia tribus potuisset dare possessionem filiabus Salphaad.

Respondendum est, quod filii Salphaad suscepturæ erant possessionem in tribu sua, & in familia sua: in tribu autem Manasse erant 8. familie, vt patet Num. 26. cap. quarum quatuor acceperunt possessionem ante Iordanem ad orientem, aliae quatuor ad occidentem Iordanis in terra Chanaan. Primam partem distribuit Moyses, secundam autem Iosue: sed familia, in qua erat Salphaad scilicet familia Hepheritarum accepit possessionem ad occidentalem partem Iordanis vt patet hic: ergo Moyses non potuit assignare possessionem filiabus Salphaad.

In medio fratum patris earum. Vocantur fratres patris earum id est cognati Salphaad, vel possunt accipi proprii fratres: nam Salphaad fuit filius Hepher, a quo vocata est familia Hepheritarum, & habuit Hepher alios filios præter Salphaad, alioquin nulli masculi essent hoc tempore in familia Hepheritarum, sed contrarium suprà inductum est: alij autem filii Hepher acceperunt possessionem, sicut accepturus erat Salphaad: suscepserunt possessionem, quia pertinebant ad eandem familiam.

B Quid sunt in iste in seruus
Psal. 15. C

Et ceciderunt funiculi Manasse 10. Est funiculus instrumentum quoddam ad mensurandum terram, quo in longum, & latum mensurabatur terra per quadratum, & sic est in mensurandis vīcis, vel agris. Erat autem funiculus aliquid valde magnum, cum dimidia tribui Manasse solum decem funiculi dati fuissent hæreditatis. Per istos funiculos æquabantur hæreditates tribuum, quoniam secundum, quod se habebat tribus ad tribum in portione virorum, ita se debebat habere portio ad portionem in magnitudine: dato ergo quod sciretur aliquam tribum esse duplam ad aliam in multitidine, oportebat dari duplum de forte, & vt non erraretur diuidebatur terra funiculo certificante omnia, quamquam ad hoc etiam considerabatur quantitas terræ, quedam enim terra erat in qua præualebant duo funiculi, quin in alia quatuor: ideo etiam ad hoc attento siebat æqualitas arithmeticæ secundum proportionem excessus, scilicet, quod quantum excedebat una tribus aliam in multitidine virorum, tanto excederet una fors alteram in quantitate terra. De ipsis funiculis sepe dicitur in scripturis, vt in Psalm. Funes mei ceciderunt in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi, id est funiculi diuidentes, vel mensurantes portionem meam ceciderunt in præclaris id est in terra bona, vel excellenti & sicut isti funiculi proficiebant ad recte distribuendum terram inter tribus, ita proficiebant ad distribuendum inter familias, & domos, & inter singulos virorum.

Absque terra Galaad, & Basan. Dimidia tribus Manasse accepit fortē ante transitum Iordanis ad orientem, & huic data est terra Galaad scilicet medietas montis illius, quæ erat terra declinans ad vnam partem montis illius scilicet ad Aquilonarem: etiam accepit terram Basan: est enim quedam regio satis magna in qua erat 60. oppida munita muris portis, & seris, quæ vocantur vrbes in scriptura. De hoc Deuteronomij tertio, & supra 13. & in terra illa non dicitur, quot funiculi erant, quia forte non erat ibi diuisio per funiculos, sicut fuit tempore Iosue. Alia autem dimidia tribus Manasse accipiens portionem cum tribu Ephraim suscepit funiculos, decem.

Trans Iordanem. Id est ad orientalem partem Iordanis, quia Basan, & Galaad sunt ad Orientalem partem Iordanis, cum extremitates fortium illarum terminentur in Iordanis supra 13. cap. ista præpositio (trans) dicit positionem sicut (vltra) & posito aliquo medio inter duo vtrunque illorum potest vocari vltra, vel citra respectu interpositi: & sic erat de Iordanis interposito, quia terra duarum tribuum, & dimidia erat orientalis respectu Iordanis, & terra nouem tribuum, & dimidia erat occidentalis, vtraque tamen dicitur trans Iordanem, vterque modus horum ponitur Nu. 32. in litera quod accipiatur pro parte orientali patet supra primo 12. & tredecimo, quod pro parte occidentali patet supra 5. scilicet postquam audierunt reges Amorrhæi, qui habitabant trans Iordanem ad occidentalem plagam.

Filiae enim Manasse possederunt hereditatem in medio filiorum eius. Repetitio sententie supra positæ est: refertur enim ad filias Salphaad: & istæ sunt filiae Manasse, quia erant de stirpe Manasse: sic dicitur Luc. i. quod Elisabeth mater beati Ioannis erat de filiabus Aaron id est de descendantibus ab Aaron, & istæ possederunt hæreditatem inter filios eius id est Manasse: nam viri de familia Hepheritarum erant de filiis Manasse, & inter eos acceperunt possessionem filiae Salphaad, vt patet sup. & ponitur hoc, quia in omnibus alijs consueuerat dari possessione solis viris, hic autem data est fœminis: ideo de eis tanquam de aliquo speciali exprimitur scilicet, quod filii Salphaad acceperunt hæreditatem.

Terra autem Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse, qui reliqui erant. Ista est fors dimidia tribus Manasse, quæ erat ad Orientem Iordanis, & non solum accipitur hic pro terra Galaad, sed etiam pro terra Basan, quia vtraque data est in sortem dimidiæ parti Manasse, vt patet supra. Non curat tamen scriptura semper plene enarrare, potissimum cum aliqua res sepe repetenda est.

Ista litera videtur signare, quod tribus Manasse fuit diuisa in duas partes, & vni carum data est possessione ad occidentalem plagam Iordanis, de qua hic: reliqui autem de tribu hac, qui non receperunt possessionem hic, receperunt ad orientalem plagam Iordanis.

Sed dicendum est potius fuisse econtrario, quia primo diuisa est terra, quæ erat ad Orientalem plagam Iordanis, & data est ibi fors dimidia tribui Manasse, atque collocatæ sunt familie quatuor, quæ sunt medietas illius tribus. Relinquentur autem quatuor familie aliae, & haec suscepserunt hæreditatem ad Occidentalem plagam Iordanis scilicet decem funiculos istos de quibus hic. Nam alioquin dabitur, quod viuente Moysi non fuerit data possessione aliqua dimidiæ tribui Manasse, quod falsum est, quia Nume. 32. & Deuterono. 3. & supra 13. dicitur quod tradiderit Moyses dimidiæ tribui Manasse medium montis Galaad: & totam terram Basan: accipitur tamen hic improprie istud relatum (reliqui) quia reliquus idem est, quod residuus & in hoc signatur ordo antecessionis, & successionis: sed accipitur reliquus id est alius scilicet, quod quidam de stirpe Manasse suscepserunt hæreditatem in decem funiculis, de quibus hic: alij autem accepserunt in terra Galaad, & Basan scilicet.

Qui reliqui erant. Id est cecidit in sortem aliorum filiorum Manasse, qui non erant de suscipientibus possessionem in his decem funiculis, & illi prius suscepserunt hæreditatem, quam isti.

Fuitque terminus Manasse ab Aser Machmathath, quæ respicit sichem, & egreditur ad dextram iuxta habitatores fontes Taphuae. Etenim in sorte Manasse ceciderat terra Taphuae, que est iuxta terminos Manasse filiorum Ephraim, descenditque terminus vallis arundineti in meridiem torrentis ciuitatum Ephraim, que in medio sunt urbium Manasse: Terminus Manasse ab Aquilone torrentis, & exitus eius pergit ad mare: ita ut possessio Ephraim sit ab Austro, & ab Aquilone Manasse, ut vtrunque claudat mare, & coniungantur sibi in tribu Aser ab Aquilone, & in tribu Issachar ab Oriente. Fuitque hæritas Manasse in Issachar, & in Aser Bethsan, & viculis eius, & Lebbaam cum viculis suis, & habitatores Dor cum oppidis suis, habitatores quoque Endor cum viculis suis: similiterque habitatores Thenach cum viculis suis, & habitatores Mageddo cum viculis suis, & tertia pars urbis Nopheth. Nec potuerunt filii Manasse has ciuitates subuertere, sed cœpit Chananaeus habitare in terra sua. Postquam autem conualuerunt filii Israel, subiecerunt Chananaeos, & fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos.

Fit autem terminus. Hic ponitur possessio virorum in dimidia tribu Manasse. Vel magis postquam dictum est de portione mulierum agitur de habitatione terminorum & conditione habitatorum.

A
Habi-
tudo
fortis
Manas-
se ad
fortem
Ephra-
im.

Fuit autem terminus Manasse ab Aser Macmathath. Ista est habitudo sortis Manasse ad sortem Ephraim, & ad sortes duas circumstantes scilicet ad Aser, & Issachar: inter Manasse autem, & Ephraim non erat proprie differentia tanquam duarum sortium per terminos diuersos, sicut siebat in alijs tribubus: nam ipsi conquesti sunt se habere funiculum sortis vnius, cum essent in magna multitudine infra in littera scilicet quare dedisti mihi possessionem sortis vnius, & funiculi vnius, cum sum tantum multitudinis, & benedixerit mihi dominus? Vnde non erat latus aliquod porrectum ab Oriente versus Occidentem dividens sortem Ephraim, & Manasse, sicut inter reliquias tribus erat, sed vrbes Manasse circundabant vrbes Ephraim ex Aquilone, & Oriente, sicut dicitur praecedenti capitulo, quod separata fuerunt vrbes Ephraim in medio Manasse: & idem patet infra, & hoc tanquam essent ambae sortes vna sors nihil distincta, erat tamen aliqua distinctione sed quia scriptura ponit velut vnam sortem non designauit penitus differentiam, quamquam in aliquo differre possint, cum dixerit infra, quod sors Ephraim erat à Meridie, & sors Manasse erat ab Aquiloni. Ponitur etiam hic habitudo sortium istarum duarum ad sortem Issachar, & Aser, quae tangunt eas, & dicitur de sorte Manasse, quod respicit sortem Aser tangens eam in ciuitate quadam dicta Machmathath, vel Machematathach, & ista est, de qua dicitur praecedenti capitulo, Machmathath vero ad Aquilonem respicit, & circuit terminos contra Orientem in Thanathfelo, est enim Machmathath ciuitas pertinens ad latus Orientale, sed illud aliquando curuatur elevando contra Orientem, & aliquando flectitur contra occidentem, ideo dicitur, quod de Machmathath circuit terminos contra Orientem in Thanathfelo, est etiam Machmathath Aquilonaris, quia est in extremitate lateris Orientalis contra Aquilonem, & in hac vrbe coniungitur sors Manasse sorti Aser, quod satis consonat ei, quod infra dicitur scilicet, quod sors Manasse, & Ephraim coniunguntur sorti Aser ab Aquilone, & sorti Issachar ab Oriente.

Quae respicit Sichem. Id est vrbs Machmathath respicit Sichem, est enim Sichem magis australis, cum Machmathath ponatur de maxime Aquilonaribus in sorte Manasse. Ista ciuitas Sichem non debuit venire in sortes, cum terra diuisa est, quia Jacob instituit omnes filios suos heredes ex aequo in terra, quam promiserat ei dominus, præter hoc, quod duos filios Joseph Manasse, & Ephraim adoptauit eos consituens aequales in succendo Simeoni, & Ruben Genesis quadragesimo octavo, & in hoc indirecte dedit Joseph duas sortes, cum cuilibet aliorum deditisset vnicam. Præter hoc addidit ipsi Joseph meliorationem quandam dans ei vrbe Sichem cum suburbanis suis, & hoc quia magis poterat testari de hac vrbe, quam de ceteris, cum acquisiuisset eam specialius in gladio, & arcu, de quo Gen. 48. capitulo scilicet Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo. Partem quoque huius emerat ipse Jacob prius cum venit in terram Chanaan. De quo infra 24. scilicet sepelierunt eum in Sichem partem agri, quam emerat Jacob à filiis Hemor patris Sichem centum nouellis oviibus. Ideo licet diuideretur tota terra Chanaan, & cecidisset Sichem in terra sortis alicuius alterius tribus, quam filiorum Joseph, non pertinueret ad tribum illam, sed ad filios Joseph: sed factum est, ut proueniret eis in sortem: nam fuit in sorte Ephraim, ut patet infra 21. in hac vrbe scilicet in agro quodam apud illam sepulta sunt ossa Joseph, quae Israëlitæ asportauerunt de Ægypto, ut pater infra 24. scil. Ossa quoque Joseph, quae tulerant filii Israël de Ægypto sepelierunt in Sichem & cetera, deinde ista vrbs separata est in ciuitatem refugij: iusserrat enim Deus ponit ciuitates ad quas configere poterat, qui effuderant sanguinem non volentes, de quo Nu. 35. & Deut. 19. de quibus fuit vna Sichem in monte Ephraim infra 20. c.

item ista ciuitas fuit data filiis Leui de tribu Ephraim cum singulæ tribus darent aliquas vrbes sacerdotibus, & Leuitis. De hoc inf. 21. c.

D
Ad quid profuit specialis traditio Sichem facta Joseph à Jacob nam etiam aliter prouentura erat.

Q V A S T I O III.

SED quærat aliquis, quid profuit specialis traditio Sichem facta Joseph à Jacob, de qua Genes. 48. nam si non cecidisset Sichem in sortem filiorum Joseph, & ipsi præter sortem suam accepissent Sichem in quacunque tribu foret, sati videbatur esse specialiter data: nunc tamen non videtur, quid proficerit, quia etiam si non fuisset data Sichem specialiter Joseph, accepissent eam filii eius, cum cecidisset in sortem eorum.

Respondendum, quod profecit. Nam sortes tribu[m] mensurabantur funiculo quantum ad magnitudinem suam, ne aliqua tribus defraudaretur non posita certitudine mensurae. Sic patet de dimidia tribu Manasse, quæ accepit funiculos decem possessionis, ut patet supra. Cum autem possessio Ephraitarum, & Manassitarum funiculo diuisa, & separata à ceteris fuit non fuit in mensura funiculi vrbis Sichem, sed præter illam fuit completa sors filiorum Joseph, ideo quoque modo ponatur semper proficiebat specialis illa traditio vrbis Sichem, & tamen si esset vrbs Sichem in aliqua alia tribu, efficeretur molestum tam filii Joseph, quam tribui illi in cuius sorte esset Sichem. Primo quia diuiderentur tribus, cum in separatis locis hereditatem acciperent. Secundo quia tribui illi in cuius hereditate esset Sichem admiseretur alieni. Diuise ergo terræ fecerunt, ut Sichem esset in terra sortium filiorum Joseph.

Et egreditur ad dexteram iuxta habitatores fontis Taphua.

Id est terra sortis Manasse egreditur, vel descendit ad dexteram scilicet ad meridiem iuxta vrbum Taphua: pars enim Aquilonaris est sinistra, & australis est dextra, ut si aliquis cœuat vultum suum ad solis ortum, erit dextra eius ad meridiem, & sinistra ad Aquilonem, & ita hic est descensus à Machmathath, quæ est in parte Aquilonari ad partem meridianam, & in hac est ciuitas Taphua, ibi enim sors filiorum Joseph tangit sortem Iudeæ, quæ est maxime meridiana. Nam vrbs Taphua est in sorte filiorum Iuda, ut patet supra decimoquinto: ideo vbi sors Manasse contingit terram Taphua, necesse est, ut contingat sortem Iudeæ & dicatur.

Iuxta habitatores fontis Taphua. Quia fons Taphua est aliquid valde famosum in terra Taphua, & & est in extremitate sortis Iudeæ: ideo apud fontem illum tangit sors Manasse sortem Iuda: ciuitas autem Taphua est magis intra sortem Iudeæ: ideo non contingat apud eam sors Manasse sortem Iudeæ.

Quidam dicunt, quod ponitur de fonte Taphua, & non de vrbe Taphua, quia vrbs Taphua non erat in sorte Manasse, sors autem Taphua erat in ipsa sorte: & hoc forte apparet, quia terra Taphua cecidit in sorte Manasse, & ipsa vrbs Taphua fuit in sorte Iuda.

Sed non stat: nam hic ponuntur termini sortis Manasse: si autem esset fons Taphua in sorte Manasse, non diceretur, quod transit sors Manasse iuxta habitatoris sortis Taphua: quia (iuxta) dicit aliquid extrinsecum: sicut dicimus vnius tribus sors est apud sortem alterius tribus.

Ideo dicendum, quod fons Taphua, & habitatores illius sunt in sorte Iudeæ, & vbi coniungitur sors Manasse sorti Iudeæ sunt habitatores fontis Taphua.

Et enim in sorte Manasse cecidit terra Taphua. Inducantur superiora scilicet, quod possit transire terminus Manasse iuxta habitatores fontis Taphua, quia in sorte Manasse cecidit terra Taphua: id est quædam pars terræ Taphua: ideo si aliquid deterra Taphua pertinet ad terram Iudeæ, necesse est, ut limes terræ Manasse, & Iudeæ sit apud habitatores terræ Taphua, quia ambæ sortes communicant in terra Taphua.

Alio modo poterat stare tota litera, quod intelligatur habitatores fontis Taphua, & ipsum fontem esse in sorte Manasse, & tunc ista litera sequens stabit scilicet, quod terra Taphua cecidit in sorte Manasse: id est quia cecidit terra Taphua intra sortem Manasse poterat latus terræ Manasse transire apud habitatores fontis Taphua.

Et cum arguitur non stare, quia dicitur, quod trāsit terminus ter-

*suum
Ta-
phua*

F

A nus terræ Manasse apud habitatores sortis Taphua in quo signatur terminus extrinsecus.

Respondendum, quod cum ponuntur termini sortium interdum ponuntur termini aliqui, qui sunt intrinseci, interdum vero termini extrinseci, ut patet praecedenti capitul. & infra sequenti capitulo in sorte Beniamini: ita hic cum describeretur latus Manasse positi sunt termini intrinseci: & ista litera signat satis esse terminos intrinsecos, cum dicat, quod in sorte Manasse ceciderat terra Taphua. Vtrunq; ergo potest flare, sed magis primus sensus scilicet, quod ciuitas Taphua sit in sorte Iudea apud limites, & quædam pars terræ eius, alia autem terra illius sit in sorte Manasse: fons autem Taphua, & habitatores fontis sint in terra sortis Iudea. In Hebreo dicitur.

Etenim in sorte Manasse cecidit terra Taphua, & Taphua.

Differat à superiori nostra litera, quia ponit urbe Taphua in sortem Manasse: litera nostra non transfluit de ipsa urbe Taphua, sed de terra eius: causa est, quia urbs Taphua cecidit in sorte iudea, ut patet supra decimoquinto: ideo non poterat esse in sorte Manasse, poterat tamè aliquid de terra Taphua esse in sorte Manasse. Et si dicatur, quid ergo ad literam hebraicam?

Respondendum, quod modus loquendi Hebraicus est multum barbaricus, interdum aliquid sèpe repetendo, & valde inutiliter, interdum vero subtilendo, ut pluries in libro isto appareret legenti literam hebraicam: ita existimauit litera nostra esse positum Taphua ex superabundati: ita quod non significetur amplius per terram Taphua, & Taphuam, quam per solam terram Taphua.

Sed adhuc satis posset teneri litera Hebraica scilicet, quod in sorte Manasse fuerit terra Taphua, & urbs Taphua.

Sed tunc dicendum, quod non est ista Taphua, de qua dicitur in sorte iudea, sed sunt multæ: sic enim patet de Asor, quarum tres sunt in sorte Iudea, ut patet supra 15. ponuntur quatuor ciuitates dictæ Asor, & una in sorte Nephtalim inf. 19. sic etiam de Bethsames, quæ est in sorte Iudea infra decimoquinto, & alia in sorte Issachar infra decimonono, & sic de multis.

Sed litera nostra voluit esse unicam Taphuam, ideo cum posita fuerit in sorte iudea non dixit eam esse in sorte Manasse, licet reperiatur in Hebreo. Concesso autem isto sensu debet dici, quod hic ponantur termini intrinseci sortis Manasse scilicet, quod Taphua, & tota terra eius sit intra sortem Manasse, & habitatores fontis Taphua sint in extremitate tribus, & iuxta hos transire dicitur terminus Manasse.

Quæ est iuxta terminos Manasse filiorum Ephraim. Idest ista terra Taphua est iuxta terminos Manasse, & filiorum Ephraim, quia ex aliqua parte idem est terminus utriusque sortis: sicut in parte Aquilonari ambæ coniunguntur in sorte Aser, ut patet infra in litera, & tunc possunt accipi termini isti tanquam intrinseci. Primo modo dicetur, quod terra Taphua, & fons atque habitatores fontis sint intra terram Manasse, & Ephraim tamen apud istam terram transit terminus diuidens sortem Manasse, & Ephraim à sorte Iudea. Vel si sint termini extrinseci dicetur, quod terra ista Taphua est apud terminos Manasse, & Ephraim id est est in sorte Iudea: & tamen fons Manasse, & Ephraim coniungitur sorti Iudea apud terram istam habitatorem fontis Taphua.

Si autem dicatur secundum literam Hebraicam, quod urbs Taphua, & eius terra atq; habitatores sunt in sorte Manasse, erit sensus, quod habitatores fontis Taphua sunt iuxta terminos Manasse, & filiorum Ephraim, id est quod diuiduntur istæ duæ sortes apud habitatores fontis Taphua, ita quod sit terra ista in sorte Manasse, & apud terminos illius, quia latus sortis Manasse, & Ephraim coniunguntur apud habitatores fontis Taphua: & hoc satis consonat litteræ sequenti, vbi ponitur distinctio sortis Manasse, & Ephraim, quia ab Aquilone est Manasse, ab australi est Ephraim, etiam quia ponitur differentia per torrentem medianam inter Ephraim, & Manasse.

Sed literæ nostræ non multum conuenit iste sensus, qui vult ponere urbem Taphua in sorte Iudea solum, & quædam partem in sorte Manasse de terra illius: ideo non mediabit inter Ephraim, & Manasse Taphua, & terra illius, sed inter sortem Iudea, & has duas tribus.

Descenditq; terminus vallis arundineti in meridiem torrentis ciuitatum Ephraim. Id est de habitatoribus Taphua descendit terminus Manasse in vallem arundineti. De valle pertransit in torrentem diuidentem ciuitates Ephraim à Manasse: & hoc ad meridiem torrentis. Litera est breuis, quia innititur sub-intellecto: cum enim continuasset terminum usque ad habitatores fontis Taphua, debuisset inde continuare terminos ad vallem arundineti, & inde ad meridiem torrentis ciuitatum Ephraim: subtinctus autem medium continuatione scilicet de fonte Taphua ad vallem arundineti, quia ista necessario subintelligebatur, velut si quis diceret ego iui Romam, & postea de urbe Ierusalem iui Babilonem. Hic subtiliter continuatio media scilicet, quod de urbe Roma iuerit Ierosolymam, sed necessario subintelligitur, quia qui semel stetit Roma non potest postea ire de urbe Ierusalem in Babylonem nisi de urbe Roma iuerit in Ierusalem. Hic autem subtiliter continuatio inter habitatores fontis Taphua, & vallem arundineti, & tamen praeced. cap. ponitur scilicet, & peruenit in Iericho, & egreditur ad Iordanem de Taphua, peruenitque contra mare in vallem arundineti.

Descenditq; terminus vallis arundineti. Id est terminus lateris peruersiens de Taphua in vallem arundineti descendit inde, iste descensus est per vallem per quam labitur Iordanis versus mare Sodomorum, quod est mare salissimum.

Descensus autem patet ex duobus, primo, quia itur de latere Aquilonari in meridianum, & in hoc communiter est descensus.

Quod autem sit versus meridiem continuatio ista patet, quia dicitur, quod terminus vallis arundineti transit in meridiem.

Secundo, & clarissimum patet, quia per vallem arundineti fluit Iordanis usque ad mare salissimum, sed fluxus ad prioniora est imper, nam istud latus terminatur in lingua maris salissimi, ut patet praeced. cap.

Vocatur vallis ista arundineti, quia ibi apud Iordanem in quædam parte vallis arundines multæ crescunt.

In meridiem torrentis ciuitatum Ephraim. Id est de valle arundineti transit latus terminans ad partem meridianam torrentis ciuitatum Ephraim. Est sensus, quod istud latus, quod hic continuatur est orientale, & tamen computatur ab Aquiloni verso meridiem, & cum perueniret ad vallem arundineti est ibi quidam torrens porrectus ab Oriente verso occidentem, siue aquæ veniant de Oriente ad Occidentem, siue e contrario nihil differt. Hunc torrentem interficit latus istud quod describitur, & transit vitra torrentem versus meridiem scilicet versus linguam maris salissimi, & illud mare est meridianum ad torrentem hunc. Ideo licet terminus, qui describitur transeat per ipsum torrentem, tamen ad meridiem eius transit cum extendatur, & hic ponitur finis lateris huius scilicet cum transierit ad meridiem torrentis ciuitatum Ephraim, quia finis est in lingua maris salissimi, ut patet praeced. cap. sed pars meridiana torrentis huius est apud linguam maris, ideo ponuntur pro codem termino.

Vocatur autem iste torrens ciuitatum Ephraim id est diuidens ciuitates Ephraim à ciuitatibus Manasse. Ex quo patet, quid istud latus descriptum hic non solum est pro sorte Manasse, sed etiam pro sorte Ephraim, cum descendat etiam ad partem meridianam torrentis diuidentis Ephraim, & Manasse. Modus autem diuidendi est, ut ad partem Aquilonarem torrentis sint urbes Manasse, & à parte australi sint urbes Ephraim, ut patet infra.

Quæ sunt in medio urbium Manasse. Id est urbes Ephraim sunt in medio urbium Manasse scilicet, quod circundantur ab illis.

Sed videtur non stare ista litera, cum dicatur infra, quod est fons Ephraim ab australi, & fons Manasse ab Aquilone: quæ autem sic se habent solum lateraliter se contingunt, & non est unum in medio alterius.

Respondendum est, quod neutrum istorum totaliter est accipiendo secundum rigorem verborum.

In quo sciendum, quod fons Ephraim, & Manasse non sunt penitus distinctæ, ut qualibet alias duæ sortes, quasi habeant latera quatuor penitus differentia, sed ponuntur tanquam una fons, ut patet infra, cù dixerunt filii Ioseph, & Manasse ad Iosue. Quare dedisti mihi possessionem sortis, &

A funiculi vnius, cum sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi dominus?

Etiam ex descriptione laterum, quia præcedenti capitulo cum describerentur latera sortis Ephraim non dicebatur de solo Ephraim, vel de solo Manasse, sed de filiis Ioseph simul tanquam sit eadem fors Manasse, & Ephraim. Rursus tamen non sunt penitus vna fors, sed intra ambitum istorum descriptorum laterum erant separatæ vrbes p:o tribu Manasse, & aliæ pro tribu Ephraim, & non erat commixtio, ita ut in differenter habitarent in quacunque parte terræ illius Ephraitiæ, vel Manassite, vrbes autem filiorum Ephraim fuerunt valde plures, quia tribus Ephraim erat integra, quæ suscipiebat hic possessionem, tribus autem Manasse erat hic dimidia, cù reliqua medietas accepisset possessionem ante trâsum Iordanis in terra Basan, & Galaad, vt patet supra in litera: & supra 13. & Deute. 3. erant autem ciuitates Manasse in circuitu Ephraim vt hic dicitur, quia latera terræ Ephraim circundabantur à ciuitatibus Manasse, nec tamen penitus circundabantur, sed à latere Aquilonari, & ab Orientali. De Aquilonari patet infra: de Orientali supra probatum est. Latus autem meridianum terræ Ephraim non erat rectum à latere terræ Manasse, sed coniungebantur lateri terra Beniamin, ideo dicitur infra, quod terra Manasse erat ab Aquilone, & terra Ephraim ab austro: erat tamen adhuc terra Ephraim intra terram Manasse, quia terra Manasse erat posita tanquam figura rectilinea, vt quadrangulus, terra autem Ephraim erat tanquam circulus. Vnde sicut si duo quadrati simul sunt iuncti lateribus, & describatur circulus cuius centrum sit in coniunctione laterum ipsorum absindet portionem de qualibet figura earum: ita fors Ephraim erat posita in rotundum quasi circulus, & erat pro maiori parte intra sortem Manasse, ideo absindebat eam, ita quod pars maior Ephraim erat intra Manasse, & non est sic de aliis sortibus, quia aliæ se habebant, vt figura rectilinea, & coniungebatur vna alteri, sed non subintrabat.

Terminus Manasse ab Aquilone torrentis. Hic ponitur aliqua distantia vel habitudo inter sortem, Manasse & Ephraim: nam licet fors Ephraim esset intra sortem Manasse, quia tamen non erat pars illius, nec ab ea penitus circundabatur manentibus duobus lateribus non rectis, necesse erat, vt esset ad Aquilonem, vel ad meridiem respectu Manasse, & sic ponitur hic, quia terminus Manasse erat ab Aquilone torrentis, iste est torrens qui vocatur ciuitatum Ephraim, vt supra patet scilicet diuidens ciuitates Ephraim à ciuitatibus Manasse & iste torrens est apud vallem arundineti. Ab Aquilone autem illius est Manasse, & ab austro est tribus Ephraim respectu torrentis illius. Sed non est intelligendum, quod perueniat iste torrens ab Oriente usque ad Occidentem diuidendo totam terram Ephraim, & Manasse, quia ista terra est monstrosa ab Oriente versus Occidente, & iterum atque iterum fiunt inclinationes, & eleuationes quoq; perueniat ad alterutrum terminorum. Sed iste torrens veniens ab Occidente versus Iordanem ex aliquanta parte sortis diuidit Ephraim, & Manasse.

Et exitus eius pergit ad mare. Id est finis sortis Manasse venit usque ad mare magnum, quod vocatur hic mare absolute: alia autem maria cum connotationibus denominantur, in isto mari terminatur latus terræ, quia non pretenditur ultra terram Chanaan: non est enim quidquam de ea ultra mediterraneum illud mare.

Ita ut ab austro sit possessio Ephraim, & ab Aquilone sit Manasse. Hoc potest referri ad torrentem scilicet, quod ad partem Aquilonarem torrentis huius diuidentis sit fors Manasse, & ad australem eius partem sit fors Ephraim. Vel potest referri ad partes mundi scilicet, quod fors Manasse magis respicit partem Aquilonarem mundi: fors autem Ephraim respicit magis latus meridianum terræ: etiam si non detur torrens medius vel alias limes inter Ephraim, & Manasse. Et quamquam verum sit quod respectu torrentis sit Ephraim ad meridiem, & Manasse ad Aquilonem, tamen necesse est redire ad secundam expositionem, quia non durat torrens per totam sortem Manasse, & Ephraim, & diuidantur per eum semper: & tam semper est verum, quod ad Aquilonem est Manasse, & ad meridiem Ephraim.

Et utrunque claudat mare. Id est tam fors Manasse, quam E-

D phraim clauduntur à mari magno, & peruenit utraque ad ipsum mare scilicet, quod non claudit fors Manasse sortem E-phraim à latere Occidentali, quia tunc sola fors Manasse tan-geret mare, utraque tamen tangit mare.

Et coniunguntur sibi in tribu Aser ab Aquilone. Non est sensus, quod fors Manasse, & Ephraim tangant se in forte Aser in latera Aquilonis quasi in nulla alia parti Aquilonari sibi coniunctæ sint, quin potius in toto latere Aquilonari coniunguntur, quia nulla fors intercidit Manasse, & Ephraim: ideo necesse est, vt totū latus Aquilonare sortis Ephraim sit coniunctum toti lateri sortis Manasse, vt patet intuēti habi-tudinem duorum quadratorum cōiunctorum in lateribus.

Vel si aliquod spatium terræ diuidatur solū in duas par tes: necesse est, vt vna pars tangat semper aliam, siue diuisio sit per lineam rectam, siue circularem, siue quomodo cunq; factam: ita erat in forte Ephraim, & Manasse, quia spatium comprehensum inter latera assignata præced. cap. diuiditur solum in duas partes Ephraim, & Manasse: ideo data linea ab oriente versus Occidentem diuidente istam terram, respectu cuius vna pars sit australis, & alia Aquilonaris, necesse erit, vt ista duæ partes semper se tangant: ergo non coniunguntur solum sibi in latere Aquilonis in forte Aser.

Sed sciendum, quod accepta tota terra Ephraim, & Manasse tanquam vna forte haberet à latere meridiano sortem Beniamin, à latere autem Occidentali mare magnum, ab Oriente vero tribum Issachar partem, & Iordanem in parte: ab Aquiloni tribum Aser. Partem autem meridianâ terræ huīus tenet sola tribus Ephraim, ideo ipsa solum coniungitur sorti Beniamin, fors autem Manasse nullatenus peruenit ad latus Beniamin. Ad latus autem Occidentale huīus terræ scilicet ad mare magnum peruenit utraque fors, sic dicitur supra, quod utrunque claudit mare: ad latus autem Aquilonare sortis huius est coniuncta terra Manasse, sed quia fors Ephraim est intra sortem Manasse tanquam circulus absindens portionem de figura recti linea extenditur in quadam parte, & peruenit usque ad latus Aquilonare, & ibi tam fors Manasse, quam Ephraim cōtingit Aquilonem, & de hoc intelligitur litera ista scilicet, quod coniungitur sibi Manasse, & Ephraim in Aquilone in forte Aser id est accipiendo latus Aquilonare totius terræ harum duarum sortium est apud sortem Aser: & non potest utraque fors tangere totum istud latus Aquilonare: immo si vna totaliter tangeret alia nihil tāgeret, sed quamquam fors Ephraim sit magis meridiana, quia fors Manasse, extenditur in quadam parte, & tangit latus Aquilonare in forte Aser: ibi autem necesse est diuidi sortem Manasse scilicet, quod non continuuntur partes eius, quia vel solum accedit ab Oriente versus Occidentem usque ad locum illum, in quo coniungitur Ephraim tribui Aser. Vel si accedit usque ad Occidentem ad mare, necesse est, vt diuidatur in loco, ubi fors Ephraim accedit usque ad contactum sortis Aser: sed utraque harum sortium accedit ad mare magnum, ut sup. patet: ergo necesse est sortem Manasse diuidi in latere Aquilonari. Dicuntur autem coniungi in Aquilone sibi in tribu Aser, quia in latere Aquilonari copulatur iste duæ sortes ad tangendum in forte Aser, sicut copulatur duo, vel tres anguli figurarum rectilinearum ad tangendum eundem punctum.

F *Et in tribu Issachar ab Oriente.* Patet etiam quomodo cōtingant iste duæ sortes partem Orientalem: nam non perueniunt capita harum sortium in parte Orientali ad extremitatem terræ Chanaan scilicet ad Iordanem, sicut perueniunt in latere Occidentali ambo usque ad mare, & ibi est extremitas terræ Chanaan: Num. 34. cap. est autem ad partem Orientalem Ephraim, & Manasse fors Issachar pro maiori parte: in quadam autem parte parua tangit iste sortes Iordanem scilicet apud vallem arundineti, & circa mare salissimum. Coniunguntur autem in tribu Issachar, quia fors Manasse quasi tenet totum latus Orientale terræ huīus, sicut fors Ephraim tenet latus meridianum, sed fors Ephraim subintrat in quadam parte tangens Orientem, & ibi coniungitur utraque tribui Issachar, & ambæ inter se.

Ad sciendum autem aliqualiter habitudinem harum duarum sortium considerandum est, quod nō possuntponi termini utriusque, sed utraque est sub eisdem terminis.

Item quia non habet iste duæ sortes habitudinem sicut aliæ sortes,

A fortis, ita quod vna sit penitus extra aliam, sed vna alteram subintrat, & dividit tanquam esset pars illius, ideo describentur amba simul sub quatuor lateribus, sicut describi solent aliae fortis: & tunc protrahentur linea intra istos terminos ad designandum quomodo fors Ephraim intersecet, vel absindat partes de forte Manasse, ponentur autem in latere Orientali aliqua de locis, quae habentur praeced. cap. scilicet Machmethath Ataroth Taphuæ, & vallis arūdineti. Ponendo Machmethath in principio lateris à parte Aquilonari, & vallem arūdineti in fine lateris à parte Aquilonari, in latere autem australi ponentur Iericho Bethel Archiatharoth, & mare magnum: in latere Aquilonari ponetur Ataroth, Addar, Bethoron mare magnum, in latere autem Occidētali ponetur solum mare magnum, & tamen hic in latere meridiano ponetur fors Beniamin, in Orientali autem fors Issachar, in Aquilonari vero fors Aser, & tunc ducentur quædam linea intra istam magnitudinem, quæ signent diuisionem Ephraim, & Manasse, & quomodo coniungantur in forte Aser in aquilone, & quomodo in forte Issachar in Oriente, & in his lineis non possunt assignari nomina vrbium, vel montiū, aut fluminum, quia scriptura nihil expressit.

B Fuit que hereditas Manasse in Issachar, & Aser. Non est intelligendum, quod hereditas aliqua Manasse esset in forte Aser, aut in forte Issachar, quia nulla tribus habebat aliquam possessionem in terra, quæ erat assignata alicui alteri tribui, sed est sensus, quod fors Manasse habuit apud fortem Issachar, & Aser ciuitates istas, quæ nominantur hic, erant enim fere tota fors Manasse apud fortem Issachar, & Aser erat ad partem aquilonarem, Issachar vero ad partem orientalem, & ad has partes suscepit possessionem Manasse: nam versus meridiē ad fortem Beniamin nihil acceperat, quia totum illud latus peruerterat Ephraim, vt supra designatū est in figura, ad partem etiam Occidentalem maior pars prouenerat Ephraim, quamquam vtraque fors clauderetur à mari. Manent ergo latus Aquilonare, & orientale apud quæ sit fors Manasse, & in his erant ciuitates nominatae hic.

Aliquis dicet, quod dimidia tribus Manasse nullas ciuitates præter has accepit apud fortem Ephraim, sed reliquum habuit in terra Balan, & Galaad ad orientem Iordanis.

Sed dicendum est non stare, quia dimidia tribus Manasse suscepit hic possessionem, sed iste vrbes nominatae non sufficerent pro illa multitudine, cum alia multitudo dimidia tribus suscepit totam terram Basan, & dimidiam partem terræ Galaad: in sola tamen terra Basan erant 60. vrbes muratae vt patet Deut. 3. & sup. 13. c. ergo plures ciuitates acciperebant hic alia medietas tribus Manasse.

C Item non stat, quia dicitur infra, quod de his locis nō potuerunt filii Manasse delere Chananæos à principio, sed postea præualuerunt, & fecerunt eos tributarios, sed non deleuerunt de terra, si tamen non haberent plures vrbes filii Manasse in hac sorte sua, nunquam habuissent ipsi aliquam urbem, vel oppidum ad habitandum, cum manerent Chananæi in terra, sed manifestum est, quod habuerunt: ergo præter istas vrbes habebant alias.

Item plures ciuitates, quæ non sunt de istis ponuntur in terminis harum tribuum scilicet Orientali, & aquilonari. De australi enim arguendū non est, quia pars illa pertinebat ad fortem Ephraim: latus autem aquilonare fere totum pertinebat ad Manasse præter particulam illam, in qua egrediēs fors Ephraim tangebat latus aquilonare in forte Aser. Orientale quoq; fere totum aut maxima pars ad Manasse pertinet, descendēdo ab aquilone ad meridiē, sed ibi sunt ciuitates multæ vt Machmethath Thanathis, Atharoth, Ianoe, Noaratha, & sic de latere aquilonari, vt patet praeced. c. ergo aliae multæ vrbes pertinebant ad fortem Manasse præter has.

Causa autem quare de his solum expressum est, potest esse duplex: prima quia iste vrbes sunt in angulis, vel partibus illis, vbi subintrat fors Manasse in fortem Aser, & in fortem Issachar, & ob hoc dicuntur esse in forte Issachar, & Aser id est in partibus illis, quæ videntur abscissa de forte Issachar, & Aser.

Alio modo potest dici, quod fit mērio solum de his vrbibus, quia iste sunt, quæ solum manserūt in potestate Chananæorum data forte Manasse, idem patet Iud. 1. c. Et ista videatur esse causa conueniens, nam prima non multum cōuenit, quia si ciuitates iste essent in locis, vbi subintrat fors Manasse

in fortem Issachar, & Aser, ponerentur tanquam termini in latere aquilonari, & Orientali, sed nulla harum ponitur: ergo non stat iste sensus, sed secundus.

Bethsan, & viculi eius. Contra quam tribum sit ista ciuitas, scilicet an contra Issachar, vel contra Aser, non constat. Ista ciuitas pertinebat ad Philistinos tempore Saulis: nam cum mortuus esset Saul in montibus Gelboe, & præcedissent caput eius mittentes per totam terram Philistuum, corpus eius suspenderunt in muro Bethsan, & cadavera filiorum Saulis: viri autem labes Galaad venientes nocte abstulerunt corpora inde Saulis, & filiorum suorum, vt patet primo Regum vltim. cap. Ex quo aliqualiter concluditur fuisse Bethsan contra fortem Issachar, scilicet contra orientem, quia habitatores Galaad potuerunt venire per noctem ad murum Bethsan, vt tollerent inde corpora Saulis, & filiorum suorum: si tamen fuisse longe distans, non potuissent illuc venire, aut non ausi fuisse viri de labes Galaad, cum Galaad sit in terra Manasse scilicet alterius dimidia tribus, quæ erat ad orientalem plagam Iordanis, & iste terræ non multum distanter.

E Et Ieblaam cum villulis suis. De ista vrbē non patet contra quam tribum sit, an Aser, vel Issachar, quia non est ciuitas famosa. Rarissime autem nominata inuenietur. Villulae vrbis huius dicuntur parua rura, quæ erant in circuitu illius, quia etiam ista peruerterunt in fortem Manasse. Intelliguntur etiam agri nomine villularum. Et habitatores Dor. Ista est ciuitas quædam, quamquam aliqui volunt eam esse regionem, & hoc quia dicit multis prouincias, vt patet supra 11. scilicet in regionibus quoque Dor iuxta mare. Est tamen ciuitas, & habebat regem unum, sed habebat apud se magnā prouinciam, ideo de hac vrbē dictum est specialiter, Rex Dor & prouincia Dor unus supra Duodecimo. Et de nulla alia vrbē sic dictum est, quasi nulla sic haberet prouinciam, vt ciuitas Dor. De hac fuit unus de regibus interfectis tempore Iosue, de quo supra, est autem ista ciuitas apud tribum Aser circa finem lateris aquilonaris apud occidētem. Quod patet, quia supra 11. cap. dicitur, quod Dor, & regiones Dor sunt iuxta mare, scilicet circa mare occidentale quod est mare magnum, cum dicatur absolute de mari, quod non conuenit, nisi mari magno, quod erat vere mare: reliqua autem erant stagna scilicet Genesareth, vel Cenereth, & mare salissimum, quod est mare Sodomorum. Cum oppidis suis. In terra Dor sunt oppida multa, quia terra Dor habebat magnā regionem, quæ vocatur prouincia, vt patet sup. 12. scilicet rex Dor, & prouincia Dor, & vocantur iste regiones multæ, vt patet supra 11. scilicet in regionibus quoque Dor iuxta mare. Est autem ciuitas ista circa finem lateris Occidentalis fortis Manasse.

F Habitatores quoque Endor cum villulis suis. Endor secundum interpretationē hebraicam significat fontem Dor, & intelligunt aliqui esse nomen appellatum scilicet quod esset aliquis fons in terra Dor, apud quem habitat Chananæi, sicut dicebatur sup. quia apud habitatores fontis Taphuæ transibat terminus Manasse, accipitur tamen Endor, vt nomen proprium unius vrbis. In hac autem erat Phitonissa illa, ad quam iuit Saul virgente Prælio Philistinorum 1. Reg. 28. cap. De hac vrbē etiam dicitur Psa. 83. scilicet Disperierunt in Endor. Ista ciuitas habebat villulas id est parua rura, vel agros, quæ pertinebant ad fortem Manasse.

Similiter habitatores Thenach cum villulis suis. Thenach est ciuitas, de qua fuit, quidam de regibus occisis tempore Iosue sup. 12. c. De hac vrbē, & ceteris habetur Iud. 1. c.

Habitatores Mageddo. Ista est ciuitas, in qua mortuus fuit rex Iosias percussus à sagittariis Pharaonis regis Egypti 4. Reg. 23. & 2. Paral. 25. pro quo nimis fleuit Ieremias, vt patet eod. cap. de hoc etiam Zacha. 12. scilicet erit magnus planctus in Ierusalem sicut planctus Andremon in campo Mageddon. De ista vrbē fuit, quidam de regibus occisis tempore Iosue, vt patet supra 12. c.

Et tertia pars vrbis Nopheth. Id est prouenit tribui Manasse tertia pars vrbis dicta Nopheth. Ista erat in tribu Aser, vel Issachar, & duæ tertie eius pertinebant ad tribum aliam, vna autem tertia ad tribum Manasse.

Hebrei autem literam istam aliter legendam dicunt scilicet, quod dicatur tres termini, quia ista dictio Nopheth est nomen commune pro termino, & intelligetur, quod

A tres termini erant urbium Manasse, vel quod fors Manasse coniungebatur tribus terminis id est tribus sortibus. Litera autem nostra accepit istud nomen Nopheth, & proprium ciuitatis: & dixit tertiam partem Nopheth pertinere ad Manasse.

Et hoc rationabilius est ex duobus.

Primo, quia dicere tres terminos nullam videtur inducere sententiam, & si aliquid sit nequaquam consonat eis, quæ dicuntur.

Secundo, quia hic dicitur de urbibus fortis Manasse, ideo concorditer ponitur, quod intelligatur de Nopheth, quod sit vrbs, & tertia pars eius conueniat filiis Manasse scilicet istas, quæ nominata sunt hic.

Sed arguet aliquis, quod non stet iste sensus de urbe Nopheth, quomodo enim diuideretur vna vrbs in duas partes, & darentur duas tertias vni tribui? Nam de terra vnius urbis, quod diuideretur duabus tribubus satis stat, sed non videtur de diuidenda urbe.

Respondendum est stare rationabiliter, quia diuidebatur terra per funiculos, vt patet supra, cum dicatur, quod decem funiculi prouenerunt tribui dimidiæ Manasse, sed funiculus faciebat æqualitatem, & præcisionem ideo satis contigeret, quod non possent venire in proportionem nisi datis diuisiōnibus interdum in aliqua urbe: & non fuit diuisa in duo æqualia, quia forte fors Manasse suscipiebat proportionem ad alias tribus data sibi parte tertia urbis Nopheth.

Nec potuerunt filii Manasse has subuertere ciuitates. Intelligitur solum de ipsis, de quibus in littera expressum est. Multas autem alias habuerunt urbes, sed nullæ restiterunt eis prater has, quia forte Chananæi de aliis urbibus in pugna, quam fecit Iosue antequam diuiderentur fortes, deleri sunt, vel filii Manasse accepta possessione expulerunt eos faciliter: hos autem non potuerunt superare.

Et ista est causa quare de tribu Manasse hæc solæ urbes expresse sunt, cum multæ aliae fuerint, quia nullæ restiterunt. Non est autem intelligendum, quod nequaquam potuerunt filii Manasse delere habitatores urbium, harum, sed non potuerunt à principio: postea autem potuerunt, sed non delauerunt facientes illos sibi tributarios, vt patet infr. in littera, idem habetur Iud. i. c.

Sed cœpit Chananæus habitare in terra sua. Id est manserunt Chananæi in forte Manasse. Possunt hic accipi Chananæi dupliciter scilicet pro quadam populo speciali de illis septem, vel pro omnibus illis: & sic Pherezæi, Iebusæi, Amorrhæi vocantur Chananæi.

Sed dicet aliquis quomodo cœpit habitare Chananæus in terra hac Manasse, cum semper habitauisset, & Manassites nouiter venientes non potuerunt delere illum?

Dicendum, q̄ non refertur istud possessorū (sua) ad Chananæum, sed ad Manasse. scilicet quod cœpit tunc habitare in terra Manasse: non quidem, quod simpliciter cœperit habitare in terra illa, sed cœpit habitare in terra Manasse, nam habitaerant Chananæi semper in terra hac usq; ad tempus, quo data est filii Manasse, & tunc erat sua, cum autem distributa est Israëlitis transiuit dominium ad tribum Manasse, quamquam Chananæi nunquam perdiderint possessionem, & tunc non possidebant Chananæi, quod suum erat, sed quod erat filiorum Manasse, & quia nouiter cœperant habere dominiū filii Manasse, nouiter cœperunt Chananæi habitare in terra Manasse. Postquam autem conualuerūt filii Israhel. Ad solos filios Manasse refertur, qui pugnabāt cōtra Chananæos, qui erāt in forte sua.

Satis tamen dici posset, quod Israëlitæ ceteri adiuuerunt filios Manasse contra Chananæos, & à principio non valebant eos excludere, quia pauci erant, cum autem multiplicati sunt, & roborati sunt in terra, conuenerunt, & præualerūt contra Chananæos. Hoc confirmatur, quia Iud. i. dicitur de his ciuitatibus, quod non potuerunt filii Manasse delere habitatores earum, postquam autem cōfortatus est Israhel, fecit eos tributarios, & delere noluit: magis tamen erat modus Israëlitarum postq; diuisæ sunt tribiū sortes, quod quælibet pugnaret contra habitatores urbium suarum, reliqui autem Israëlitæ non adiuuabāt eos, nisi ex mutuo auxilio, & non ex debito, vel tanq; essent omnes tribus tāquam vnum regnum, vel ciuitas: sed sicut regna coniuncta interdum componunt de compugnationibus, quia in bellis vnius aliud fiat sibi in ad-

iutorium, & econtrario: ita in tribubus interdum vna altera adiuuabat, & multa subsidia obligando. Sic patet Iud. i. scilicet ait Iudas Symoni fratri suo: Ascende mecum in forte mea, & pugna contra Chananæum, vt ego pergam tecum in forte tua, & abiit cum eo Simeon. Subiecerunt Chananæos, & fecerunt sibi tributarios. scilicet mouerunt bella contra eos. Chananæi autem videntes se inferiores subdiderunt se tributis, quod acceptaverunt filij Manasse. Et non interfecerunt eos. scilicet quia pepigerant non occidere eos, vt reciperen tributa, in hoc autem pescabant filij Manasse, quia iusserat Deus vt quando pugnaretur contra aliquas de ciuitatibus extra terram Chanaan possent eas accipere in tributarias si aperirent portas illis, si tamen essent de terra Chanaan non possent sub aliqua conditio pacis eos dimittere, siue vt tributarios, siue vt amicos, siue vt seruos. Deu. 20. ca. & ex hoc Deus inflxit mala multa iudeis, de quo dictum est præced. c.

Locutique sunt filij Ioseph ad Iosue, & dixerunt quare dedisti mihi possessionem fortis, & funiculi unius, cū sim tantæ multitudo nis, & benedixerit mihi Dominus: Ad quos Iosue ait: Si populus multus es, ascende in siluam, & succide tibi spatia in terra Pherezæi, & Raphaim, quia angusta est tibi posso montis Ephraim. Cui responderunt filij Ioseph. Non poterimus ad montana consondere, cum ferreis curribus utantur Chananæi, qui habitant in terra campestri, in qua siti sunt Bethsan cum viculus suis, & Iezrael medium possidens vallem, dixitque Iosue ad domum Ioseph Ephraim, & Manasse. Populus multus es, & magna fortitudinis non habebis sortem vnam, sed transibis ad montem, & succides tibi, atque purgabis ad habitadum spatia, & poteris ultra procedere, cum subuerteris Chananæum, quem dicas ferreos habere currus, & esse fortissimum.

Locutique sunt. Hic ponitur pro dilatatione fortium filiorum Ioseph facta petitio. Putabant enim se grauatos filii Ioseph, quod eis angusta terræ portio relata foret, cum essent duas tribus, sed non grauabantur. Quod patet, quia cum petitiōnē addi aliquid sibi, nihil additum est. Locutique sunt filii Ioseph ad Iosue. Ambæ tribus scilicet Manasse, & Ephraim conquerentes sunt, quia cuiilibet earum videbatur locus angustus, & fuit ista petitio ad Iosue directa, non quidem ad ipsum solum, sed ad Eleazarū simili, & ad omnes senes diuiseores terræ scilicet ad 12. de quibus Nu. 34. sed scriptura loquitur breuiter. Et patet hoc, quia solus Iosue non erat datus diuisor terræ, sed cum eo Eleazar sacerdos, & 12. viri: augmētare tamen aliquā sortem erat quid de diuisione terræ, ideo oportebat eam agi coram Iosue, & omnibus aliis iudicibus: potissime, quia in hoc viderentur magis grauari alij tribus, quam si à principio tradita fuisset maior fors tribui Manasse. Quod enim indiuisum erat relictum, ceteris tribubus, quæ nondum sortem acceperant, in ius cedebat, ideo adhuc maiori egebant maturatione: præcipue, quia petebat hic tribus Ephraim, & de ea erat Iosue, vt patet Nu. 13. ideo posset aliqualiter præsumi fauorabilis si solus indicaret, & tamē non fuit, quia non cōcessit, quod petierant contribules sui. Et dixerūt quare dedisti mihi. Omnes de tribu Manasse, & Ephraim constituerunt aliquos, qui nomine eorum peterent à Iosue dilatationem fortis, & petebant tanq; nom. ne vnius, ac si diceremus esse vñā tribū Manasse & Ephraim. Quod patet ex verbis sequentibus scilicet quare dedisti mihi: si tamen peterent, vt duę tribus dixissent: quare dedisti nobis, dixerunt autem, quare dedisti, referendo ad solum Iosue, quasi ipse solus dedisset: tamē non dederat solus, sed oēs diuiseores terræ in hoc dissinierāt, quia tamē ipse erat, vt præsidens ad eum in totū referebatur collatio. Possessionem fortis, & funiculivnius. i. quare dedisti solam vnam sortem. Dicitur contra, quia supra ponūtur fors Manasse, & Ephraim, velut duę sortes, vt patet præce. c. & hic. Etiā assignatur supra diuiso ipsarū, quia ponitur fors Manasse ab aquilone, & fors Ephraim ab austro. Dicendū, quod vere habebant duas sortes Manasses, & Ephraim, & tamē dixerūt se habere sortē vñā, quia erat clausa vtraq; fors sub eisdem terminis scilicet quod non ponebātur diuersi limites cuilibet earū, vt supra in forte Iude

A iudicæ fuerunt positi, & tamen intra illos terminos communis erat diuisio sortis Manasse ab Ephraim. Alio modo potest intelligi, quod erat sors vna, id est, tota possessio Manasse, & Ephraim erat, tanquam unica sors quantum ad magnitudinem: & istum sensum magis facit litera, nam non cōqueisti fuerunt filii Ioseph, quod essent fortes eorum non habentes diuisione terminorum sicut aliae fortes, quia hoc nihil erat, sed quia erat parva terra, & ipsi erant in multitudine magna, & ita patet ex verbis eorum, scilicet cum sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi dominus, sed quanquam videretur filii Manasse, & Ephraim, quod paucum suscepissent, non erat paucum: nam mensura funicularum limitata erat hereditas, ut patet supra & non poterat sic dari præter proportionem, ei tamen qui possidet, ea quæ habet, modica videntur ex cupiditate accipiendi ampliora, ideo non fuit eis quidquam datum, licet addi petuerint: si tamen præter proportionem accipientes fuissent grauati, additum fuisset eis aliiquid. Et funiculus unus. Id est unicus funiculus possessio nis accepi. Sed arguitur, quia dicit supra quod accepit Manasses funiculos præter possessionem terræ Basan, & Galaad. Respondendum est, quod funiculus accipitur, super pro quadam determinata mensura, quæ siebat per funiculum, & de his accepit tribus dimidia Manasse funiculos decem. Alio modo accipitur funiculus pro forte, vel hereditate diuisa per funiculos, & tunc coincidunt funiculus, & sors, scilicet quod qualibet tribus habebat vnū funiculum, quia unam sortem, & redit in primum sensum. Cum sim tantæ multitudinis. Exponebant filii Ioseph causam grauaminis, scilicet quia erat populus magna multitudinis, & data fuerat ei parua sors: Deus tamen iussit. Nu. 26. pluribus maiorē partem dabitis, & paucioribus minorē, ita ut omnia sors diuidat. Et benedixerat mihi dominus. Id est, Deus adauxit me in multitudine cum alias fuiscerent in minori numero, ideo non debes me priuare iure mihi debito: benedictio n. signat multiplicationem, & maledictio diminutionem, sicut declaratum fuit, supra 15. cum Axa petiuit benedictionem à patre suo Caleb. De multiplicatione autem filiorum Ioseph considerandum est, quod Israelitæ in deserto murmurauerunt contra Deum in Canesbarne venientibus exploratoribus, propter quod sententia lata est, ut morerentur omnes, qui numerati fuerant a 20. annis, & supra & omnes hi defecserunt in spatio annorum ferè 38. nam in 2. anno ab exitu de Ægypto fuit lata sententia, & in anno 40. iam erant omnes mortui. Hoc modo cum Israel in illo spatio annorum 38. debuisset valde multiplicari, scilicet ad duplex & amplius, non superfuerunt ad primum numerum, sed defuerunt mille octingenti triginta viri. Nam in principio mensis 2. anni 2. ab exitu de Ægypto facta computatione in deserto Sinai fuerunt sexcenta tria millia quingenti, 50. anno autem 40. ab exitu de Ægypto facta computatione apud Iordanem inuenta sunt sexcenta millia, & mille septingenti triginta: de primo. Num. 1. de secundo Nu. 26. cap. fuit autem facta defalcatio magna in quibusdam tribubus, quia quedam habuerunt decem millia, & amplius prima computatione, quam secunda. Aliæ autem tribus habuerunt amplius. De tribubus filiorum Ioseph accidit, quod essent plures in numeratione secunda, quam prima, quia in prima numeratione in monte Sinai fuerunt in ambabus simul tribubus septuaginta duo millia septingenti, ut patet Nu. 1. in secunda autem numeratione anno 40. fuerunt octoginta quinque millia ducenti. Nu. 26. c. Fuit tamen ista multiplicatio in tribu Manasse: nam tribus Ephraim valde decrevit. Fuerunt enim in prima numeratione in tribu Ephraim 40. millia quingenti: secunda autem numeratione fuerunt 32. millia quingenti. Nu. 26. in tribu autem Manasse est contrario fuerunt in prima numeratione 32. millia ducenti: in secunda autem fuerunt quinquaginta duo millia septingenti Nu. 26. & quia computabantur hic Manasse, & Ephraim, tanquam unus populus, & ambo coniuncti habebant multiplicationem nunc super primam computationem, quod rarissime contingebat alijs tribubus, ideo dixit: Dominus benedixit mihi. Ad quod Iosue ait. Non solù fuit ista responsio Iosue, sed etiam omnium aliorum diuisorum terræ coram quibus petitio ista proposta est, ut dictum est. Iosue tamen respondit nomine aliorum de cōmuni consensu, quia ipse honorabilior erat, & quia Ephraim, & Manassites pertinebāt specialius ad cognationem eius, quam aliae tribus durius respondit eis. Si populus multus es ascende in syluam. Dicit aliquis, quod potuisset Iosue melius respondere aliter, scilicet quod Ephraim, & Manassites ha-

Bebant sufficientem terram ad habitandum, quia tamen relinquiebant morari hostes in urbibus suis cupiditate tributorum non sufficiebant eis loca, sic patet, supra scilicet quod noluerunt delere Israelites Chananæos, sed fecerunt eos sibi tributarios. Respondendum est non potuisse sic responderi, quia Ephraim, & Manassites venerunt ad Iosue petentes, quod habetur hic à principio assignatarum fortium illis, & tunc non poterant expugnare hostes habitantes in terra, postquam autem confortati sunt potuerunt eos expellere, vel delere, sed noluerunt facientes seruire tributis: istud autem accidit à principio, quando Ephraim, & Manassites non poterant expellere hostes, ideo non poterat sic responderi. Fuit autem conueniens responsio Iosue, scilicet quod terra Manasse, & Ephraim fuerat sufficiens eis, & quanquam forte oppida, quæ non tenebantur ab hostibus, non sufficiebant ad eorum habitationem, nec agri ad sufficientem culturam, tamen habebant magna spatia terrarum occupata syluis, quæ ad nihil utiles erant, & de his poterant purgare sibi spatia ad habitandum, & colendum agros: sic enim sit in terris quarum possessio angusta est. Nam sylvae exurantur, & purgantur loca, ut nouis frugibus apta sint. Non fuit autem datum aliquid de terra Manasse, & Ephraim præter id, quod habebant, quia terra eorum diuisia est per funiculos, sicut ceteræ fortes: & proportionaliter datum est eis, ut ceteris tribubus, ideo dato, quod non haberent nunc Manassites, & Ephraim sufficientem locum ad habitandum, aut ad colendum, agros, nec sylvas, quas purgare possent ad habitandum, aut faciendū nouos agros, non daretur eis amplius de terra dilatando sortem, quia tunc grauarentur ceteræ tribus recipientibus his ultra proportionem, sed prouideretur eis aliter, scilicet quod darentur aliqua loca aliarum tribuum interdum eis ad habitandum, & in quibus colerent agros, & tamdiu tenerent illa, quousque præualerent contra hostes, & haberent in fortibus suis sufficientem locum ad habitandum, sorti tamen eorum nihil adderetur, quia sic grauarentur aliae tribus in perpetuum. Si populus multus es, ascende in syluam. Hic sumitur ex verbis eorum argumentum contra ipsos. Dixerant enim, quod multi erant, & indigebant magna sorte. Ex hoc arguitur ad duo contra ipsos: primo, quod non deberent petere sortem, quam receperant iusto funiculo distributionis, quia poterant sibi aliter prouidere, scilicet, quod ascenderent in syluam, & purgarent spatia ad habitandum, & colendum: secundo arguitur, quia si multi erant poterant pugnare contra hostes habitantes in sylua, & accipere loca eorum ad habitandum, vel sylvas saltē, quæ erant in terra illorum etiam si loca non acciperent.

C Et succide tibi spatia in terra Pherezæi. In hoc innuitur, quod Iosue non suadebat Ephraimites, & Manassites pugnare contra Pherezæos, vel Chananæos, qui erant in urbibus, quia forte contra hos esset pugna difficultis, sed quod acciperent terram syluarum, & si qui ibi habitarent, faciliter poterant inde eos expellere. Pherezæus est unus de septem populis habitatoribus terræ Chanaan, & iste forte est, qui vocatur supradictus Chananæus, quem non potuerunt delere Ephraim, & Manassites de ciuitatibus suis. Vocatur tamen Chananæus large, quia Chananæus uno modo signat omnes, qui de terra Chanaan erant, scilicet septem populos, & sic interdum Amorrahæus accipitur generaliter: alij autem specialiter accipiuntur, ut Pherezæus pro solis Pherezæis, Iebusæus, Gergesæus, Heuæus.

D In terra Pherezæi, & Raphaim. Illæ terræ sunt intra fortes Manasse, & Ephraim, quia non dixit Iosue, ut acciperent partem in aliqua alia tribu, sed in terra sua purgarent spatia ad habitandum.

E Quomodo dicatur, quod Raphaim esset in sorte Manasse, & Ephraim. Et an in sorte Ephraim habuerit aliquando Raphaim.

QUESTIONES III.

F Et terra Raphaim est dubium, quomodo dicatur, quod esset in sorte Manasse, & Ephraim, quia Raphaim erat gentes quedam determinatae de genere gigantum, & habitauerunt in terra Basan, ubi dominabatur rex Og tempore aduentus Israelitarum in terram illam, ut patet Deut. 3. c. & promissa fuit determinatae gens Raphaim Israelitis, sicut

A

Amorrhæi, Hethæi, & Pherezæi, & omnes populi Chanañorum, ut patet Gen. 15. ca. ergo una terra eis determinata conueniebat, sed ipse morabantur in Basan, cum dicatur Deut. 3. quod Basan terra Raphaim reputata est, & in ipsa est civitas Astaroth, tanquam præcipua, in qua regnauit rex Og de stirpe Raphaim sup. 12. & 13. c. & fuit ista antiquissima se des Raphaim, quia ibi expugnati sunt à regibus venientibus cum Caodor. Amor. Gen. 14. c. ergo non erant Raphaim in terra Manasse, quæ erat ad occidentalem partem Iordanis, sed magis dimidiæ tribus Manasse, quæ suscepit terrâ Basan, & Galaad, ut supra dicitur.

In contrarium dicetur, quia hic ponitur terra Raphaim in sorte dimidiæ tribus Manasse, & est distincta à terra Raphaim, quæ erat in Basan.

Item ponitur terra Raphaim in sorte Iudeæ, ut patet sup. 15 etiam ponitur terra Raphaim in sorte filiorum Beniamin, ut patet seq. c. sed ista est eadem terra cum illa, quæ ponitur in sorte Iudeæ, quia sunt duas fortis coniunctæ, & utraq; tangit terrâ Raphaim, idem enim est latus meridianaū sortis Beniamin, & latus aquilonare sortis Iudeæ, ut patet conferendo ea, quæ habentur sup. 15. ad ea, quæ habetur seq. c. in descriptio ne laterū predicatorum. Ad hæc posset faciliter responderi si Raphaim acciperetur generaliter pro omnibus gigantibus, sicut Enacim, quia plurimi erant de Enacim dispersi per varia loca, cum dicatur, sup. II. qd Iosue delectuimus gigantes, siue Enacim de montanis Hebron, Dabir, & Anab, & omni monte Iudeæ, atq; Israel: erat tamen Raphaim una gens determinata, ut supra declaratum est. Posset forte responderi, qd nō accipiebantur hic Raphaim propriæ, sed pro Enacim, & tunc dicetur, quod in terra Manasse, & Ephraim habitabant gigantes, vel quondam habitauerant, & ab eis dicebatur terra ista Raphaim, id est Enacim, & eodem modo de terra Raphaim, quæ ponit in sorte Iudeæ sup. 15. & in sorte Beniamin seq. c. dicendum erit. Ista responsio satis stat: sed rationabilius potest aliter responderi, quia nunquam debet terminus positus in aliqua scriptura, potissimum in sacra, abduci à propria significatione, nisi necessitate compellamus. Nec debemus dicere quid anticipatum, vel recapitulatum, nisi eodem modo: alioquin tolleretur certitudo scripturarum si consuesceremus indifferenter dicere terminos abstractos esse à proprio significato, & translatos ad aliud, & daremnr occasio, ut quilibet interpretaret scripturam ad libitum. Sed hic non videtur necessitas, ut a hinc tar nomen istud Raphaim à proprio significato, quia potest aliter responderi, scil. qd terra ista vocatur Raphaim, quia aliqui de Raphaim ibi habitauerunt, vel aliquid magnum fecerunt, & mansit terra denominata ab eis: magis autem videtur, qd ibi habitauerunt aliquando, nec tollitur in hoc Raphaim fuisse gentem unam determinatam, quæ habuisset certam terram, scil. qd sedes Raphaim fuerit terra Basan ad orientalem partem Iordanis, vbi regnauit rex Og, & civitas Metropolitana regni eorum fuit Astaroth, sed ipsis cum essent viri robustissimi egressi de terra sua inuadebant terras aliarum gentium, & accipiebant in possessionem, sicut rex Schon de genere Amorrhæorum rex fortis cepit magnam partem regni Moab, ut patet Nu. 21. & magnam partem regni Ammon, ut colligitur, supr. 13. c. sic isti Raphaim potuerunt aliquid accipere de terra Chananæorum, vel Pherezæorum, in qua postea fuit sors Iudeæ, & Beniamin, Ephraim, & Manasse, & ab eis vsq; ad tempora Iosue adhuc vocabatur terra illa Raphaim. Non est tamen intelligendum, quod tunc habitarent in ea aliqui de Raphaim, quia omnes de genere illo iam defecerant, tempore enim Og regis ipse solus erat de stirpe Raphaim, ut patet Deut. 3. vbi litera dicit. Solus quippe Og restiterat de stirpe gigantum. Sic supra 12. & 13. sed quia olim ibi fuerat, nomen pristinum terræ mansit. Nunc autem Chananæi in ea habitabant, ut colligitur immediate ex responsione Ephraitarum, & Manassitarum, scil. non poterimus ad montana descendere, cum curribus ferreis vt tantur Chananæi, qui habitant in terra campestri: si tamen fuissent ibi Raphaim illos nominassent, & non Chananæos, cum isti sint populi distincti, ut patet Gen. 15. vbi cōnumerantur Raphaim contra Chananæos. Quia angusta est tibi possessio montis Ephraim. Non est sensus, quod Manassites, & Ephraites extra fortis suas deberent accipere spatia ad montandum, & colendum agros, quia hoc ipsis petebant, sed Iosue non concessit petitionem eorum, ideo dicendum, quod ista

terra Pherezæi, & Raphaim erat in sortibus Manasse, & Ephraim. Dicitur autem angusta possessio montis Ephraim, quia terra Ephraim erat montuosa, & tota terra montuosa vocatur mons, quasi esset unus mons, sic patet Nu. 20. vbi conquerebantur Israëlitæ de Moysè, quod eduxisset eos in solitudinem, quæ non poterat seri, nec habebat aquas, & dixerunt, quare nos fecisti descendere de Ægypto, & adduxisti in montem istum pessimum, qui seri non potest: id est in istam solitudinem montuosam. Non enim loquebantur pro aliquo monte speciali, quia non poterant Iudei esse in monte propter magnitudinem castrorum, sed de tota solitudine, quæ erat montuosa loquebantur, sic patet de terra Edom, vel Seir, quæ erat montuosa, ideo tota vocatur mons, quasi esset unus mons. Deut. 2. scil. circuiuimus montem Seir multo tempore: accipit autem mons Ephraim pro possessione terre Ephraim, quæ erat montuosa, & in hac principaliter morabantur tunc Ephraim, & Manasse, quia pars Manasse detinebatur pro magna parte ab hostibus, scil. Chananæis, & Pherezæis, ut colligitur ex civitatibus de quibus, sup. quæ omnes pertinebant ad sortem Manasse: & hanc dicebat Iosue esse angustam Manasse, & Ephraim, quia cum esset una pars non sufficiebat duabus tribubus. Postquam autem paulatim expulsi sunt aliqui de Chananæis de sorte Manasse, habitauerunt Manassites in sorte sua. Cui responderunt filii Joseph. scil. Manassites, & Ephraites, qui collecti fuerant in unum, tanquam una tribus, & procuratores eorum responderunt, tanquam nomine unius personæ. Non poterimus ad montana descendere. Dixerat Iosue, quod ascenderet in sylam ad succidendum spatia habitandi, & colendi, quod recte dictum fore existimauerunt filii Joseph, sed responderunt se ad hoc impotentes, quia Chananæi hoc impedirent. Dixerunt autem ipsi de montanis, & Iosue de sylam: ista tamen non sunt idem totaliter, quia mons signat tumorem terræ, vel elevationem, sicut est in collibus, siue arboribus ibi, vel ligna siue non sylua autem densitatem, vel multititudinem lignorum signat, siue illa sit in collibus, siue in plano: utrumque tamen erat hic, quia locus, ad quem Iosue mittebat filios Joseph purgaturos spatia, erat montuosus, & erat plenus lignis. Quia autem montuosus potest vocari montana, & quia erat plenus arboribus vocatur sylua: utrumque exprimitur in verbis Iosue, cum dixit: ascende in sylam, & succide tibi spatia, quia ascensuri erant mons erat, & quia successuri spatia, ligna ibi erant, ita ut vocetur sylua. Cum ferreis curribus vt autur Chananæi. Ponunt quare essent impotentes ad faciendum hoc, scil. quia hostes eorum erant potentes valde in bellis propter fortia genera armaturæ, scil. quia veterabantur curribus ferreis. Antiquissimum enim pugnandi genus in curribus fuit, quia nondum homines ad pugnam equestrem assueuerant, scil. ut homines equis sine curribus vectarentur: durauit autem modus iste pugnandi magnis temporibus, sed postea abolitus est inuentis alijs utilioribus, facilitioribus que, erat autem valde sumptuosus modus, quia unus currus a quatuor equis vectabatur, qui armati in frontibus erant falcatis ensibus, rotæ quoq; currus in transuersum affixos habebant enses falcatos, & super currum erant viri armati saltibus: maior autem erat pugna curuum ex impetu, quia omnia falcatis ensibus discepabant, quam ictibus militis curru iincidentis. Rari autem erant currus, quia magnorum sumptuum: ideo apud potentissimos reges non multi erant currus. Iacob enim rex Asor, qui omnium regnum Chananæorum primatum habebat, ut patet supr. II. in magnâ potestatis indicium nongentos falcatos currus habuisse dictum est. Iud. 4. c. Chananæi autem habitantes in sorte Manasse, & Ephraim veterabantur curribus ferreis, ideo impares eis ad pugnam erant filii Manasse, & Ephraim, præualuerunt tamen Israëlitæ cōtra multis reges Chananæorum, Pherezæorum, Lebusæorum, & Amorrhæorum apud aquas Meron, & currus multis suscepserunt, quorū equos subneruauerunt, & combusserunt currus, supr. II. Nunc tamen non confidebant Ephraites, & Manassites pugnando præualere contra Chananæos, & hoc propter duo. Primo, quia in pugna ad aquas Meron erat coniunctus totus Israël cum Iosue: nunc autem sola tribus Ephraim cum dimidia tribu Manasse pugnatura erat cōtra Chananæos: nam, ut declaratum fuit, supr. nō conveniebant omnes tribus ad pugnandum contra hostes cuiuslibet tribus, velut si esset unum regnum, aut principatus, quod erat

D

B

C

Quid
signat
mons
quidue
sylua.

Vetus.
tissimum
pugna-
di ge-
nu.

F

A erat ante diuisionem fortium. Diuisis autē illis fuerunt, tanquam 12. regna, & nō cōueniebant ad vnitatem pugnandi, nec tenebantur se iuuare, nisi ex cōuentione: sicut inter duo regna penitus extranea sit conuentio de pugnando, & sic conuentum est in sorte Iudæ, & Simeonis, Iud. i. Manassitæ autē, & Ephraite soli nō poterant cōtra Chananæos prævalere. Secunda causa erat, quia Chananæi tradebātur in manus Israelitarū nutu Dei, cum promisisset eos delere, sed dixit, q̄ non traderet eos in anno vno, aut simul in manus Iudeorum, sed paulatim, vt Iudei multiplicarentur, & possent replere terrā, ne cresceret bestiæ redacta terra in solitudinē. Exo. 23. c. ideo licet Iosue, & Israelite conarentur pugnare cōtra omnes Chananæos ad defendū eos penitus, Deus nō traderet eos in manus Israelitarū, quia dixerat, quod nō traderet: immo si Iudei vellent pugnare cōtra Chananæos nō cessante impetu bellorum, quousq; acciperent totā terram, videbantur peccare, quia agebant contra voluntatē Dei cognitā, & nequaquam crederet eis imposterū, ita forte timerent nunc filij Ioseph, quia iam sublata fuerat maxima pars terræ Chanaā, & cessauerant bella, sup. 11. & 14. Dubij ergo erat an Deus velle nūc tradere Chananæos in manus eorū. Sed prima causa efficacior est, & hanc magis respiciebant Ephraite, & Manassitæ. Dicuntur autē currus ferrei, nō quod essent de ferro facti, quia tunc nō possent moueri ab equis, essentq; sumptuosissimi, nec tamē maioris utilitatis, quā alias forent, sed quia habebant orbitas rotarū ferreas, sicut nūc in quadrigis quibusdam fit, vt magna onera ferentes cito nō consumantur. Etiā habebant enses curuos infixos totis in modum falcis ad arripiendū, & secundum omne, quod obuiū foret, vnde currus falcati i.e. habentes falces isti appellantur. Iud. 4. c. *Qui habitant in terra campestrī.* Vocatur terra campestris, quę nō est penitus plana, nec totaliter montuosa, & in hac habitabāt Chananæi.

B Sed tunc dicetur, quod responsio ista nō adiuuat Manassitas, & Ephraites, quia Iosue iussit, vt ascenderent in syluā, ipsi dixerunt se non posse, quia ferreis curribus vtebantur Chananæi morantes in terra campestrī, sed terra campestris, & montana non sunt idem.

C Respondendum, quod Chananæi habitates in terra campestrī erant inter terrā in qua manebant Ephraite, & Manassitæ, & syluam in quā iubebat eos ascendere Iosue, ideo ipsi prohibebant ne possent ascendere in syluā, vel montana. Et patet ista responsio ex verbis Iosue, infra, scil. transibis ad montē, & purgabis spatia, & poteris transire vltra cū subuerteris Chananæū, &c. In qua sita sunt Bethsan cum villulis suis. Tenebatur illa ciuitas ab hostibus: erat tamē de forte Manasse, vt sup. patet: omnes quoq; villulae, id est, vici parui, vel rura Bethsan erant campestres. Et Iezrahel medianam posse dens vallem. scil. ciuitas Iezrahel tenet medietatem vallis, scil. quia ibi sita est. Terra enim campestris, quia nō est æqualis, interdū eleuatur in quosdā tumores, interdū autem in valles deprimitur. Alia ciuitas vocatur Iezrahel, quę est in sorte Iudæ, vt patet supra 15. & differunt cum sint in duabus fortibus. De illa Iezrahel, quę est in sorte Iudæ erat Achionoem Iezerahe-
lites vxor David, vt declaratū est sup. 15 ista Iezrahel, de qua hic est in sorte Manasse, & in hac habitauit Iezabel vxor regis Achab, de qua dicitū est canes lingent sanguinē Iezabel in agro Iezrahel, siue canes comedent Iezabel. De hac 4. Reg. 21. c. & de hac vrbe fuit Naboth, cuius vineam concupiuit rex Achab, & fecit regina Iezabel lapidari illum, eod. cap. Et hoc patet, quia tempore hoc erat terra Iudeorū diuisa in duo regna, scil. Iudæ, & Israël. Rex autē Achab erat rex Israël, ideo non maneret ipse, nec vxor eius in vrbe Iezrael, quę esset in sorte Iudæ, sed magis in sorte Ephraim, vel Manasse, cum omnes descenderent de Ieroboā, qui fuit de stirpe Ephraim, 3. Reg. 12. c.

Dixitq; Iosue ad domum Ioseph, Ephraim, & Manasse. Ista erant duas tribus, sed pertinebant ad eandem domū, scil. ad Ioseph, quia ipse erat vnicus, & tamen filii sui diuisi sunt in duas tribus, & diuisi sunt in duas sortes, quia Iacob adoptauit eos faciens succedere cum reliquis filiis suis. Gene. 48. c. Ad istas duas tribus locutus est Iosue, quia ambae, tanquam una tribus petebant, vt supra declaratum est.

E Populus multus es, & magna fortitudinis. Ista litera potest legi dupliciter. Vno modo, tanquam aliquid irrisuum, scil. dixerant Manassitæ, & Ephraite: quare dedisti mihi possessionem.

F Alph. Toft. super Iosue Tom. 5. pars II.

nem fortis, & funiculi vnius, cum sim populus multus, & benedixerit mihi dominus? Iosue autem videns non petere illos rationabiliter non concessit, ex verbis autē ipsorum formauit quandā responsum irrisoriā, dicendo: populus multus es, & magna fortitudinis: non habebis sortem vñā: Manassitæ, enim & Ephraite dixerant, quod erant populus multus, ideo repetivit hoc Iosue, & dixerant, q̄ siebant cum eis iniuste quia data erat eis vna fors. Respōdit Iosue nō habebis sortem vñā, q. d. non est rationabile, q̄ habebas sortem vnicam, & hoc irrisorie, ideo subiunxit, quod transirent ad montē, & habitarē ibi pars eorum, & tunc etiā promissio est irrisoria, quia videtur ex verbis, q̄ addit aliquid ad sortē eorum, & tamen nihil addit, eum montana, ad quę iubebant ascendere, essent intra sortē Manasse, & Ephraim. Alio modo potest ista litera alias legi non irrisorie, & tunc est sensus. Populus multus es, & magna fortitudinis, id est, quia multi viri sunt in tribubus tuis, & fortissimi ad pugnam, poteritis paulisper prævalere cōtra Chananæos, qui vtūtū ferreis curribus, & transibis in montem. Populus multus es. Istud potest ponī ad duo: primum ad signandum, quod nō deberent manere intra angustias terræ, quā tunc tenebāt, quia multitudo populi non cōuenienter caperetur ibi: secundū ad signandum, quod multitudo prebeat vires, ita vt potētes essent Ephraite, & Manassitæ ad pugnandum cōtra Chananæos utentes curribus ferreis, & istud secundum est melius. Et magna fortitudinis. Id est, fortis in bello. Nam dato, quod essent multi, si nō essent fortis ad pugnandum incepta erat pluralitas, sicut, multitudo fœminarū in acie, vt fecerunt Lacedæmonij qui posuerunt fœminas in acie, & magno clamore totū exercitum dissoluerunt, atq; viros impeditrunt à pugna, vt patet 2. Poli. c. politia Lacedæmoniorū. Non habebis sortem vnam. Non intelligitur, quod Iosue promitteret eis aliquid dare vltra sortem eorū, vel suaderet, vt aliquid acciperent vltra id, quod acceperant, sed vocat vñā de his duabus, scil. sorte Ephraim, acceperant enim duas sortes, vt patet præc. c. & hic: terra tamen Manasse tenebatur ab hostibus pro magna parte, ideo quasi tota habitatio Manassitarū erat in sorte Ephraim. Iosue autem dicit, quod non habebit sortem vñā, scil. quod non maneant intra angustias sortis Ephraim, sed pugnent contra Chananæum, & accipient sortem Manasse, quę pro magna parte detinebatur ab eis, & ista sententia consonat suppositis, cum dictum est, succide tibi spatia in terra Pherezzi, & Raphaim, quia angusta est tibi possessio montis Epbraim, & sic videtur, quod in solo monte Ephraim, id est, in terra Ephraim, quę est montuosa morabantur ambæ tribus tunc, & sic tenebant tunc vnicā sortem, quanquā duæ essent illis assignatae in titulum. Sed transibis in montem. Ad istum locum suadebat Iosue Manassitas, & Ephraites ascendere, vt ibi purgarent loca ad habitandum, & ad colendum agros, & vineas: iste mons, id est, terra syluarū opera arboribus in fructuosis erat in sorte Manasse, & ad hunc extendi debebant filij Ioseph: tenebatur enim à Chananæis tunc. Et succides tibi atque purgabis spatia. Erat locus nemorosus, ideo tollendæ erant arbores ad habitandum: purgare erat tollere herbas, & omnia alia videntia, quę erant in montibus ad faciendū locum convenientem habitationi. Dicitur ad habitandum, & intelligitur etiā ad colendum. Nam hoc erat præcipuum: si enim haberetur locus ad agros, & vineas, de loco habitationis facilium erat, quia minora ad hoc spatia necessaria sunt.

G Et poteris vltra procedere cum subuerteris Chananæum. Ista præpositio (vltra) potest accipi hic duplicitate referendo ad duo clausula, & sic est duplex sententia. Ad quod præsupponendum, quod supra dicebatur, quod ascenderent filii Ioseph in montana, & quod Chananæi, qui morabantur in terra campestrī vtehantur curribus ferreis. De habitudine terræ campestris, in qua morebantur Chananæi ad montē istum potest duplicitate dici. Vno modo, quod terra illa campestris erat propinquior loco, in quo nunc manebant filii Ioseph, quam mons, in quem suadebat Iosue, quod ascenderent. Alio modo, quod esset mons propinquior. Primo modo est sensus, vt supra dicebatur, quod filii Ioseph approbauerunt responsum, sed dixerunt sibi esse impossibile, quia Chananæi morabantur in terra campestrī, & vtebātur curribus ferreis, & isti prohiberent eos accedere ad montem, quia erant propinquiores ipsis quam mons, & oportebat prius deleri, vel

A expelli Chananæos de terra campestri, quam ascenderent filij Ioseph ad possidendum montem. Et isto modo erit sensus hic, & poteris ultra procedere cum subuerteris Chananæum, scilicet, ultra terram, in qua nunc es, quia cum essent coniuncti Chananæi non poterant dilatari filij Ioseph, quo usque subuerterent Chananæos: & tunc ly ultra non determinat montem, sed terram, in qua habitabant filij Ioseph. Si autem dicatur, qd mons iste sit propinquior terræ, in qua tunc erant filij Ioseph, quam terra campestris, in qua tunc morabantur Chananæi, est sensus literæ superioris, quod non poterant filij Ioseph ascendere in montem, non quidem, quia essent ante illum Chananæi, sed erant ex alia parte coniuncti monti illi, & possessio montis pertinebat ad eos, licet ipsi non moraretur in monte, ideo si Israelitæ vellent ascendere illuc, Chananæi, qui morabatur ex alia parte montis in terra campestri pugnarent contra illos, & isti ferreis curribus uterantur, & tunc est sensus literæ huius, quod filij Ioseph ascenderent in montana succidendo spatia ad habitandum, & inde poterant procedere ultra, quando subuerterent Chananæum, scilicet, quia ad succidendum spatia in monte non oportebat subuerti Chananæum, quia populus iste morabatur ex alia parte montis, sed cum tenerent Manasse, & Ephraim terram hanc montanam, si videretur eis angusta, poterant transire ultra, id est, ultra terram montanam, & hoc cum subuerterent Chananæum. q. d. non poterant procedere ultra montem, nisi delerent Chananæos, quia ipsi morabatur in terra campestri, & illa erat coniuncta monti ex alio latere, & tunc (ultra) determinat terram montanam. Iste sensus est conuenientior primo dupliciter. Primo, quia si terra campestris, in qua habitabant Chananæi esset magis coniuncta terre, in qua tunc manebant Manassitæ, & Ephraimitæ, quā mons iste, de quo dicitur: nec posset illuc esse transitus, nisi per terram campestrem Chananæorum, frustra fuisset dici, quod transirent filij Ioseph in montem, sed dici debuisse, quod pugnarent contra Chananæum, qui erat propinquior eis, sine quo non poterant transire in montem.

B Secundo, quia dicitur, quod ascenderent filij Ioseph in monte succidentes spatia ad habitandum, & posset ultra procedere cum subuerterent Chananæum: ergo quocunq; modo velimus accipere ultra, necesse est, vt prius ascenderent in montem, quā transirent ultra ex ordine literæ, & sic necessario referretur ad montem ultra, & subuersio Chananæorum solum erit post ascensum in montem. Si tamen Chananæi habitantes in terra campestri fuissent magis coniuncti terre, in qua nunc morabantur filij Ioseph, quam mons, in quem iubebant ascendere, necesse erat, quod primo subuerteret Chananæum, quā ascenderent in montem: ergo intelligentum Chananæos fuisse ad aliam partem montis distantes magis ab Israelitis, quam distaret mons.

C Cum subuerteris Chananæum. Posunt accipi Chananæi propriæ pro quadam populo speciali inter istos septem, qui vocatur Chananæus. Vel generaliter pro quolibet de populo Chananæorum. Et iste secundus sensus est conuenientior, scilicet, quod accipientur Chananæi pro Pherezæis, quia Pherezæi erant habitatores terra huius, cum dicatur supra, qd succiderent filij Ioseph sibi spatia in terra Pherezæi, & Raphaim.

Forti-
tudo
Chana-
naorū
ex par-
te ar-
morum

Quem dicas ferreos habere currus. Ista erat quædam fortitudo ex parte armorum, ita vt non auderent hebrei congregari cum Chananæis, quia currus erant de fortissimis armaturis ad dispersendum exercitus, quia erant currus falcati, & omnia ad quæ accedebant laniabant.

Et esse fortissimum. Id est, isti Chananæi erant fortissimi robore ad pugnandum contra Iudeos, & ista erat fortitudo virorum præter armorum apparatus, vt rursum tamen faciebat gentes istas formidabiles esse Iudeis: filij autem Manasse, & Ephraim solum expresserant, quod uterantur Chananæi curribus ferreis, vt patet supra Iosue dixit hic de utraq; fortitudine, scilicet, armorum, & virorum, & tamen dicendum, quod filij Ioseph utrung; expresserint, nam Iosue refert hic verba filiorum Ioseph dicens, cum subuerteris Chananæum, quem dicas ferreos habere currus, & esse fortissimum. Scriptura tamen non exprimit semper omnia, quæ dicta sunt, potissimum cum ex alijs locis colligi possunt, sicut hic.

C A P V T XVIII.

D O N G R E G A T I Q U E sunt omnes filij Israhel in Silo, ibi, fixerunt tabernaculum testimonij, & fuit eis terra subiecta. Remanserant autem filiorū Israhel septem tribus, quæ necdū accepant possessiones suas. Ad quos Iosue ait. Usquequo marcescet ignavia, & non intratis ad possidendum terram, quam dominus Deus patrum vestrorū dedit vobis? Eligite de singulis tribubus terras viros, ut mittam eos, & pergant, atq; circumueant terram, & describant eam iuxta numerum viius cuiusq; multitudinis, referantq; ad me: quod descriperint. Diuidite vobis terram in septem partes. Iudas sit in terminis suis ab australi plaga, & domus Ioseph ab aquilone. Medianam inter hos terram in septem partes describit, & hoc venietis ad me, ut coram domino Deo vestro mittam vobis hic sortem, quia non est inter vos pars Leuitarum, sed sacerdotium domini est eorum hereditas. Gad autem, & Ruben, & dimidiat tribus Manasse iam acceperant possessiones suas trans Iordanem ad orientalem plagam, quas dedit eis Moyses famulus domini.

E C ongregati. Supra dictum est de assignatione quarundam sortium, hic consequenter agitur de descriptione reliquarum. Et diuiditur in tres partes. Primo ponitur tabernaculi fixio. Secundò sortium designatio. Tertio describitur specialiter principis populi possessio, secunda ibi. Remanserant autem tertia ibi. Cumque compleset. Secunda diuiditur in duas. Primo ponitur diuiforum, vel descriptorum terra descriptio. Secundò ipsius terræ descriptæ assignatio ibi. Cumq; surrexissent. Secunda in duas. Primo describitur fors Beniamin. Secundò septem sortes residuae. 2. cap.

F Circa primum. Congregati sunt filii Israhel in Silo. In toto tempore præterito fuerant Israelitæ occupati bellis, & divisione sortium, nec potuerunt templum domini figere in aliquo loco ad faciendum cæmonias legis, sed erat in castris tabernaculū cum ipsis Israhelitæ manetibus in castris, cesantibus autem bellis Iosue fecit congregare totum populum, vt honorificè tabernaculum figeretur in Silo, & maneret ibi. Fuit autem Silo ciuitas quædā in sorte Ephraim. Causa autem quare tabernaculū ibi primo fixum est fuit, quia Iosue, qui tunc erat princeps populi erat de tribu Ephraim, & inter eos accepit possessionem, cum autem ipse esset magnus zelator legis, quia insserat ei Deus, quod diligentes obleruaret legē Moysi, vt patet supra primo, & in cæmonijs, quæ siebant in sanctuario consistebat potissima legis occupatio, voluit, quod esset sanctuarium in sorte tribus sue, vt sic ipse diligenter obseruari ficeret cæmonias, cum posset hoc videre.

Quare Iosue non posuit tabernaculum in Thamnatharaa urbe sua, vbi ipse habitabat. Et quo tempore fuit in Sylo. Et arcadi mini, quando & vbi se invenit a fuit: tunc quare tabernaculum fuerit dictum testimonijs, & fæderis.

Q V A E S T I O I.

S ED dicet aliquis, quare non fecit Iosue ponit tabernaculum Thamnatharaa, quæ erat ciuitas ei data specialiter in possessionem, vt patet sequenti cap.

Respondendum, quod Iosue posuisset in loco suo tabernaculum, sicut posuit in sorte tribus sue, tamen non erat tunc datus ei locus aliquis, nec sciebat quis dandus esset. Quod patet, quia tabernaculū fuit fixum in Sylo antequam diuidentur sortes tribubus septem ultimis, vt patet immediate, cum dicitur, remanserant autem septem tribus filiorum Israhel, quæ neendum acceperant possessiones, & tamen possessio Thamnatharaa fuit assignata Iosue, postquam omnes tribus acceperunt sortes suas, vt patet sequ. cap. scilicet, cumque compleset terram forte diuidere singulis per tribus suas, dererunt filii Israhel possessionem Iosue filio Nun. Ergo non poterat

A poterat ponere tabernaculum in vrbe sua, quia nesciebat, quæ ei danda esset.

Sed tunc dicet aliquis, quod etiam non fecit poni Iosue tabernaculum domini in Sylo, quia pertinebat ad sortem Ephraim, sed à casu fecit poni ibi, quia nesciebat ad quam tribum pertinere debebat, quia nondum terra diuisa erat forte sed postea cecidit in sortem Ephraim.

Hoc negandū est, prius enim data est fors tribui Ephraim, quam poneretur tabernaculum in Sylo. Quod patet, quia supra actum est de sorte Iudea Ephraim, & Manasse, hic autem subditur de situatione tabernaculi in Sylo, ideo iam prouenerat Sylo in sortem Ephraim.

Sed aliquis forte dicet, quod est anticipatio, vel recapitatio, scil. quod primo fuerit positum tabernaculum in Sylo, quam diuiderentur sortes: fuit tamen mutatus ordo enarrandi, sicut sœpe fit in sacra Scriptura.

Respondendum quod non stat, quia solum manebant septem tribus sine sortibus, quando fuit fixum tabernaculum in Sylo, vt patet hic, quia cum dictum fuerit de fixione tabernaculi subiungitur, remanserant autem septem tribus filiorum Israhel, quæ nondum acceperant possessiones, & non erat Ephraim de istis septem, quia postea assignantur sortes harum septem tribuum, infra & seq. c. ergo iam acceperat Ephraim possessionem suam, & erat Sylo de forte eius: unde cum Iosue fecit poni tabernaculum in Sylo, iam pertinebat ad tribum Ephraim, & propter hoc fecit ibi poni.

Considerandum autem, quod hoc tempore, quo fuit fixum tabernaculum in Sylo, incepserunt cæremonilia veteris testamenti obligare. Nam antequam Israelitæ introirent in terram Chanaan, non erant obligati ad aliqua cæremonialia, vt patet Deuter. 12. vbi dicitur, quod in deserto quilibet faciebat, quod sibi rectum videbatur, sed postquam transirent in possessionem, quam eis dominus datus erat non debabant sic facere.

Item postquam ingressi sunt in terram Chanaan non fuerunt immediate obligati ad obseruationē, sed post habitā pacem deuictis hostibus, vt patet præalleg. cap. scil. transibitis Iordanem, & habitabit in terra, quam dominus Deus vester datus est vobis, vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum, &c.

Item dato, quod esset pax data ab hostibus adhuc non obligabantur ad cæremonias immediate, sed primo erat locus assignandus pro sanctuario, & tunc poterant fieri sacrificia quotidiana, & votiva, atq; spontanea, & oblationes cætereq; cæremoniæ obseruarētur, quæ pertinebant ad sanctuarium. Etiam tunc poterant obseruari festiuitates, nam omnia festa habebant aliquam cæremoniam sacrificiorum, & sine illis non erat plena legis obseruatio. De hoc patet præalleg. cap. scil. non facietis ita domino Deo vestro, sed ad locum, quæ elegerit dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet ibi, venietis, & offeretis in illo loco holocausta, & victimas: ergo ante habitum determinatū locum in aliqua tribu pro tabernaculo nō erat obligatio ad faciendum cæremonias istas, post fixionem autem in Sylo cœperunt ibi fieri cæremoniæ legales sanctuarij, & consuetudinæ sunt semper: etiam in toto Israhel cœperunt cæremonialia obseruari. In isto loco Sylo mansit sanctuarium magno tempore, scil. vsq; ad tempus Eli sacerdotis. Nam 1. Reg. 1. 2. & 3. atque 4. dicitur de Eli, & filiis suis, & de Samuele quomodo habitarent in sanctuario domini in Sylo: in senectute autem Eli capta est arca domini à Philistihim, de quo 1. Reg. 4. & nunquam amplius rediit in Sylo, & ipse audito, quod capta esset arca domini, mortuus est cadens de sella, vt præalleg. cap. postea autem non legitur factum sacrificiū in Silo, nec stetisse ibi sacerdotes aliquos. Nam, de arca, quod non redierit, patet, quia cum ablata est à Philistihim stetit in terra eorum mensibus septem 1. Reg. 6. & cum rediit venit in Bethsames eod. cap. Et postea translata est in Cariathiarim. 1. Reg. 7. Deinde venit in domum Obethedom Gethæ 2. Reg. 5. postea translata est in domū David. 2. Reg. 6. Inde autem fuit ad templum, quod Salomon construxit translata. 2. Paralip. 1. ca. De toto tabernaculo non sic patet. Satis tamē est verisimile, quod post mortem Eli immediate, vel satis breuiter fuicerit translatum de Silo: nam non legitur postea Samuel, vel aliquis alias de sa-

cerdotibus sacrificasse in Silo: ipse tamen ministravit postea, & tempore Eli ministrabat accinctus Ephot. 1. Reg. 3. c. sed sacrificia faciebat Samuel in Masphat, & Ramatha, & Bethlehem alijsque locis multis, vt patet. 1. Reg. 7. & 8. & 16. & fuit translatum istud tabernaculū in vrbe Nobe post Sylo. Nam tempore Samuelis regnauit Saul rex, & tamen tempore suo erat tabernaculū in Nobe, & omnes sacerdotes erant ibi. Nam sacerdos magnus Achimelech dedit David de panibus propositionis, qui fuerant ablati de conspectu domini, cum transiuit per vrbum Nobe. 1. Reg. 21. cap. & ob hoc Saul fecit destrui vrbum Nobe. 1. Reg. 22. c. Satis ergo apparet, quod post Sylo non fuerit sanctuarium in aliqua ciuitate ante Nobe, nec scriptura de alia meminit. Scindendum, quod Rabbi Salom. dicit sanctuarium fuisse in tribus ciuitatibus solum, & omnes has fuisse de tribu Beniamin, scilicet, in Sylo Nobe, & Ierusalem, an vero in pluribus fuerit declaratum est. Exo. 20. & Deuter. 12. sed quod dicit istas tres vrbes sanctuarij fuisse in sorte Beniamin, falsum est: nam Sylo in qua primo fuit tabernaculum non erat in sorte Beniamin, sed in forte Ephraim, vt patet Psal. 77. scilicet. Et repulit tabernaculum Sylo, tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus. Et postea sequitur: & repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribū Iudea, & montem Sion, quem dilexit, & edificauit, sicut unicornium sacrificiū suum. Vbi manifeste agitur de Sylo abiecta, & de Ierusalem electa, vt maneat in ea tabernaculum. Et vocatur ibi tabernaculum Ioseph, tabernaculum, quod erat in Sylo in forte Ephraim. De ciuitate Nobe, etiā falsum est, quod esset in sorte Beniamin: nam infra ponuntur ciuitates fortis Beniamin, sed non est inter eas. Item videtur magis pertinerere Nobe ad dimidiām sortem Manasse ad orientem Iordanis: nam Num. 32. cum ponitur terra dimidiā tribus subditur: Nobe quoq; perrexit, & apprehendit Nobe cum viculis suis, vocauitq; eam ex nomine suo Nobe. Occasio erroris Rab. Sal. quantum ad vrbum Sylo fuit, quia in isto cap. ponitur fors Beniamin, & hic dicitur quomodo tabernaculū fixum est in Sylo, ideo putauit pertinere vrbum hanc ad Beniamin. De vrbe Ierusalem satis patet, quod pertineat ad sortē Beniamin, vt patet infra in litera, quenquam de hac aliquo modo videtur, quod pertineat ad tribum Iudea, quia in ea habitauerunt filii Iudea, vt patet supra 15. sed de hoc infra declarabitur. *Ibique fixerunt tabernaculum testimonij.* Ex quo patet quod ante hoc nō erat fixum tabernaculum in aliquo loco, sed mouebatur cum castris Israelitarum, nunc autem data pace, & existentibus locis, in quibus posset locari, fixum est in Sylo ex causa supra assignata, & iam non mansit tabernaculum istud in loco patenti flatibus ventorum, & pluviis, sed in aliqua magna domo positum est, sicut postea fuit positum Ierusalem intra templum, quod fabricauit Salomon. Tempore autem transacto erat in patenti, quia mouebantur Israelitæ per desertum, vbi non poterant domus magnæ reperi in quibus poneretur tabernaculum. Et dicitur de tabernaculo testimonij, est tamen intelligendum de toto sanctuario, scilicet, de atrio, & de tabernaculo, & utrumque vocatur interdum nomine tabernaculi. Vocatur tabernaculum testimonij, quia in eo custodiebatur testimonium, id est, tabulae legis: in quibus continebantur decem præcepta data Israelitæ, & quia istæ tabulae positæ fuerant in arca, vt essent in testimonium contra Iudeos, si aliquando vellet negare se recepisse legem à Deo. Quomodo autem posset ex illis tabulis aliquid probari, declaratum est, Exo. 20. c. & Leu. 1. Vocatur etiā tabernaculum fœderis, id est, in quo continebatur fœdus, vel compositio facta inter Deum, & Israhel: nam Deus pepigit cum Israhel, quod esset Deus eius, & daret ei specialia beneficia. Israelitæ autem pepigerant cum Deo, quod obseruarent præcepta illius. Exod. 19. c. & data sunt immediate præcepta decalogi, quæ scripta fuerunt in tabulis: ideo illæ vocabantur tabulae fœderis, id est, continentes fœdus: & arca, in qua erant istæ tabulae vocabatur arca fœderis, & tabernaculū etiā vocabatur tabernaculū fœderis. *Et fuit eis terra subiecta.* id est, terra Chanaā fuit tunc subiecta Israelitæ, non repugnans, nec insurgens contra eos, postquā enim confracti sunt ab Israelitæ Chananæi in duabus grauibus bellis, scil. reges quinq; apud Gabaon, supra 10, & multi alii reges postea apud aquas Meron, supra 11. c. nō ansi fuerūt

*saul
fecit
destrui
vrbum
Nobe.*

E

F

A insurgere contra Israelitas, sed intra loca sua se tutabantur: pugnauerunt tamen Israelitæ magno tempore contra singulos reges in urbibus suis septos, quoisque fuit illis maxima pars terræ subiecta, de quo supra 11. Non tamen intelligentum, quod fuerit terra subiecta Israelitis, postquam tabernaculum fixum est in Sylo, sed prius cessauit terra à bellis, quam figeretur tabernaculum. Nam Deus non iusserat obseruari cæmonias legales, quæ erant principaliter in sanctuario, vsquequo esset pax in terra. Deut. 12. & paret hoc, quia istud tabernaculum fixum est post distributionem sortium factam tribus Iudæ, Ephraim, & Manasse, vt colligitur immediate, scilicet, quia remanserunt tunc solum septem tribus, quæ nondum suscepserant possessionē, & numerantur infra. Sed antequam possessio alicui tribui data est pax in terra, vt patet supra 11. & 14. scilicet, cessauit terra à prælijs: ergo iam fuerat ab aliquanto tempore terra subiecta. Etiam intelligentum est, quod terra fuit subiecta Israelitis non tota, sed maxima pars eius, manserunt tamen partes eius quædam nondum subiectæ, de quibus supra 14. & quædam vsq; ad magna tempora manserunt, sicut terra Philistijm: magis tamen accipitur terram esse subiectam, id est, non esse repugnantem, quia à principio insurgebant Chananæi in pugnam, cum vero senserunt se viribus inferiores, non ausi sunt pugnare, & tunc fuerunt subiecti. Remanserunt autem. Hic ponitur secundum principale, scilicet, sortium distributio, & ponitur hic primo electio virorum descriptiū sortes. In quo sciendum, quod data pace in terram Chanaan, & acquisita maxima parte terræ, filii Iuda accesserunt ad Iosue, & alios diuisores terræ potentes sortem, & data est, de qua supra 15. cap. deinde potentibus filiis Ephraim, & Manasse sortes quoq; concessæ sunt, vt patet supra 16. & preced. cap. aliae autem tribus non petebant hæreditatem sibi dari, ideo Iosue increpuit eas quomodo negligenter non accipere hæreditatem, & sic facta est distributio. *Filiorum Israel septem tribus, que necdum acceperant possessiones suas.* Erat Israel diuisus in 12. tribus, quæ accepturæ erant sortes: nam Leuitæ licet dicantur vna tribus, tamen non acceperunt sortem inter alias tribus, vt patet supra 13. & 14. cap. tribubus autem quinq; datae fuerant sortes manentibus septem, quibus nondum fuerant assignatae: nam tribus Ruben, & Gad acceperant possessionem in terra duorum regum Amorrhæorum ante Iordanem, vt patet supra 13. tribus autem Iudæ, & Ephraim acceperant possessionem in terra ad occidentem Iordanis dante illis Iosue, vt patet supra 15. & 16. dimidia autem tribus Manasse acceperant possessionem ante Iordanem, & alia dimidia post Iordanem, de primo supra 13. de 2. præc. cap. manebant ergo solum septem tribus accepturæ possessiones, de quibus infra & sequ. c. & istis fuit terra residua diuisa, & aliquid de eo, quod iam concessum fuerat alijs tribubus his datum est, sicut patet de tribu Iuda, quæ suscepit magnam sortem, & pars illius fuit data tribui Simeon in sortem. *Ad quos Iosue ait.* Ad locum Silo venerunt omnes Israelitæ cum fixum est tabernaculum, sicut ad honorem dedicationis Ecclesiæ, potissimum, quia illud sanctuarium erat vnicum in tota terra Israel, & nunc primo figurebatur. Et quanquam non conuenerint illuc omnes viri, & feminæ de toto Israel conuenerunt tamē multi de qualibet tribu, & sorte maior pars, & tunc congregauit Iosue tribus has septem, quæ non acceperant possessionem, & locutus fuit eis hæc. *Vsquequo marcescet ignavia, id est, vsquequo estis pigri non introcuntes ad possessiones vestras,* scil. non petitis possessiones, sicut aliae tribus petierant, & suscepserunt. Sciendum autem, quod istæ tribus non petebant possessiones, quia nihil eis deficeret videbatur, etiæ cum nondum petiissent possessionem: nam fuerat eis subiecta maxima pars terræ Chanaan extirpatis inde hostibus, & hanc possidebat tribus istæ pro indiuiso, & quia terra satis lata erat, sufficiebat cuilibet ad habitandum, & colendum, nec multum curabant propria possidere. Potissime, quia diuidere erat quidam labor, cum deberet primo terra describi, vt infra factum patet, quia tamen augeretur populus ad maiorem modum in breui: non caperentur quiete in terra insurgentibus litigij de possessione: ideo, vt tolleretur hæc, debuit terra diuidi, & tunc licet veniret ad magnā multitudinem qualibet tribus, & esset ei locus angustus, quia tamen essent designatæ possessiones cuilibet, nemo haberet oc-

casionem conquerendi. Etiam Deus iusserat, vt diuideretur terra per sortes, & cuilibet tribui assignaretur sors. Num. 26. ideo debuit diuidi dato, quod aliter possideri posset: erat enim necessaria distributio certarum possessionum ad mandatum distinctionem inter tribus. Si enim pro indiuiso possiderent, & commutari possent hæreditates, non posset permanere certitudo in tribubus quantum ad distinctionem, sicut nunc vbi obseruantur iura primogeniturae permanet aliquod genus semper cognitum, ad quod pertinet aliqua determinata possessio. Vbi autem non est talis ius, permiscuntur hæreditates, & progenies, & cito perditio nomine progenitorum, velut aborigenes sunt. In Iudæis autem Deus voluit semper manere distinctionem tribuum, vt paret Nu 36. & ob hoc non miscebatur diuersarum tribuum connubia, vt patet ibidem, etiæ possessiones non poterant vendi in aeternum, sed redibat possessio in iubileo ad primum possidente. Leu. 25. ca. ad quid autem Deus volebat obseruari in tribubus distinctionem semper declaratum est. Leu. 25. c. ad Messiam enim hæc pertinebant. *Et non intratis ad possidendam terram.* Non est intelligentum, quod ipsi essent extra terram hanc, quam possessuri erant, nam præter eam, & terram tribuum Iudæ Ephraim, & Manasse, nulla erat in tota terra Chanaan, sed ipsi non erant in sortibus aliarum tribuum, quia non caperet eos terra ad habitandum, & colendū agros: ergo erant in terra ista indiuisa, quam habituri erant. Si dicatur, quod non intrabant in eam, id est, quod non inciperant possidere illam determinate: intrare enim ad incipientes pertinet, ideo non tamen intelligentum est, quod nondum ceperant possidere tribus istæ terræ hanc, quia morabantur in ea, sed quia nondum possidebant eam determinate, sed pro indiuiso, dicebatur, quod nondum introierant ad possidendum. Sic dicitur de Chananæis præced. c. quod coepit habitare Chananæus in terra filiorū Israhel, scil. in terra Ephraim, & Manasse, & tamen semper habitauerant Chananæi in terra illa, etiam antequam venirent Israelitæ, nec vñquam desierant possidere illam, vel morari, dicebantur tamen incipere morari in terra Israhitarum, quia ante hoc habitabant Chananæi in terra illa, tanquam sua, & post hoc habitaverunt in ea, tanquam in terra hostium, scil. Israhitarum, & quia hoc nouum erat, dicebatur incipere habitare in terra Israhel. In hoc increpabat Iosue tribus istas, scil. quare non conabantur ad diuisionem terræ, vt inciperent habere singulas sortes proprias. *Quam dominus Deus patrum vestrorum tradidit vobis.* Dicebatur terra tradita, quia iam fuerant deuicti hostes, & de maiori parte eius fuerant expulsi. Nec solum dicitur hic tradita terra, de qua Iudei iam occiderant habitatores, sed tota terra Chanaan, quia de nulla parte eius hostes non audiebant insurgere. Etiam patet, quia tota terra diuisa est, tam illa, quæ capta erat de manibus hostium, quam illa, quæ tenebatur ab eis: sic enim iussit Deus supra 13. & Iosue postquæ sic fecit. Nam in forte Iudæ fuerunt multa, quæ nondū capta fuerant, scil. tota terra Philistinorum, & multa alia loca, de quibus declaratum est, supra 15. capit. idem patet in forte Ephraim quantum ad urbem Gazer, supra 16. Idem in tribu Manasse quantum ad multa loca, supra præced. cap. *Elige de singulis tribubus ternos viros,* id est, de qualibet tribu dentur tres viri ad opus descriptionis sortiū. Quendo enim aliquid commune fieri debebat à singulis tribubus erant viri assuendi, sic quando in deserto Sinai in confirmatione legis facta sunt sacrificia, fuerunt 12. tituli per 12. tribus Israel, & missi sunt iuuenes de omnibus tribubus Israel ad faciendum sacrificia, vt patet Exo. 24. Item cum exploratores missi fuerunt in terrâ Chanaan de qualibet tribu missus est unus vir. Num. 13. Item quando voluerunt confirmare legem ponendo benedictionem & maledictionem, & omnes tribus hoc fecerunt, scilicet, sex ad vnam partem, & totidem ad aliam: Deuteron. 27. cap. Item in transitu Iordanis 12. viri eduxerunt lapides 12. ad portandum in locum castrorum, & totidem de eis, qui erant in ripa posuerunt in aluco, & hoc singuli viri de singulis tribubus, supra 3. & 4. ita hic describere terram erat aliquod commune, ideo de singulis tribubus mitti debuerunt viri ad hoc exequendum.

D

E

F

Quo modo aliquid communne decernendum erat in Israhel de qua libet tribu viri assumentur de eis.

An

A An de singulis tribubus viri assumpti sunt ad diuidendum terram pro septem tribubus, vel solum de 7.

QVÆSTIO II.

SED dubitabitur an iuerunt viri de singulis tribubus, id est, de omnibus tribubus 12. vel de singulis, id est, solum de illis, quæ non acceperant possessionem, & erant septem. Dicet aliquis, quod de omnibus tribubus missi fuerint viri, quia litera dicit de singulis tribubus, ergo etiam tribus illæ, quæ acceperant possessionem miserunt viros ad descriptionem hanc. In contrarium videtur, quod de solis tribubus, quæ nondum acceperant sortes missi fuerint viri, quia ad tribus has solum pertinebat hoc negotium. Dicendum est, quod de omnibus tribubus fuerunt missi viri, & de qualibet tribu tres viri: erat enim multum conueniens eos mitti, nam iustius isti in hac parte iudicarent, quia illi quarum intererat, scilicet accepturi erant aliquam sortem. Nemo n. bene de suis iudicat, quia quilibet sibi nimis fauet, & cum de qualibet tribu essent tres, si solum essent de tribubus illis, quæ accepturae erant sortes, vellet quilibet pro tribu sua maiorem, quam pro ceteris assignare sortem, & quilibet pro se volente, iurgij materia oriretur. Cum autem essent aliqui iudices de alijs tribubus, quæ iam acceperant sortes, iudicarent iuste, quia nihil intererat horum sic, vel sic iudicare, cum utilitas, vel damnum rei iudicatae non eis, sed alijs tribubus prouenire debebat. Et istæ erant quinq; tribus, quæ iam acceperant possessiones, de quibus viri 15. assignati sunt in iudices de qualibet tribu datis tribus viris. De tribubus autem, quæ accepturae erant sortes fuerunt iudices 21. quia tribus erant septem, simile autem fuit in iudicibus diuidenda terra Chanaan: nam terra Chanaan erat ad occidentalem plagam Iordanis, & fuit data nouem tribubus, & dimidiæ, cum duæ tribus & dimidia accepissent sortes, viuente Moysè, ante transitum Iordanis, supra 13. & hic in litera, & tamen ad diuidendum terram nouem tribuum, & dimidiæ dati sunt à Deo iudices 13. scilicet vir unus de qualibet tribu, ut patet Num. 34. c. ita ergo hic esse debuit. Iubentur autem isti viri esse terni de qualibet tribu, quia negotium erat satis magnum, scilicet diligenter annotarent terminos terræ totius, & describerent loca, atque mensuras, ut cuilibet tribui proportionaliter daretur sors ad quamlibet aliam tribum. Fuerunt autem viri isti 36. scilicet de qualibet 12. tribuum viri tres, & simul ibant considerantes loca, & magnitudines regionum, ut destribuerent terram in partes septem pro residuis tribubus.

C An isti diuiseores terre, qui hic eliguntur sunt alijs ab illis, qui primo assignati sunt à Deo. Et ad quid dati fuerunt 36. viri de tribubus in secunda diuisione terra Chanaan, an per septem tribus.

QVÆSTIO III.

VARET aliquis an sint isti viri diuiseores terra alij ab illis qui dati fuerant in diuiseores: Deus enim statuerat diuiseores. Num. 34. Dicet aliquis, quod ipsi metu erant, quia cum Israelitæ haberent terram diuiseores, frustra esset capere alios. Item non poterant Israelitæ mutare præcepta, sed Deus determinauerat certos diuiseores. Nu. 34. ergo non ponerent Israelitæ alios. Respondendum est, quod isti non erant illi quos Deus statuit in diuiseores. Nam si fuissent illi non eligerentur nunc nouiter, quia iam à Deo erant electi, & nominati dati, ut patet præalleg. ca. dixit tamen Iosue, quod eligerentur nunc viros de singulis tribubus: ergo erant alijs viri.

Item illi quos Deus posuit erant duodecim, scilicet de qualibet tribu unus, & simul Iosue & Eleazarus summus sacerdos Num. 34. hic autem iubentur eligi de qualibet tribu tres, scilicet 36. ergo non erant ijdem. Sed tunc stat argumentum, scilicet, quomodo Iosue fecit alios diuiseores terram, cum Deus iam 12. statuisset, & solum misit ad diuidendum illos, qui nouiter fuerant electi. Respondendum est, quod Iosue non priuauit alios diuiseores terræ iure suo, quia erant distincta officia diuisorum datorum à Deo, & istorum. Nam Iosue nunc iussuerat viris his, ut totam terram lustrarent, & diligen-

ter consideratis locis, & magnitudine regionum determinarent septem partes in libro, sed isti nihil amplius faciebant. Ad Iosue autem, & ceteros iudices diuiseores datos à Deo pertinebat mittere sortes, & approbare diuisiones istas, vel non approbare, quod colligitur ex litera, quia Iosue dixit viris illis, ut circuirent terram describentes eam, & quod reducerent ad cum descriptionem in Silo, ut poneret sortes, & sequitur postea, quod Iosue diuisit terram illam filiis Israel in septem partes: id tamen, quod dicitur fecisse Iosue etiam faciebant alij iudices dati à Deo, cum omnibus simul data esset potestas Nu. 34. ergo, quanquam isti viri 36. nunc electi ad describendum terram totam facerent aliquid præcedens ad diuisionem terræ, tamen non erant ipsi diuiseores terræ, sed illi, quos Deus dederat.

Aliter responderi potest, quod non tollebatur iurisdictio priorum, quia istud mandatum hic à Iosue fuit de consensu, & auctoritate aliorum diuisorum terræ, & cum ad eos pertinenter omnia, quæ erant in diuisione sortium, delegauerunt vices suas alijs quantum ad aliquid, scilicet, quantum ad descriptionem terræ solum: ipsam tamen diuisionem terræ, & positionem sortium fecerunt diuiseores dati à Deo. Sic est apud iudices ordinarios, qui possunt delegare causas alijs, & interdum non delegant totam causam, sed aliquem articulum, vel totam causam quantum ad cognitionem, sed non ad sententiandum diffinitiū.

E *Vt mittam eos.* Noluit Iosue eligere viros, sed permisit populo eligere, ut magis sic fieret ad voluntatem populi, cum per illos res fieret, quos populus elegisset. Etiam, quia ad hoc erant necessarij viri in dustrijs, & melius poterant singulæ tribus cognoscere viros, qui in eis erant, quam Iosue. Sic etiam fecit Moyses quando constituit iudices Israelitæ in deserto: non enim elegit ipse eos, sed dimisit populo eligendos, ipse autem confirmavit, vel potius instituit eos in iudices, ut patet Exod. 18. & Deut. 1. Sic etiam factum est cum electi sunt 70. seniores in deserto post electionem primorum iudicium de quo Nume. 11. cap. De missione autem exploratorum 12. in terram Chanaan eodem modo videtur dicendum, quod populus elegerit illos, quanquam non satis patet an Moyses eos elegerit, vel populus Num. 13. & Deut. 1.

F *Vt mittam eos.* Scilicet, postquam eligeret populus debebat Iosue dare præcepta ipsis de modo describendi terram, ut referrent descriptionem ad eum. *Et pergant atque circumneant terram.* Id est, isti iuerunt per totam terram, & considerauerunt ad distinguendum in portiones proportionabiles singulis tribubus, & tamen non solum circumierunt terram, quæ erat nondum diuisa, sed etiam terram diuisam in sortes, scilicet, sortem Iudei Manasse, & Ephraim. Quod patet, quia iussum est his, ut diuiderent totam terram residuum in septem portiones pro septem tribubus, quæ nondum acceperant possessiones. Si tamen ipsi solum terram nondum diuisam perambulassent, illam in septem partes diuissent: solum tamen diuiserunt illam in sex partes, & partem septimam fecerunt de terra, quæ iam diuisa erat, scilicet, de parte, quæ ceciderat in sortem filiorum Iuda. Nam de terra illa abscederunt particulam quandam quæ fuit data Simeoni in sortem, ut patet sequent. c. ergo illam quoque perambulauerunt. Vnde dicendum est, quod isti viri 36. dati sunt, ut totam terram Chanaan lustrarent, & considerarent eius magnitudinem atque consideratis multitudinibus in qualibet tribu designarentur proportionaliter sortes earum, principaliter tamen mittebantur ad terram illam, quæ diuidenda manebat, ut septem tribus haberent possessionem, quæ nihil adhuc acceperant, sed quia non poterat terra proportionaliter diuidi inter tribus, nisi tota consideraret, ut si forte aliquid assignatū fuisset in sortibus supra datis, corrigeretur. Etsic factum est, nam

cum totam terram perlustrasset diuidentes eam proportionaliter inter omnes tribus repererunt tribum accepisse maiorem sortem ceteris tribubus præter proportionem: ideo cum venissent ad Iosue abscederunt particulam quandam de sorte Iudei: in qua datus est locus tribui Simeonis, & sic fuit reducta ad proportionalitatem cum alijs tribubus. In tribu autem Ephraim, & Manasse non respectum est aliquid maius esse præter proportionem nec minus: ideo nihil de eis abscessum fuit, ut daretur alijs, nec additum illis de terra, quæ residua erat. Sciendū tamen, quod isti viri circumeuntes terram

A non lustrauerunt totam terram, quam acceperant in posseſſio aem Israelitæ, sed solam terram nouem tribuum, & dimidiæ, quæ vocatur terra Chananaan, & est ad occidentalem plagam Iordanis: terram autem duorum regum Amorrhæorum in qua erant duæ tribus, & dimidia non lustrauerunt, quia etiam si illæ tribus haberent aliquid de terra super portionem ad alias tribus, non poterat Iosue hoc corrigerre reducendo ad proportionem cum alijs trihubus, quia Moyses diuiferat terram illam, Iosue autem solum data est potestas diuidendi terram Chanaan nouem tribubus, & dimidiæ, in quam non introiuit Moyses. Etiam si terra duarum tribuū, & dimidiæ effet minor præter proportionem terra aliarum nouem tribuum & dimidiæ, non adderet ei Iosue quidquā trans Iordanem, quia istæ tribus, cum petierunt primo hæreditatem ad orientalem partem Iordanis, vt permitteretur eis eligerere ibi possessionem, renunciauerunt toti iuri suo, quod habebant in terra ad occidentalem partem Iordanis, vt patet Num. 32. scil. nec quidquam quærimus trans Iordanem, quia iam habemus possessionem nostram in orientali plaga eius, & confirmauit Moyses eorum dictum, ideo nō manifit eis aliquod ius possidendi quidquam post Iordanem, & consequenter nec Iosue obligabatur eis quidquam dare de possessione quamvis portiones eorum minores esſent portionibus aliarum tribuum: nec solum non obligabatur dare, sed etiam non poterat, etiam si vellet, quia in hoc adimeret ius alijs tribubus. Nam cum duæ tribus, & dimidia renunciauerunt iuri, quod habebant in terra ad occidentalem partem Iordanis, acquisitū fuit ius reliquias tribubus: ideo si nunc Iosue de terra hac daret quidquā duabus tribubus, & dimidiæ, quia haberent minores portiones illud tolleret alijs tribubus, scil. nouē, & dimidiæ in quo iniuste faceret. Hanc ergo nō lustrauerunt, quia nihil proficiebat circumire eam, & hoc patet aliqualiter ex verbis, quæ infra habentur, scilicet, quod Gad, & Ruben, & dimidia pars Manasse iam acceperunt possessionem. In quo videtur, quod iubebat, ne computarentur sortes harum tribuum, quia iam determinatè acceperant possessionem suam. De Iuda autem, Manasse, & Ephraim non dicitur, quod non computarentur, & tamē istis fuerant datae hæreditates, ergo non erant penitus limitate partes harum tribuum, scilicet, quod aliquid poterat addi, & aliquid minui: partes autem Gad, Ruben, & dimidiæ tribus Manasse limitatæ erant, ideo non lustrauerunt eas, sed totam terram nouem, & dimidiæ. Scendum autem, quod isti viri ambulauerunt non solum terram, quæ iam capta fuerat de manu hostium, sed etiam terram, quæ nequam capta fuerat: nam hic diuisa est tota terra Chanaan, siue capta, siue non capta, vt patet in sorte Iude Ephraim, & Manasse: idem de alijs sortibus, cum in qualibet earum esſent aliqua loca, quæ nondum capta fuerant de manu hostium, vt colligitur de sorte Beniamin in qua Ierusalem non capta fuit, & in tribu Simeonis aliquæ vrbes adhuc detinebantur ab hostibus, sicut vrbs Sicelech, quæ pertinuit ad Philistinos etiam usque ad tempus regis David: ipse enim cum fugit a facie Saulis ad regem Geth mansit in ciuitate Sicelegh, vt patet. 1. Reg. cap. 27. & 30. quia dederat ei rex urbem illam, in qua maneret, & sic de singulis tribubus, sed omnia ioca ista ad sortes etiā pertinuerunt cum tam terra capta, quam non capta venerit in diuisionem, vt patet supra 13. cap. ergo necesse est, quod per illam totam ambulauerint, & descriperint singula loca atq; magnitudinem regionis, alioquin nesciuissent distinguere terram in partes proportionales tribubus ipsis, nec oporteret aliquam terram circumire, nisi totam circumuerint, quia reliqua aliqua terra, quam nō mensurarent sequeretur eodem modo error cum totam terram diuiserint.

Quomodo perambulauerunt Israelite terram hostilem ad mensurandam eam. Et quid hic signet, & importet circumire.

Q V A E S T I O III.

SE D tunc stat difficultas de modo, quo perambulauerunt Israelite terram hostilem ad mensurandam eam. Aliquis forte dicet, quod circumierunt terram illam, sicut prius circumierunt exploratores, qui missi sunt de Cadesbarne qui-

bus iussum est, quod lustrarent totam terram. Num. 13. cap. Respondendum est non stare sic propter duo. Primo, quia Israelite non poterant nunc latere, sicut latuerant exploratores introeuntes in terram illam, quia ipsi exploratores nō perambulauerunt singulas vrbes, aut singulas partes terræ, sed processerunt, quali directe à latere meridiano usque ad latus septentrionale, scil. à deserto Sin usque Roob intratribus Emath, quæ sunt extremitas meridiana, & septentrionalis, vt patet Num. 13. & non ingrediebantur in vrbes nisi rarissime, sed peruenientes ad montes altissimos contemplabantur inde terram reliquā ad omnem positionem: sic enim iussum fuerat eis, vt patet Num. 13. scil. cumq; veneritis ad montes altissimos considerate terram, qualis sit &c. Isti autē viri, qui nunc mittebantur necessario debebant ire ad omnia loca, & considerare per se quamlibet regionem, vt singulis tribubus proportionaliter terram diuiderent, vnde hoc facientes latere nō poterant. Secundo non potest habere, quia cum venerunt exploratores de Cadesbarne in deserto ad terram Chanaan non cognoscebant Chananei Israelitas, quia nunquam ad eos accesserant nec contra eos pugnaranit, ideo existentes quasi securi non tantum aduerterent ad 12. exploratores missos, cum vero nunc viri isti 36. scil. terni de singulis tribubus ituri erant ad describendum totā terram cognoscebant omnes Chananei Israelitas cum contra eos multis annis pugnassent, & morarentur inter eos, ideo non possent latere inter eos, etiam si cautissime incederent: si sigitur modo hostili se haberent, videtur, qd nō erat possibile, vt isti incederent per terram hostilem ad describendū eam. Dicendū autē satis videtur, qd Israelitæ, & Chananei haberent interdum temporales bellerū inducias, & tunc liceret Chananeis incedere per terrā Israelitarum, & Israelitis per terrā Chananeorum, & sic posset tota terra describi, quia fortassis viderentur Israelitæ ad aliud negociali, & hoc similitate ageant. *Et circumeat terram.* Non accipitur circumire pro in circuitu ambulare, quia non sufficiebat ad describendum tribuum possessiones, sed necesse erat singula loca videre, & locorum confinia atque agros, sed accipitur circumire, id est, perambulare scil. per totam illam incedere nullam regionem, aut urbem relinquendo. *Et describant eam iuxta numerū viuis cuiusque multitudinis.* Id est, quamlibet portionem terræ faciant secundum proportionem ad multitudinem Israelitarū. Iste est modus diuisionis terræ postea per sortes accipiendæ.

Quomodo siebant sortes pro singulis tribubus, & an essent inutiles data diuisione terre, que habetur hic, & de modo ponendi fine inconvenienti. Et quomodo siebat fors in tribubus profamilij.

Q V A E S T I O V.

QVÆR ET VR circa istas sortes tribuum quomodo siebant. Aliqui respondent, quod isti missi ad describendum terram considerauerunt magnitudinem eius, & multitudinem cuiuslibet tribus, & vt eam diuiderent in nouem partes, & dimidiā, posuerunt proportionalitatem, vt sicut se habebant istæ tribus inter se in differentia multitudinis, ita se haberent in differentia magnitudinis terræ, & sicut aliqua tribus erat dupla ad aliam in multitudine, & aliqua tribus se habebat ad aliam in sexquialtera proportione, & sic variantur: ita se haberent portiones terræ in dupla, vel sexquialtera, & sic de varijs proportionibus, & tunc nulla tribus grauaretur recipiens præter proportionem, vt pote si aliqua reciperet magnam possessionem, alia autē valde paucam, & huic consonat litera ista, scil. quod diuideretur terra in partes secundum numerum viuis cuiusque multitudinis. Contra hoc aliqui arguent, scil. quod non stet, quia tunc nō videtur quomodo ponantur sortes, iussum fuit enim, qd omnia sorte diuideretur. Nu. 26. & inf. dicitur, qd Iosue mitteret sortes coram domino, & tamen si secundum multitudinem cuiuslibet tribus separetur vna portio conueniens ei, & sic de cæteris tribubus foret iam manifestum cui tribui, quæ pars prouentura foret, & sic essent sortes inutiles. Item essent amplius nocivæ, quia data tali diuisione si ponerentur postea sortes, accideret, quod pars, quæ separata fuerat pro aliqua tribu magna, cueniret alicui parvula, & è contrario,

quod

A quod magnam fecisset deordinationem. Alij dicunt aliter, scil. q̄ tota terra fuit diuisa in portiones æquales, nec recepit magis vna tribus, quā alia, sed postea, quia quilibet tribus habet multas familias, & domos fiebat diuiso inæqualiter, & ista nō siebat per sortes. Primo ponebantur sortes, scil. inter sortes, & hoc nō erat inconueniens, quia cum essent sortes æquales, dato, q̄ alicui proueniret vna, & alteri altera, non videbatur esse hoc inconueniens, sicut si pars magna assignata pro tribu maiori data forte proueniret tribui minori. Itē non erant hic superflue sortes, quia cum essent partes æquales non videbatur, quę pars cui tribui conueniret, & sic erant oportunę sortes. Dicendū tamen est, quod sortes ponebantur primo modo, quo supra dictum est, & hoc inducitur ex litera Nu. 26. c. cum dicitur pluribus maiorē partem dabis, & paucioribus minorem: singulis secundū, quod nunc reconsisti sunt tradetur possessio: ita duntaxat, vt fors terrā tribubus diuidat, & familijs, & quidquid sorte cnotigerit hoc plures accipient, vel pauciores. Ex hac litera necessario duo innuuntur. scil. diuiso inæqualis, & tamen fors. Primū patet cum dicitur: pluribus maiorē partem dabis, & paucioribus minorem: in quo patent duo. Primum, quod forent portiones inæquales, secundum, q̄ non essent incertæ, sed quando quilibet portio distingueretur ab alijs, & fieret magna vel parua: assignaretur alicui tribui per cuius collationē accipere sortes magnitudo sua, vel paruitas, & hoc antequā fors aliqua poneretur. Secundū principale erat fors ad tollendū omnes contentiones super portionibus distinctis, assignatis diuersis tribubus. Hoc idem apparet hic, scil. & describant eam secundum numerū vniuersitatisq; multitudinis, id est quod tota terra diuideretur per tribus, quae accepturæ erant hæreditates, & hoc nō æqualiter, sed secundum numerū vniuersitatisq; multitudinis, id est secundū differentiā multitudinis cuiuslibet tribus in viris accepturis hæreditatē: ita sit proportionata pars ei assignanda, & postea dicitur, quod descriptis istis partibus sic ponerentur sortes super illas, & factū est, quia cū attulerunt viri isti descriptionē factā, Iosue posuit sortes coram domino in Silo pro omnibus partibus, & facta est sic diuiso. Non ergo fuit diuiso facta per æqualia, & tunc cum sortes ponendæ essent, illa fors, quae assignata fuerat alicui tribui proueniebat illis. Erat autē modus, quod primo tota terra diuideretur in tot portiones quot erāt tribus accepturæ possessionē, & ante hoc cōsideraretur tota magnitudo terræ possidenda, vt videretur, quod diuisa terra illa in nouem partes, & dimidiā proportionales ad nouem tribus, & dimidiā quantū pro singulis de terra accipiendū erat, & descriptis terminis omnī fortium fuerunt positæ singulæ sortes in singulis cedulis, & quilibet tribus mittebat manū in inuolucrum, & fors, quae proueniret in manu accidebat illi tribui, quia tamen à Deo dirigebantur ista sortes proueniebat cuiuslibet tribui illa portio, quae in diuisione pro ea fuerat segregata, & sic nō accidebat error, sed quilibet tribus sortiebatur proportionale sibi. Dicendum autē magis in particuliari, quod antequā ponerentur isti viri, qui circumirent terram ad diuidendū eam in partes, fuerant assignatae tres sortes intra terrā Chanaan, scil. tribui Iudæ, & Ephraim, & dimidiæ tribui Manasse, & quia nō constabat an ista tribus accepissent portiones proportionales secundū magnitudines partium conuenientiū alijs tribubus, iussum est, vt isti viri totam terrā perambularent, scil. vt diuiderent eam in septem partes, scil. ad faciendū septem portiones nouas pro septem tribubus, vt æquarent secundum proportionē eas cum alijs, quae facta extiterant demendo, vel addendo: cum autē perambulassent viri totam terrā Chanaā, velut nihil diuisum foret ad distribuendū in nouē partes proportionales, inuenirent terrā residuam nō esse proportionalē diuisibilem in septem sortes, & sortem Iudæ præter proportionē esse cæteris maiorē, ideo de illa decisum est aliquid, scil. tantū quantum sufficeret tribui Simeon, vt patet sequ. c. reliqua autem terra, quę nondū fuerat diuisa fuit in partes diuisa sex pro sex tribubus: fors autem Ephraim, & Manasse erant proportionales ipsis tribubus, ideo nihil de eis decisum est, nec quidquam additū fuit. Deinde segregatis partibus istis, quia pars Iudæ per separationem cuiusdam portionis manebat proportionalis ipsi tribui, non fuit posita ultra sub sorte. Item de partibus Manasse, & Ephraim: nam iam fuerant positæ

D sortes pro his. Manebant ergo solum portiones, quae nāquam fuerant positæ sub forte, ista partes descriptæ fuerunt in cedulis septem, positæque in inuolucro coram domino in sanctuario in Silo: tunc forte fusis precibus ad dominum, vt declararet per sortes has de singulis portionibus, quibus tribubus prouenire vellet illas, mihiit quilibet tribus manum in cedularum inuolucrum, & quamcunq; cedulas in tribus quilibet eduxisset hanc possessionē recipiebat: factū est autem tunc, vt quilibet tribus educeret cedula contineat sortem, quae ei proportionalis erat, & hoc quia Deus mouebat manus missas in inuolucru ad accipendum, quod conueniebat, & hoc quia sortes mittuntur in sinum, sed à domino temperantur: Prou. 16. c. potissimē, quia ista sortes fiebant cum solennitate, scil. coram domino in sanctuario: sic enim patet infr. scil. q̄ Iosue posuit sortes has coram domino in Silo, & verisimile est, quod Deus per eas indicaret, quod vellet. Et, quod amplius est, iste sortes positæ fuerunt Deo iubente: Nu. 26. c. scil. Ita duntaxat, vt fors terram tribubus forte diuidat, non est ergo vilatenus verisimile, quod inutiles essent sortes, cum dominus eas iussisset ponit, sed es- sent inutiles si Deus non signaret per eas specialiter voluntatem suam, dans vnicuiq; tribui, quod conueniebat, sed essent, vt sortes cōmunes diuisoria sine vlla solennitate, aut iussu Dei positæ: ergo mōstrabatur per eas diuina voluntas, ita, quod per eas cuiuslibet tribui proueniret id, q̄ determinatum fuerat de portione proportionaliter. Ad argumēta duo contra istam positionē respondendū est. Ad primū cum dicitur, q̄ hoc dato sortes essent inutiles, quia iam cognoscetur, quae pars cui tribui proueniret, cum secundū multitudinem cuiuslibet tribus fierent portiones, & hoc sufficiebat non datis sortibus. Respondendum est, quod iste modus erat conueniens, non quidem ex necessitate diuisionis, sed ad tollendum contentiones: nam, quanquam essent portiones diuisæ proportionaite secundum magnitudinem, & multitudinem tribuum, aliqua tribus crederet se grauari existimans nō dari proportionaliter, vel quod ex fauore diuisa fuit alteri tribui maior pars. Si autē Deus super hoc sententiaret confirmando, non haberent occasionem de hoc conquerendi: ideo voluit Deus, vt sic dispositis partibus proportionalibus ponerentur sortes, & cui aliqua pars prouenisset, cōsebatur prouenire, quia Deus hoc egisset, & hoc erat valde magnum, qualitercumque autem aliter fieret diuiso, nō tolleretur occasio iurgiorum ab Israëlitis, ideo ipse cognoscens huius populi imperfectionem iussit ponit sortes. Ad secundum cum dicitur, quod ista sortes erant nocivæ, quia posset pars magna, quae segregata fuerat alicui magna tribui prouenire sorte alicui tribui parua, & ē contrario, & sic omnia confunderetur. Respondendum, quod si ista sortes diuisoriae essent de communib; quae sola humana ponuntur voluntate, cōtingere posset hoc: erant tamē positæ cum solēnitate, & iussu Dei: ideo nō poterat prouenire alia portio alicui tribui, quā illa, quae fuerat ei assignata, quia Deus mouebat manus missas in inuolucru ad accipendū portiōnem illam, quae fuerat assignata, & proueniebat cedula illa in qua erat talis portio. Et patet manifeste ex litera Num. 26. cum dicitur: Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem, ita duntaxat, vt fors tribubus terram diuidat: si tamen ipse non faceret sortem invariabiliter prouenire tribui cui fuerat talis portio assignata, erat tale præceptum inutile: ergo necesse est dicere, quod ipse invariabiliter faceret sortes prouenire secundū assignatas portiones, & sic ipsa fors secundum se erat inutilis quantū ad determinationem, quia illa portio, quae iudicio diuisorum segregabatur pro aliqua tribu illa necessario prouētura erat ei, etiam si nulla fors proueretur, & si proueretur fors non desiceret ab hac assignatione: fiebat tamen fors propter ablationem iurgiorum, vt dictum est. Alia positio de sortibus non potest stare, scil. quod ponerentur diuisiones æquales terræ pro singulis tribubus, & tunc darentur sortes, & seruaretur maioritas, & minoritas quantū ad distributionem inter familias, & nō inter tribus. Multipliciter errat ista positio primo, quia dicit fuisse æquilitatem partium datarū omnibus tribubus: hoc enim videtur esse valde iniustum, nam aliqua tribus erat dupla, & magis, quā dupla ad aliam, vt patet ex cōputationibus duabus, quae habentur Nu. 1. & 26. Item falsum est, quia quibusdam tribubus

A tribubus dabantur multæ vrbes, & alijs dabantur paucæ: nam sors Iudeæ accepit plures vrbes, quā duæ, vel tres de alijs, vt patet comparando vrbes, quæ habentur sup. 15. ad eas, quæ habentur hic in sorte Beniamin, & inter cæteras vrbes aliarum sortium patet seq. c. quod non est equalitas. Item patet hoc, quia dicitur seq. c. quod Simeon accepit hereditatē intra sortem Iudeæ, quia maior erat, ergo quomodo cunq; accipiatur ibi maior, necesse est, vt ponatur inæqualitas in sortibus. Item falsum est, quia Nu. 26. iussum est, vt diuidetur terra tribubus & familijs, & quod pluribus daretur maior pars: ergo tribus, quæ esset maioris multitudinis acciperet maior fortæ. Item patet hic, scil. quod præcepit Iosue, vt describant terrā secundum numerū vniuersiusq; multitudinis, quæ ibi pro tribu accipitur: ergo non erat æqualis portio omnibus danda, sed proportionaliter secundum collationem multitudinis. Item errat ista positio, quia in eo, in quo putat se fugere inconueniens, incidit in magna inconuenientia: nam vbi tolletur difficultas de sortibus, dixerūt, q; erant portiones æquales, quia videbatur eis inconueniens si ponebantur portiones inæquales, & proportionales tamen secundum multitudine cuiuslibet tribus, sed hoc modo nō potest tolli aliqualiter inconueniens. Nam aut hoc dato dicitur, q; sortes solum diriguntur à fortuna, Deo nihil operante specialiter in illis, aut quod Deus aliquid operatur. Si primo modo dicatur non effugiemus inconueniens, quia cum tribus sint inæquales portiones sunt æquales. Si autē dicatur, q; Deus operetur aliquid speciale in his sortibus, nō potestflare, quia quomodo cunq; mutaret eas semper proueniebant æquales partes inæqualibus tribubus, quæ est inconueniens distributio, ideo quomodo cunq; agat non erit possibilis regulatio, aut reductio ad rectitudinem. Data tamen priori positione stat conuenienter, quia si ponebantur sortes à sola fortuna dirigi, posset accidere inconueniens: si tamen detur ibi regulatio sortiū à Deo, fiet conuenienter, quia cum sint portiones inæquales poterit Deus mouendo sortes facere, vt portio talis proueniat sua cuiuslibet tribui, quæ ei conueniens sit, & proportionalis, vt declaratū est supra. Item errat ista positio cum dicit, quod illud, scil. Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorē sit intelligendū solum de familijs, sed nō stat, quia ista particula posita est, ne inæqualibus daretur equalia vel æqualibus darentur inæqualia, quod erat iniusta distributio, sed ita cōtingebat in tribubus sicut in familijs, scil. quod in vna tribu essent plures, quanquā in alia, sicut vna familia erat maior alia, ideo ita obseruandū erat de tribu ad tribum, sicut de familia ad familiā cum non apparet ratio diuersitatis. Immo magis obseruandum erat hoc de tribu ad tribum, quā de familia ad familiā, quia hoc non obseruato in tribubus, & familijs magis lēdebantur tribus, quam familiæ, cum plus excederet vna tribus aliam, quam familia familiam. Item necesse est, vt intelligatur litera illa de tribubus, quia cum dictū fuerit pluribus maiorē partem dabis, & paucioribus minorē, subiungitur, singulis sicut nunc recensiti sunt traderetur possessio, & tamen ibi fuerat facta numeratio tribuum, & non familiarū, quia positus fuit numerus cuiuslibet tribus: nullius tamē familiæ summa positâ est, ergo de tribubus intelligitur necessario pluribus maiorē partem dabis. Item ista positio non fugit sic inconueniens, quanquā puret se fugere: posuit enim in tribubus equalitatē, & sortes, in familijs autē non posuit sortes, ideo credidit facile esse, quod pluribus daretur maior pars, & paucioribus minor. Sed falsum est, quia familiæ acceperunt possessionem per sortes vt patet Nu. 26. scil. Ita duntaxat, vt sors terrā diuidat tribubus, & familijs. Sed tūc data sorte sequitur inconueniens, quod intendunt vitare, quia nō poterunt assignare modū, quo daretur pluribus maior pars, & paucioribus minor, nisi in tribubus quoq; istud concesserint, ideo dicendum, quod tam in tribubus, quā in familijs obseruabatur, quod pluribus daretur maior pars, & paucioribus minor, & quod utrobiq; ponebantur sortes. De modo, quo siebat hoc in tribubus dictū est. De familijs autem dicendum, quod data portione cuiuslibet tribui siebat in ista tot portiones, quot erāt familiæ, & cōsiderabatur multitudo cuiuslibet familiæ, & ita proportionaliter distribuebantur eis partes: postea ponebantur sortes in inuolucro, & quælibet familia mittebat manū, & quod eduxit et suum erat: nunquam tamen aliqua fa-

D milia educebat, nisi chartulā continentem portionē ci assignatam. De domib; autē, & viris singulis an sic fieret non patet: forte non sic siebat, quia solum iussum est de tribubus, & familijs, in quibus maius dubium videbatur, quia erant portiones assignatae maiores. Hæ autem sortes, siue tribuum, siue familiarū coram domino in Silo positæ sunt. Item patet quod dictū est ex litera hac, scil. describāt eam iuxta numerū vniuersiusque multitudinis, & accipitur ibi multitudo pro tribu: ergo non solum intelligebatur hoc de familijs, quia multitudo magis conuenit tribubus, quam familijs. Si autē aliquis obijciat, quod accipitur multitudo pro familia, quia cū familiæ sunt multitudines. Respondendum solum stare hoc pro tribubus, quia cum dictū fuerit, q; describatur teriuxta numerū vniuersiusq; multitudinis subditur: Diuidite vobis terrā in septē partes, constat tamē, quod ibi de tribubus intelligatur: ergo multitudo etiā pro tribu accipitur, in qua cōsiderabatur multitudo, & paucitas ad assignandū proportionaliter portionē terræ: potissimē, quia illi viri descriperunt terrā, secundū quod ipsa diuidenda erat manifestū autē, quod terra prima sui diuisione diuidebatur per tribus, sed nō per familias, quia tunc primo diuidetur terra in tot partes, quot erant familiæ in omnibus tribubus Israel. Sed falsum est, quia iussum est diuidi in septē partes, vt patet immediate: postea autē habita portione cuiuslibet tribus diuisione siebat per portiones familiarū. Referantq; ad me, quod descripserint. Id est, diuidant totā terrā proportionaliter secundū singularis tribus, & scribāt in libro, postea autē referant ad me, q; scripserint. Et hoc erat ad duo. Primum erat, vt Iosue, & cæteri diuisores terræ dati à Deo approbarent, quod isti describerent, & nō videretur tota potestas diuidendi reliqua istis: secundo propter foriū positionē: nam post distributionem partiū assignandarū tribubus singulis ponendæ erant sortes, quia sic Deus iusserat ad tollendum contentionem, vt supra declaratum est. Sortes autē poni debebant coram domino in Silo, & manebat ibi Iosue, ideo ad eum redire debebant viri dicentes, quod descripsissent. Diuidite vobis terram in 7. partes. Id est, facite 7. portiones nouas pro 7. tribubus, quibus nondum assignatæ sunt portiones aliquæ. Non est autem in intelligendū hoc, vt iacet, scil. quod terra diuidetur in septem partes, quia hoc falsum esset quomodo cunq; accipitur. Nam autem accipietur hic terra pro tota terra Chanaan, quæ est ad occidentale partem Iordanis, & tunc falsum est, quia ista nō fuit diuisa in septem portiones solum, sed in 10. quia assignatæ sunt ibi partes 9. tribubus, & dimidiæ. Si autē accipiat pro terra, quæ nondū fuerat diuisa, etiā est falsum, quia illa non fuit diuisa in septem partes, sed in sex: nam licet manerent tribus 7. quæ nondū acceperant possessionē, tamen nō acceperunt omnes septē possessionē in terra nondum diuisa quia tribus. Simeon accepit sortem in portione tribus Iudeæ, quæ magna erat, vt patet seq. c. ergo terra non diuisa prius sex alijs tribubus cessit diuisa in sex partes. Sed est sensus, q; diuidenter terrā in 7. partes in terra illa, siue diuisa, siue nō diuisa facerent 7. portiones nouas, quæ prius nō fuerant: nam licet sortes prius factæ cōquarentur nūc proportionaliter sortibus nouiter factis: tamē iam illæ factæ erant, ideo solæ 7. sortes siebant nūc. Vnde aduertendū, q; hic Iosue duo præcipiebat viris istis, primum, q; totā terrā circuirent mensurādo eam ad faciendū, q; omnes portiones tribū, siue iam assignatæ, siue assignandæ essent, pportionales inter secundū magnitudinē ipsarum tribū, quia à principio non fuerat penitus obseruata pportionalitas assignando. omnes sortes, sicut patet in sorte Iudeæ, quæ postea pportionaliter cæteris adequa est adēpta ei quadā parte, quæ assignata fuit tribui Simeon, vt patet seq. c. Secundū fuit, q; cōquata tota terra pportionaliter cōstituerent 7. nouas portiones, siue de partibus terræ nondū diuisa, siue de illa cū aliqua parte terræ iam diuisa. Vel si forte reperiatur, q; terra illa refida excedebat pportionaliter ad 7. tribus, quarū sortes fieri debebāt: constituerent in ea 7. sortes, & aliquid eius daretur tribus sortibus primo factis: sed è cōtrario factū est, quia sortes primæ erant maiores pportionaliter, s. vna earū ideo diminuta est, & terra diuidenda nō sufficit pro 7. tribubus, & dimidiæ, & diuisa est in sex portiones. Iudeæ fit in terminis suis. Datur modulus terræ diuidendæ s. à qua parte incipienda esset descriptio, & vbi finienda, & ponitur Iudeas ex vna parte i. tribus Iudeæ.

E Terra descrip-
tio de
sortie-
bus ad
duo.

F

An

A An Iudas esset in vna exremitate terre, & Ephraim in alia, &
in medio omnis tribus. Et erroris Nicolai, quod
fuerit motuum.

Q V A E S T I O VI.

S A T I S autem considerandum est circa totam istam literam, quae sequitur signans terminos diuisiōnum, quia si attendatur in superficie, repugnabit sibi ipsi, & litera supra positæ, & his, quae supra declarauimus. Et dicitur, quod Iudas sit in terminis suis, id est, tribus Iudeæ, vel sors tribus Iudeæ sit in terminis terræ istius diuidendæ, & hoc est à parte meridiana: sors autem filiorū Manasse, & Ephraim sit ex alia parte, scil. ex latere aquilonari, & terra media diuidenda erat in partes 7. Istud videtur dicere litera in superficie. Sed nullo modo stat iste sensus, vt declarabitur. Et ista fuit causa errandi Nicolao: dixit enim, quod istæ duæ tribus erant fortiores alijs, ideo positæ sunt in lateribus maxime distantibus, scil. Iudas in latere meridiano, & filij Ephraim, & Manasse in latere aquilonari, inter has autē sortes fuerant, 7. reliquæ. Sed non stat primū cum dicitur, qd Iudas sit in vna extremitate, scil. qd ab illo incipiat computatio, & terra media inter Iudeā, & Ephraim diuidatur, sed nō aliquid de tribu Iudea: nam solū terra media perambulata est, sed etiā tota sors Iudeæ etiā diuifa est, quia eo, quod maior erat, decisa fuit quædam particula de ipsa, & data est in sortem tribui Symeon vt patet seq. c. si tamē sola terra media iuberetur diuidi, nō fuisset aliquid diuisum de sorte Iudeæ. Item cum dicitur, qd domus Ioseph, scil. Manasse, & Ephraim sit ab aquilonari plaga istius totius terræ diuidēde, si sic intelligatur falsum est, quia aliæ terræ erant magis aquilonares in terra Chanaan, quā sors Manasse, & Ephraim. Quod patet, quia terra Roob est de maxime septentrionalibus in tota terra Chanaan: nam Nu. 13. vbi ponitur quomodo exploratores transierint ab extremitate vna terræ Chanaan vsq; ad aliā extremitatem, dicitur, quod ascenderunt à deserto Sin vsq; Roob ingrediētibus Emath, & tamē Emath est in ipso latere aquilonari terræ Chanaan, vt patet Nu. 34. & tamē terra Roob est in sorte Dan, vt patet Iud. 18. cum ipsi ceperint urbem, quae appellabatur Lais, quae erat in regione Roob: ergo magis erat tribus Dan aquilonaris, quā sortes Manasse, & Ephraim. Item aliæ sortes erant magis aquilonares, quam Manasse, & Ephraim, ergo nō erant in extremitate aquilonis. Quod patet, quia tribus Manasse, & Ephraim coniungebantur in tribu Aser in lateribus aquilonaribus, vt patet præc. c. ergo saltē sors tribus Aser erat magis aquilonaris, quam sortes Manasse, & Ephraim. Item non est verum, quod terra media inter tribū Iudeæ à meridie, & sortes Manasse, & Ephraim ab aquilone diuidetur in septem partes, quia tunc diuisores in sola terra intermedia fecissent portiones 7. Sed falsum est, quia vna de his facta est in sorte Iudea, scil. pars secunda, quae est portio tribus Simeon, ergo nō fuit diuifa terra media in septem partes. Item sors Issachar fuit vna de istis septem partibus, & tamen ista fuit extra mediū sortis Iudeæ, & filiorū Ioseph, quia vt littera ista signat, Iudas erat ab austro, & filij Ioseph ab aquilone, & terra intermedia diuidenda erat: sors tamen Issachar est à latere orientali Manasse, & Ephraim, quia ambæ istæ sortes coniunguntur in latere orientali in sorte Issachar, vt patet præc. c. ergo nō est ista sors inter Iudeæ, & filios Ioseph. Item satis apparet, quod sors Manasse, & Ephraim claudatur ab alijs sortibus: nam à parte orientali clauditur à sorte Issachar, & ab aquilone clauditur à sorte Aser, vt patet præc. c. Sic autē poterit esse de alijs sortibus, ergo non claudūtur omnes sortes 7. diuidenda inter sortē Iudeæ, & filiorū Ioseph: immo non clauditur inter sortes has, nisi sors Benjamin, omnes autē aliæ erant magis aquilonares, quā sortes Manasse & Ephraim, præter sortem Simeon, quae erat pars quædam sortis Iudeæ. Quod patet, quia sors Benjamin est coniuncta lateri aquilonari sortis Iudeæ: latus enim meridianum Benjamin, & latus aquilonare sortis Iudeæ sunt idem latus, vt patet comparando loca, quae infra ponuntur ad loca, quae ponuntur in latere aquilonari sortis Iudeæ supr. 15. c. Eadem enim loca sunt, latus tamen meridianum Ephraim coniungitur lateri aquilonari sortis Benjamin, vt patet cōparando loca, quae habentur sup. 16. ad loca, quae

D habentur hic: nam aliquæ vrbes sortis Benjamin ponuntur in latere sortis Ephraim, scil. Bethel, Luza, Iericho, & istæ sunt in sorte Benjamin, vt patet infr. Et si forte aliquis dicat nō valere consequentiā, scil. qd quanquā aliqua pars lateris meridiani Ephraim, & lateris aquilonaris Benjamin coniungantur, quod nō sequitur eas esse coniunctas in toto illo latere, ideo posse intercidere alias sortes. Respondendū est, qd etiā si detur posse intercidere, vel subintrare aliquā aliā partem alicuius sortis alterius tribus, tamē nō potest stare, quod inter Ephraim, & Iudeam sint omnes 7. sortes, cum etiā ipsi sorti Iudeæ ex quadam parte lateris meridiani circa orientem coniuncta sit sors filiorum Ephraim, vt declaratum est supra 16. & præced. cap. ergo non potest sic intelligi, quod inter sortem Iudeæ, & filiorū Ioseph terra media diuidetur, in 7. sortes. Sed debet accipi, quod in terra Chanaā erat quædam terra, quae iam fuerat diuifa, & quædam, quae diuidenda restabat: terra diuifa erat sors Iudeæ, & filiorū Ioseph, & istæ duæ tribus non erant coniunctæ, sed intertercidebat terra quædam media, quæ diuidenda erat, & non solū hoc, sed etiā tota alia, quæ erat magis aquilonaris, quam sortes filiorum Ioseph, & erat terra diuinda in 7. sortes vel partes, id est, nunc nouiter fieri debebant 7. partes pro 7. tribubus, quibus nō fuerant assignatae partes, & istæ partes futuræ erant in terra media inter Iudeā, & filios Ioseph. Non quidē, quod in ista terra media præcisè fieri debebant sortes 7. sed magis è contrario tota ista terra media erat ad distribuendū in 7. sortes, id est, in partes istarum sortium, siue ex illa terra media fieret vna sors, siue multæ sortes. Etiam tota alia terra Chanaan nō diuifa, quæ erat extra medium Iudeæ, & filiorum Ioseph, accipienda erat ad hanc diuisionem. Nec solū hoc, sed etiam siquid esset superabundans ad proportionē in sortibus iam acceptis detrahi debebat ad formationes istarum 7. sortium: sicut factum est de sorte Iudeæ, de qua adempta est particula quædam pro tota sorte Simeon, vt patet sequ. c. Dicitur ergo. Iudas sit in terminis suis ab australi plaga. Id est, considerando totam terram, quae non erat diuifa terminus eius à parte meridiana erat Iudas, id est, sors Iudeæ, & ab ista parte manifestum est, quod latus meridianū sortis Iudeæ erat ipsum latus meridianū totius terræ Chanaan, vt patet cōsiderando loca, quae ponuntur supra 15. in latere meridiano Iudeæ, & Nu. 34. in latere meridiano terræ Chanaan: ergo ultra sortē Iudeæ ad meridiem nihil manebat diuidendum de terra Chanaan, sed totum erat ad latus aquilonare illius: tamen quanquam ponatur sors Iudeæ hic tanquam terminus: non est intelligendum, quod in ipsa sorte Iudeæ nihil maneret diuidendum, quia totam ipsius terram lustrare debebant isti viri diuifores, vt viderent siquid esset ibi præter proportionē supra alias sortes, & demeretur sicut postea factū est. Fuit tamē posita sors Iudeæ pro termino, quia ipsa non erat de terra, quae manebat diuifa: iam enim fuerat diuifa, siue accipiatur diuilio proportionaliter siue sine proportione. Et domus Ioseph ab aquilone. Vocatur domus Ioseph duplex sors filiorū Ioseph scil. filiorū Manasse, & Ephraim: istæ enim tres sortes posse fuerant in terra Chanaan, & nō erant coniunctæ omnes, sed solū sortes Manasse, & Ephraim erant coniunctæ: sors autē Iudeæ distabat ab eis. Et cum dicitur, quod domus Ioseph est ab Aquilone terræ diuidendæ: nō est accipiendū, qd sit ab Aquilone totius terræ diuidendæ, quia vt supra fuit probatū multæ partes terræ Chanaan pertinentes ad alias sortes erant magis aquilonares, quam sortes Manasse, & Ephraim. Sed intelligendum, quod inter sortem Iudeæ, & sortes filiorū Ioseph erat aliquid de terra diuidēda, & respectu huius erat Iudas ab australi plaga, & sors Ephraim ab aquilone, fuitque terra hæc diuifa, sed præter eam fuit alia terra diuifa, quæ ante fuit diuifa, & hanc non exprimit litera, sed necesse est eam subintelligere ad faciendum in ea partes 7. sortium non totaliter, sed quantum ad aliquid. Mediam inter has terram in septem partes diuidite. Litera superior satis est plana, nisi ista adiungeretur: intelligenda tamen est, nō vt sonat in superficie, sed vt supra expositū est, scil. qd tota terra media accipiatur ad diuidendū in 7. sortes, licet nō omnes 7. sortes sint in ea, sed pars quædam 7. sortium: tota autē terra non diuifa, quae erat etiā magis aquilonaris sortibus filiorum Ioseph in sortes istas cedere debebat, & non solū hæc, sed etiam siquid erat in sorte Iudeæ, & filiorū Ioseph præter proportionem, & debet

A debet fieri quasi hypallage, scilicet, medium terram inter has in 7. sortes describite, id est, in 7. sortibus ponatis istam terram, non solum hanc, sed etiā quamlibet indiuīsam, vel non proportionaliter diuisam, & vt clarius dicatur ista litera magis signauit, quod essent facienda 7. partes nouę quām terrā, de qua facienda essent. Expressit tamē, qd ad hoc proficiebat quācunq; terra nondū diuisa. Et *huc venietis ad me*. scil. post quā totā terram sic descriperitis venite huc ad me, id est, ad istum locum, scil. in Silo: nam ista dicebantur in Silo, quia ibi erat tunc cōgregatus totus Israel, vt patet supra, & ibi manus erat Iosue quousq; ista fierent: nec solū ipse, sed forte maior pars Israel, cū dicatur infra, quod reuersi sunt viri illi descripta terra ad Iosue in castra Silo: castra tamen signant congregatiōē virorum dispeſitorū ad bellum, quando non sunt in vrbibus ad manendū, sed in campo ad expeditionē, & sic quando totus Israel in deserto morabatur, aut procedebat per illud dicebatur esse in castris, quia erat totus populus congregatus in campo in territorijs suis. *Vt coram domino Deo vestro mittam vobis hic sortem*. Quanquam enim designatae esent possessiones conuenientes culibet tribui, tamen non fuerunt mox datae, sed expectatū est vsq; ad sortem: non quidem, vt sciretur, quae pars cui tribui prouentura erat, quia non poterat aliqua alia per sortem prouenire, quam ea, quae assignata fuerat, sed ad tollendum contentionis materiam, cum enim Deo iudicante ista diffinirentur, nemo haberet materiam murmurandi, si vero solū consisteret humano iudicio, quanquam conuenienter factum foret aliquis posset murmurare, ideo ponebantur sortes, quae demonstrant diuinum iudicium, vt supra declaratum est, & istae ponendae erant coram domino, id est, intra sanctuarium in atrio tabernaculi, quod dicebatur esse coram domino, quia Deus dicebatur esse specialiter in tabernaculo, & qui erant coram tabernaculo censebantur esse coram Deo. Vel accipitur hoc respectu altaris holocaustorū, quod erat in atrio tabernaculi, & ibi siebant Deo specialia obsequia in sacrificijs, quae alibi nequaquā siebant. Illi tamē, qui in atrio tabernaculi erant: coram domino esse dicebantur, quia corā altari erant, & sic de omnibus offerētibus aliquid in sanctuario dicitur, quod offerebant illud corā domino, id est, coram altari, quia apud ipsum accedebant, & circa ipsum ostiū tabernaculi, vt patet per totum processum Leuiticii. Causa huius positionis erat ad duo. Primo quia istae sortes iussae fuerant a Deo poni, vt patet Nu. 26. ideo nō debuerunt poni sine solennitate, sicut sortes cōmunes diuisoriæ, quae nulla interposita solennitate pro quacunq; re interponuntur, & quia omnia, quae a Deo sunt dicuntur esse magna auctoritatis, vt nō viderentur cōtemptibiles sicut sortes communes intra sanctuarium positae sunt. Secundo fuerunt sic positæ, quia istae sortes ponebantur, vt Deus per eas dignaretur signare de qualibet sorte, cui tribui vellet eam prouenire, & ad hoc precari eum debebant: ideo conueniebant in locum illum sanctū oratū, vt dignaretur Deus mōstrarē in sortibus his quid vellet. Si enim sortes istae prouenirent sicut sortes cōmunes diuisoriæ, poterant nimis damnificari Israelitæ, quia sortes magna fortē prouenirent aliquibus tribubus paruis: & ad fundendum orationē hanc congruentior locus fuit sanctuarium. *Mittam vobis hic sortem*. Id est, sortes, quia tot sortes esse debebant, quot portiones diuidendae erant: loquitur autem Iosue hic solū ad 7. tribus, quae non acceperant possessionem, quia aliæ nihil debebant sortiri: modus autē ponendi sortes supra designatus est. *Quia non est inter vos pars Leuitarum*. Ista clausula est redditua causæ, & refertur ad clausulā supra positam, scil. diuidite terrā in septem partes, q. d. non oportet, qd in plures diuidatur, quia tribus Iudea Ephraim, & Manasse Gad, & Ruben iam suscepserunt possessionē suam, manent ergo solū septem tribus, & tribus Leui, quae sit 8. De hac autē dicitur, quod nō erat susceptura sorte: ergo solū manebat terra diuidenda in 7. sortes. Ista probatio inductiua solū sumitur hic quantum ad partem Leuitarū: de alijs tribubus satis patet ex superioribus, & dicitur nō est inter vos pars Leitarū, id est, Leuitæ nō debent accipere partē inter vos, quanquā ipsi aliquam partē habent. *Sed sacerdotū est eorū hereditas*. Id est ea, quae proueniunt de sacerdotio, scil. iura illius sunt eis loco hereditatis: sic patet sup. 13. c. scil. tribui autē Leui nō dedit possessionem, sed sacrificia, & victimæ Dei Israel ipsa est eius hereditas.

D tas: iura autē sacerdotij valde multa erant, & hæc accipiebant Leuitæ sicut quælibet tribus Israel accipiebat vnam sortem terræ. De his iuribus patet Nu. 18. vbi singulariter ponuntur iura tam sacerdotū, quā Leuitarum ceterorū, qui nō erant sacerdotes. Accipitur autē hic large sacerdotium: nam non pertinebat sacerdotū propriis sumptū ad omnes Leuitas: soli enim, qui erant de stirpe Aaron erant sacerdotes: si quis autem extraneus misceretur eis, occidendum erat Nu. 3. & 18. c. ideo hoc modo iura sacerdotij solum pertinebant ad Aaron, & filios suos: reliquæ autē familiæ, scil. Gersonitæ, & Meraritæ, & residui de Caathitæ nō pertinebant ad sacerdotium, & sic nulli de his Leuitis accipiebant iura sacerdotij: large autē sacerdotū sumitur pro omni ministratiōne sanctuarij, vel in rebus sanctuarij, & isto modo Leuitæ minores habebant sacerdotium, qui habebant aliquā ministratiōnē, scil. quia castra metabantur excubantes in circuitu tabernaculi, & cum mouenda essent castra deponebāt sanctuarium, & portabant illud in via vsq; ad locum, vbi castra erigenda farent, & ibi erigebant illud: nec ad aliquid horū accedere poterat quisquā de popularibus: si autē accederet occidebatur: de hoc Nu. 1. & 18. c. pro hoc sacerdotio largè dicto proueniebant eis iura, scil. decimæ totius Israel integraliter, sacerdotibus autē nihil proueniebat de decimis, sed quædam alia iura, vt patet Nu. 18. c. Leuitæ autē accipiuntur hic largè nō prout est nomē officij, sed generis, & sic tam sacerdotes, quā Leuitæ minores accipiuntur: sic etiam accipiuntur largè iura sacerdotum, & Leui. sup. 13. scil. tribui Leui nō dedit possessionem, sed sacrificia, & victimæ ipsa est eius hereditas, & loquitur scriptura de tota tribu Leui, sed manifestum est, quod sacrificia, & victimæ nō pertinent ad omnes Leuitas, sed ad solos sacerdotes pertinent iura victimarum, & sacrificiorū, vt patet Nu. 18. c. *Gad autem, & Ruben, & dimidia tribus Manasse iam acceperunt possessiones suas*. Et ista clausula ponitur ad probandum inductiua clausulam, supra positam, scil. qd terra non diuisa erat in septem partes diuidenda, vel quod nunc erant solæ septē partes constituendæ, & est modus arguendi sic, terra tota Chanaan diuidenda erat inter filios Iacob, qui erant 12. & tamē faciebant tribus 13. quia Ioseph in duas tribus diuisus est, quia Iacob adoptauit duos filios eius, scil. Manasse, & Ephraim, vt patet Gen. 48. ergo omnes hi possessionē recipere debebant, nisi receperissent, aut essent prohibiti recipere, sed sex de his non debebant recipere sortem: ergo soli septem recepturi erant, & cōsequenter terra diuidenda erat in partes septem. De Leui patet primo, quia nō habebat partes inter reliquos Israélitas, vt patet hic. De duabus alijs tribubus, & dimidia, scil. Ruben, & Gad, & dimidia Manasse patet hic, quia iam receperant possessiones, scil. ante transiū Iordanis. Moyses enim illis hoc dedit, vt patet Nu. 23. & Deut. 3. manent ergo nouem tribus, & dimidia quibus assignanda erant sortes decem, sed tres harum fuerant iam datæ, scil. Iudea Ephraim, & Manasse, vt patet sup. 15. 16. & p̄c. ergo solis septem tribubus sortes assignandas manebant, & de his dictum est, quod diuidetur terra in septem partes.

E F *Quare litera meminit solum de Leui, & Gad, & Ruben, ac dimidia tribu Manasse. Et locus sortium earum tribuum.*

Q V A S T I O VII.

SED quare aliquis cum ista clausula non possit probari, nisi inducendo de omnibus istis sex, de quibus supra inductiua causæ, & refertur ad clausulā supra positam, scil. de Leui, & Gad, & Ruben, atq; dimidia tribu Manasse, & de alijs tribus, scil. Iudea Ephraim, & manasse non tangit. Respondendum est, qd hic iubebantur duo, scil. quod fierent 7. portiones pro septem tribubus, quae nō acceperant sortes, & quod tota terra diuisa æquaretur proportionaliter sive diuisa, sive non diuisa. Neutrum autē horum pertinebat ad Leui Gad, & Ruben, atq; dimidiā tribum Manasse: nam Leui nihil accipiebat nec acceperat: ideo nec poterat æquari. Ruben autē, & Gad, & dimidia tribus Manasse possessiones acceperat, vt patet hic: tamē ipsi nihil amplius suscepturi erant, quia nihil addendū erat terræ eorū, nec aliquid eorū subtrahendum, quia istae sortes à Moysi assignatae fuerant, & Iosue non poterat

A poterat quidquam de illis disponere: tribui autem Iudæ, Ephraim, & reliquæ medietati Manasse assignatae fuerant sortes, ideo istis non erant amplius assignandæ sortes, poterat tamen eis conuenire secundum, scil. quod sortes eorum minuerentur, vel augerentur adæquando reliquis sortibus, quæ fieri debebant, ideo licet solæ septem sortes fieri deberent, non debuit exprimi Iudas Ephraim, & medietas Manasse, quia non erant prorsus liberatae à diuisione, vel additione, sicut Leui, Ruben, & Gad, & alia medietas Manasse.

Locus sortium Gad et Ruben cœ.

B Trans Iordanem ad Orientalem plagam. Designatur locus sortium Gad, & Ruben, & dimidiæ Manasse, scil. trans Iordanem: erat enim in terra duorum regum Amorrhæorum, quæ est ante Iordanem, quam petierunt istæ duas tribus, & dimidiæ à Moysè, quia erat pascualis valde, & ipsi erant abundantes in pecoribus, vt patet Num. 32. c. & quia trans signat differentiam positionis, & potest signare citra, vel ultra: neciretur cum dicitur trans Iordanem, an significetur pars Orientalis Iordanis, aut Occidentalis, & ideo adiunguntur determinationes istæ, scil. ad Occidentalem plagam, & ad Orientalem plagam, vt patet supra 5. & 13. c. reliquæ autem nouem tribus, & dimidiæ erant ad Occidentalem plagam Iordanis: nā ipse Iordanis ponitur in latere Orientali terræ Chanaan, vt patet Numer. 34. cap.

Moyes famulus Domini.

C Quas dedit eis Moyses famulus Domini. Moyses viuebat quando ista terra capta est de manu hostium, & ipse diuisit eam, atque diuisisset totam terram Chanaan si superuixisset, sed quia mortuus est, successit ei Iosue cum alijs 12. assignatis diuisoribus, & Eleazaro sacerdote, Num. 34. c. Vocatur famulus Domini, quia ipse erat specialiter famulus Dei in toto Israël, unde de eo Deus testatur, quod sit fidelissimus in tota domo eius, Num. 12. c. & ad Hebr. 4. Scriptura autem in commendationem eius vocavit eum famulum Domini spissimè, & ista clausula facit ad superiora, scil. quia Moyses dederat istas possessiones Ruben, & Gad, & dimidiæ tribui Manasse, non poterat Iosue ponere eas in communi diuisione cum alijs ad addendum eis aliquid, vel diminuendum, sicut facere poterat in sorte Iudæ Ephraim, & Manasse, quas ipse distribuerat, & sic fecit: nam fors Iudæ, quæ magna fuerat, postea diuisa est & data fuit ibi pars tribui Simeon.

C Cumq. surrexisserent viri, ut pergerent ad describendam terram, præcepit eis Iosue, dicens: Circuite terram & describite eam, ac reuertimini ad me, ut hic coram Domino Deo vestro in Silo mittam vobis sortem. Itaq. perrexerunt, & lustrantes eam, in septem partes diuiserunt, scribentes in volumine. Reuersiq. sunt ad Iosue in castra Silo. Qui misit sortes coram Domino in Silo, diuisit q. terram filiis Israël in septem partes. Et ascendit fors primæ filiorum Beniamin per familiæ suas, ut posiderent terram inter filios Iuda, & filios Joseph. Fuit q. terminus eorum contra Aquilonem à Jordane, pergens iuxta latum Iericho Septentrionalis plaga, & inde cōtra Occidentem ad montana concordens, & perueniens ad solitudinem Bethauen, atq. pertransiens iuxta Lužam ad Meridiem, ipsa est Bethel, descendit q. in Astaroth Addar in montem, qui est ad Meridiem Bethoron inferioris, & inclinatur circuiens contra mare ad Meridiem montis, qui respicit Bethoron contra Africum: Sunt q. exitus eius in Cariathbaal, quæ vocatur, & Cariathiarim urbem filiorum Iuda, hæc est plaga contra mare ad Occidentem,

Partia terra descrip.

C Cumq. surrexisserent viri. Hic ponitur partium terræ descrip., vt postea sequatur diuisione, & ponitur hoc primò in generali: secundò describuntur sortes septem in speciali, ibi. Et ascendit fors prima.

Circa primum. Cumq. surrexisserent viri. Ipsi sunt viri 36. qui electi fuerūt ad describendum terram, de tribu qualibet terri, vt patet supra.

Vt pergerent ad describendam terram. Id est, ad considerandum multitudinem, & magnitudinem locorum, & regionum ipsorum locorum magnitudinem, vt sic consideratis

omnibus proportionaliter diuididerent pro omnibus nouem tribubus, & dimidiæ, quæ suscipiebant hereditatem in terra Chanaan ad Occidentalem partem Iordanis, & non solùm debebat hic describi terra nondum diuisa, sed etiam terra diuisa, vt videretur an conuenienter facta fuisset diuisione, aliquin non adderetur, aut diminueretur proportionaliter, & sic factum est in sorte Iudæ, vt patet sequenti c.

Præcepit eis Iosue, dicens. Istud præceptum fuerat iam positum, & nunc replicatur. Nam primò cum dixit Iosue, quod eligerentur viri ad exequendum descriptionem proposuerat modum, nunc autem viris iam electis specialiter illis locutus est, exprimens modum describendi, & diuidendi.

E Circuite terram. Scilicet totam terram Chanaan, in qua erat possessio nouem tribuum, & dimidiæ: terra autem duarum tribuum, & dimidiæ, non erat in terra Chanaan, vt declaratum fuit supra 14. cap. etiam intelligitur de terra, tam diuisa, quam non diuisa, & de terra capta de manu hostium, & de illa quæ ab hostiis tenebatur: tota namque sub his descriptionibus collecta fuit, & dicitur circumire, non pro in circuitu ambulare, quia hoc non sufficiebat ad descriptionem terræ, cum deberent dari partes proportionales Israëlitæ, quæ non poterant designari, nisi specialiter, & diligenter perambularent viri isti omnes regiones, & loca terræ Chanaan: accipitur ergo circuire, id est discurrere, & iste modus est apud alias gentes loquendi.

Et describite eam. Ipsi debebant scribere omnia loca, cum suis villulis, & magnitudines eorum, atque latitudinem regionum ipsarum, & postea diligenter totum hoc diuidere per partes nouem proportionales tribubus, & tres partes harum, quia iam diuisæ fuerant, manerent: non quidem simpli citer, sed si isti diuisores reperirent, quod tribus Iuda erat magna præter proportionem, adimeret aliqua loca ipsi quo usque maneret proportionabilis ceteris, & tamen non mutaretur Iudas de sorte illa, sed loca, quæ superabundarent in sorte illa, describerentur cum aliqua de septem sortibus describendis: idem fieret de sorte Manasse, & Ephraim. Si autem aliqua harum sortium reperiretur minor præter proportionem, adderentur ei aliqua de locis terræ indiuisæ, & deferretur sic ad Iosue: tamen illa tribus iam non debebat sortiri cum ceteris, sed maneret in sorte prima sua: tribus vero, quæ nunquam acceperant sortes debebant sortiri: ideo quia sortes Manasse, & Ephraim inuenientæ sunt proportionales, nihil additum aut diminutum est, nec fuerunt descriptæ: fors autem Iuda inuenienta est maior ceteris præter proportionem, ideo descripta fuit quedam pars eius, in qua excedebat proportionem, & illa fuit assignata tanquam una de septem partibus quas Iosue præcepit describi: reliquum verò sortis eiusdem mansit non descriptum, quia non erat necessaria: terra autem reliqua, quæ nondum diuisa fuerat, fuit diuisa in portiones sex, & descripta fuit.

F Ac reuertimini ad me. Id est facto hoc redite ad me ad locum istum, scil. ad urbem Silo, vt patet hic, quia ibi positæ fuerunt sortes: non solùm tamen reuertebantur isti ad Iosue, sed etiam ad Eleazarum, & 12. alios diuisores terræ, quos constituerat Dominus. Ipsi enim omnes approbaturi erant descriptio nem partium, & posituri erant sortes. Iosue locutus fuit hic quasi de se solo, quia ipse erat princeps, & loquebatur nomine omnium aliorum.

Et hic coram Domino Deo in Silo mittam vobis sortem. Toto tempore, quo isti describerent terram, mansurus erat Iosue in Silo, & ibi manebant plurimi Israëlitæ, quamquam ad diuisionem hanc plurimi dies necessarij erant, cum diligenter singula loca, & regiones inquirenda erant, vt proportionaliter partes septem describerentur. Quare autem coram Domino sortes mittenda essent, supra declaratum est: de modo etiam ponendi identidem dictum fuit.

Itaq. perrexerunt. Scilicet procedentes de Silo, quia ibi electi fuerant viri illi, & inde perrexerunt ad descriptionem.

Et lustrantes eam. Non potest hoc referri ad solam terram, quæ non erat diuisa, quia subditur immediatè, quod eam in septem partes diuiserunt, & tamen manifestum est vnam de his septem partibus esse de terra illa, quæ iam fuerat diuisa, scilicet partem secundam, quæ est fors Simeon, ideo istud relatum eam refert totam Chanaan tam prius diuisam, quæ non diuisam, & de hac factæ sunt septem partes nouæ pro le-

A ptem tribubus: lustrare autem est circumire, purgare, & illuminare. hic accipitur pro circumire: lustrum autem in alia significatione accipitur.

Septem partes diuiserunt. Id est, non diuiserunt totam terrā Chanaan, sed de ea fecerunt septem partes, manentibus alijs partibus primō factis.

Scribentes in volumine. In libro illo describebant nomina omnium locorum, scilicet vrbium, & vicos earum, & magnitudinem regionum, & præter hæc omnia loca, & regiones descriptas in septem partes diuiserunt, & hoc quoq; scripserunt in volumine, quoniam nō poterant omnia hæc memoriter retinere.

Reuerſig, sunt ad Iosue in caſtra Silo. Adhuc manebat Iosue in Silo expectando aduentum virorum missorum, vt ponearentur sortes, & inciperent omnes de Israël determinatas habere possessiones, atque recederent in propria: nec solum exspectabat ibi Iosue, sed etiam magna pars Iſraëlitarum: nam dicebantur esse in caſtris Silo, sed hoc ad multitudinem pertinet: si enim pauci essent, possent manere in vrbē: esse autem in caſtris est, quod manerent in campo in tentorij, sicut viri manentes in expeditione bellica. Sic dicebatur de Israëlitis in deserto, quod erant semper in caſtris, quia nunquam erat in aliquo oppido, etiam postquam introierunt in terram Chanaan, antequam cessarent à bellis, manebant in caſtris apud Galgalam, de quo suprā 9. & 10. & 14. cap. ita hic erant in caſtris Silo, id est congregati in caſtris apud vrbem Silo.

An Iſraëlitæ manerint in caſtris vsq; ad diuiſionem terre per tribus in Silo.

Q V E S T I O VIII.

EX quo dicet aliquis, quod Iſraëlitæ adhuc non habitant distincti per loca sua in terra Chanaan, sed semper manerunt in caſtris vsquequod diuifa est tota terra per sortes Iſraëlitis, alioquin non manerent in caſtris.

Dicendum videtur quod ante hoc desierant esse omnes Iſraëlitæ in caſtris: nam idēo manebant à principio in caſtris, quia non habebant loca ad manendum, cùm tenerentur adhuc in potestate hostium tempore bellorum, cùm verò data pace incœperunt multa loca possidere, verisimilius est quod desierint esse in caſtris, & cœperint habitare per loca: potissimum cùm data fuerunt distinctæ partes tribui Iudea Ephraim, & Manasse: nam tunc verisimile est saltem tribus istas ab ijsse in sortes suas, quomodo docunque autem fuerit, satis patet quod non manerit totus Iſraël vñque ad tempus istud in caſtris: nam dicitur in principio literæ, quod congregati sunt omnes filii Iſraël in Silo: si tamen fuissent prius in caſtris, siue fuissent in Silo, siue alibi, non dicerentur congregati in Silo, quia si alibi fuissent in caſtris, dicerentur venisse in Silo, sed non congregati: quia congregari signat de locis diuersis venire ad vnum, ergo in locis varijs morabantur cùm congregati fuerint in Silo. Cùm autem obiectetur quod erant caſtra in Silo, & manebat Iosue in caſtris Silo.

Respondendum est, quod ista caſtra non fuerant continua ab introitu in terram Chanaan vsque nunc, sed cùm congregati fuerunt Iſraëlitæ in Silo ad figendum tabernaculum conuenierit ibi multitudo magna, quæ non poterat capi in vrbē Silo: ideo facta sunt caſtra iu campo sicut fuerant à principio, & in his stetit Iosue, & expectauerunt plurimi de Iſraëlitis vsquequod viri qui iuerant ad describendam terram redirent, & ponerentur sortes, ita vt inde possent omnes Iſraëlitæ certi de possessionibus suis redire in propria: erat autem conueniens, vt expectarent Iſraëlitæ in caſtris apud Silo viros, qui iuerant ad describendam terram, quia illis redeuntibus debebant poni sortes. Non decebat tamen poni sortes sine præsentia tribuum, quæ susceptura erant sortes, ideo expectauerunt in loco ipso, & sic manebant in caſtris.

Qui misit sortes coram Domino in Silo. Non solum Iosue, sed etiam cum eo Eleazarus sacerdos, & alij duodecim viri, qui dati fuerant tanquam diuifores terræ à Deo. Fit autem specialiter mentio de Iosue, quia ipse loquebatur cùm esset princeps, & fuerunt missæ sortes coram Domino, id est, intra atrium tabernaculi in Silo, quia iam fuerat ibi fixum tabernaculum. v. suprā patet: fuerunt autem factæ schedularum septem,

in quibus descriptæ erant septem partes, quas descripserant viri missi, & positiis eis sub inuolucro, & facta oratione in sanctuario, vt dignaretur Deus monstrare in fortibus his, qui vellet cuilibet tribui prouenire, accesserunt tribus septem, q; suscepturn erant partes: & missis manibus in inuolucru schedularum eduxit quælibet chartulam vnam, & pars ibi contenta ei prouenit, & illa erat, quæ prius ei assignata fuerat, scilicet, quam viri diuifores specialiter distinxerant pro illa tribu, nec in aliqua earū fuit erratum: quia Deus dirigebat manus missas in inuolucrum, vt quælibet acciperet quod conueniebat: Quia sortes in sinum mittuntur, sed à Domino tēperantur, Proverb. 16. c. Si enim in aliqua sorte fuisset erratum, neceſſe erat, vt laederetur aliqua de tribibus Iſraëlitarū, quia proueniret ei minor portio, quā prouentura esset.

Diuifitq; terram filiis Iſraël in septem partes. Id est, dedit Iſraëlitis, qui nondum acceperat sortes, septem partes terræ, quas diuifit partim de terra nondum diuifa, & partim de terra primō diuifa: nec fuit ista diuifio aliquid præter supradictā, sed dicitur diuifisse, id est dedisse eis per sortes partes septem quæ iam fuerant descriptæ, & diuise.

Et ascendit fors prima. Hic describuntur istæ septem partes in speciali, & describitur fors filiorum Beniamini, secundò sortes aliarum sex tribuum, sequenti cap. Prima in duas, primō termini sortis istius describuntur, secundò ciuitates eius nominatim exprimuntur, ibi. Fueruntq; ciuitates.

Circa primum. Et ascendit fors prima filiorum Beniamini. Id est prima istarum sortium fuit filiorum Beniamini: & dicitur ascendit, id est, eleuata est, quia refertur hoc ad eductionem sortium de inuolucro, quia mittebant manus in inuolucrum ad educendum sortes, & eleuabat quælibet tribus inde vnam sortem, & illa dicebatur ascendere. Dicitur fors filiorū Beniamini fuisse prima.

Quod poterit duplíciter intelligi. Vno modo, quia viri diuifores primō istam sortem diuiserunt, & descripserunt, quā cæteras, & deinde partem Simeon, & postea partem Zabulon, & sic de cæteris vsque ad sortem Dan, quæ vocatur septima.

Alio modo potest referri ad educationē de inuolucro schedularum, scil. quod tribus Beniamini primō misit manum in inuolucrum schedularum, eduxitq; sortem hanc: & iste sensus est conuenientior propter duo: primō, quia in hoc videatur seruari dignitas tribuum, scil. quod septem tribus erat accepturæ sortes, & quælibet earum mittebat manus in inuolucrum ad educendum sortem vnam, sed tribum principaliorem faciebat Iosue primō manus mittere, ne in hoc esset murmuratio.

Pro quo considerandum est, quod Iacob habuit filios 12. & filiam vnam, sed filia non computatur in semine eius: hominum filiorum quidam erant de ancillis, alij de liberis: vel quidam de dominabus, alij de famulibus earum: fuerunt quippe vxores Iacob quatuor, scilicet, dua dominæ: Lia, & Rachel: & dua famulæ harum, scilicet Zelpha ancilla Lia, & Bala ancilla Rachel, vt patet Genes. 30. c. ex dominibus geniti sunt filii octo, ex ancillis quatuor: nam filii Lia fuerunt sex, scilicet Ruben, Simeon, Leui, Iudas, Zabulon, Issachar, Gen. 29. & 30. filij Rachelis duo fuerunt, scilicet Joseph, & Benjamin. de Joseph, Gen. 30. & de Benjamin Gen. 35. cap. filij famularum fuerunt quatuor, scilicet filij Zelpha duo: Gad, & Afer: filij Bala duo: Dan, & Nephthali, Gen. 30. cap. inter hos erat differentia maioris & minoris dignitatis: nam filii dominarum erant digniores filiis famularum: ideo in positione sortium primō miserunt manus filij dominarum, quā ancillarum: quod fuit hic obseruatum, nam hic fuerunt sortes septem, & quatuor earum datae sunt filii dominarum, scil. Benjamin, Simeon, Zabulon, Issachar: & tres datæ sunt filii famularum, scilicet Afer, Nephthali, Dan. Omnes autem filii dominarum primō acceperunt sortes hic, vt patet ex processu literæ hic, & seq. cap. Gad autem erat de ancillis, scil. filius Zelpha, Gen. 30. quia tamen accepit sortem viuente Moysè ad Orientem Iordanis, non pertinet ad hanc computationem. rursus autem inter filios dominarum obseruatur ordo dignitatis: nam inter eos Iudas erat excellentior propter principatum regnatum, qui ei promissus fuerat, Gen. 49. & ob hoc in vexillorū assignatione ipse erat prior, Num. 2. & 10. etiam in dedicatione tabernaculi ipse prior obtulit, Num. 7. nunc tamen nō accepit

F
Deordi
ne filio
rum Ia
cob in
ter se et
& quo
educa
bant for
tes de
inuolu
cro.

Ordo di
gnita
tis in
ter fili
os Iacob

Acepit hic Iudas possessionem, quia iam acceperat eam. etiam Ruben, & filij Joseph, qui pertinebant ad gradum excellentiorem: inter omnes autem manentes de stirpe dominarum fuit excellentior Beniamin: nam licet prior esset Simeon natiuitate, ut patet Gen. 29. & 30. tamen fuerat valde increpitus a Iacob, Gen. 49. ideo non habebatur magna reputationis: unde Beniamin tanquam dignior misit primò manum in schularum inuolucrum, & fuit fors sua prima: deinde in ceteris erat Simeon dignior, ideo fuit secunda fors Simeon: postea Zabulon, & deinde Issachar: post istos venerunt filii famularum, scilicet Aser, Nephthalim, & Dan, & ista est conueniens ratio prioritatis in forte Beniamin, & in alijs est eadem ratio ordinis. Secundò stat conuenienter ista expositio propter verbum, quod determinatur per istud adiectuum, scilicet ascendit prima fors filiorum Beniamin: ascendere autem pertinet ad educationem fortium: ideo dicendum est, quod tribus Beniamin primò sortem eduxerit, deinde cetera tribus: & ob hoc dicitur quod ascendit prima. Aliqui volunt dicere, quod fors ista vocatur prima, & consequenter de alijs, quia computantur hic sortes à parte Meridiana versus Aquilonem: sed in his prima erat fors Beniamin, quia erat coniuncta sorti Iudea, ut patet comparando ea, quae habentur hic, & ea quae habentur supra 15. Sic quoque patet in forte Dan, quia ipsa erat extrema in tota terra Chanaan, & ponitur hic extrema: nam ipsa est in regione Roob, ut patet Iudic. 18. & tamen ista regio est maxime Aquilonaris in tota terra Chanaan, ut patet Num. 13. cap. Sed non stat, quia hoc modo fors Simeon deberet prima poni, quia ipsa est intra sortem Iudea, cum sit quædam pars eius: ergo est magis Meridiana, quam fors Beniamin. Redundum est igitur ad superiorum expositionem, scilicet quod fuit prima fors Beniamin, qd primò educita fuit de inuolucro schularum.

Per familias suas. Id est ista fors, quæ sequitur cecidit tribui Beniamin, non quidem confusè, sed per familias suas, id est postea diuisa fuerunt partes in tribu illa secundum numerum familiarum eius. sunt autem familiæ Beniamin septem, ut patet Num. 26. cap. & sic fuit diuisa terra eius in familias, scilicet in partes septem, & obseruabatur idem modus diuisionis in familijs inter se sicut inter tribus, scilicet quod pluribus maior pars daretur, & paucioribus minor proportionaliter. Etiam quod partes ista forte prouenirent: nihil enim sine forte dabatur familijs, ut patet Num. 26. cap.

Vt possiderent terram inter filios Iuda, & filios Joseph. Non erat coniunctæ sortes Manasse, & Ephraim sorti Iudea, sed erat terra quædam media, & in hac accepit sortem tribus Beniamin: fuit enim fors Beniamin totaliter coniuncta sorti Iudea, scilicet in latere suo Aquilonari: nam latus Aquilonare sortis Iudea est idem cum latere Meridiano sortis Beniamin, ut patet inspicio latus quod describitur hic, & latus descriptum supra 15. & coextenduntur ista duo latera ab Oriente usque ad Occidentem. Nam vtraque fors dupli mari concluditur, scilicet mari magno in Occidente, & mari falsissimo atque Iordane in Oriente, ut patet hic, & supra 15. Item fors Beniamin est coniuncta sorti Ephraim, ita quod latus Meridianum sortis Ephraim, & latus Aquilonare Beniamin sunt idem. Quod patet ex locis quæ assignantur in principio utriusque lateris conferendo ea, quæ habentur hic ad ea, quæ habentur supra 16. cap. An vero totaliter ista duo latera continentur ab Oriente usque ad Occidentem, sicut latera Iudea & Beniamin verisimile est, sed non tantum patet: ferè tamen omnia loca posita in latere filiorum Ephraim ponuntur in latere Beniamin, ut patet immediate.

Circa terminus eorum. Ista fors Beniamin habebat latera quatuor in forma quadranguli: licet non penitus sit quadrangulus, quia non potest in his seruari rectitudo linearum, nec rectitudo figurarum: dicimus tamen id quod appetat propinquum esse veritati. Horum autem laterum sola duo describuntur: alia autem duo patet ex descriptis. Latus enim Orientale est totaliter ipse Iordanis, & latus Occidentale est mare magnum (ut aliqui volunt) ut satis patet ex determinatione aliorum laterum: si enim latus Septentrionale & Meridianum terminantur penitus in Iordane & mari magno, necesse est ut totum latus Orientale sit Iordanis: & totum latus Occidentale sit mare magnum, quia Occidentale & Oriente clauduntur inter Meridianum, & Aquilonare: sed magis

videtur, quod ista fors circa Occidētem stringitur, & terminatur in Cariathiarim, ut patet infra in litera. Describuntur ergo solū duo latera, scilicet Aquilonare & Meridianum. Primò ponitur latus Aquilonare, deinde Meridianum, ibi. Ameridie autem.

Circa primum. Fuitq; terminus eorum cōtra Aquilonem. Istud latus est Aquilonare sortis Beniamin, & est Meridianum sortis Ephraim, ut patet ex locis descriptis hic, & supra 16. cap.

Ad Iordanem pergens. Describitur istud latus ab Oriente tēdens versus Occidentem. Est autem Oriens Iordanis, & Occidēns mare magnū: incipit ergo à Iordanem, & debet cōcerti ista litera per hypallagen, scilicet ad Iordanem pergēs, id est pergens à Iordanem: nā dicendo ad Iordanem pergēs ponitur ibi terminus, in quem in Iordanem, & signatur quod sit processus ab Occidente in Orientem, quia est Iordanis in Oriente: & tamen nō describitur hic latus ab Occidente in Orientem, sed magis è contrario: ideo intelligatur à Iordanem pergēs.

Iuxta latus Iericho. Terminus sortis Beniamin est Aquilonaris respectu Iericho, quia ista ciuitas est intra sortem Beniamin, ut patet infra, & est locus iste circa principium lateris aquilonaris Beniamin, quia incipit latus istud in Iordanem. Iericho autem parum distat à Iordanem, ideo in ciuitatibus sortis huius ponitur prima, ut patet infra.

Septentrionalis plage. Id est quod ista linea lateris transit iuxta latus Septentrionale vrbis Iericho. In hoc innuitur, quod ista vrbis pertineat ad sortem Beniamin. Nam quidquid est inter latera alicuius sortis, pertinet ad sortē illā: sed latus Septentrionale Beniamin est Septentrionale respectu Iericho, ergo est intra sortem illam, nisi sit penitus etiam extra latus Meridianum. Si autem fuisset Iericho Aquilonaris respectu huius lateris, quod describitur, trāsiret ista linea lateris Beniamin apud latus Meridianum Iericho, & esset Iericho extra sortem Beniamin in forte Ephraim.

Et inde contra Occidentem in montana descendens. Continuat latus istud Aquilonare, & à Iericho pergendo contra Occidentem est ascensu: in montana: sic etiam est in sorte Iudea & in omnibus, quæ incipiunt à Iordanem: nam Iordanis per quandam magnam vallem usq; ad mare falsissimum labitur, & apud hanc est terra montuosa: Iordanis vero vallis continet alias vrbes, ibi enim est Iericho, ideo à Iericho contra Occidentem ascensus est.

Arque peruenientes in solitudinem Bethuem. Id est, istud latus ascendit per desertum Bethuem: ista linea describitur tanquam latus Meridianum sortis Ephraim, supra 16. scilicet, à Iordanem usq; Iericho, & inde ad montana Bethel: & ista sunt in quibus computatur solitudo Bethuem. De ista Bethuem aliqui dubitant, an sit idem, quod Bethel. Et Rab. Salom. hoc tenet, de quo magis declaratum est supra 7. Sed dicendum, quod sint duæ vrbes. Quod patet supra 7. cum dicitur: Cumque mitteret Iosue viros contra Hai, quæ est iuxta Bethuem ad Orientalem plagam oppidi Bethel. Si tamen esset idem locus, non ponerentur ibi duo nomina, quæ signant diuersas positiones. Item patet magis hic, quia dicitur quod de Bethuem descendit terminus iuxta Luzam, & ista est Bethel. Si tamen esset eadem ciuitas, non posset descendere terminus de Bethuem in Bethel. De Bethuem, quare sic fuerit nuncupata, declaratum est supra 7.c.

Et pertransiens iuxta Luzam. Ista est, quæ vocatur Bethel, ut patet in litera: & cum duo nomina habeat, aliquando nomine uno, & aliquando alio: vocabatur enim à principio Luza à Chananæis, postea vero Israëlitæ eam Bethel appellauerunt: quia pater eorum Iacob hoc nomen imposuit, cum iret in Mesopotamiam, Gen. 28. cap. & dicitur pertransire iuxta Luzam, quia non est ipsa in latere Aquilonari, sed declinat aliquanter à latere Aquilonari.

Ad Meridiem. Id est, ipsa est iuxta latus illud Aquilonare, sed est ad Meridianam partem. Ex ista litera dicere debemus, quod Luza sit extra sortem Beniamin in forte Ephraim, quia dicitur quod latus istud transit ad Meridiem illius, ergo latus istud est Meridianum respectu illius vrbis, & tamen istud latus claudit ab Aquilone sortem Beniamin, ergo quidquid est ad Meridiem, sine ad quodcunque istud latus est Meridianum, illud erit magis Aquilonare quam tota fors Beniamin, & consequenter non est in forte Beniamin: sic dicebatur supra de Iericho, quod latus istud erat ad Septentrionem.

Situs
Iericho

E

F
Betha-
uem gd
et situs

A

lem partem illius: & ob hoc dicebamus, quod erat intra sortem Beniamin, vt patet infrā, sed hic dicitur è contrario, scilicet, quòd transit istud latus iuxta Luzam ad Meridiem, ergo est extra sortem Beniamin.

Cōcor-
dia vna
rietas
litera.

Dicendum quòd nisi aliquid prohiberet, nos diceremus Bethel esse extra sortem Beniamin, vt patet ex hac litera, cōtrarium tamen infrā patet in numeratione vrbium huius sortis: nam ponitur in eis Bethel. Dicendum ergo quòd variè accipit Scriptura istos terminos Septentrimonem, & Meridiem, scilicet referendo ad diuersa, & sic sequitur perturbatio: quādo ergo dicitur quòd transit latus Septentrimonale iuxta Luzam ad Meridiem, nō est assumenda ista determinatio respectu vrbis Luzæ, scilicet vt sit illud latus ad partem Meridianam vrbis, quoniam ad Septentrimonale est, sed accipitur respectu lateris, scilicet, quòd transit apud Bethel, vel Luzam ad Meridiem, id est ad Meridianam partē ipsius lateris, ita quòd vrbis sit Meridiana respectu lateris, & non è contrario. Nam etiam in ipso latere consideratur Aquilonare, & Meridianū, scilicet, quòd respectu eius aliquid est Meridianum, & aliquid est Septentrimonale: omnes enim vrbes fortis Ephraim sunt aquilonares respectu huius lateris: & omnes vrbes Beniamin sunt Meridianæ respectu illius, quia latus istud est pars maximè Septentrimonialis in tota sorte Beniamin.

B
Bethel.
& Lu-
za cū
sint idē
locus,
quare
ponun-
tur hic
vt duo.

Error
omniū
doctorū
de Be-
thel.

Ipsa est Bethel. Id est, eadem vrbis est, quæ vocatur Bethel, & Luza. Ponuntur autem ferè ista duo nomina semper vrbis huius, quia primò vocabatur Luza ab incolis terræ, postea vero Bethel appellata est. Sed dicetur contra, quia suprà 16. ponuntur ista duo tanquam duæ vrbes, vt cùm dicitur: & creditur de Bethel Luzam. sed non egredetur terminus de vna ad alteram, nisi aliquid mediaret, & consequenter differant ista duo loca.

Respondendum est esse vnicum locum: modus autem ibi declaratus fuit. Istam vrbem Bethel volunt ferè omnes Doctores esse Ierusalem. Sed falsum est, vt declaratum est Genef. 12. & 28. Nam in hoc cap. cùm ponuntur vrbes assig-
nantur Bethel, & Ierusalem tanquam duæ vrbes, & si quis ve-
lit eas dicere esse eandem vrbem, sed repetitionem fieri, re-
pugnabit literæ, quæ ponit esse ciuitates quatuordecim, &
tamen si ponantur eadem vrbis Bethel, & Ierusalem erunt so-
lum tredecim vrbes. Item Iudic. 1. ponitur captio vrbis Ieru-
salem, & postea captio Bethel, quæ fuerunt multum dissimili-
les, quod non stat in vnicâ vrbis. Item suprà duodecimo, cùm
numerantur triginta vni reges, qui fuerunt occisi à Iosue
de terra Chanaan, ponitur rex Ierusalem vnu, & rex Bethel
alius, & si quis eos dicat esse eundem Regem, faciet solùm
triginta reges. Ideo Nicolaus qui olim tenuerat de Bethel,
quæ dicitur Luza, & quòd ipsa sit Ierusalem, iam ab ipsa veri-
tate conuictus dicit, quòd non est eadem: conatur tamen se
excusare dicens, non esse inconueniens quòd Bethel sit mul-
tiplex, sicut de multis alijs ciuitatibus patet suprà 15. Sed non
stat excusatio, quia istam est Bethel, de qua ipse, & alij Do-
ctores dicunt, quòd sit vrbis Ierusalem. Nam Gen. 12. ponitur
Bethel, & illam dicunt esse Ierusalem, & tamen illa Bethel est
ista, de qua hic dicitur: quod patet, quia ibi ponitur Bethel a-
pud vrbem Hai, scilicet quòd sit Hai ab Oriente, & Bethel ab Oc-
cidente. Et ita est de ista quod est apud Hai: nam Bethauem,
& Hai, & Bethel ponuntur simul, vt patet suprà 7. scil. Cum
que mitteret Iosue viros contra Hai, quæ est iuxta Bethauem
ad Orientalem partem oppidi Bethel. sed hic ponitur Bethel
apud Bethauem, ergo etiam Hai est apud eam, & consequen-
ter erit ista Bethel, de qua dicitur Gen. 12. & 28. & de illa tamē
dixerunt doctores, quod sit Ierusalem, sed non stat, vt patet.

Descendit in Astaroth. Aliqua Bibliae habent hic: Descen-
dit in Astaroth, sed vitium est: nam Astaroth ciuitas est in for-
te duarum tribuum, & dimidia in terra duorum regum Amorhæorum, fuitque in regno Og, ipse quoque metropoli regni sui habuit in Astaroth: vnde dicitur de eo, quod regnauit in Astaroth, vt patet suprà 12. & 13. cap. Fuit autem ista
ciuitas olim sedes Gigantum in regione Bafan, vt patet Gen.
14. nam ibi pugnauerunt contra eos Reges venientes cum
Chodorlaomor, & deluerunt eos, & vocatur Astaroth Carnaim, vt patet ibidem: ista autem vocatur Astaroth, vt patet
in Biblijs correc̄tis, & maximè ex Biblia Hebraica, ad quam
circa istorum nominum consonantiam vel dissonantiam ad-
vertendum est, quia vix apud Latinos nomina propria vrbis

aut virorum benè scripta vñquam reperies. Quod ex duobus accidit, primò ex idiomatis dissonantia: non enim sunt similes literæ in prolatione aut vigore apud Latinos, & Hebreos. Secundò & potissimum ex imperitia librariorum accidit, qui hoc nesciunt: & quod deterius est, aduertere negligunt: est autem eadem ciuitas ista, & illa, de qua habetur suprà 16. quæ vocatur Ataroth, vbi dicitur Architaroth, & sūt duæ dictiones, scil. archi, quod in Hebreo dicitur arqui, & Ataroth: sed in litera nostra tanquam vna dictio scribuntur, & sic est idem latus Aquilonare Beniamin, & Meridianum la-
tus Ephraim, & dicitur descendit in Ataroth, quia terra Be-
thel, & Bethauem est solitudo, & montuosa, ad quam erat a-
scensus de Iordanē & Iericho, & rursus descendit inde ver-
sus Occidentem ad vrbem Ataroth: ista vrbis non pertinet ad
sortem Beniamin, nam non computatur infrā in ciuitatibus
eius, sed ponitur in forte Ephraim, & iste est modus describē-
di latera sortium, scil. quòd aliquando ponantur termini ex-
trinseci, & aliquando intrinseci. Iste est extrinsecus respectu
vrbis fortis Beniamin.

A Dar in motu qui est ad Meridiē. Hic cōtinuatur latus ver-
sus Occidentem, & ponitur ciuitas, quæ vocatur Dar. Aliqui
vocant eam Adar. Sed errant, quia hic ponitur à tanquam
præpositio, & designans terminum, à quo, scilicet quòd ab vr-
be Dar continuatur terminus versus Occidentem ad mon-
tem, qui est apud Bethoron. Aliqui autem coniungunt præ-
positionem & casualem, & dicunt Adar tanquam vnum no-
men. Sed non stat, quia tunc non fieret sententia aliqua: cùm
autem ponatur Dar in ablative est manifesta sententia, quia
continuatur latus: in hoc tamen non ponitur omnimoda cō-
tinuatio lateris causa breuitatis, quia cùm dictū fuerit quòd
de Bethel peruenit in Ataroth, non dicitur quo itur inde,
sed intelligendum, quòd de vrbē Ataroth peruenit in vrbē
Dar, & inde peruenit in montem Bethoron.

In montem, qui est ad Meridiē Bethoron. Non transit latus a-
quilonare per vrbem Bethoron, quia illa pertinet ad terram
Ephraim, vt patet suprà 16. sed per montem quendam qui est
apud Bethoron, est autem ad Meridiem Bethoron. Et in hoc
patet, quòd non pertinet Bethoron ad sortem Beniamin, q.
latus istud, quod hic describitur est maximè Septentrimoniale
in forte Beniamin, claudens totam sortem à parte Septen-
trionali: quidquid ergo est ad quod istud latus est Meridianū
erit extra istam sortem, & sic est de vrbē Bethoron. Posset for-
tè aliquis proteruire quòd sit Bethoron in parte Beniamin,
quia sic dicebatur suprà quòd transibat latus Septentrimoniale
apud Luzam ad partem Meridianam, & tamen Luza, siue Be-
thel, quod idē est, ponitur in forte Beniamin, vt infrā patet.

Respondendum est, quòd non est concedendum, quia de
Bethel concedebatur hoc ex necessitate, quia ponitur Bethel
intra latus sortis Beniamin, vt patet infrā: Bethoron autem
non computatur inter ciuitates Beniamin: ideo tenenda est
proprietas literæ, cùm nihil ab ea nos cogit recedere. Et dice-
mus, quòd sit Bethoron extra sortem Beniamin, quia est ad
Meridiem Septentrimoniale Beniamin. Item patet hoc esse
necessarium, quia ponitur Bethoron in forte Ephraim, vt pa-
tet suprà 16. & infrā 21. cap.

Bethoron inferior. Vocatur Bethoron inferior, quia pon-
tur duplex Bethoron, scil. inferior, & superior, vt patet suprà
16. cap. & vtraque est in forte filiorum Joseph, cùm ponantur
in lateribus eorum: vocantur autem superior, & inferior, q.
vna Bethoron est magis Meridiana, & alia magis Aquilonaris:
quæ est Meridiana vocatur inferior, & sic est ista quæ est
circa latus Meridianum sortis Ephraim: alia vocatur su-
perior, quæ est Aquilonaris magis, & ponitur in latere Aquilo-
nari, vt patet suprà 16.

Et inclinatur circuens contra mare. Inclinatio dicitur esse
curuatio lineæ desribentis latus alicuius sortis, siue cùm e-
reditur aliqua fors, & videtur absindere portionem aliquā
de alia, sicut circulus absindit portiones aliarum figuratum,
vel cùm aliqua fors in scipsum curuatur, & stringitur atque
breuior fit. Iste modus secundus accipit hic, quia fors Ben-
iamin terminatur hic, non perueniens ad mare, sicut fors fi-
liorum Iudei. Et quia prius erat amplior, curuatur hic, vt ter-
minetur per modum circuli. Et dicitur quòd inclinatur, id
est, stringitur in se, & est circuens contra mare, id est contra
Occidentalem partem: est enim mare magnum terminus

D
Nomi-
na ur-
bi, &
vici,
Hebreo
orū
reperi-
tur be-
ne ser-
pia a-
pud La-
tinos, et
quare.

E

F

Superi-
us est in
c. 15. q.
3. aut Be-
thoron
esse in
sorte in
da.

Occi-

A Occidentalis terræ totius Chanaan, ut patet Num. 34. non tñ est intelligendum, quod terminetur sors filiorum Beniamin apud mare magnum, sed cum peruerterit ad maximam propinquitatem suam ad mare, quod est ad partem Occidentalem, circuit, id est, terminatur linea circulari, & hoc modo cōtingit, quod vrbis Cariathiarim ponatur in latere Meridiano & Aquilonari sortis Beniamin, & in utroque tanquam finis: quod impossibile esset, si terminaretur modo figure quadratae, aut quadrangulae: ideo missis sortibus nō potest dari perfecta figuratio reducta ad aliquem modum figurarum geometricarum, quia illae aut sunt rectilineæ, aut circulares, hic autem neutrum est.

B Ad meridiem montis, qui respicit Bethoron contra Africum. Id est iste circuitus est apud montem quendam qui respicit Bethoron: Et intelligitur semper de Bethoron inferiori, nam Bethoron superior satis distans est à latere sortis Beniamin, cùm sit in latere Aquilonari sortis filiorum Ioseph, ut patet supra i6. cap. circuitus autem iste ad Meridiem montis: non quod mons iste sit Meridianus respectu lateris, quod hic describitur, quia est extra sortem Beniamin. Sed quod latus istud sortis Beniamin est ad Meridiem montis, scilicet quod sit mons magis Septentrionalis, quam latus Septentrionale terre Beniamin, & iste est mons de quo supra dicebatur. Et cùm ad eum perueniat directè latus Septentrionale sortis Beniamin, & tangat illum curvatur circuiens, & ibi est latus Beniamin ad Meridiem montis illius.

C Lybs q̄
ventus
fit.

Quid
Cari-
thiar-
um
C

Qui respicit Bethoron contra Africum. Id est, iste mons respicit Bethoron, quia est apud illam: tam mons quam Bethoron ad sortem Ephraim pertinent. Et dicitur hic Africus, id est Meridianus ventus, scilicet veniens de Africa: est enim Africa pars Meridiana mundi, & vocatur iste ventus alio nomine Lybs, quia venit de Lybia, quæ est in quadam parte Africæ. Aliquando tamen ventus Africus aliter accipitur, quia nomina istorum ventorum mutantur secundum diuersas terras, & auctores loquentes de his: & dicitur respicere mons iste Bethoron contra Meridiem: non quidem quod Bethoron sit ad Meridiem montis, quia tunc poneretur in forte Beniamin, quod falsum est: sed mons est ad Africum, id est ad Meridiem respectu Bethoron, quia magis accedit mons ad sortem Beniamin, quæ est Meridiana quam Bethoron.

Sunt q̄ exitus eius in Cariathbaal. Id est extremitas, vel finis Occidentalis sortis Beniamin est in Cariathbaal: ita dicitur de alijs sortibus, cùm terminantur quod exitus eius sunt in talem, vel talem locum, & non signat exitus omnem terminacionem, sed solum cùm terminatur aliqua tribus egrediendo, scilicet quod aliqua pars acuatur in angulum per modū linguæ, & ille parvus arcus, vel spatium anguli terminantis vocatur angulus exitus.

Que vocatur Cariathiarim. Ista est vna de vrbibus quatuor Gabaonitarum, quæ vocantur Gabaon, Caphira, Beroth, Cariathiarim, ut patet supra 9. tres autem harum pertinuerunt ad sortem Beniamin, vna vero, scilicet Cariathiarim pertinuit ad tribum Iuda. De hoc patet hic, & supra 15. de alijs tribus patet infra, quia enumerantur inter vrbes Beniamin: & interpretatur Cariathiarim vrbis syluarum, ut patet supra 15. cap. quia Cariath signat vrbem, & Iarim signat sylvas. Est autem ciuitas hæc in latere sortis Iudea in Aquilonari, ideo potest esse in latere Meridiano sortis Beniamin, cùm totum latus Beniamin sit idem cum latere Iudea: sed non è contrario, quia latus Aquilonare sortis Iudea peruenit ad mare magnum, & non latus Beniamin. Etiam in hac vrbis incipit latus Meridianum sortis Beniamin. Hoc autem est, quia terminatio, & coniunctio horum laterum est circularis. Vocatur autem ista ciuitas Cariathiarim à sylvis in quibus est: vocatur Cariathbaal ab idolo Baal, quod ibi erat, quia forte ibi specialiter colebatur Baal.

Vrbem sortis filiorum Iuda. Id est, Cariathiarim est vrbis in latere sortis filiorum Iuda, & pertinet ad eos, ut patet sup. 15. ista ciuitas & tota terra propinqua pertinuit ad Hebraeos. Quod patet, quia dicitur supra 11. quia Iosue cepit pugnando omnes vrbes præter Heuæum, qui habitabat in Gabaon; & tam Cariathiarim, & Caphira, & Beroth capte sunt sine pugna, sicut vrbis Gabaon: ergo in eis habitabant Heuæi, & sic in terra propinqua ciuitatibus illis habitarent.

Hæc est plaga contra mare, & Occidentem. Id est, ista pars apud

Alph. Toft. super Iosue Tom. 5. pars II.

vrbem Cariathiarim est contra mare, & Occidentem, id est est pars Occidentalis. Idem est esse contra mare, & contra Occidentem, quia mare est terminus Occidentalis totius terra Chanaan, Num. 34. vnde quamquam litera nostra non obseruet hoc, in Hebraeo tamen ferè semper ponitur contra mare, cùm debetponi contra Occidentem, vt si aliquis vellet assignare quatuor latera aliquis rei, dicit: ad Orientem, ad Aquilonem, ad Austrum, & ad mare. Litera nostra non obseruat hoc, quia esset difficultas intelligendi: Iudæi nāque manentibus in terra Chanaan mare erat latus Occidentale: ideo vulgariter dicebatur contra mare, id est contra Occidentem, nobis autem non est talis consuetudo, quia non habemus mare in tali dispositione, ideo si diceretur aliquid esse contra mare, nesciremus versus quam partem mundi signaretur, ideo litera nostra ferè semper posuit contra Occidentem, vbi Hebraica litera ponit contra mare.

Sciendum autem quod cùm dicitur: Hæc est plaga contra mare, non demonstratur totum latus supra designatum, quia illud est contra Septentrionem, & non contra Occidentem: sed refertur solum ad id, quod immediate dictum est, scilicet ad circuitum, qui sit apud montem quoque perueniat in Cariathiarim, qui incipit describi latus Occidentale, quod non est plenum latus, cùm sit curuum, & sic partim Aquilonare, & partim Occidentale: latera autem rectilinea sunt propriæ Occidentalia, aut Aquilonaria, vel quomodounque appellantur. Est etiam latus istud valde angustum: ideo non describuntur in eo vrbes aliquæ, vel regiones.

E A meridie autem ex parte Cariathiarim egreditur terminus contra mare, & peruenit usque ad fontem aquarum Nephœa. Descendit q̄, in partem montis, qui respicit vallem sortis Ennon: & est contra Septentrionalem plagam in extrema parte vallis Raphaim. Descendit q̄, in Gebennon, id est vallis Ennon iuxta latus Iebusi ad Austrum: & peruenit ad fontem Rogel, transiens ad Aquilonem: & egrediens ad Enses, id est fontem solis, pertransit usq; ad tumulos, qui sunt è regione ascensus Adommim: descendit q̄, ad Abemboem, id est, lapidem Boem filij Ruben, & pertransit ex latere aquilonis ad campestria: descendit q̄, in planitatem, & prætergreditur contra aquilonem Betagla: sunt q̄ exitus eius contra linguam maris salissimi ab aquilone in fine Iordanis ad australē plagam: qui est terminus illius ab Oriente. Hæc est possessio sortis Beniamin per terminos suos in circuitu, & familiias suas. Fuerunt q̄ ciuitates eius Iericho, & Betagla, & vallis Casis, Betharaba, & Samaram, & Bethel, & Auim, & Aphara, & Ophera, villa Emona, & Ophni, & Gabee: ciuitates duodecim, & ville earum. Gabaon, & Rama, & Beroth, & Mesphe, & Caphira, & Amosa, & Recem, Iarephel, & Tharela, & Sela, Eleph, & Iebus, que est Ierusalem, Gabaath, & Cariath: ciuitates quatuordecim & ville earum. Hæc est possessio sortis Beniamin iuxta familiias suas.

F A meridie autem. Hic describitur aliud latus sortis Beniamin, scilicet latus Meridianum, & in isto coniungitur totaliter sorti Iudea: sed est brevius latus Beniamin, quam sortis Iudea. Ex parte Cariathiarim.

Descriptio lateris Meridiani sortis Beniamin. Et quomodo se habeat Iebusæus habitator ad latus Beniamin.

QUESTIO IX.

IN CIPIT describi latus Meridianum, & hoc à parte Occidentali versu Orientem. Quod patet, quia terminatur latus istud in Iordanem: est tamen Iordanis apud Orientem, scilicet in ipso termino Orientali terra Chanaan, Num. 34. cap. ideo ista loca, quæ ponuntur hic reperiuntur latere Aquilonari sortis Iudea: sed sunt è contrario descripta, & hoc quia ibi computatur latus incipiendo ab Oriente versu Oc-

D

Obser-
uatio
Hebre-
orū in
acris
literis.

A

cidentem, hic autem è contrario, vt patet comparando ea, quæ dicuntur suprà 15. ad ea quæ habentur hic. Est autē Cariathiarim principium lateris Meridiani Beniamin, & lateris Aquilonaris. Causa est, quia latera ista, vel saltem aliquod eorum est curuum: cùm autem sunt duo curua, & unum est Septentrionale, & aliud Meridianum, coniungi possunt, vt patet diuidendo circulum in duas medietates, vel duas portiones inaequales, istæ se contingent in puncto; si tamen sit aliqua figura rectilinea, vt quadratum, vel quadrangulus, non poterit latus, quod est ad Aquilonem coniungi lateri, quod est ad Austrum, sed intercidet linea lateralis media.

Ereditur terminus contra mare. Non debet ista determinatio contra mare referri ad istud verbum, egreditur, quia tunc esset sensus, quod de Cariathiarim protenderetur fors Beniamin contra mare magnum, sed falsum est, quia istud mare est Occidentale in tota terra Chanaan, & tamen versus Occidentem non pertingit fors Beniamin ultrà Cariathiarim, vt patet suprà cum dicitur, quod exitus fortis Beniamin sunt in Cariathbaal, quæ est vrbs filiorū Iuda, & sequitur ibi. haec est plaga contra mare, & Occidentem: sed debet referri illa limitatio ad quoddam verbum subintellectum, scilicet, est, scilicet egreditur terminus contra mare, id est terminus, qui est contra mare, scilicet Occidentalis, egreditur, scil. vt perueniat ad fontem aquarum Nephtoa, vt patet immediate: & illa litera fatis declarat istam, cùm dicat: Et peruenit usque ad fontem aquarum Nephtoa. Manifestum tamen est, quod contra eandem partem est egressus, ad quam peruenit, quia peruenire dicit terminum, & ad peruenire præcedit venire: hoc autem est egredi, sed peruenit ad fontem aquarum Nephtoa, vt patet hic, ergo contra eandem partem fit egressio de Cariathiarim: sed eundo de Cariathiarim versus fontem Nephtoa itur ab Occidente versus Orientem, cùm veniendo de Oriente in Occidentem per latus filiorum Iuda prius veniatur in fontem Nephtoa quām in Cariathiarim, vt patet suprà 15. ergo hic non est egressus de Cariathiarim contra mare, sed contra fontem Nephtoa: sed debet verbum subintelligi, vt dictum est.

Et peruenit usque ad fontem aquarum Nephtoa. Id est, terminus vel latus Meridianum fortis Beniamin peruenit de Cariathiarim in fontem Nephtoa. Aliqui libri habent fontem Nephtor, sed corrupta est litera: Est autem iste locus, qui ponitur in latere Aquilonari fortis Iude, suprà 15. quia identificatur latus Meridianū Beniamin, & latus Aquilonare Iude: ideo ab hoc loco usque ad principium Orientalis lateris ferè eadem sunt nomina locorum in hoc latere, & in illo.

Descendit in partem montis qui respicit vallem filiorum Ennon. Id est de fonte Nephtoa versus montem, qui respicit vallem filiorum Ennon est descensus. Relictus est unus locus, qui ponitur in latere filiorū Iude, & est in isto latere Beniamin: sed non ponitur hic, scilicet inter fontem Nephtoa & Cariathiarim, & sunt vici mōtis Ephron, vt patet suprà 15. ista vallis filiorum Ennon, de qua hic, est apud Ierusalem, vt patet suprà 15. & in ea habebant altaria, & colebant idola, atq; obserabant superstitiones viri Ierusalem: ideo dicitur 4. Reg. 23. quod Rex Iosias contaminauit Tophet, quod erat in valle filiorum Ennon. Per istam vallem transit terminus, scilicet latus Beniamin & Iude, vt patet suprà 15. Iste mons, de quo hic, respicit vallem filiorum Ennon, quia est tangens illam, & tñ est vallis magis Meridiana, quām mons, vt patet immediate.

Et est contra Septentrionalem plagam. Hoc non debet referri ad vallem, sed ad montem, scilicet, quod est mōs Septentrionalis respectu vallis: nam per medium vallis transit latus terminans, ideo vallis pertinet ad Iudam & Beniamin: mons autem est apud vallem, & tamen est ad Septentrionalem plagam vallis, ideo non pertinet aliqualiter ad fortē Iude, sed ad Beniamin, quæ est Septentrionalis respectu Iude.

In extrema parte vallis Raphaim. Id est, iste mons est in extremitate vallis cuiusdam, quæ dicitur vallis Raphaim: est autem ista vallis in forte Beniamin: ad tribum verò Iude nihil pertinet, quia latus istud nō transit per vallem Raphaim, sed apud montem, qui est circa vallem Raphaim, scil. tangit extremitatem eius. Vocatur autem ista vallis Raphaim, quia ibi quondam habitauerunt Raphaim, vel ibi fecerūt aliqua memorabilia gesta, ex quibus mansit ibi nōmē eorum. Si autem

arguitur, quod non potuerunt ibi habitare Raphaim, quia isti erant quædam gens specialis de stirpe Gigantum, & habitabat in terra regum duorum Amorrhitorum, scilicet in terra Bafan, quæ erat regis Og, de quorum reliquijs erat rex Og, vt patet suprà 12. & 13. Respondendum est, sicut fuit declaratum suprà præcedenti cap. de Raphaim, qui erant in fortibus filiorum Ioseph.

Descendit ē Gehennon, que est vallis iuxta latus Iebusi. Continuatur latus contra Orientem, scil. quod de valle Ennon itur apud ciuitatem Iebusæ orum nomine Ierusalem, & dicitur ista vallis descendere, quia itur de extremitate montis ad plana per vallem: ideo necesse est descensum esse: nam dicebatur suprà quod de fonte Nephtoa perueniebatur in partem montis contra vallem Raphaim, & ista pars montis vocatur vertex mōtis, suprà 15. & de vertice ad vallem est descensus. Si autem arguitur quod suprà 15. dicitur: Ascendit p̄ vallem filij Annon ex latere Iebusæ, & inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Gehennon, &c. Respondendum est, quod accipitur hic, & ibi idem latus, tamen cōtrario modo, quia hic enarratur veniendo ab Occidente in Orientem, ibi autem veniendo ab Oriente in Occidentem: sed ab Oriente in Occidentem cundo est ascensus, ergo cùm eatur ab Occidente in Orientem, necessariò erit ascensus, & sic accipitur hic, & dicitur quod Gehennon descendit iuxta latus Iebusæ. Est Gehennon longa vallis, quæ incipit à vertice montis cuiusdam, qui est ad partem Occidentalem Ierusalem, & transit apud vrbum ipsam ad latus eius vadens contra Orientem, & ponitur hic interpretatio eius, scil. Gehennon, id est vallis Ennon: & nos vocamus eam alio modo vallem filiorum Anno: sic enim suprà dicitur. Et dicitur transire iuxta latus Iebusæ, id est Iebusæ orum habitantium in vrbe Ierusalem. Non accipitur hic Iebusæ pro ipsa ciuitate, quia ipsa vocatur Iebus alio modo, vt infrā patet, sed non vocatur Iebusæ: ponitur tamen habitator pro vrbe, & transit ad latus eius, scil. ad latus Meridianum vrbis: unde est Ierusalem intra fortē Beniamin, vt patet infrā, & fors Iude circa Ierusalē transire dicitur, sed non includit eam: accedit tamen terminus filiorū Iude circa portā vrbis Ierusalem, & apud fontem Rogel, vt patet infra.

Ad Austum. Designatur qualiter se habeat Iebusæ habitator Ierusalem ad istud latus Beniamin: & dicitur quod trāsit latus istud ad Austum, id est ad partem Australē, scilicet quod linea ista lateris est magis Australis contra Ierusalem, sed istud latus est maximè Australē in forte Beniamin; ergo necesse est Ierusalem esse intra fortē Beniamin. De hoc magis dicitur infrā, scil. an pertineat ad fortē Beniamin, vel ad fortē Iude.

Et peruenit ad fontem Rogel. Iste est quidam fons apud vrbum Ierusalem, apud quem est quidam lapis magnus, nomine Zoeleth, apud quem Adonias quartus filius David fecit coniuium magnum, & occidit victimas, cùm parabat assumere regnatiū successionem, vt patet 3. Regum 1. capit. Dicitur autem Rogel in Hebræo, vt aliqui volunt fullo, scilicet candificans pannos lauando. Vnde dicunt quidā, hunc esse fontem fullonis, apud quem steterunt nunci regis Assyriorum, de quo 4. Reg. 18. & apud quem exiuit Isaias obuiam regi Acham, Isai. 7. & vocatur in litera nostra via agri fullonis. Sed dicendum est Rogel non signare in Hebræo fullonem, id est pannorum lotorem, sed cum, qui pannos terit pede, vel malleo, vt in aqua sit, vbi malleo percidente suppōnuntur panni ad mollificandum, & candificandum: qui autem simpliciter pannos lauat, vocatur in Hebræo conem, & istud nomen ponitur in Hebræo 4. Reg. 18. & Isai. 7. vbi litera nostra dicit viam agri fullonis, hic autem vbi ponitur Rogel nunquā litera nostra posuit fullonem, sed accepit tanquam nomen proprium, & sic est accipiendum, de quo suprà 15. dictum est. *Transiens ad Aquilonem, & egrediens Ensemble.* Non est sensus quod latus istud transcat ad Aquilonarem partem fontis Rogel; quia est fons circa Ierusalem, & est latus istud ad Meridianam partem fontis, quanquam non erat inconveniens dicere, quod fons Rogel sit in forte Iude. Et cùm iste terminus, qui describitur, dividat Beniamin & Iudam, erit latus istud Aquilonare respectu fontis, & iste modus est in assignationib⁹ terminorū, quia aliquādo ponuntur termini intrinseci, & aliquā termini extrinseci; & tñ primo modo dicēdo, q̄ fons Rogel sit iuxta Ierusalē, & in forte Beniamin, est sensus, quod

C

Vallis
Rapha
im sit
& no-
mē da
tura.

A quod trāfit latus istud ad aquilonem, id est, curuatur ibi versus Aquilonem, scil. quod ante hoc extendebatur latus Benjamin versus sortem Iudeæ, quasi abscondendo aliquid, & hoc erat declinare ad meridiem: nunc verò curuatur intra se, & declinat ad partem aquilonarem. Nam Benjamin est aquilonaris ad Iudam: ideo cùm flectitur latus versus Iudam dicitur declinare in austrum: cùm verò ad se redit, & curuatur dicitur transire ad Aquilonem.

Et egredens ad Ensemes, id est, fontem Sclis. Ensemes est locus sic dictus, & interpretatur fons Solis: hoc autem apposuit litera nostra ad cognoscendum significationem nominis, sed in Hebreo non habetur, quia ibi nō oportebat exponi, cùm non sit nomen alienæ linguae, suprà 15. dicitur trāfit ad aquas quæ vocatur fons Solis: in quo innuitur, quod iste locus, qui dicitur Ensemes sit fons aliquis, vel lacus, aut stagnum: & vocatur sic. Est autem hic exitus, quia non transit rectè linea describens latus, sed curuatur.

Et pertransit vsq; ad tumulos, qui sunt ex aduerso ascensionis Ad dominum. Id est, de fonte Solis procedendo versus Orientem peruenit ad tumulos quosdam, scil. ad tumores terræ magnos. Aliqui dicunt istos esse tumulos Iordanis, apud quos filii Ruben, & Gad, & dimidiae partis Manasse struxerunt altare, de quo infrà 22. cap. Sed de hoc ibi dicitur: & non accipitur tumulus pro sepulchro, vt aliqui accipiunt: sed pro tumore terræ, id est, monte, vel colle: & sunt simul forte plures tamuli in aliqua terra plana, & apud illos transit latus istud: sunt autem isti tumuli contra ascensum Adominim, id est, quod aliquis locus, vel mons vocatur Adominim, & sunt ex opposita fronte ad locum illum tumuli isti. Adominim in Hebreo signat Idumæos, vel Rubeos, scilicet, quod isti tumuli sunt contra ascensum Idumæorum, id est, contra aliquem locum, vel montem, per quem ascenditur in terram Idumæorum: sed magis dicendum est, quod accipitur tāquam nomen proprium: & istum sensum secutus est Hieronymus, alioquin dixisset contra ascensum Idumæorum, sed nō multum consonat.

Descendit q; ad Abemboen. Id est, de tumulis illis magis contra Orientem itur ad Abemboen suprà 15. ponitur hic ascēdere. Sed respondendum est, vt suprà dicebatur, scil. quod accipit idem latus hic, & ibi: tamen contrario modo, scil. hic ab Occidente in Orientē, & ibi è contrario, ideo si hic est descensus erit ibi ascensus, vel è contrario. Abemboen est nomen propriū in Hebreo, & est compositū signans lapidē Boen, & ad ictum locum peruenit, qui nō multum distat à Iericho. *Id est, lapidem Boen filij Ruben.* Ista interpretatio superaddita est, quia in Hebreo non ponuntur nomina interpretata: pertinet enim huiusmodi interpretatio ad nomina, quæ vertuntur de lingua peregrina: sed in Hebreo ponuntur nomina purè Hebraica: hic autem ponuntur interdū nomina Hebreæ cum Latinis, & quedam illorum interpretatur litera nostra.

Et pertransit ex latere Aquilonis ad campestria, id est, post Abemboen extenditur latus istud ad campestria quæ sunt in valle illa, in qua est Iordanis: & sunt ista campestria ex latere Aquilonis, scil. quod pertinent ad terram Benjamin, & sunt ad Aquilonem lateris huius: quidquid enim est in terra Benjamin est aquilonare ad istud latus cùm sit istud latus meridianum fortis ipsius, & nihil possit esse ibi tam meridianum.

Descendit q; in planiciem. De campestribus descenditur in planam campestris terra est, quæ nec est penitus montuosa, nec totaliter plana, sed media inter montes, & planiciem: cùm autem descenditur de montibus est terra cāpestris, cùm verò magis descenditur ad valles, est ibi aliquid planum: & ista planicies est circa ipsum Iordanem.

Et pretergreditur contra Aquilonem Bethagla. Id est, transit apud urbem Bethagla ad aquilonarem partem: non quidem quod sit latus istud ad aquilonarem partem Bethagla, quia tunc esset Bethagla in forte Iudeæ, ita vt esset magis meridiana quā latus istud, sed falsum est, quia est in forte Benjamin, vt patet infrà, sed debet cōuerti, scilicet ad Aquilonem Bethagla, id est, quod urbs Bethagla est ad aquilonarem partem huius limitis. Et hoc modo patet, quia omnes urbes fortis Benjamin sunt aquilonares respectu huius lateris, quod describitur, quia istud est latus meridianum Benjamin: est autem Bethagla circa ipsum latus: nam etiam ponitur tan-

quam terminus Iudeæ, cùm describitur istud met latus, vt patet prà decimoquinto cap. De Bethagla quid sit ibi dictum est.

Suntq; exitus eius contra linguam maris salissimi. Iste est finis lateris meridiani in latere aquilonari: nam mare salissimum, vel Iordanis ponitur tanquam latus orientale terræ huius. Dicitur autem mare salissimum mare Sodomorum, quod etiam vocatur mare deserti, & solitudinis, & mare mortuū, & mare diaboli, de quibus declaratum est suprà duodecimo cap. Dicitur autem quod ad linguam maris huius tendit fors Benjamin, quia non accedit ad ipsum mare, sed versus quandam particulam exeuntem à mari porrigitur. Vocatur autem lingua maris quoddam brachium eius versus Aquilonem per eam partem per quam intrat Iordanis in mare: reliquum autem ipsius maris, scil. contra meridiem pertinet ad frontem sortis Iudeæ.

Ab Aquilone in fine Iordanis. Ista videtur esse implicita, quia ponuntur hic tres termini simul, scilicet aquilonaris, australis, & orientalis, & videtur esse ambiguum, ad quid singula referantur: & dicendum quod primus terminus refertur ad linguam maris, scilicet quod lingua maris salissimi ab Aquilone est in fine Iordanis, in quo innuitur quod istud mare habet alias linguae: nam verius quamcunque partem dirigitur, & arcuatur, vel sit aliquis introitus acutus vocatur lingua, & sic erunt aliquæ fortassis ad Orientem, vel Meridiem, vel Occidentem: hic autem solum dicitur de lingua, quæ est ad Aquilonem maris illius, & ista est in fine Iordanis: descendit enim Iordanis in mare salissimum, sive mare mortuum, vt patet suprà tertio, & intrat in illud per partem aquilonarem, vbi acuitur mare, & vocatur lingua: Dicitur autem ibi finis Iordanis, quia postquam Iordanis intrat in mare illud perdit nomen suum. In confinio aquarum maris, vbi incipit Iordanis perdere nomen, dicitur finis Iordanis, & ad hanc partem peruenit latus terræ Benjamin, nec potest refiri hoc ad sortem Benjamin: quia non habet illa ab Aquilone linguam maris salissimi, sed magis ab australi: fors autem Iudeæ habet linguam istam à parte aquilonari, vt patet suprà 15. cap.

Ad australem plagam. Hoc refertur ad sortem Benjamin, scilicet extremitas fortis peruenit ad linguam maris, quæ est in fine Iordanis, & ab aquilonari parte ipsius maris, & tamen est à parte australi Benjamin, quia nihil est magis australe in tota forte Benjamin, quā lingua maris salissimi, non tamē est penitus in latere australi, sed est in latere orientali in extremitate meridiana ipsius lateris.

Qui est terminus ab Oriente. Refertur ad sortem Benjamin, scilicet extremitas fortis peruenit ad linguam maris, quæ est in fine Iordanis, & ab aquilonari parte ipsius maris, & tamen est à parte australi Benjamin, quia nihil est magis australe in tota forte Benjamin, quā lingua maris salissimi, non tamē est penitus in latere australi, sed est in latere orientali in extremitate meridiana ipsius lateris.

Hæc est possessio filiorum Benjamin per circuitum. Iste est epilogus prædictorum, scil. solum hoc quod descriptum est pertinet ad possessionem filiorum Benjamin, & dicitur per circuitum, nō quod possessio Benjamin sit posita in circulo, vel in circuitu alicuius rci, sed quia non describuntur hic ciuitates, vel regiones illius, sed solum termini, & illi sunt in circuitu ipsius fortis, dicitur describi fors Benjamin in circuitu, i. circuitus fortis Benjamin, scil. termini solum: medium autem fortis ipsius, scil. terra habitanda, & colenda non fuit descripta.

Et familiæ singulas. Id est, in terra ista, cuius positi fuerunt termini, erat tota tribus Benjamin cum omnibus familiis: vnde singule familiarum receperunt intra terminos istos possessiones suas missa forte, sicut fiebat in ipsis tribubus, vt patet Num. 26. c.

Fueruntq; ciuitates. Hic ponitur ciuitatum nominatim descriptio, & fuerunt ciuitates quatuordecim: incipit autem numerus earum ab Oriente. *Iericho.* Ista est prima, quia fors ista ab Oriente incipiebat in Iordane, sed apud Iordanem est ciuitas Iericho: nam cùm transierunt Israelitæ Iordanem venerunt primò in urbem Iericho quā ad aliquam aliam, vt patet suprà quinto & sexto: si tamen aliquam ciuitatem

Finis
lateris
meri-
diani
sortis
Beni-
min.

Descri-
picio ci-
uitatum
nuncu-
patim
in forte
Beni-
min le-
richo.

Bethagla.

tatem reperissent in itinere ad illam primò diuertissent. Etiam patet, quia antequām transirent Iordanem, cūm mitte-rent exploratores ad sciendum de statu Chanañorum, mi-serunt eos ad vībem Iericho, vt patet suprà 2.cap. Et Bethagla. Ista ciuitas est etiam in sorte Beniamin: & est magis meridiana quām Iericho, quia fors Beniamin coniungitur sorti Iude ex parte meridiana, quia est Iudas maximē meridianus, vt patet suprà decimoquinto, tamen Bethagla ponitur in terminis lateris Iude, & Beniamin, vt patet eodem cap. & non ponitur Iericho, ergo magis est australis Bethagla. De ista vībe dictum est suprà 15. scilicet, quomodo in ea Iacob funera celebrata sint.

Et vallis Cæsus. Non est nomen appellatiuum istud, sed est nomen ciuitatis, cūm ponantur ciuitates duodecim in forte Beniamin: & si non computetur ista solum erunt ciuitates vndecim, est tamen nomen proprium loci compositum, sicut in vsu Latinorum, quia interdum vnum nomen loci est compositum ex duobus appellatiuis, & interdum ex duobus proprijs, & interdum ex proprio, & appellatiuo: hic autem est nomen propriū compositum ex appellatiuo, & proprio. talia autem nomina raro litera nostra conuertit in formam Latinam: sed relinquit in voce Hebræa, sicut patet in plerisque nominibus ciuitatim suprà, & seq. cap. hic autem conuertit nomen primum in formam Latinam, & cūm dicatur vallis Cæsus, nō accipitur Cassis pro Casside, quæ est genus armaturæ capitis, nec pro reti: cūm dicitur Cassis genitivo Cassis, iuxta illud:

Casse meo venor: nunc armor Cæside clara.

Betharaba. Licet ponitur pro nomine Hebræo, quod dicitur quizim, & quia non est talis modus scribendi apud Latinos scripsit Hieron. Cassis, sed nihil signat hic cūm stet pro nomine Hebræo. Betharaba. Ista est alia ciuitas, & est in latere meridiano sortis Beniamin: nam in latere sortis Iude describitur, vt patet suprà 15. & ista duæ sortes co[m]municat in uno latere, quod est meridianum sorti Beniamin, & est aquilonare sorti Iude.

Et Samaram. Ista ciuitas non est multum famosa in forte Beniamin: raro enim nominatur.

Et Bethel. Ista est, quæ alio nomine vocatur Luza, vt patet suprà, & est in latere aquilonari sortis Beniamin, vt patet suprà in litera: vnde etiam in latere meridiano sortis Ephraim ponitur, vt patet suprà decimosexto, in ista ciuitate fuit positus vñus de duobus vitulis, quos fecit rex Ieroboam, vt patet 3. Regum 13. cap. vñus autem de regibus, quos occidit Iosue fuit de vrbē hac, vt patet suprà duodecimo, & non fuit capta tempore Iosue ab Israélitīs, sed post mortem eius aliquanto tempore, de cuius modo patet Iudicum 1. cap. apud Iam vrbem moratus est Abraham à principio, quando ve-nit in terram Chanaan, construxitque altare ab Oriente illius, vt patet Genes. 12. & apud eam dormiuit Iacob vadens in Mesopotamiam, cūm vidit Angelos ascendentēs, & de-scendentēs per scalam, & tunc imposuit nomen vrbī, de quo Gen. 28. cap.

Aium, & Aphara, & Ophra. Tres vrbes sunt in tribu Beniamin non multum famosa. Est autem difficultas circa ista nomina locorum generaliter, quia mutantur s̄epissimè, & vrbes, quæ semel vocatur sic, alibi vocatur aliás: sic patet de vrbibus, quæ sunt in hac tribu: quia infrà vigesimoprimo in ciuitatibus, quæ dantur Leuitis ponuntur quatuor vrbes de tribu hac, & duæ earum non ponuntur hic, scilicet Amathobi, & Almon: ideo necesse est, vt dicatur quod non fuerunt hic enarratae omnes vrbes Beniamin, quod non videtur satis rationabile, cūm conetur hic Scriptura enarrare vrbes Beniamin, & ponat summam earum, scilicet sunt quatuor-decim, si tamen plures essent, frustra esset fieri enarratio hec, si autem dicamus non fuisse plures vrbes in forte Beniamin, necesse erit alias ciuitates esse Binomias saltem, & tunc est difficultas.

Villa Hemona. Nō sunt ista duo nomina, sed est vna ciuitas, cuius nomen erat villa Hemona, sicut nos dicimus villam vi-ridem aut villam delectabilem. *Et Ophni.* Sic est nomen sacer-dotis vnius, qui erat filius Eli summi sacerdotis, vt patet 1. Reg. 4. cap. *Gabee.* Ista differt à ciuitate Gabaa, vel Gabaath: & sic ponuntur hic tanquam diuersæ vrbes, cūm ista ponatur inter duodecim, & alia inter quatuordecim, & vtraque est necessaria ad complendum numerum: ista ciuitas postea da-

ta fuit sacerdotibus in diuisione ciuitatum, quæ prouenerūt Leuitis de qualibet sorte.

Ciuitates duodecim, & vrbes earum. Id est, istæ ciuitates duodecim cum villis suis pertinuerunt ad sortem Beniamin: & vocantur vllæ rura parua, vel loca quæcunque non munita: nam loca munita, etiam si parua sint vrbes appellantur, nec obseruantur differentia, quæ est apud nos, scilicet, quod aliqua loca munita sint, quæ vocentur vllæ, & alia vrbes, & alia castra. Ponuntur autem istæ duodecim ciuitates per se, cūm tamen alia plures ciuitates pertineant ad sortem Beniamin, scilicet quatuordecim, quæ sequuntur ex causa assignata suprà decimoquinto, scilicet, quia erant aliquando in vna forte plures regiones, & ciuitates, quæ in vna regione sunt per se computantur: quæ verò in alia computantur sub alia summula, & quia erat fors Iude valde magna, vt patet ex numero ciuitatum ei datarum, erant vrbes in multis regionibus, vnde multæ summulae vrbium ibi factæ sunt, vt patet eodem cap. *Gabaon.* Hic ponitur alia summula vrbium in forte Beniamin pertinentium ad aliam regionem, & prima est Gabaon: ista est principalis inter quatuor vrbes, quæ in dolo pepigerunt scđus cum Israélitīs, & habitatores eorum non fuerunt deleti, de quo suprà 9. cap. & erat Gabaon pertinens ad populum Heuæorum, de quo suprà vndecimo, scilicet omnes vrbes pugnando cœpit prater Heuæum, qui habitabat in Gabaon: ista vrbis differt à Gabee, de qua suprà dictum est, & à Gabaath. Nam alioquin non complebitur numerus ciuitatum hic positarum.

Et Rama. Ista est alia ciuitas pertinēs ad sortem Beniamin. Ista vrbis differt ab illa, quæ vocatur Ramoth Galaad, quia illa est in terra Galaad ante transitum Iordanis ad Oriētem, & est in forte Gad, vt patet Deuter. 4. & infrà 20. c. ista autem est in forte Beniamin.

Eli volunt Rama esse vrbem, de qua erat oriundus Samuel Propheta. Sed falsum est, quia illa vocatur Ramatha, vt patet 1. Regum 1. & 7. cap. Item Rama est in forte Beniamin, & Ramatha erat in forte Ephraim, vt patet 1. Regum 1. Sed Rama est vrbis illa de qua dicitur Ierem. 31. vox in Rama audita est ploratus, & vñlatus. Idem patet Matth. 2. & hoc conuenit illi, quia dicitur ibi de Rachel plorante filios suos, ipsa tamen erat mater Beniamin, ad cuius sortem pertinebat Rama. Sic enim aliqui volunt: sed non consentit litera nostra, quæ non ponit ibi Rama prout est nomen proprium vrbis, sed vt est appellatiū, & signat altitudinem. Nam licet Matt. 2. dicitur: Vox in Rama audita est, tamen Ierem. 31. cap. non dicitur in Rama, sed vox in excelsō data est.

Et Beroth. Ista est vna de quatuor ciuitatibus Gabaonitarū confederatis Israélitīs in dolo, cuius non perierunt habitatores, vt patet suprà 9. vbi ponuntur nomina vrbium, scilicet Gabaon, Caphira, Beroth, Cariathiarim.

Et Mesphe. Ista est alia ciuitas. Nam hic non computantur nisi ciuitates. Alia ciuitas ponitur similis suprà vndecimo, scilicet, quod persecuti sunt Israélitæ Chanaños fugientes usque ad campum Mesphe: sed illa differt ab ista: est enim magis occidentalis atque septentrionalis, scilicet usque ad Sidonem magnam, & aquas Masserephot, campumque Mesphe. Ista quoque vrbis potest esse, quæ vocatur Maiphat, in qua erat locus sacrificiorum, de quo primo Regum septimo, quamquam aliqualis apparet differentia: magis autem videatur esse Mesphe in terra Galaad, quæ est terra duorum regū Amorræorum, vbi habitauerunt duæ tribus & dimidia, & in loco ipso morabatur Iepte Galaadites, qui fuit vñus de iudicibus Israél, & pugnauit contra Ammonitas, vt patet Iudicium vñdecimo cap.

Caphara. Ista est vna de quatuor ciuitatibus Gabaonitarū confederatis Israél, vt patet suprà nono, quamquam ibi vocatur Caphira, sed in hoc nihil differt: & sic patet quod de illis quatuor ciuitatibus pertinuerunt tres ad sortem Beniamin, scilicet Gabaon, Beroth, Caphira, & vna pertinebat ad Iudam, scilicet Cariathiarim, vt patet suprà decimoquinto, & suprà in litera.

Et Amosa, & Recem, Iarchel, Carala, Sela, Ieleph. Istæ sex vrbes tribus Beniamin non sunt multum famosæ in forte illa.

Et Iebus, que est Ierusalem. Ista etiam vrbis multa nomina habet, quia vocatur Iebus, & Ierusalem. Isti vrbis ponuntur multa

Betharaba.

Samaram
& Babil.Aium,
& Aphara,
& Ophra.Villa
Hemona
&
Ophni
& Ga-
rea.

Gabaon

Rama

Beroth

Mesphe

Capha

ra.

A multa nomina à Doctoribus sacris, quæ comprehenduntur his versibus.

Solima, Luza, Bethel, Ierusalem Iebus.

Helia vrbis sacra Ierusalem dicitur, atq; Salem.

De his nouem nominibus solum est dubium, quantum ad duo illorum, scilicet quantum ad Luzam, & Bethel, de quo latè declaratum est Genesis vigesimo octauo, & vt sèpè inductum est multum differunt Bethel, & Luza à Ierusalem: ista autem duo nomina sunt ei magis conuenientia, potissimum ex modo loquendi veteris Testamenti, scilicet Ierusalem, & Iebus.

An Ierusalem sit in sorte Beniamin, vel Iude. In quo opinio Nicolai resellitur. Et quomodo vrbes in una tribu poterant ad aliam pertinere.

QVÆSTIO X.

CIRCA istam vrbem est quæstio ad quam tribum pertinet, san ad tribum Iude, vel ad tribum Beniamin. Aliquis dicet, quod ad tribum Iude, quia in ea habitabant filii Iuda: nam reges de tribu Iude ibi manebant, vt patet ex processu tertij & quarti libri Regum: si tamen fuisse vrbis Beniamin, mansissent in ea filii Beniamin.

Item non solum reges Iuda habitauerunt in ea, sed etiam quicunque de filiis Iuda à principio, ergo non pertinebat ad Beniamin, patet suprà 15. scilicet Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non potuerunt delere filii Israel: habitauitque Iebusæus cum filiis Iuda usque in præsentem diem in Ierusalem.

Item quælibet tribus habebat curam pugnandi contra hostes, qui erant in sortes sua, nec pertinebat ad unam tribum pugna contra hostes, qui erant in sortem alterius tribus, nisi adduceretur in adiutorium, vt colligitur Iud. i. cùm dixit Iudas Simeon fratri suo, ascende tecum in sortem meam, & pugna contra Chananæum, vt & ego pergam tecum in sorte tua, sed ad filios Iude pertinebat pugna contra Iebusæos habitatores Ierusalem, vt patet suprà 15. Iebusæum autem &c. ergo ad eorum sortem pertinebat Ierusalem.

Et si quis dicat, quod filii Iude receperunt conflictum contra Iebusæos habitatores Ierusalem non ex iure suo, sed ex concessione filiorum Beniamin: dicetur non stare, quia filii Iude dixerunt Ierusalem esse de sorte sua, vt patet Iudic. i. scil. Ait Iudas Simeon fratri suo: ascende tecum in sortem meam, & pugna contra Chananæum, & postea sequitur quomodo filii Iude, cum filiis Simeon iuerunt in Ierusalem, & combusserunt totam vrbem, ergo pertinebat ad sortem eorum.

In contrarium videtur, quod pertineat ad tribum Beniamin, quia impossibile est eandem vrbem pertinere ad duas sortes tribuum, sed pertinebat Ierusalem ad Beniamin, ergo non pertinebat ad sortem Iude: patet hic ex litera, vbi computatur inter vrbes Beniamin.

Item patet, quia in tota sorte Iude non ponitur Ierusalem: si tamen esset in sorte illa poneretur in summula ciuitatum eius.

Item cùm describitur latus sortis Iude suprà 15. ponitur ipsum transire ad partem meridianam Ierusalem, & illud est latus aquilonare sortis eiusdem, ergo Ierusalem necessariò est extra sortem Iude.

Nicolaus autem, vt tollat inconuenientiam, dicit quod Ierusalem quantum ad quandam partem pertinuit ad sortem Iude, & quantum ad quandam partem ad sortem Beniamin, & sic poterant habitare in ea filii Iude, & Beniamin, & utrisque competebat ius pugnandi contra vrbem ipsam.

Sed dicetur non stare, quia nulla vrbis poterat pertinere ad duas tribus: sed de Ierusalem dicitur, quod pertineat ad Beniamin hic, ergo non ad Iudam.

Dici poterat, quod quanquam regulariter una vrbis non pertineat ad duas tribus, poterat tamen diuidi & pertinere ad eas non in solidum, sic patet de vrbis Nopheth, præcedens cap. scil. quod dimidia tribus Manasse accepit vrbes multas, quarum ponitur una tertia pars vrbis Nopheth, ergo facilius poterit Ierusalem diuidi in duas partes.

Sed dicendum est non stare, quia si vrbis Ierusalem partim

pertinuisset ad Iudam, & partim ad Beniamin, sicut ponitur in sorte Beniamin, ita poneretur in sorte Iude, sed non ponitur in sorte Iude, & ponitur in sorte Beniamin, ergo &c. Item & fortius si vrbis Ierusalem partim ad tribum Iude, & partim ad tribum Beniamin pertineret, necesse erat ut linea diuidens sortem Beniamin, & Iude transi ret per ipsam vrbem Ierusalem, sed falsum est, quia transit apud vrbem Ierusalem ad latus meridianum Ierusalem, ergo nullo modo pertinebit Ierusalem ad sortem Iude, sed penitus erit in sorte Beniamin, quæ est aquilonaris respectu sortis Iude.

Dicendum autem, quod pertinebat Ierusalem penitus ad filios Beniamin, scilicet aut Iude non habitauerunt in ea tāquam competeret eis de iure, sed ex alia causa, scilicet quia erat Ierusalem in extremitate sortis Beniamin, apud sortem Iude, & concesserunt filii Beniamin filiis Iude à principio, quod pugnarent contra vrbem illam, & morarentur semper in ea, quia forte filii Iude concesserunt eodem modo filiis Beniamin aliquam de vrbibus sortis sua ad habitandum in ea, & hoc non fuit factum multo tempore post acceptam sortem, sed à principio: nam ipsi incœperunt pugnare contra habitatores Ierusalem à principio, & cùm deleuissent aliquos de illis, non præualuerunt contra omnes: nam manserunt aliqui in castro in monte Sion, qui expugnari non potuerunt, vt patet suprà 15. si autem non fuisse data ciuitas ista ab initio filiis Iude: non potuerint ipsi curare de expugnando habitatores vrbis, scilicet Iebusæos.

Item poterat alio modo pertinere vrbis Ierusalem ad filios Iude, scilicet si totaliter desperantibus filiis Beniamin de capiendo Ierusalem filii Iude pugnarēt & caperent eam, cedebat illis, ita quod possent in illa semper habitare: & ex similibus causis vrbes, quæ in una tribu erant, poterant pertinere ad aliam tribum quantum ad aliqua iura, sic fuit de Sicelech, quæ erat ciuitas in sorte Simeon, vt patet sequen. cap. & tamen postea pertinuit semper ad reges Iude, quia erat illa ciuitas in potestate Philistinorum. Et cum rex David configisset ad Achis vnum de regibus Philistinorum, dedit ei urbem Sicelech, & ex tunc venit per successionem in omnès reges Iude, quia David cepit eam de manu hostium, vt patet 1. Reg. 27. cap.

Sed tunc arguetur, quia Iudic. i. cap. dicitur, quod filii Beniamin non potuerunt delere Iebusæum, qui habitabat in Ierusalem, sed habitabat simul cum filiis Beniamin, & sic non videtur quod habitauerint in Ierusalem filii Iude, sed filii Beniamin.

Responderi potest, quod ciuitas ista secundum ius sortis pertinebat ad solos filios Beniamin: ad filios autem Iude pertinuit ex concessione Beniamin, quia adiuvuerant eos ad pugnandum, vel ex alijs causis, ideo cùm hoc à principio diuisionis sortium conuentum fuerit inter filios Iude & Beniamin, conuenerunt utriusque ad pugnandum cōtra Ierusalem, & non potuerunt delere arcem, sed solam vrbem planam vastauerint gladio, & igne.

Causa autem errandi aliquibus est, quia scriptura loquitur diuissim de pugna filiorum Iude contra Ierusalem, & de pugna Beniamin, tamen fuit vnicā. Causa huius est, quia Ierusalē aliquo modo pertinebet ad filios Iude, & aliquo modo ad filios Beniamin, ideo quando agitur dealiquo eorum, Scriptura recolit de vrbē Ierusalem, & sic cùm ageretur, suprà 15. de sorte filiorum Iude, dictum est in fine, quod non potuerunt filii Iude delere Iebusæum habitatorem Ierusalem, & tamen quia non pertinebat ad sortem illius tribus, sed solū ex concessione, non fuit posita intra vrbes Iude. Et cùm Iudic. i. agatur de qualibet tribu quasi hostes sortis suę expugnare non potuerit, vel quos tributarios fecerit, sicut Ierusalem ad Iudam, & Beniamin pertinebat, quamquam diuersimodè, ita cùm de vtrōq; ageretur, dictum est de Ierusalē. Nunc responderi potest ad argumentum in contrarium.

Ad primum cùm dicebatur, quod reges Iude habitabant in Ierusalem, quod tamen non facerent, nisi pertinere ad tribum Iude, ergo &c. Respondendum, quod quamquam ibi habitarent, non sequitur, quod pertinceret ad ius sortis Iude: sed habebant hoc filii Iude ex concessione filiorum Beniamin.

Aliter posset responderi de regibus, quod ipsi poterant habitare vbi cunque vellent: nam cum totus Israel erat vnum

A

regnum, sicut tempore Saul, David, & Salomonis, quāquā rex esset de vna tribu, posset habitare in quacunque parte regni vellet, & sic in omnibus tribubus: tempore autem posteriorum regum facta diuisione etiam reges Iuda poterāt morari in Ierusalem, quia manserant duæ tribus cum regibus Iuda, scilicet tribus Iuda, & Benjamin, ideo possent reges manere in vrbe Ierusalem, quia ad eorum dominium pertinebat.

Ad secundum argumentum cūm dicebatur, quod solū reges habitabant de tribu Iuda in vrbe Ierusalem, sed etiam quicunque populares. Respondendum, quod non sequitur ex hoc ad eos pertinere vrbum istam iure sortis: sed pertinebat ex concessione ius habitandi in ea, & manebant simul filii Beniamin, & filii Iudae in vrbe Ierusalem.

Ad tertium argumentum, scilicet quod nulla tribus habebat curam pugnandi contra hostes, qui erant in alia tribu &c. Concedendum est, sed filii Iudae non habebāt curam pugnandi cōtra Iebusēum habitatorem Ierusalem iure suo: sed ex conuentione & concessione, scil. quod concederunt filii Beniamin filiis Iudae, vt habitare possent in vrbe Ierusalem: dum tamen adiuuarent eos ad habitatores expellendum inde, & cūm pugnauissent non potuerunt expellere eos ex arce, ideo dicitur, quod non potuerunt delere Iebusēum.

Ad confirmationem cūm dicebatur, quod non poterat responderi pertinere vrbum Ierusalem ad filios Iudae ex concessione, quia ipsi dixerunt filii Simeon, vt ascenderent cum eis in sortem suam, & postea ascenderunt in Ierusalem.

Dicendum, quod non patet ex hoc Ierusalem pertinere ad sortem Iude: nam cūm hoc dixissent, iuerunt ad multa loca, quæ pertinebant ad sortem Iudae, vt in Hebron, & Dabir, & alias vrbes, de quibus ibi, & inter eas iuerunt quoque in vrbum Ierusalem. Verbum tamen eorum non determinabatur ad vrbum illam, ita vt signare vellent illam esse de tribu Iuda. Patet igitur ex dictis, quod Ierusalem ad solam tribum Beniamin pertinuerit, & tamen habitauerunt ibi filii Iude simul cum filiis Beniamin.

Gabaath. Ista ciuitas erat in qua morabatur Saul, vt patet 1. Reg. 13. cap. & ista ciuitas est, in qua vxor viri Leuitæ importuna vexata libidine mortua est, vt patet Iudic. 19.

Cariath. Ista est alia ciuitas Beniamin, & istud nomen Cariath signat vrbum, velut si nos aliquam ciuitatem vocaremus solū ciuitatem, ita quod hoc esset nomen suum.

Hebrei quidem aliter legunt istam literam, adiungentes ista duo nomina Ierusaleni ad determinandum eam. Gabaa enim in Hebreo signat magnum, vel maius: Cariath signat vrbum, & dicunt Ierusaleni esse maiorem vrbum, scil. maiorem ceteris, & isto modo non ponunt Gabaath, & Cariath pro ciuitatibus: sed tanquam substantiuum, & adiectiuum, quæ aliquid enunciant de Ierusalem.

Sed non stat, quia tunc non essent tot vrbes, quot enarrantur, scilicet 14. ideo necesse est, vt ponantur tanquam nomina ciuitatum. *Hec est possessio filiorum Beniamin.* Est epilogus, scilicet iste vrbes suprā enarratæ sunt possessio filiorum Beniamin, quia possederunt istas cum territorijs suis, & non dicitur hic in circuitu, sicut suprā, quia suprā ponebantur solū termini filiorum Beniamin, & non ponebatur aliquid de forte ipsorum: termini autem sunt in circuitu sortia: hic verò ponitur ipsum, quod erat intra ambitum terminorum.

Iuxta familias suas. Id est, hoc est, quod possedit tota tribus Beniamin & omnes familiae suæ, quia extra hoc nihil habuerunt. Vel dicitur iuxta familias suas, id est, secundum diuisionem familiarum, scil. quod secundum quod erant diuise familie Beniamin, ita erat diuisa tota possessio suprā assignata.

C A P . XIX.

E T egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas, fuit q̄. hereditas eorum in medio possessionis filiorum Iuda: Bersabee, & Sabee, & Molada, & Hasersual Halaa, & Aſen, & Eltholad, Bethul, & Arma, & Si-telech & Bethmarcabot, & Aſersusa, & Bethlebaoth,

& Faroen: ciuitates tredecim, & villa earum. Ain & Remmon, & Athar, & Asan: ciuitates quatuor, & villa earum. Omnes viculi per circuitum urbium istarum usque ad Balaad Beer Ramath contra australem plagam. Hec est hereditas filiorum Simeon iuxta cognationes suas, in possessione & funiculo filiorū Iuda, quia maior erat. Et idcirco filij Simeon possederunt in medio hereditatis eorum.

E T egressa. Suprā actum est de assignatione vnius de septem sortibus. Hic consequenter agitur de sex sequentibus. Et diuiditur in duas, quia primò agitur de harum sortium assignatione, secundò de possessione data ipsi Iosue ibi. Cumq̄ compleset. Prima diuiditur in sex partes secundum quod hic assignantur sex tribuum possessiones, secunda ibi. Cecidit sors tertia. Tertia ibi. Issachar egressa est. Quarta ibi. Cecidit sors quinta. Quinta ibi. Filiorum Nephthali. Sexta ibi. Tribui filiorum Dan.

Assignatio sortis Simeonis. Et quod sors Beniamin fuit omnibus dignior.

Q V A E S T I O L

C I R C A primum. Et egressa est sors secunda filiorum Simeon. Vocatur secunda sors filiorum Simeon referendo ad sortem Beniamin, de qua praecedenti cap. ibi enim dictum fuerat quod manserant septem tribus, quæ nondum acceperant possessiones, & his datae fuerunt septem sortes, quæ computantur hic, & quia suprā vna fuerat designata, hic ceteræ designantur. Fuit autem prima sors Beniamin, est verò secunda sors Simeon. Et dicitur, q̄ egressa est sors, s. egressa est de inuolucre schedularū continentū: nam posita furent in inuolucre tot sortes, quot erat tribus accepturæ possessiones, & quilibet manum mittens educebat cedula unam designantem possessionem, quam habitura esset illa tribus, cum autem tribus Simeon misit manum, egressa est sors secunda, id est, exiuit de inuolucre illo cedula secunda designans sortem, quæ hic describitur. Et fuit secunda, quia Beniamin primò eduxit schedulā sortis, quia illa tribus reputata est dignior, vt suprā fuit declaratum. Deinde tribus Simeon erat dignior ceteris tribubus, quæ hic habentur. De Aſer, Nephthali, & Dan causa patet, quia erat Simeon de filiis dominarum, scilicet filius Liæ: isti autem tres erant filii familiarum, scilicet Nephthalim, & Dan filii Balæ ancillæ Rachelis, & Aſer fuit filius Zelphæ ancillæ Liæ, Gen. 30. ca. De alijs duobus filiis Liæ, scilicet Issachar, & Zabulon, quod eis dignior esset Simeon patet, quia erat prior origine: non poterat autem hic attendi alia inæqualitas: nam ab eodem genitore, & genitrice procreati fuerant: aliquando tamen non seruabatur iste ordo dignitatis, sicut fuit in oblatione in dedicatione sanctuarij, vt patet Nume. 7. nam duodecim principes obtulerunt diebus 12. & fuit primus princeps tribus Iuda, post quam ebtulit princeps tribus Issachar, postea princeps filiorum Zabulon, & tamen isti non erant digniores ceteris filiis liberarum, scilicet Ruben & Ephraim, & Beniamin, atque Manasse. Item princeps tribus Gad obtulit ante Beniamin Ephraim, & Manasse: tamen erat Gad filius ancillæ, scil. filius Zelphæ: Beniamin autem Ephraim, & Manasse erant de filiis Rachelis. Fuit autem hoc factum, vt seruarent ordinem vexillorum suorum. Nam erant distincti Israelite in deserto in procedendo, & castrametando sub quatuor vexillis, ita quod sub quolibet vexillo essent tribus tres, de quarum ordine in castrametando patet Nume. 2. de ordine autem in procedendo motis castris patet Nume. 10. & quia quando facta est dedicatio sanctuarij, erant Israelite in deserto, scilicet quia incepcta fuit die prima anni secundi ab exitu de Ægypto, vt declaratum est Nume. 7. cap. ideo fuit ibi obseruatus ordo vexillorum, sed illi principes sic erant ordinati per vexilla, ideo sic obtulerunt: hic autem obseruatus est ordo dignitatis.

Per cognationes suas. Id est, ista sors, quæ ponitur pro tribu Simeon fuit per cognationes, id est, fuit diuisa per familias: nam sicut pro tribubus ponebantur sortes ad videndum quid esset

A esset quælibet habitura, ita pro familijs habita possessione tribus siebat diuisio in tot partes, quot erant familiæ, & illæ portiones siebant proportionales ipsis familijs, & tunc forte dirimebatur quid cuilibet prouenturum fore, de quo præcedenti cap. magis declaratum est: sine fortibus eum nulli familiæ poterat possessio assignari, vt patet Num. 26. c. Etant autem in tribu Simeon familiæ quinque, vt patet præallegato cap. & istæ vocantur quinq; cognationes, iuxta quas diuisa est tota possessio eius in quinq; partes: deinde cognationes minores, quæ erant domus in ipsis familijs faciebât alias diuisiones, quo usque veniretur ad diuisiones, quæ siebant per singulos viros, sed scriptura non curat de his tam particularibus.

Fuitque hæreditas eorum in medio possessionis filiorum Iuda. Id est, possessio data filiis Simeon, quæ est hæreditas eorum, fuit in medio filiorum Iuda, id est, in medio fortis Iuda, scilicet, quod non fuit assignata aliqua pars terræ filiis Simeon extra terrâ fortis filiorum Iuda, sicut fuit assignatio facta ceteris tribubus, sed intra sortem Iuda accepit particulam quandam, quia pars Iuda magna erat præter proportionem, vt infra declaratur. Patet autem hoc, quia ciuitates plurimæ posite hic ponuntur supra 15. in sorte Iude.

B *Bersabee. Ista ciuitas ponitur supra 15. in sorte Iuda, & non est ista alia ciuitas ab illa, sicut aliquando ponuntur eiusdem nominis ciuitas in multis tribubus, vt patet de Aser, & de alijs, quia tunc, cum non possit eadem ciuitas esse in multis tribubus, necesse est, quod ponantur multæ ciuitates vocari eodem nomine: hic autem accedit è contrario, quia eadem est in sorte Iuda, & Simeon: non quidem simul, sed primò fuit in sorte Iuda: deinde decisa est quædam pars fortis Iuda: & data est tribui Simeon, & cù hac fuit ista ciuitas Bersabee, & sic de illis, quæ habentur infrâ. Nam omnes vrbes hic posite sunt in tribu Iuda, quamquam non omnes fuerint ibi descriptæ, vel alijs nominibus appellantur: nam extra sortem Iuda, nihil accepit tribus Simeon. Ista ciuitas Bersabee est, apud quam habitauit Ab. ahām postquam venit de Gerarîs, & plantauit ibi hortum, siue nemus, vt patet Genes. 21. Causa autem huius nominis fuit ex puto quodam: nam habitauit Abraham apud vrbem quandam, & fudit ibi puto, posteà verò serui regis Abimelech abstulerunt puto de potestate Abrahæ, posteà autem cùm pepigissent foedus Abimelech, & Abraham, dixit Abraham de puto, & dedit agnas septem ipsi Abimelech, vt confirmaret puto Abrahæ, & ex hoc vocatus est locus Bersabee, id est, puto septem, vel puto iuramenti, & ipsa ciuitas quæ erat apud puto, posteà sic vocata est, vt patet præallegicap. Apud hunc puto habuit etiam Isaac, vt patet Gen. 26. & apud locum istum stetit Iacob, quando descendit in Ægyptum, & apparuit ei Dominus, vt patet Gen. 46. Et Sabeo. Aliqui coniungunt istam ciuitatem cum superiori facientes idem nomen, sed duæ vrbes sunt. Molada. Ista vrbe supra 15. cap. ponitur, quia pertinet ad sortem Iuda, & est eadem cum illa quæ ibi habetur. Et Hasersual. Ista ciuitas etiam habetur supra 15. Aliqui autem diuidunt eam in duas dicentes Aser, Suar: sed una dictio est, vt patet ex litera Hebraica. Balaa. Ista est etiam in sorte filiorum Iuda, sicut ceteræ, quamquam fortè nō nominatur ibi hoc nomine. Et si aliquis dicat esse vrbem, quæ vocatur Bala, & alio nomine vocatur Cariathiarim, vt patet sup. 15. Non multum constat, sed si quis hoc velit, non est multum infundendum. Et Asem. Ista ciuitas etiam ponitur sup. 15. c. & vocatur ibi Esem, sed non differt. Eltholad. Ista ciuitas etiam habetur supra 15. in sorte Iuda, & variè nominatur, quia aliquando vocatur Beltholad, & aliquando Theltholath: debet tamen vocari Eltholad, vt patet in litera Hebraica. Bethul. Aliqui dicunt istam ciuitatem esse, quæ vocatur Exul, sup. 15. Sed falsum est, vt patet in litera Hebraica: constat tamen eam esse de tribu Iuda, quia non accepit Simeon vrbes aliquas nisi de eis, quæ erant in sorte Iuda, vt patet hic, Arma. Ista est, quæ vocatur Harma sup. 15. cap. & vocatur Herma, supra 12. de hac autem fuit unus de regibus occisis tempore Iosue, vt patet ibidem. Et Siceleg. Ista ciuitas etiam ponitur supra 15. in sorte Iuda, & data fuit posteà Simeoni, vt patet hic: tamen nō pertinuit vñquam ad tribum Simeon, sed cef- sit regibus Iuda in sortem specialiter. Causa fuit, quia cùm es- sent Israclitæ in sortibus suis, non potuerūt accipere omnia*

Bersabee.

Situ-
ciusdæ.Sabeo.
Mola-
da, A-
fesial,
Balaa,
Elcho-
lad,
Asem.Impro-
batio-
nem de
Bethul

Siceleg

loca hæc de manu hostium, sed paulisper, & post magna tem-
pora: vnde Siceleg tempore regis Saulis non erat capta, & ma-
nebat in potestate Achis regis Geth, qui erat de regibus Phi-
listhinis, & cum persequente Saulo David ipse fugisset ad re-
gem Geth, dedit ei ciuitatem Siceleg, & habitabat ibi: vnde
ex hoc tempore pertinuit semper Siceleg ad reges venientes
de stirpe David, vt patet primo Regum 27. cap. Hanc vrbem
diripuerunt Amalechites succidentes igne, & diripiennes
omnia, atque captiuantes parulos, & feminas, qui erant in vrbem dum David non erat ibi. Cum autem venisset repe-
riens hæc persecutus est Amalechitas, & accebit omnia, quæ
abstulerant de vrbem occisis illis, vt patet primo Regum 30.
cap. In hac autem vrbem manebat David, cùm venit vir de
castris Israël, nuncians mortem Saul s, & Ionathæ, 2. Regum
1. cap. Et Bethmarachaboth. Ista ciuitas non habetur suprà deci-
moquinto in sorte Iuda: tamen intelligentum est ad illam
pertinere. Hasersua. Ista ciuitas differt à superiori Hasersua,
quia aliquando ponuntur in eadem sorte plures ciuitates
eiusdem hominis, sicut in sorte Iuda ponitur triplex Asor.
Et fortè al quis dicet, quod hic fit replicatio, sicut fit fre-
quenter in sacra Scriptura. Sed non stat, quia tunc non essent
hic tot vrbes, quot describuntur, scil. 13. Ideo dicendum, quod
sint duæ ciuitates eodē nomine dictæ. Bethlebaoth. Aliqui pu-
tant esse istam vrbem eam, quæ vocatur sup. 15. Lebaoth. Sed
non est, vt patet ex litera Hebraica. Sarohem. Istat ciuitatem
aliqui dicunt esse eam, quæ habetur sup. 12. vbi dicitur, quod
rex Semeron fuit unus de occisis, sed non est idem. Ciuitates
tredecim, & villa earum. Id est, ista 13. ciuitates pertinebant ad
sortem Simeon, & non solùm istæ, sed etiam aliæ quatuor, quæ
infrâ habentur, sed ponuntur sub diuersis summulis, quia e-
runt in diuersis partibus, vel regionibus, sicut ipsæ vrbes for-
tis Iuda, cuius erat pars quædam. Villæ istarum dicuntur esse rura quædam, quæ erant apud ciuitates istas, &
omnes termini earum.

*Ain, & Remnon. Ista duæ vrbes non erant multum famosa in sorte Simeon: erat tamen quidam locus in sorte Benia-
min, qui vocatur petra Remnon, vt patet Iudic. 20. sed non
est ciuitas aut oppidum, sed est quidam lapis magnus in so-
litudine vocatus Remnon, & sic est lapis magnus apud Ieru-
salem iuxta fontem Rogel, qui vocatur Zoelch, vt patet 3.
Regum 1. cap.*

*Et Athar. Ista ciuitas est, quæ habetur sup. 15. & vocat Ether. Et Asan. Ista ciuitas non habetur suprà 15. Sciendum tamen de omnibus vrbibus, quæ hic sunt, quod pertinet ad sortem Iuda, quamquam non videantur scriptæ, suprà 15. Quod patet, quia tribus Simeon accepit sortem in medio fortis Iuda, quia illa magna erat, vt patet hic. Quod tamen non sint ibi septem ciuitates, quæ habentur hic prouenit ex duobus, scilicet quia fortè non fuerunt descriptæ omnes vrbes curu-
libet fortis. Vel quia licet scriptæ fuerint, tamen nomina quarundam vrbium mutantur, ideo videntur esse aliae quamquam eadem sint. Et patet hoc, quia multæ vrbes sunt, quæ habent multa nomina, & Ierusalem, & Hebron, & Da-
bir, quarum quælibet multa nomina habet, & accedit in his ciuitatibus, vt aliquando vocetur ciuitas uno nomine, & ali-
quando alio, & sic fit perturbatio. Et istud secundum est ra-
tionabilius, quia cùm Scriptura in qualibet sorte denominet certum numerum vrbium, & in quibusdam ponat multis summulas, sicut in sorte Iuda, & in ista, & in præcedenti, valde esset supervacuum, si non determinarentur omnes vrbes cuiuslibet sortis. Dicetur ergo, quod in qualibet sorte so-
lum sunt tot vrbes, quot exprimuntur, sed nomina in eis inter-
terdum mutantur.*

*Omnes viculi cum circuitu vrbium istarum. Vocantur viculi, id est, parvi vici vel rura, quæ non sunt murata: nam omnia loca murata computantur nomine vrbium in sacra Scriptura, & isti viculi etiam perrinerunt ad sortem Simeon: hoc enim erat generale, quod cùm assignabatur vrbis alicui tribui, oœs termini illius tam agri quam syluæ, & loca parvula in ter-
ritorio talium vrbium pertinebant ad illam tribum. Fallit in Leuitis, quibus assignabantur vrbes solùm cum parvis sub-
urbanis in circuitu, scil. duorum milliū passuum ad pascenda pecora, vt patet Num. er 35. & suprà 14. Agri autem & rura,
quæ in territorio illius vrbis erat, cedebât in ius sojus illius,
in qua erat, sic fuit de vrbre Hebrœ, quæ data fuit Casab intra*

Beth-
mar-
cha-
both.
Haser-
sua.Beth-
baoth
& Sa-
rohem.
EAin.
Rénon.
Athar
Asan.

F

sortem

A

o. tunc Iudeæ, vt suprà 14. & 15. Iudic. & postea cùm de qualibet sorte darentur vrbes Leuitis, de tribu Iuda data est Hebron, & data est sola ciuitas. Agri autem, & omnes viculi manserunt in iure Caleb, ad quem primò pertinuerat ciuitas, vt patet infrà 21. cap.

D
posset capi Simeon in eo, in quo excedebat sors Iudeæ proportionalitatem ad alias tribus: sed est intelligendum, quod erat maior, id est, habebat magnam sortem, scilicet quæ sufficeret ei, & tribui Simeon proportionaliter ad sortes aliarum tribuum.

An tribus Iudea haberet dupl. sortem, scilicet vnam per sortem aliam per concessionem. Et an in hoc errauerit sors, vt Nicolaus ponit.

Quæstio II.

Vsque ad Balatrameth contra australem plagam. Ista ciuitas est terminus sortis Simeon exclusiæ, & est ad australem plagam, & pertinet ad sortem Iudeæ, quia est sors Simeon intra sortem Iudeæ, & non peruenit vsq; ad terminum australis plagæ terre Chanaan, sicut sors Iudeæ: nam idem est latus australis sortis Iudeæ, & totius terræ Chanaan, vt patet comparando loca, quæ habentur in latere meridiano terræ Chanaan, Num. 34. & loca quæ sunt in latere meridiano sortis Iudeæ, supr. 15. & reperientur eadem: quamquam alicubi plura ponantur. Vnde ciuitas Balatrameth existens in tribu Iuda est terminus meridianus totius sortis Simeon.

Tribus Simeon fuit minor a- lijs.

Hac est hereditas filiorum Simeon. Scilicet istæ vrbes superscriptæ sunt totum, quod possederunt filii Simeon. Erant enim filii Simeon pauci, nec fuit aliqua tribus tam paucæ multitudinis, sicut Simeon: immò nulla ferè fuit, quæ non esset quasi dupla in multitudine ad tribum Simeon, quia in ea fuerunt solum 22. millia virorum, & cœuenti: aliae autem tribus erant valde magna multitudinis, sicut tribus Iudeæ, quæ habuit septuaginta millia virorum, & quingentos, vt patet Numer. 26. Ideo huic tribui parua portio data est, quia iussit Deus: pluribus maiorem partem dabis, & pauciorib; minorem, ita duntaxat, vt sors terram tribubus, & familijs diuidat, vt patet eo. cap. Accidit autem maior diminutio in tribu Simeon in deserto quam in omnibus alijs tribubus: nam in prima computione, quæ facta est in deserto anno secundo ab exitu de Aegypto mense secundo eiusdem anni, Numer. 1. habuit tribus Simeon 59. millia trecentos, sed in secunda numeratione facta super Iordanem anno 40. ab exitu de Aegypto fuerunt solum 22. millia ducenti, Numer. 26. hoc autem dicunt fuisse, quia in Belsethim, quando fornicatus est Israel cum filiabus Moabitum, & Madianitarum, occisa sunt 24. millia virorum, vt patet Num. 25. & dicunt hos omnes, vel plurimum eorum partem fuisse de tribu Simeon. Et satis est probabile, quia princeps tribus ipsius fuit, quem transfudit Phinees gladio cocuntem cum Madianite, vt patet eodem capitulo: principem autem imitarentur alij, qui essent in tribu, siue vt complacerent, siue quia nullus eis hoc prohiberet, & sic facilius perirent plures de hac tribu, quam de cœteris.

C
Iuxta cognationes suas. Id est, filii Simeon possederunt totam terram istam iuxta cognationes suas, id est, diuisam per cognationes, id est, familias, scilicet, quod tot portions principales fieri debebant de ipsa possessione tribus, quod erant familie: etiam istæ sortes esse debebant proportionaliter ipsius familij, scilicet si una familia esset dupla, vel tripla ad alteram, ita portions eis datae se haberent sub hac proportionalitate: fuit autem diuisa sors Simeon in partes quinque, quia erant quinque familie, vt patet Numeri 26.

In funiculo, & possessione filiorum Iudeæ. Id est, fuit sors Simeon assignata intra possessionem filiorum Iudeæ. Hoc fuit speciale in sorte Simeon, nulla enim alia tribus, fuit quæ in possessione alterius reciperet sortem, hic autem factum est, quia erat magna sors Iudeæ, vt patet immediate, & dicitur in funiculo, & possessione, quia ista idem sunt: sed vocatur possessio ipsa terra quæ possidetur: funiculus autem vocatur, quia tota terra diuidebatur funiculo, vt certa eius comprehendetur quætitas, & reduceretur ad proportionalitatem inter tribus, & sic dicitur suprà decimo septimo, quod dimidia tribus Manasse accepit decem funiculos præter terram Galaad, & Basan, id est, decem mensuras funicularum.

Funi- culus quid.

Quia maior erat. Id est, quia erat maior hereditas Iudeæ, quam esse debebat. Posset intelligi aliter, scilicet, quod maior erat, id est, quia Iudas erat maior Simeon. Sed non stat conuenienter, quia tunc etiam Benjamin accepisset possessionem in termino Iudeæ, & quilibet alia tribus, quia nulla erat tribus equalis in multitudine, nec in magnitudine possessionis ipsi tribui Iudeæ, sed ad primum sensum redeundum est. Sed adhuc non sequitur totaliter ex hoc, quia dato, quod sors Iudeæ esset maior, quam esse deberet: tamē nō sequitur, quod

C
IRC A hoc dicit Nicolaus, quod sicut volūt omnes expositores, tribus Iudeæ habebat dupl. sortem, scilicet vnam per sortem aliam per concessionem. Et an in hoc errauerit sors, vt Nicolaus ponit.

E
Item dicitur hic, quod ista est possessio Simeon in funiculo, & possessione Iudeæ: funiculus tamen dicit sortem, cùm ponat commensurationem, quæ siebat per funiculos ad æquandum sortes, vt dictum fuit: ergo de sorte Iudeæ aliquid recepit Simeon.

Item non potest hoc stare, quia tota terra erat dividenda in sortes, ergo id quod habebat Iudas ex superabundātia necessitatis erat, quod pertineret ad sortem suam, vel refaret adhuc diuidendum alijs tribubus. Si secundo modo non poterat dici, quod daretur Simeoni aliquid de terra Iudeæ, quia illa terra, cùm non diuisa esset ad nullum specialiter pertinebat. Si primo modo habetur intentum, scilicet quod pertineret ad sortem Iudeæ, nec poterat tradi alicui tribui maior quantitas quam proportionaliter ei conueniret, quia præjudicarietur in hoc cœteris tribubus, cùm Deus iusserat omnibus diuidi terram, pluribus dando maiorem partem, & paucioribus minorem, Numer. 26. cap.

F
Item si fuerat ista terra data tribui Iudeæ ex concessione, quia bellicosa erat, vt expelleret inde hostes, semper mansisset apud eam, vel saltem magno tempore: sed immediate data est tribui Simeon, quia paucum tempore post factam sortem Iudeæ fuerunt factæ sortes septem, quæ habentur hic, & præced. c. ergo non erat data ad hoc, quia tunc aut cessisset simpliciter in ius sortis Iudeæ, si cepisset eam de manu hostium, aut expectaretur aliquantum tempus, quoque videretur, an tribus Iudeæ potens esset ad expellendum inde hostes: sed non factum est, ergo nō pertinebant ciuitates istæ ad Iudam ex hac parte, sed ex iure sortis.

Sciendum autem, quod Nicol. & quidam alij ponunt istam distinctionem, ne cogantur ponere errauisse sortem. Patet consequentia, si enim dicamus totam istam terram prouenire tribui Iudeæ ex sorte, cùm postea decisamente fuerit pars eius, & data tribui Simeon per sortem, videtur quod aliqua harum sortium errauerit, cùm fuerint ad opposita, quod videtur inconveniens, quia sortes ponebantur iussu Dei, Numeri 26. vbi dixit, quod nulla terra diuidetur tribubus, aut familijs sine sorte, & ponebantur cum solenitate coram Domino intra sanctuarium, vt patet præced. cap. si tamen errare possent, sicut sortes communes diuisoriae, frustra essent, & Deus illas districte obseruari nō iussisset, cùm nullum supervacuum iubeat.

Dicendum autem, quod necesse est, vt suprà inducebatur ponere istam partem datum tribui Simeon fuisse de sorte Iudeæ, & pertinuisse olim ad Iudam per sortem, sicut in possessionibus cœterarum tribuum. Et cùm putat sequi errorem sortis, non tenet: nam Deus iussit, vt prius diuidentur partes proportionales de terra singulis tribubus, & deinde ponentur sortes, atque tunc cuique proueniret, quod sibi proportionale erat, vt colligit Numer. 26. c. ex verbis Dei, scilicet pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem. Sed hoc non potest

A potest stare, nisi separarentur a iuxta partes proportionales singulis tribibus, & postea dicuntur: ita duntaxat, ut sors terram tribibus, & familiis diuidat, ergo super partes proportionales diuisas ponebantur sortes, & tunc est necessarium dicendum, quod sortes veniebant super illas partes, quæ à diuisoribus assignatae fuerant. Verbi gratia erant septem tribus inæquales habentes se ut duplum, vel subduplum, vel sexqui-alterum, & sic de alijs modis, ita terra diuisa est in septem partes inæquales proportionales secundum eandem proportionallitatem, quam habebant inter se tribus, & tunc necesse est quod à diuisoribus essent iste portiones assignatae ceteris tribibus, quamquam nondum darentur eis, scilicet cum separaretur duæ partes de terra, quarum una ita se haberet ad aliam sicut tribus Zabulon ad tribum Nephthali, & non essent aliqua alia tribus, quæ in tali proportione se haberet, necesse erat, quod vna portio illarum esset assignata pro tribu Zabulon, & alia pro tribu Nephthali, & huiusmodi erat de ceteris tribibus. Postea vero cum ponebant sortes, proueniebant certissimum, scilicet quod illa portio, quam prius assignauerant diuisores alicui tribui quando diuidebant illa, postea eveniret ei, & hoc quia sortes mouebantur a Deo, cum ipse iussisset ponere sortes, & si non prouenirent sic, sequebatur valde magnus error, & sortes essent magis nocivæ quam viles, sed Deus illas ponit iubebat, ergo sic proueniebat. Et cum dicitur, quod errauerit sors in tribu Iudea, dicendum est, quod non errauerit, sed fuit error in ipsis diuisoribus: nam ipsi accepti erant pro parte Iudea partem de terra proportionalem, & in comparatione ad alias tribus, & accepta est terra maioris quantitatis, tunc posita est sors, eo modo quo declaratum est supra decimoquinto, & exiuit sors Iudea. Nam hoc dato necesse erat errare sortem, nam aut illa portio terra proueniret per sortem tribui Iudea, aut alicui alteri, si tribui Iudea erat error, quia erat supra proportionem: si autem alteri tribui, esset maior error, quia nulla tribus erat tanta sicut tribus Iudea, ergo ei prouenire debuit. Iste autem error sortis non veniebat ex ipsa, sed ex diuisoribus, ideo postea diuisoribus corrigentibus errorem suum sors recte distribuit, & hoc postquam Iudas, Manasse, & Ephraim suscepereant possessiones, fecit Iosue, ut diuideretur terra residua, & assignarentur sortes septem tribibus, quæ possessionem nondum suscepserant, & quod tota terra, quæ fuerat iam assignata in sortes, & ea, quæ nondum fuerat diuisa æquarentur secundum proportionem inter tribus, quæ acceperant sortes, & quæ non acceperant, & sic tota terra de novo lustrata est, qualiter de novo deberet diuidi, ut si reperiaretur aliquid maius proportione demeretur de illo aliqua pars, & daretur septem tribus, quæ nondum acceperant sortes cum terra, quæ nondum diuisa erat, & si aliquid minus proportione reperirent, illi adderent aliquid de terra, quæ nondum diuisa fuerat, ut magis præcedenti cap. declaratum est, & tunc diuisa tota terra Chanaan nouem tribibus & dimidiae inuentum est sortem Iudea habere aliquid supra proportionem, & illud fuit copulatum terræ nondum diuisæ. Et quia tantum illud erat, ut ex eo posset constitui proportionaliter sors tribui Simeon, data est illa particula Simeoni intra sortem Iudea, & tunc fuerunt posita sortes, cui proueniret particula illa, & prouenit Simeoni: ista autem portio terra quamquam esset intra sortem Iudea, quia tamen data fuit Simeoni, nunquam amplius pertinuit ad sortem Iudea.

B Idcirco possederunt filii Simeon in medio hereditatis eorum. Id est, ex causa assignata filii Simeon possederunt, id est, acceperunt possessionem in medio filiorum Iudea, scilicet in terra, quæ est in medio sortis Iudea: & accipitur hic medium per interpositionem, & non secundum æquidistantiam, quia non erat ista particula sortis Simeon totaliter in medio sortis Iudea, sed erat inter alias partes sortis Iudea, cum fuisse quondam eius particula.

C Cecidit ergo sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas. & factus est terminus possessionis eorum usque Sarid. Ascendit ergo de mari & Merala, & peruenit in Debbaeth usque ad torrentem, qui est contra Iecnam. Et reuertitur de Sarid contra Orientem in finem Ceseleth Thabor, & egreditur ad Dabereth, ascendit ergo

D contra Iaphet, & inde pertransit usque ad orientalem plagam Gethsemer, & Tachasim, & egreditur in Remon, Ambar, & Noa, & circuit ad Aquilonem Hanathon suntque egressus eius vallis Iephatahel, & Careth, & Naalon, & Semron, & Ierala, & Bethlehem: ciuitates duodecim, & villa earum. Hac est hereditas tribus filiorum Zabulon per cognationes suas, urbes & viculi earum. Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas. Fuit ergo eius hereditas Iezrahel, & Casaloth, & summie, & Hayharaim, & Seon, & Anaarath, & Rabaoth, & Ceson, Abes, & Rameth, & Engannim, & En-hadda, & Bethpheses. Et peruenit terminus eius usque Tabor, & Sehesina, & Bethsames: eruntque exitus eius Iordanis: ciuitates sexdecim, & villa earum. Hac est possessio filiorum Issachar per cognationes suas, urbes, & viculi earum.

E Cecidit ergo sors. Hic ponitur secundum, scilicet sors filiorum Zabulon: in ista forte non obseruat penitus, quod obseruatum est in sorte Iudea, & in sorte Benjamin: nam ibi primò describantur latera claudentia sortem, postea ponabantur nominativi summa ciuitatum, quæ erant in sorte illa, sed hic partim ponuntur termini, & partim describuntur ciuitates: in sorte autem proposita Simeon solùm fuerunt enarratae urbes, quia ista sors erat totaliter intra sortem Iudea: ideo satis sic cognosci poterant termini sortis.

F Cecidit sors tertia filiorum Zabulon. Ista sors dicitur cecidisse, id est, prouenisse, & poterat accipi hic sors pro ipsa terra diuisa per sortem, vel pro ipsa cedula, in qua erat descripta sors quam habuit Zabulon: & fuit ista sors tertia, quia tertio loco tribus Zabulon eduxit sortem de inuolucro cedularum. In hoc autem non obseruat Scriptura penitus honoris vel dignitatis ordinem, quia debebat præcedere Issachar: nam erant Issachar, & Zabulon filii eiusdem patris & matris, sed excedebat Issachar prioritatem natiuitatis, vt patet Genes.30.cap. præcessit tamen Zabulon, sic etiam in filiis ancillarum non est prorsus obseruatus ordo dignitatis, vt infra patebit.

G Per cognationes suas. Id est, per familias, quæ sunt maiores cognationes infra tribum: aliae autem sunt minores, ut domus, per quas diuiduntur familiæ, & dicitur per cognationes, quia diuisa est tota terra ista per familias tribus Zabulon: erat enim familia tres in hac tribu, ideo fuit diuisa terra in partes tres primas, deinde quælibet illarum in tot portiones, quot erant domus in familia: deinde quælibet domus in viros, vel capita, quæ est diuisio per economias.

H Et factus est terminus possessionis eorum usque Sarid. In ipsis sortibus, quæ ponuntur hic, non possunt describi figuræ, vel assignari termini sub certitudine, quia non denominantur latera eorum, sicut fuit in sorte Iudea, & Benjamin, sed nominantur ciuitates solùm, & si aliquando ponantur ciuitates in lateribus, non designantur latera illa, quæ sint, scilicet ad meridiem, vel ad aquilonem orientem, aut occidentem. Sciendum autem, quod hic est quedam permixtio, nam licet scriptura non distinguat inter nomina hic posita, tamen quedam sunt nomina ciuitatum ipsius sortis, & alia sunt nomina terminorum sortis, & licet illi termini sint ciuitates, tamen non pertinent ad hanc sortem. Et patet hoc, quia hic solùm sunt ciuitates 12, ut patet infra in summula, & tamē cōputatis omnibus non minoribus hic positis sunt plures quam 12. urbes. De ista prima scilicet Sarid, an sit urbs, vel mons, aut aliqua solitudo, non patet. Et dato quod sit urbs non patet, an sit in sorte Zabulon, vel in alia sorte: nec etiam appetit contra quam partem sit ista ciuitas, sed satis videtur, quod sit contra occidentem, scilicet versus mare, & terminatur ibi sors haec.

I Ascendit ergo a mari. Istud est extēdi à parte occidentali versus orientem: nam mare magnum, quod est mediterraneum est extremitas occidentalis terræ Chanaan, Nume.34. & de hoc mari intelligitur, cum ponatur mare absolute sine aliqua connotatione: alia autem erant maria in terra Chanaan, sed non vocabantur maria absolute, sed cum connotatione, ut mare Genesareth, mare solitudinis sive Sodomorum, quæ sunt magna stagna, de quibus dictum est supra duodecimo.

A

Sed aliquis dicet intelligi hoc de mari Cenereth, quod vocatur aliter mare Genesareth, vel mare Galileæ, & istud tangit sortem tribus Zabulon: nam Nephthali, & Zabulon sunt apud mare Galileæ, vt patet Isa.9.cap. scil. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & Nephthali, nouissimè aggrauata est via maris trans Iordanem Galileæ gentium populus, qui ambulabat in tenebris &c. Et hoc magis manifestatur Matth.4. scil. quod terminus Zabulon, & Nephthali sunt apud mare Galileæ, cùm dicitur: Secessit Iesus in Galileam, & relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum in finibus Zabulon, & Nephthali, vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: terra Zabulon, & Nephthalim, & via maris trans Iordanem Galileæ &c. Sed nō stat, quia quamquà extremitas quædam sortis Zabulon sit apud mare Galileæ: tamen non vocaretur illud mare absolute, sed mare Galileæ, vel Genesareth, aut Cenereth: vocatur tamen mare absolute.

Item quia tribus Zabulon est pro magna parte coniuicta mari mediterraneo occidentali. Quod patet Gen.49. in benedictione Iacob, scil. Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium pertingens usque ad Sidonem: sed statio nauium non erat in mari Galileæ, quod erat paruum mare, scil. quoddam stagnum, & non poterat perueniri per illud ad gentes alias longinquas, pro quo naues fabricantur, sed solum erant ibi puppes pescatoria, vel parua naues ad exportandum quid faciliter de uno loco vicino ad alterum.

Item quia dicitur pertingens usque ad Sidonem, tamen Sidon in extremitate lateris occidentalis est, & etiam ciuitas Tyrus, cùm dicatur esse in maritima: ergo ad mare istud occidentale pertingebat tribus Zabulon, & sic duo latera Zabulon rangebant maria, scil. latus occidentale rangebat mare mediterraneum: mare autem Galileæ in extremitate orientali erat: nam illud est mare Cenereth, quod ponitur in late re orientali totius terræ Chanaan, vt patet Num.34.c. hic autem solum intelligitur de mari occidentali, quod erat in late re occiduo terræ Chanaan. Et Medaba. Ponitur Medaba in ablativo, scil. quod à mari, & à loco Medaba ascendit ista fors versus torrentem, de quo infra dicitur.

Sciendum tamen quod non accipitur hic Medaba pro loco quodam, qui est in terra duorum regum Amorrhæorum, & sunt ibi duæ tribus, & dimidia: nam in sorte tribus Ruben cecidit Medaba, vt patet supra 13.cap. & fuit ista ciuitas de illis, quæ olim pertinuerant ad regem Moab, & postea rex Sehon bello cepit eas de manu Moabitum, vt patet Numeri 21.cap. ista enim Medaba est occidentalis, scil. apud mare mediterraneum, & illa quæ est in sorte Ruben est in parte orientali.

Item quia istæ sunt diuersæ tribus, & eandem urbem in diuersis tribubus esse est impossibile: multoties tamen sunt multæ urbes, quæ vocantur eodem nomine, vt ex præpositis satis patet, vt Asor, & Aphec, & Bethlehem.

Et peruenit in Debbaeth. Hoc est eundo ad Occidente contra Orientem, licet aliquando latera flectatur. An vero Debbaeth sit ciuitas, vel mons an alterius rei nomen non constat: non enim potest constare ex summa ciuitatum, sicut in quibusdam alijs tribubus, quia hic ponuntur plura nomina, quæ sunt ciuitates huius sortis, vt patet ex summula, in qua solum sunt ciuitates 12.

Vsi ad torrentem, qui est contra Ieronam. Etiam istud est procedendo contra Orientem continuato eodem latere, & sunt ista loca velut in medio lateris. Videtur Ieronam esse nomen alicuius urbis, & non est illa in latere sortis Zabulon, sed torrens qui est ex opposito illius, est in latere sortis: an vero ciuitas ista sit in sorte tribus huius, vel non, patet non potest. Denominatur autem torrens à ciuitate illa, quia torrens per se non habet notificationem magnam: urbs autem est multum nota, & cognitio semper fit per notiora tanquam per principia.

Reuertiturq; de Sarid contra Orientem. Hic describitur aliud latus sortis huius versus Orientem, & sic precedens latus contra Orientem describebatur, velut si quis vellet describere duo latera alicuius sortis, scil. meridianum, & aquilonare, & ambo inciperet describere ab Occidente versus Orientem. Quod autem precedens inciperet ab Occidente versus Orientem patet, quia incepit à mari mediterraneo quod est occi-

D

pentale totius terræ Chanaan, vt patet ex prædictis. Etiam istud tendit versus Orientem, vt patet in litera: ideo necesse est, vt hic describantur duo latera, scil. meridianum, & aquilonare incipiendo in utroque ab Occidente, in uno à mari, & in alio à Sarid, quod est iuxta mare, cùm suprà ponantur ista duo tanquam simul.

In fines Celestib; Tabor. Litera nostra videtur ponere ista tanquam unum nomen, sed in Hebreo ponitur tanquam duo, & ibi magis patet veritas horum: nam Latini librarij ex ignorantia ista confuderunt. Videtur ergo quod sint duo nomina, scil. quod Celestib; sit unum nomen, & Tabor sit aliud: nam in sequenti sorte ponitur Tabor tanquam unum nomen. Et dicendū, quod Celestib; sit nomen urbis, & Tabor sit nomen montis, & iste est mons, in quo Christus coram discipulis suis transfiguratus est. Urbs autem Celestib; est apud Tabor, ideo denominatur ab illo. Sic fit supra 12. vbi ponuntur reges, qui occisi sunt tempore Iosue, & non ponuntur nominare regum ipsorum, sed nomina urbiū, & rex unus est lachanum Charmeli, id est, rex urbis Iachanem, quæ est apud Charmelum. Et satis est hoc rationabiliter dictum, quia mōs Tabor est quatuor milliaris distans ab urbe Nazareth, & hoc contra Orientem, vt patet in libr. de diuisione terræ Sanctæ, & Nazareth est in terra Galileæ, quæ est in finibus Zabulon, & Nephthalim, & sic satis poterit ponit Tabor in aliquo latere sortis Zabulon.

Et egreditur ad Dabereth. Istud est nomen urbis, & dicitur egressio quando latus sortis alicuius acutè subintrat partem alterius sortis, & sic fit apud urbem Dabereth.

Ascenditq; contra Iaphie. Hic ponitur istud tanquam nomen ciuitatis, & tamen alibi est nomen regis, vt patet supra 10. vbi fuit rex Lachis Iaphie unus de quinque regibus pugnatibus contra Gabaon, & postea suspensis à Iosue. Dicitur ascensus quia forte tendendo hic ab Occidente versus Orientem est ascensus. Vel quia Iaphie est in loco excelsi, & Dabereth est in loco humiliori.

Et inde transit ad orientalem plagam Gethsefer. Id est, transit terminus quoque perueniat ad orientalem plagam urbis, quæ dicitur Gethsefer. Litera nostra ponit istud tanquam unum nomen, sed in Hebreo sunt tanquam duo nomina, ita vt Geth sit unum nomen, & Epher sit aliud, & ponantur tanquam duæ ciuitates. Et ista ciuitas Geth est alia ab illa, quæ ponitur una de quinque ciuitatibus principalibus terræ Philistinorum, vt patet 1. Reg. 6.nā ista erat in forte Iude, cùm tota terra Philistinorum pertineat ad sortem Iude. Nam terminus aquilonaris terra Philistinorum est in ciuitate Acharon, vt patet sup. 13. & tamen ponitur Acharon in forte Iude, vt patet supra 15. ergo Geth est in terra Iude: sed ista ciuitas est in forte Zabulon, quæ inde distat cùm attingat usque ad Sidonem, Gen.49. & tamen Sidon est in latere septentrionali ferè terræ Chanaan, vt colligitur Gen.10. est autem ista ciuitas Geth parua, & in hac sepultus fuit Ionas Propheta, vt ait Hieron. in quadam prologo super Ionam.

Et Tachasim. Ita est alia ciuitas, quæ est versus Orientem in terra sortis Zabulon. Et egreditur in Remmon. Ciuitas est in forte Zabulon, & nō est ista quæ ponit supra in forte Simeon: quamquam posset aliquid dicere, quod Remmon sit ciuitas in extremitate sortis Simeon, tunc poterit esse in lateribus duarum sortium. Sicut patet de ciuitatibus, quæ erant in lateribus sortis Iude, & ponuntur eadem in latere sortis Ephraim, vt patet comparando ea, quæ habentur supra decimoquinto, ad ea, quæ habentur præcedens. cap. Sed non stat, quia fors Simeon nō est apud sortem Zabulon: est enim Zabulon multum septentrionalis, & Simeon est in forte Iude, vt patet sup. & ista est maximè meridiana, vt patet supr. 15. c. & non est ista qua denominatur petra Remmō, de qua Iud. 20. c. est aut ista in forte Beniamin, vt colligit ibidem cum pugnantibus omnibus Israelitis cōtra filios Beniamin, residui ipsorum ex bello fugerent ad petram Remmō, vt patet ibid. Si tamen esse locus iste, in aliqua alia forte, non cōfugissent illuc: sed sunt multæ ciuitates dictæ Remmon: nam sicut cōtingit eandem ciuitatem multa habere nomina, ita cōtingit uno nomine appellari multas urbes, sicut appellantur multi viri.

Antheir, & Noa. Ista sunt noīa urbiū sortis Zabulon, & non ponunt omnes in lateribus sortis, sed quedā, & positis quibusdā subdūnt alia, quæ non pertinent ad tribus ipsius latus.

D

E
Dabe-
reh.Ionas
Præ-
ha-
re se-
pus est
in Geth
parua
Remmon
quid.

F

Situs
sortis
Zabu-
lon.

C

Latus
sortis
Zabu-
lon.

Ec

A

Et circuit ad aquilonem. Hic sit inclinatio lateris sortis huius: nam cum precedat ab Occidente versus Orientem, inclinatur latus eius aquilonare multum contra aquilonem, quasi subiugando parte fortis alterius, & ibi est circuire contra aquilonem. Nam circuire est cum linea describens latus sortis non tendit recte, sed curuatur ad alterutram partium in modum circuli. Et non dicitur circuire contra Aquilonem, id est, tendere de alio latere ad aquilonare, ut de occidentali, vel de orientali, sed in ipsomet latere septentrionali fit circuitus declinando magis ad septentrionem.

Situs
Nathō.

Et Nathō. Ista ciuitas est in parte illa aquilonari, versus quam declinat latus sortis Zabulon contra aquilonem.

Sunt 3 exitus eius, id est, fines vel extremitates. Et hoc videatur esse contra Orientem, quia ista duo latera supra designata tendebant à parte occidentali contra orientalem.

Vallis Nephthael. In ista valle terminat sors Zabulon à parte orientali, & ponuntur hic multæ ciuitates, quia istæ erant in illo exitu, vel fine sortis Zabulon. In Hebreo dicitur vallis.

Filios Nephthael, id est, quod etiam teneatur sors ista apud filios Nephthael: sed litera nostra est magis propria, quia non terminatur sors ista ad aliquos viros, sed ad locū, in quo habitabant isti viri, scilicet ad vallem Nephthael, id est, in qua morabantur filii Nephthael. Et hoc idem attendit litera Hebraica: licet interdum non perfectè exprimit, quod intendit propter barbariem sermonis.

B

Et Cætēth. Ista ciuitas etiam est in parte orientali sortis Zabulon, ubi est exitus eius. *Et Balal.* Ista ciuitas vocatur in Hebreo Nathalal: sic enim fit in multis nominib⁹ Hebrais, quæ cùm scribuntur apud nos non manent syllabæ in eodem ordine, ut nos dicimus Manaim, ut patet Gen. 32. & supra 13. & in Hebreo vocatur Mathanaim. *Et Semron.* Aliqui putabant istam esse ciuitatem, quæ vocata est postea Samaria, quæ in Hebreo videtur esse tale nomen pro Samaria. Sed non est: sat enim appareret differētia. Ista ciuitas quidem fuit antequam Israelitæ introirent in terram Chanaan: Samaria tamen facta est post diuisionem regni Israel: nam quidam de posteris Ieroboam fecit illam in monte Somer, ut patet 3. Reg. 16. Est autem ista ciuitas, de qua vocatus est unus de regibus à rege Iabin ad pugnandum contra Israelitas apud aquas Meron, ut patet supra 11. cap. etiam de ista vrbe fuit unus de regibus occisis tempore Iosue, ut patet supra 12.

C

Et Iedula. Alia ciuitas est ista orientalis in forte Zabulon. *Et Bethlehem.* Non est ista Bethlehem, quæ ponitur in forte Iudea, de qua dicitur Micheæ 4. Et tu Bethlehem Ephrata nequaquam minima es in millibus Iudea. De hac autem fuit Saluator, scilicet quod natus est in Bethlehem Iudea, ut patet Matth. 2. etiam Ioseph, qui putabatur pater Christi erat de vrbe hac: ideo quando exiit edictum à Cesare Augusto, ut describeretur vniuersus orbis, & veniebat quilibet in ciuitatem suam ad profundum subiectionem Romanorum, venit Ioseph in Bethlehem Iudea, ut patet Luca 2. & ibi natus est Saluator tunc. Ad vrbeam autem Zabulon non pertinebat ipse.

Ciuitates 12. & ville earum, id est, omnes ciuitates pertinentes ad sortem Zabulon erant 12. & nominatae sunt hic. Non tamen sunt ciuitates omnes nominatae hic, quia multo plures sunt, & dato quod essent omnes ciuitates non pertinent omnes ad sortem Zabulon, quia forte aliquæ erant in lateribus, quæ pertinebant ad alias tribus. Dicitur hic de villis, id est, ruribus non muratis, & de agris, quia omnia, quæ erant in territorijs vrbium harum pertinebant ad ipsas vrbes. Scendum tamen, quod alias vrbes erant in forte Zabulon præter nominatas hic, quia infra 21. vbi ponitur, quæ vrbes prouenerint Leuitis de forte Zabulon ponuntur quatuor, scilicet Ieronam, Cartha, Damna, & Naol, & nulla earum videtur scripta hic, ergo dicendum est, quod erant plures vrbes in forte Zabulon. Vel quod alias erant hic, quæ alia nomina habebant, ideo alibi habebant alia nomina. Et istud secundum estrationabilius, ut declaratum fuit supra.

Hac est hereditas tribus filiorum Zabulon, id est, suprapositæ pertinent ad hereditatem filiorum Zabulon, quia nihil aliud possederunt. *Per cognationes suas i. distributa* fuit ista hereditas per cognationes, id est, familias tribus Zabulon, ut supra declaratum est. *Vrbes & viculæ earum,* id est, totum quod erat in terra, supra designata pertinebat ad sortem Zabulon, siue

vrbes, siue rura, siue agri, & hoc est ad differētiam sacerdotum, & Luitarum, qui quando suscipiebāt aliquam vibem solū recipiebant eam cum suburbanis, agros autem & rura, ceterosque terminos non recipiebant, ut patet Nume. 35 & supra 14. & infra 21.

Issachar egressa est. Hic ponitur tertia pars huius cap. in qua describuntur ciuitates filiorum Issachar, & termini eius, & non ponuntur hic distincti primi termini, & postea vrbes, sed miscentur ambo, sicut factum est in forte præced.

Sors quarta. Dicitur egressa sors, quia istæ fortes erant quædam parua schedulæ positæ in inuolucro, & missa ibi manu educebat quælibet tribus schedulam, quæ designabat possessionem suā: egressa autem fuit sors Issachar, id est, exiuit de inuolucro illo, & fuit 4. sors, id est, quarto loco educta, quia prius miserunt manus tribus Benjamin, Simeon, & Zabulon: deinde Issachar, præcessit autem Issachar ceteros, qui sequuntur, quia omnes illi pertinent ad filios ancillarum, vel famularum, scilicet Ascer, Nephthali, & Dan, Zabulon autem erat filius Liæ, ut patet Gen. 30. cap.

Per cognationes suas. Id est, quæ diuisa est postea per cognationes, scilicet per familias. Nam antea cum missa sunt fortes in vnam, vel in uolucrum, non ponebantur distinctè fortes, vel possessionum partes pro familiis, sed solū pro tribubus, cum solū fuerint positæ septem fortes, sed postea cum prouenirent possessiones istæ specialiter aliquibus diuidabantur per familias in fortes iuxta numerum familiarum ipsarum. Vel dicitur per cognationes suas, ista sors egressa est pro tribu Issachar, & pro omnibus familiis suis, vel cognationibus, scilicet quod siue multæ siue paucæ familiæ essent huius tribus, non erat sors tribus ipsius augenda.

Fuit 4. eius hereditas Iezrael. Hic ponuntur ciuitates sortis huius, & una ponitur esse Iezrael. Ista ciuitas ponitur in tribus sortibus, non quidem quod eadem ciuitas sit in diuersis sortibus, sed quod sunt plures ciuitates eiusdem nominis, & vocantur omnes Iezrael: una est enim in forte Iudea, ut patet supra 15. secunda est in forte Manasse, ut patet supra 17. & alia est in tribu Issachar, de qua hic.

Descri-
ptio ur-
bium
fortis
issa-
char.*An multæ ciuitates Iezrael nominatae fuerint.*

Quæstio III.

SE dicet aliquis, quod non est necesse ponit tot vrbes Iezrael, quia potest esse, quod vrbis illa, quæ est in una tribu, tanquam ciuitas eiusdem ponatur in alia tanquam terminus, sicut ponitur Bethagla, & Betharaba tanquam termini in forte Iudea, & forte Benjamin, ut patet supra 15. præcedenti cap. & Bethel, atque Iericho ponuntur tanquam termini tam in forte Benjamin, quam in forte Ephraim, ut patet supra 16. & præced. cap. tamen quælibet harum ciuitatum est solū in una tribu.

Aliquis forte respondebit non stare, quia hoc continget, si essent coniunctæ fortes istæ, sed non sunt. Falsum tamen est, quia coniunguntur fors Issachar, & fors Ephraim, atque Manasse in parte orientali, ut patet præced. cap. & ibi coniungitur cum eis terra Iudea.

Respondendum tamen est, quod istæ vrbes Iezrael sunt tres necessariæ, & una earum sit in forte Iudea, & alia in Manasse, & alia in Issachar, & hoc quia in omnibus his locis comitantur tanquam ciuitates sortium. Nam supra decimoquinto in forte Iudea ponuntur multæ ciuitates, de quibus est una Iezrael, alioquin non staret summa quædam, quæ ibi ponitur. Etiam in forte Manasse ponitur tanquam una de ciuitatibus, & non in terminis sortis ipsius. Item hic in forte Issachar ponitur Iezrael tanquam prima de ciuitatibus: ergo non potest ponit tanquam una ciuitas, quæ sit in una tribu: est tamen in terminis omniū tribuum, sed sunt tres vrbes.

Et Casaloth. Alia ciuitas vocatur Cabseel, quæ est prima in ciuitatibus Iudea, supra 15. & differt ab ista cum sint in duabus sortibus.

Et Sunem. Non benè scribitur apud nos, quia debet scribi Sunam: ista enim est ciuitas, ad quam venit Eliseus, & manebat apud virum quendam, & hospites sui fecerunt ei coenaculum. Postea mortuum filium viri huius suscitauit Eliseus

Iezrael
quid.

F

Sunem
quid.

A 4.Reg.4. vbi dicitur, quod venit Eliseus in Sunam, & postea vocauit mulierem illam apud quam hospitabatur Sunamitem. Hoc patet ex Hebreo, vbi taliter scribitur ciuitas ista sicut illa, & sic dicendum, quod mulier illa erat de tribu Issachar. Etiam dicendum, quod de hac vrbe erat puella illa nomine Abisac, quam serui David quæsierunt ei, cum iam senex esset, vt dormiret in sinu eius, quia cum operiretur pannis non calefiebat, 3.Reg.1.c. & dicitur ibi, quod quæsierunt Abisac Sunamitem. Et Apharaim. Ista ciuitas non est multum famosa in sorte Issachar. Et Seon. Aliqui existimant istam esse, quæ habetur supra 12.cap. & vocatur Saron, de qua fuit unus de regibus occisis tempore Iosue, sed non est: differt enim tam secundum Hebraicam, quam secundum literam nostram: nam in Hebreo vocatur Lasaron, vt patet ibidem: apud nos autem vocatur Saro, vt patet in eadem litera: ista autem vocatur Seon, & in Hebreo vocatur ista Sion: quamquam non habeat in principio eandem literam quam habet mons Sion. Et Anaharath. Ista differt ab illa ciuitate, quæ habetur in sorte filiorum Ioseph, quæ vocatur Naaratha, quamquam forte non esset valde irrationaliter dici esse eandem ciuitatem, cum iste sortes simul sint, quia fors Issachar tangit sortem Manasse, & Ephraim, in parte Orientali, vt patet supra 17.c. & tunc ponetur Naarath in sorte Issachar in terminis illius, & diuidet Issachar à sorte Manasse, & Ephraim: sed solum erit in sorte Issachar. Et Rabbath, & Ceson. Secunda istarum fuit postea data Leuitis, quando de qualibet sorte data sunt aliqua ciuitates, vt patet infra 21.cap. Abes. Ista differt à ciuitate, quæ est in sorte Simeon: & vocatur Asem, & à ciuitate quæ est in sorte Iudea, & vocatur Esem, de quo supra in litera, & supra 25. Et Rameh. Ista differt à ciuitate quadam sortis Iudea, quæ dicitur Balatrameth, & est latus Meridianum sortis Simeon, vt patet supra in litera. Engannim. Alia ponitur supra decimoquinto, in sorte Iudea, quæ vocatur Engannim, sed differt ab ista, cum sint in duabus sortibus: ista ciuitas est una de quatuor quæ data sunt Leuitis de sorte hac, vt patet infra 21.ca. Et Endor. Ista ciuitas differt ab illa, quæ vocatur Endor, & ista est, in qua erat Phitonissa, ad quam iuit ad consulendum Saul, 1.Regum.28. & ponitur vrbs illa in forte dimidiæ tribus Manasse, vt patet supra 17.cap. Et Bethphases. Ista est ciuitas alia non multum celebris in sorte Issachar. Et peruenit terminus eius usque ad Tabor. Tabor nomen montis est, in quo Christus transfiguratus est, vt patet Matth.17.c & ponitur in forte Zabulon in extremitate quatuor milliarum ultra Nazareth ad orientalem partem, & in hac parte coniungitur fors Issachar sorti Zabulon. Nam Issachar est in parte Orientali per transuersum, & coniungitur sorti Zabulon ex una parte, & potest tangere illam apud montem Tabor. Hic tamen magis videtur ponni Tabor pro ciuitate quam pro monte, quia dicitur infra, quod sunt in hac forte ciuitates 16. & tamen si non ponatur Tabor tanquam una ciuitas, non erunt 16. sed solum 15. Et Sehefima. Aliqui putant esse istam ciuitatem, de qua dicitur in Psal.59.s. partibor Siccimam, & conuallem tabernaculorum dimetiar. Sed non est eadē, quia Siccima, vel Sichima accipit pro Sichem: sicut Ierosolyma accipitur pro Ierusalem, & illa est in sorte Ephraim. Et Bethseimes, id est, interpretatur domus solis. Et dicit Nicolaus, quod forte hoc siebat, quia colebatur ibi Sol. Alia ciuitas est in forte Iudea, quæ vocatur Bethseimes, vt patet sup.15. sed differunt iste due cum sint in duabus sortibus, & frequenter multæ vrbes eodem nomine appellantur. Eruntque exitus eius Iordanis. Id est, finis sortis huius est in Iordane. Hoc est ex parte Orientali: est autem fors ista posita ex transuerso, quia plurimæ aliarum sortium sunt ab Oriente versus Occidente, sicut fors Iudea, & Benjamin, atque Ephraim, & ferè omnes. Ista autem est à meridie versus aquilonem, & extenditur circa terminum orientalem terræ Chanaan, scil. iuxta Iordanem, & tangit sortem Manasse, & Ephraim ab Oriente earum, & ipsa est in agro orientalis, atq; extenditur contra Aquilonem, & tangit sortem Zabulon, & alias sortes, unde quasi in toto suo latere orientali tangit Iordanem. Ciuitates sexdecim, & villa earum. Id est, in ista forte sunt solum sexdecim ciuitates, quæ supra enarratae sunt, & rura parua illarum, quæ vocantur villa, & agri, atque reliqui termini. Hæc est possessio filiorum Issachar. Scilicet iste sexdecim vrbes cum territorijs sunt, quas possederunt Israëlitæ filii Issachar. Per cognationes suas. Id est, & diuisa fuit tota ista terra in sortes se-

cundum cognationes, id est, familias. Habuit autem ista tribus familias, vt patet Num.26.c. ideo diuisa fuit ista portio terra in sortes quatuor, & deinde illæ in minores partes diuisa sunt per domos familiarum, & usque ad capita virorum.

Vrbes & viculi earum, id est, tam ciuitates quam viculi, qui erant in tota terra ista pertinuerunt ad sortem Issachar, quia quando ciuitas aliqua dabat alicui tribui: omnes pertinentiae ciuitatis illius cedebant tribui illi.

Ceciditque fors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas. Fuitque terminus eorum Halcat, & Chali, & Bethen, & Axaph, & Elmelech, & Amaad, & Messil: & peruenit usque Charmelum maru, & Sior, & Labanath. Ac reuertitur contra Orientem Bethdagon & pertransit usque Zabulon, & uille Iephahel contra Aquilonem in Bethemec, & Nehilel Egrediturque ad Lavan Cabul, & Abran, & Roob, & Ammon, & Cana usque ad Sidonem magnam. Reuertiturque in Tormarsq; ad ciuitatem munitissimam Tyrum, & usque Hosa. Eruntque exitus eius in mare de funiculo Achziba, & Amma, & Aphec, & Roob ciuitates viginti duas, & villa earum. Hæc est possessio filiorum Aser per cognationes suas, vrbes & viculi earum. Filiorum Nephthali sexta pars cecidit per familias suas: Et caput terminus de Haleph, & Elon in Sananum: & Adami, quæ est Negeb, & Lebanel usque Lecum, & egressus eorum usque ad Iordanem: reuertiturque terminus contra Occidentem, in dianoth Tabor, atque inde egreditur in Viciu, & pertransit in Zabulon contra Meridiem, & in Aser contra Occidentem, & in Iudea ad Iordanem contra ortum solis. Ciuitates munitissime Assedim, Fer, & Emmath, & Rechath, & Cenereth, & Edema, & Arama, Asor, & Cedes, & Edrat, Enfor, & Ieron, & Migdalel, Horen, & Bethnath, & Bethsames: ciuitates decem, & nouem, & villa earum. Hæc est possessio tribus filiorum Nephthali per cognationes suas, vrbes & viculi earum.

Cecidit fors quinta.

Descriptio sortis Aser, cuius singule vrbes explicantur.

QVÆSTIO III.

Hæc ponitur quartum huius cap. scilicet descriptio sortis Aser. Ista fors non habet distinctionem terminorum hic, & postea nominationem ciuitatum, sed simul ponitur utrumque sicut in alijs superioribus, & sequentibus in hoc cap. & vocatur fors ista quinta, quia fuit quinto loco extracta de inuolucro schedularum post omnes, quæ sunt descriptæ. Et causa est, quia hic seruatur aliquo modo differentia dignitatis, & quia filii dominarum multo digniores sunt filii ancillarum, præponuntur tribus deriuatae a dominabus tribibus deriuatis a famulibus. Tres autem sequentes, scil. Aser, Nephthali, & Dan sunt de filiis ancillarum, id est postponi debuerunt, qui autem præpositi fuerunt, erant filii dominarum, vt sup. declaratum est. In his tamen tribus sequentibus non fuit penitus seruatus ordo dignitatis, quia Aser ponit ante Dan, & Nephthali, scil. quod primò eduxerit sortem de inuolucro, quam illi, tamē illi duo precedebat Aser. In quo sciendū, quod Lia habuit ancillam nomine Zelpham, quæ peperit de Iacob filios duos, scil. Gad, & Aser: Rachel autem habuit ancillam nomine Bala, quæ peperit ex Iacob Dan, & Nephthali, vt patet Gen.30.c. illi erant aequales ex parte genitoris: genitrices quoque erant aequales, quæ ambo erant famulae, & minores principales uxores, ideo non poterat in eis accipi differentia dignitatis ex parte natalium, sed ex parte temporis nascendi: sicut erat in filiis Lia, vel Rachelis, sed filii Bala sunt priores. Nam cum Rachel careret filiis, dixit ad Iacob, quod ingredetur ad ancillam illius, vt sic saltem ex ea prolein acciperet, quod cum fecisset, nati sunt Dan, & deinde Nephthali, vt patet Gen.30. Hoc etiam cum vidisset Lia, dedit ancillam suam Zelpham viro suo, & peperit ei duos filios, scil. Gad, & Aser, vt patet

cod.

B

Enhad
da.
Tabor
quid.

C

D

E

F

A cod. cap. prius ergo fuerunt ambo filii Balæ quām aliquis filius Zelphæ, & sic præcedebant dignita e ad vtrunq; filium Zelphæ. De Gad autem non est hic quæstio, quia nō accepit fortē hic, sed viuente Moyse accepit illam ante transitum Iordanis, Num. 32. & Deut. 3. sed Aser accepit hic cum Nephthali, & Dan: non tamen fuit in omnibus curatum de honore: fuit tamen obseruatum in deserto in castrametando sub vexillis: nam vnum de quatuor vexillis fuit de tribu Dan, & sub illo fuerunt Nephthali, & Aser, vt patet Num. 2. ergo hic debuissest præcedere: sed non multum curatum est hic.

Tribui filiorum Aser. Iftis data est magna sors, quia erat magnus populus, vt patet ex numero ciuitatum suarum infra. Per cognationes suas. Id est, diuisa est possessio ifla quæ sequitur, per omnes familias tribus Aser. Fuerunt autem in tribu Aser familiae quinque, vt patet Numer. 26. c. ideo diuisa est in partes quinque possessio eius, & sortes positæ sunt, sicut ponebantur pro diuisione sortium inter tribus, vt patet Num. 26. Fuit q̄ terminus eorum Halcath. Hic enarrantur ciuitates sortis huius, & dicitur, quod terminus sortis huius fuerunt ciuitates istæ. Non est sensus, quod omnes istæ sint in terminis sortis Aser, quia tunc nullæ essent in medio sortis, sed ponuntur aliquæ ciuitates, quæ sunt in terminis, deinde enarrantur aliae, quæ sunt apud illas, ita vt enarrando vrbes terminorum etiam enarentur omnes vrbes, quæ sunt in tota sorte.

Bethen & Be-sheleph ferunt. **Halcath Chali Bethen.** Ifta tres vrbes ponuntur in terminis sortis Aser ex vna parte, sed quæ pars sit ifla, an declinet ad Meridiē, vel Aquilonem, Orientē, vel Occidentē nō constat. **Bethen.** Differt ifla à ciuitate Bethel: illa enim est in forte Beniamin, vt patet præced. c. prima ciuitas harum non bene scribitur hic: sed debet vocari Lacoth, vel Lachath, & sic est in Bibilijs correctis, & est vna de quatuor ciuitatibus, quæ data sunt Leuitis de sorte Aser, vt patet infra 21. c. Et Axaph. De ifla ciuitate fuit vnu de regibus vocatis à rege Iabin ad pugnam contra Israëlitas ad aquas Meron, vt patet suprā 11. c. & rex ciuitatis huius fuit occisus tempore Iosue, vt patet suprā 12. c. **Elmelech.** Tale erat nomen viri mariti Noemi, vt patet Ruth 1. cap. tamen non fuit vir ille de hac ciuitate, nec de hac tribu, sed de tribu Iuda, & de ciuitate Bethlehem, vt patet ibidē.

Et Arma. Ifla ciuitas differt à ciuitate, quæ vocatur Arma, vel Horma, & ponitur in forte Iudæ suprā 15. c. & postea fuit in forte Simeon suprā in litera, & ponitur illa ciuitas suprā 12. cap. quia vnu de regibus occisis tempore Iosue fuit de illa, sed ad hanc nihil pertinet. **Et Mesal.** Ifla est vna de ciuitatibus, quæ data sunt Leuitis de tribu hac, vt patet infra 21. c.

C **Et peruenit vsg ad Charmelum maris.** Id est, extēditur ifla possessio filiorum Aser versus Charmelum montem apud mare: peruenit enim ifla sors ad mare Mediterraneum, quod est mare magnū, & est terminus Occidentalis totius terra Chanaan. Et patet, quia peruenit vlsque ad Tyrum, & Sidonem, quæ sunt in littore maris magni. Est autem mons iste Charmelus, in quo erat Elias Propheta, quando locutus fuit ad quinquagenarios regis Ochozæ, quos cōbussit ignis de cœlo, 4. Reg. 1. **Et Sior, & Labanath.** Ifla sunt duæ vrbes. Ponunt tamen aliqui illas tanquam vnam. Sed vitium est, vt patet in Hebræo. **Et reuertitur contra Orientem Bethdagon.** Id est, sortis huius terminus reuertitur ad vrbem Bethdagon, & hoc contra Orientem, quia dixerat nūc de extremitate sua occidentali, scil. apud Charmelū, & mare, redit ad latus tendens versus Orientē in vrbem Bethdagon, siue autē ifla latus tendat contra Orientē per Austrum, vel Septentrionem non cōstat. **Bethdagon** interpretatur domus Dagon: est autem Dagon nomen idoli Philistinorū, & principaliter in ciuitate Azoto: ifla est enim idolum, quod possum fuit apud arcum Domini, & inuentum est contractis manibus, & capite, vt patet 1. Reg. 5. c. Potest autem esse Bethdagon nomen commune, vt significet domum illius Idoli, scil. templum, in quo colebatur, sed hic accipitur quædam ciuitas sortis Aser, & forte vocatur sic, quia à principio Chananæi coluerunt ibi idolum Dagon, sicut dicunt aliqui Bethsames, id est, domus Solis, quia ibi colebatur Sol principaliter.

Et pertransit vsg ad Zabulon. Hoc est à latere Meridianō: nā magis aquilonaris est sors Aser, quām Zabulon, cū ponatur extremitas Zabulon ad Sidonem ciuitatem, vt patet Genes. 49. c. Aser autem habet ciuitatem Sidonem, & Tyrum vtranque in latere maris Mediterranei, quæ ambæ sunt cōtra

latus aquilonare. **Et valloni Iephthael.** Ifla vallis est in forte Zabulon, vt patet suprā, & cū tangit fors Aser sortem Zabulon tangit eam in valle Iephthael: & dicitur in Hebræo. **Et filios Iephthael.** Sed est sensus, quod pertingit ifla fors vlsque ad vallem filiorum Iephthael. **Contra Aquilonem in Bethmec.** Id est, ad Aquilonarem partem transit latus fortis huius in vrbem nomine Bethmec. **Et Nebiel.** Ifla est alia vrbs in forte Aser, & est in latere illius Aquilonari.

Ereditur q̄ ad Lauan. Id est, arcuatur apud vrbem Lauan. Egressio aliquādo signat terminationem, sicut cū dicitur: Exitus eius sunt in talem, vel talem locum. **Cabul.** Ponitur hic ifla tāquām nomen ciuitatis: sed aliquando signat nomen prouinciae, sicut 3. Reg. 9. cap. dicitur, quod dedit Salomon regi Hiram viginti oppida in terra Galilæa, quæ cū vidisset non placuerunt in oculis eius, & vocavit regionem illam Cabul: hic tamen non accipitur pro illo. Quod patet, quia ibi plura quām viginti oppida sunt in terra Cabul cū totam terram illam appellauerit Cabul rex Hiram; hic autem necessariō ponitur, vt ciuitas vna.

Item quia nomen ifla Cabul impositum fuit regioni illi à rege Hiram; & prius non erat, vt patet præalleg. c. sed nō Cabul quod hic habetur neccesse est, vt fuerit tempore quo diuisa est terra viuente Iosue, vel saltē fuerit tempore scriptoris libri huius, scil. tempore Samuels; sed tunc non erat nomen quod imposuit Hiram, quia ifla facta sunt magno tempore post mortem Samuels: nam Samuel non vidit regnante Dauid super vniuersum Israel: prius enim mortuus est, de quo primo Regum 25. cap. sed Dauid postea regnauit. Etiam quia prius quām moreretur Saul mortuus est Samuel: nam Saul vadēs ad Phitonissam, dixit ei, suscita mihi Samuel primo Regum 28. cap. regnauit tamē postea Dauid quadraginta annis, vt patet 3. Regum 2. cap. & postea regnauit Salomon, in cuius diebus impositum est nomen ifla Cabul à rege Hiram: ergo non potest accipi hic Cabul, vt accipitur 3. Regum 9. pro quadam parte terræ Galilæa.

Et Abran. Ifla est alia ciuitas in forte Aser, nec est de famosis.

Et Roob. Aliquando signat regionem. Quod patet, quia hic necessariō accipitur pro ciuitate vnicā: tamen Iudicum 18. c. accipitur Roob pro regione, cū dicatur, quod Lais, quæ alio nomine appellatur Lesen est in regione Roob: in illa autem est quædā pars sortis Dan, vt infra declarabitur. **Et Hammon.** Hic non accipitur pro terra Hammon, sed pro ciuitate quadam. Etiam quia de terra Hammon nihil pertinuit ad sortem Aser, nec ad nouem tribus & dimidiam: pertinuit tamen aliquid ad sortem Ruben, & aliquid ad sortem Gad, vt patet suprā 13. c. **Et Chana.** Nomen vrbis est in hac tribu Aser.

Vsg ad Sidonem magnam, id est, peruenit sors ifla vlsque ad Sidonem, quæ est in littoribus maris mediterranei, in qua terra Christus prædicauit, & de terra illa exiuit Chananæa illa, quæ petijt à Christo filiam suam à dæmons liberari, Matt. 15. c. vocatur autem Sidon magna non ad differentiam tanquam sit alia Sidon parua, sed quia erat magna ciuitas respetu aliarum enumeratarum. **Reuertitur in Horma.** Id est, de Sidone magna conuertitur latus versus Horma, & non accipitur hic Horma, sicut accipitur Num. 14. & 21. scil. pro terra illa, in qua morabant Chanani regis Arad, quā deluxerunt Israëlitæ vocantes eam Horma, id est, anathema, vel destructionem, vt patet ibidem. Nec accipitur Horma pro ciuitate Sephat, quam Iudas, & Simeon percutientes vocauerunt eā Horma, vt patet Iud. 1. c. sed erit nomen proprium ciuitatis. Vel forte fuit impositum à Iudeis pro simili causa.

Vsg ad ciuitatem munitissimam Tyrum. Ifla etiā est apud mare, & est magis aquilonaris quām Sidon, est autem munitissima, quia de ea crāt populi diuites: abundabat enim negotiationibus super omnes alias vrbes, & magnitudine diuitiarum intantum superbuit rex vrbis huius, quod vocavit se Deum, vt patet Ezech. 28. de magnitudine diuitiarū, & gloriæ, & negotiationis ciuitatis Tyri habetur Ezech. 26. & 27. & 28. cap. hanc vrbem cum Sidone destruxit Alexander totam incendio tradens, ybi diuersa genera mortis infandæ patrata sunt, alijs se suspendentibus, & alijs in mare præcipitanibus, & iacentibus in ignem. De his Alexandreis libro 3. Fuit tamen postea restituta ciuitas ifla, licet non in tanta gloria, vt prius: nam tempore Salvatoris manebat, tā ipsa quām Sidō. **De hac vrbē fuit Dido regina Carthaginis,** quæ mortuo

Tyrus
vrbs
muni-
tissima

viro
Dido-
gina

A viro suo Sichæo, à Pigmalione fratre eius nauigauit in terrā, Hiarbae mauri, à quo petita, & obtenta terra quantum corio bouis circūdari posset, illo in tenuissimas corrugias extenuato magnum terræ spacium comprehensum est; vnde ciuitas illa Birsa fuit appellata, quæ alio nomine Carthago appellatur: de gestis Didonis, & morte, tam apud Poëas, quæ apud historiographos solennes narrationes sunt. De hac quoque vrbe fuit rex Agenor, cuius filiam Europam rapuit Iuppiter super vndas ducēs eam in terram Græcorum in prouinciam Cretensem, quæ nunc Candia appellatur. Tertiam mundi partem ab ea Europam appellari fecit. De hoc Ouid. Metam. 2. & 3. de hac quoque fuit Cadmus filius Agenoris frater Europæ exilio damnatus à patre, nisi Europam filiam suam reduceret, quam plusquæ satis quæstam, cùm nulla parte terrarum inueniret in terra Græcorum vrbe Thebarum condidit in prouincia, quæ Boeotia appellata est, de quo Ouid. Metam. lib. 3. in principio: ibi autem posteā tota sua posteritas regnauit. In hac quoque vrbe primò literæ gentis inuentæ sunt, de quo Alexandreis lib. 3. Multa quoque vrbis huius memorabilia dicta, & gesta sunt. Hęc autem non fuit subdita Iudæis: nam etiam tempore Salomonis regnabat ibi Hiram rex, qui erat de gentilibus, & erat amicus Salomonis, vt patet 3. Reg. 5. & 9. & non fuit posteā capta: nam etiam tempore Saluatoris ibi Chananei manebant, vt patet Matth. 15. scilicet quod cùm ambularet Iesus in finibus Tyri, & Sidonis, mulier Chananea à finib⁹ illis egressa clamauit: Domine fili Dauid miserere mei. Immò terra ista Chananeorū amplius man sit in potestate corū quæ manserit terra Iudæa in potestate Iudæorum, quia ipsi breuiter post Christi mortem inde fuerunt ducti in captiuitatem, & venundati. Et vſq. Hofa. Nomen ciuitatis est: tale autem est nomen cuiusdam montis in Thesalia apud montē Pelion, & Olympum, & fuit vñus de tribus, quos Gigantes superposuerunt (vt Poëtæ aiunt) vt ad cœlos cum dijs pugnatūr ascenderent, de quo Ouid. i. Metamor.

B Erunt q̄ exitus eius vſq. ad mare. Id est, exitus, vel finis sortis Aser est ad mare, s. ad mare Mediterraneum, quod est Occidentale: nam Tyrus, & Sidon apud maris littora sunt. *Defuniculo.* Id est, de funiculo, siue termino claudente sortem extum in mare. Achziba, Amma. Ista sunt duæ aliae vrbes Aser, quæ sunt apud Occidentalem plagam sortis huius. Aphec. Ista ciuitas ponitur sup. 15. c. sed non est eadem in re, sed in nomine, quia frequenter multæ ciuitates appellantur eodem nomine, & appellatur aliquando Aphec, & aliquando Apheca ex conditione idiomatis Hebraici, in quo sèpè litera in fine additur, vt Dabir, Dabira, Mizraim, Mizraima. Quæ autem istarum Aphec sit illa, quæ ponitur suprā 12. cap. de qua fuit quidam de regibus occisis tempore Iosue, non plenè patet.

C Et Roob. Ista est alia ciuitas ab illa, quæ suprā in hac sorte vocat Roob. Et hoc quia etiam in eadem sorte contingit frequenter esse multas vrbes nominis eiusdem, vt patet in Asor, quæ ponitur ter in sorte Iudæ, & signat hic Asor ciuitatē quamquæ aliquando significet regionem, vt suprā dictum est. Sic accidit de Samaria, quæ aliquando accipitur pro quadam vrbe constructa in monte Somer, 3. Reg. 16. c. & aliquando pro regione, vt cùm dicitur, quod Christus transibat per ciuitates Samariæ: & cùm dixit, in viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed ite ad oues, quæ perierunt domus Israel. Ciuitates triginta duæ. Omnes vrbes hic positæ sunt triginta duæ, sed ponuntur aliqua nomina, quæ non signant ciuitates, sed alios terminos.

Sciendum etiam, quod aliquæ ciuitates huius sortis sunt, quæ non describuntur hic, vt patet infrā 21. vbi ponuntur ciuitates, quæ datæ fuerunt Leuitis de sorte Aser, & est ibi Abdon, quæ non ponitur hic. Sed necesse est, vt dicamus alias ciuitates fuisse sortis huius, quæ non describuntur hic. Vel quod sint aliquæ ciuitates, quæ vocentur pluribus nominibus, & hic sub vno nomine appellantur, & infrā 21. sub alio, & hoc verisimilius est. Sic quoque est in suprā posita sorte Issachar, nam infrā 21. cap. ponuntur vrbes eius datae Leuitis, & sunt ibi duæ quæ non describuntur hic, scilicet Dabereth, & Ierimeth: sed ad modum præpositum redeundum est. Et villa earum, id est, triginta duæ ciuitates cum suis agris, & paruis ruribus, & non muratis locis prouenerunt in sortem Aser.

Hec est possesso filiorum Aser. Id est, omnes vrbes suprā positæ

sunt tota possessio Aser, quia nullam aliam partem possessio-
nis acceperunt. Vrbes, & viciū earum, id est, tam vrbes, quæ
rura in possessionem tribus Aser cesserunt. *Filiorum Nephthali.*
Hic ponitur quinta pars huius cap. in qua describitur fors fi-
liorum Nephthali. Et sicut in ceteris superioribus non po-
nuntur termini per se distincti à ciuitatibus, sicut in sorte
Iudæ, & Beniamin, ita hic: sed simul quandoque ponēdo ter-
minos, & quandoque ciuitates. *Sexta pars cecidit.* Ista est sexta,
quia sexto loco filij Nephthali acceperunt fortem incipiendō
à filiis Beniamin, qui primo de scđularum inuolucto e-
duxerunt sortem, & in hoc nō tenetur plenè ordo dignitatis.
Et hoc quantum ad duo. Primum, quia præponitur Aser ipsi
Nephthali, tamē prior deberet esse Nephthali, cùm sit prior
natuitate, quia est de filiis Balæ: Aser autem est vltimus filius
Zelphæ, vt suprā declaratum est. Secundum est, quia Neph-
thali est posterior ipso Dan, vt patet Gen. 30. c. primus enim
filius Balæ est Dan, & secundus Nephthali: tamen Nephthali
præponitur. *Per familias suas.* i. ista tota fors Nephthali diuisa
est per familias, quia etiā ipsæ familiæ posteā sortitæ sunt in-
ter se possessionem hanc per partes proportionales. Fuit au-
tem diuiso facta in partes quatuor, quia simile Nephthali
solum erant quatuor, vt patet Num. 26. cap. *Capitg. terminus de Eleph.* Eleph est vna de ciuitatibus sortis Nephthali, &
est in extremitate sortis: ideo dicitur ibi incipere terminus,
id est, latus terminans vel claudens. Sed in qua parte sit iste
terminus, scilicet an in meridie Aquilone, Oriente, vel Occi-
dente, non constat, cùm nihil describatur in litera per quod
patere possit. *Et Elon.* Ista ciuitas etiam ponitur in sorte Iudæ,
vt patet suprā 15. c. & fuit posteā data sacerdotibus, inf. 21. sed
non est eadem cum ista, nisi in voce, quia in duabus sortibus
ponuntur, ideo necesse est eas esse diuersas. *Et Saananum.* Ista
ciuitas parūm famosa est in sorte Aser. *Et Adami, que est Neceb.*
Ista ciuitas habet duo nomina, scilicet Adami, & Neceb: sicut
Hebron vocatur Hebron, & Cariatharbe, & Mambre: & Ie-
rusalem vocatur Iebus, & Ierusalem, & multæ aliae, vt patet
suprā 15. *Et Iebnael.* Alia ciuitas talis ponitur in sorte Iudæ in
terminis eius, vt patet suprā 15.

E Et forrè aliquis dicit esse istam ciuitatem, quæ ponitur in
terminis Iudæ, & quod sit etiam in terminis Issachar, quia po-
test esse in vna tribu tanquam ciuitas, & in alia tanquam ter-
minus, & hoc potissimē, quia tribus Nephthali tangit sortem Iudæ, vt patet infrā. Sed nō stat, quia Iebnael est in latere
sortis Iudæ, & est apud mare mediterraneū in latere Occiden-
tali, vt patet suprā 15. Nam describendo latus aquilonare
ab Oriente versus Occidentem consummatur latus in Ieb-
nael, & immediatè in mari magno, fors tamen Nephthali tan-
git sortem Iudæ solum in parte Orientali apud Iordanem, vt
patet infrā, ergo non est idem locus Iebnael, de quo hic, &
de quo in sorte Iudæ, quia non se possunt contingere in lo-
co, vbi est Iebnael in sorte Iudæ, sed sunt duæ vrbes, quia fre-
quenter sunt multæ vrbes eiusdem nominis, vt patet ex pre-
cedentibus. *Vſq. Lecum.* Ista est alia ciuitas, & extendit terminus Iebneel vſq; ad eam, & sunt istæ in latere sortis ipsius
Nephthali.

F Egressus earum vſq. ad Iordanem, id est, terminus, vel extensio
territorij ciuitatum istarum est vſq; ad Iordanem, nā Neph-
thali ex parte Orientali tāgit aliqualiter Iordanem, & in par-
te ipsa sunt ciuitates istæ, ideo termini earum vſque ad Iordanem proueniunt. *Reuertiturq. terminus contra Occidentem.*
Istud latus suprā positū in quo erant istæ ciuitates, est Ori-
entale, quia est apud Iordanem, & Iordanis est terminus Ori-
entalis terræ Chanaan, vt patet Numer. 34. cap. nunc reuertitur
terminus, id est, latus describens terminum contra partem
Occidentalem, & est ista reuersio per latus meridianum, vel
aquilonare: nam inter Orientem, & Occidentem duo latera
media sunt, scil. meridianum, & aquilonare: quibus Oriens &
Occidens coniungūtur: sed quod latus eorum est istud quod
extendit à Iordanis in Azanoth Tabor, non patet ex lite-
ra, sed satis potest dici, quod sit latus meridianum, quia im-
mediate cùm enarretur ista extensio, quæ sit ab Oriente ver-
sus Occidentem fit mentio de latere meridianō: ex quo vi-
detur, quod per illud sit transitus.

G *Vſq. Azanoth Tabor.* Azanoth videtur esse nomen ciuitatis,
Tabor autem est nomen montis, est autē ciuitas ista apud
Tabor, sicut dicebamus sup. in sorte Zabulō Celesteth Tabor,

scili-

scilicet ciuitas Celesteth, quæ est apud montem Tabor, vel in quadam parte montis ipsius. Est autem iste mons in contactu lateris diuersarum tribuum, scilicet in contactu Nephthali, & Zabulon, & Issachar, qui forte mons est magnus, & posse sunt in eo coniungi tres sortes, sicut aliquando ad unum paruum locum coniunguntur tria, vel quatuor regna. Et hoc patet, quia in qualibet harum tribuum ponitur Tabor, ut patet supra. Etiam satis consonat, quod coniungantur sortes istæ in monte Tabor, quia infra dicitur, quod coniungatur fors Nephthali sorti Zabulon. Quomodo autem coniungatur sorti Issachar, non dicitur: sed satis patet, quia tribus Issachar ex parte Orientali extenditur, tāgens tribum Ephraim, & Manasse, ut patet supra 17. cap. & ex hac parte, scil. Orientali apud Iordanem extenditur fors Nephthali ad tangentem sortem Iudeæ, ut patet infra, & fors Manasse, & Ephraim coniunguntur sorti Iudeæ circa partem Orientalem in urbe Taphua, ut declaratum est supra 17. c. ergo satis tanget fors Issachar sortem Nephthali, & erit contactus iste in monte Tabor. Quod autem accipiatur hic Tabor pro monte, & non sit unicum nomen Aznoth Tabor satis conuenit, quia supra descripsit latus Orientale Nephthali, scil. apud Iordanem, & inde descendebat contra Occidentem, & in principio descendens nominauit Aznoth Tabor, id est ciuitatem illam apud Tabor. In quo nota, non multum distare Iordanem à Tabor, quia post Iordanem nominatus est nullo medio interposito in latere isto, & conuenit monti Tabor, quia ipse est quarto milliario distans à Nazareth contra Orientem, ut patet in libro de divisione Terræ Sanctæ: & tamen Nazareth non multum distat à mari Genesareth, quod est apud partem Orientalem terræ Chanaan, & apud Iordanem. Et cum dicitur usque Aznoth Tabor, non est intelligendum, quod iste locus Aznoth sit in extremitate Occidentali sortis huius, sed procedendo ab Oriente versus Occidente in sorte Nephthali, venit immediatè in Aznoth Tabor, quia est locus satis coniunctus parti Orientali.

Atque inde egreditur in Hucuca. Ista est alia ciuitas in eodem latere Meridiano veniendo ab Oriente versus Occidente: & est magis Occidentalis, quam Aznoth Tabor.

Et pertransit in Zabulon contra Meridiem. Id est, & latus sortis Nephthali applicatur lateri sortis Zabulon, & hoc à parte Meridiana Nephthali: est enim magis Meridiana fors Zabulon, quam Nephthali: ambae autem perueniunt ad mare Genesareth, quod est mare Cenereth, vel Galilææ, ideo cum ambulabat Iesus apud mare Galilææ, dicebatur ambulare in extremitate Zabulon, & Nephthali, ut patet Matth. 4. & ibi vocatur via maris, & ob hoc de his duabus sortibus simul loquitur Ioseph. c. 9. scil. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & Nephthali, & nouissimè aggrauata est via maris, &c.

Et in Aser contra Occidentem. Sors Aser magis est Occidentalis quam Orientalis, cum latitudo eius sit in parte Occidentali, & non peruenit usque ad extremitatem Orientalem totius terræ Chanaan, fors autem Issachar è contrario est tota Orientalis extenta apud Iordanem, versus Occidentem autem parum dirigitur, & ob hoc cum extendatur fors Nephthali contra Occidentem tangit sortem Aser, & non peruenit ad Occidentalem plagam terræ Chanaan, scil. ad mare magnum ubi est terminus totius terræ Chanaan, Num. 34. c.

Et in Iudea ad Iordanem contra ortum Solis. Etiam tangit fors Nephthali sortem Iudeæ, & hoc in parte Orientali, scil. apud Iordanem: nam fors Iudeæ habet pro fronte Orientali mare salissimum, quod est mare Sodomorum, ut patet supra 15. & tangit extremitatem Iordanis, & ibi coniungitur sibi tribus Beniamin, ut patet præcedenti cap. coniungitur etiam tribus Manasse, & Ephraim, supra 16. sors quoque Nephthali extenditur per ripam Iordanis, & peruenit in coniunctione sortis Issachar usque ad locum, in quo fors Iudeæ coniungitur Iordanis, & ponuntur hic due determinationes, scilicet ad Iordanem, & ad solis ortum, sed qualibet earum sufficiebat: nā solum dicendo ad Iordanem intelligebatur pars Orientalis, quia Iordanis est extremitas terræ Chanaan Orientalis, ut patet Num. 34. c. etiam dicendo ad solis ortum, intelligebatur Iordanis, cum conuertantur ista duo in terra illa, sed aliquā Scriptura ponit alias determinationes ex superabundanti.

Ciuitates munitissime. Posita fuerant latera sortis Nephthali: ponuntur hic ciuitates sortis huius, quamquam quædam

carum suprà positæ fuerunt, & non ponitur latus Aquilonare fortis huius, scilicet, quā sortem tangat Nephthali ad partem Aquilonarem, aut si sit in ipso latere Aquilonari totius terræ Chanaan.

Et satis videtur dicendū, quod fors Dan sit magis Septentrionalis, cum ipsa sit in terra Roob, quæ est maxime Septentrionalis in tota terra Chanaan, cum ponatur apud Emath, Num. 13. & tamen Emath est in ipso latere Aquilonari terra Chanaan, ut patet Num. 34. quod fors Dan habeat regionē Roob, pater, quia accepit ciuitatem Lais, quæ alio nomine vocatur Lesem, ut patet infra, & ista est in regione Roob, Num. 18. c. & de ipsa sorte Dan etiam non ponitur latus aliquod, ut patet infra. Vel forte potest dici, q̄ latus Aquilonare terra sit latus Septentrionale fortis huius, quia ponitur hic Emath, quæ est in latere Aquilonari terra Chanaan: dicitur autem de ciuitatibus sortis huius, quod erant munitissimæ, quia acceperat ciuitates fortissimas, & benè muratas. *Affidimur.* Non est ciuitas multum famosa in sorte Nephthali. *Et Ennath.* Ista videtur esse ciuitas quæ vocatur Emath, & est in latere Aquilonari terra Chanaan, ut patet Num. 34. & hoc modo dicemus sortem Beniamin secundum totum latus suum Aquilonare, vel quantum ad partem eius tangere latus Aquilonare terra Chanaan. *Et Rechath.* Non est famosa ciuitas in forte ista. *Et Cenereth.* Ita est quædam ciuitas in latere Orientali terra Chanaan, & est apud mare Galilææ, vel Genesareth. Vocatur autem mare istud Cenereth, ut patet Num. 34. & Deuter. 3. & supra 11. & 12. & accepit nomen à ciuitate ista Cenereth, quæ est apud illud. Multæ autem aliæ ciuitates in terra Galilææ sunt apud istud mare, sed ab ista vocatum est. Et ista ciuitas vocata fuit postea Tyberias post nativitatem Saluatoris ab Imperatore Tyberio. Iste enim in ciuitate illa dum iuuenis erat aliquando conuersatus est, & inde vocatur mare Tyberiadis, ut patet Ioan. 21. cap. vocatum est etiam mare Genesareth, ut quidam dicunt, quasi generans auram. Sed magis videtur esse nomen corruptum de Cenereth. Vocatur etiam mare Galilææ, quia in terra Galilææ est, & idem mare est. In terra autem ista Saluator cōuersatus fuit tota iuuentute sua, & maximum tempus prædicationis sive ibi fuit. Nomen autem ultimum maris huius fuit mare Tyberiadis, quia istud nō impositum est post nativitatem Saluatoris, cum impositum fuerit ab Imperatore Tyberio, & tamen anno decimo octavo Imperij eius mortuus est Saluator. Quod patet, q̄ anno decimo quinto regni eius baptizatus est Christus, & incepit prædicare Luc. 3. c. in princ. & tamen tempus prædicationis Saluatoris nostri non fuit trium annorum completorum, ergo anno 18. Tyberij Cæsar moreretur. *Et Edem.* Non est vrbis famosa in sorte Nephthali. *Et Arama.* Ista differt ab urbe, q̄ vocatur Rama, quia illa ponitur in sorte Beniamin ut patet præced. c. sed candem urbem in diuersis tribubus esse impossibile est, maxime, quia ista dues sortes in nullo coniunguntur. *Afor.* In tribu Iuda ponitur Afor ter, & sunt ibi tres ciuitates nomine Afor non coincidentes: hic autem est alia Afor, quia non coniunguntur in loco, vbi sit Afor, scilicet, quod quamquam sit contactus in sorte Nephthali, & Iudeæ, ut patet supra, nō dicemus Afor esse unam hic, & ibi, quia non est ista Afor in loco contactus istarum sortium. Et magis adhuc patet, quia dato quod esset in loco contactus, non ponitur Afor in sorte Iudeæ, tanquam terminus, vel latus, sed tanquam vrbis sortis, ut patet ex summulis ibi positis, in quibus necesse est computari Afor. Etiam Afor ponitur hic tanquam ciuitas, ut patet ex eadem ratione: ideo necesse est, ut ista differat à qualibet earum, quæ ponuntur supra 15. in sorte Iudeæ. De urbe Afor fuit Rex vnius eorum, qui fuerunt occisi tempore Iosue, ut patet supra 12. & rex Iabin urbis Afor conuocauit reges alios in bellū contra Israëlitas ad aquas Meron, ut patet supra 11. & hoc fuit, quia Afor erat antiquitus tenens principatū inter omnia regna Chanaan, ut patet cod. c. & hāc urbem combufferunt Israëlitæ quando expugnauerunt eā, ut patet ibid. Fuit aut̄ postea possessa Afor à regibus Chananæorum, nam rex Iabin habitauit in Afor, qui habebat 900. currus falcatos, & pressit Israëlitas seruitute magna annis 10. ut patet Iud. 4. c. Sed q̄ sit illa Afor, q̄ erat potenterissima inter cetera regna, de qua erat rex Iabin, qui ceteros conuocauit ad pugnandum, non plenè patet. Sed satis videtur dicendū, quod sit Afor ista, q̄ est in sorte Nephthali, nā illa erat aquilonaris, ut colligitur

E
Cenereth Tyberias dicta est.

Ara. ma, & Rama differunt. F

A
Situs
Cedes.

suprà 11. tamen Asor quæcunq; existens in sorte Iudæ erat nimis Meridiana respectu huius Asor. Et Cedes. Alia ciuitas est, quæ vocatur Cedar. Ista Cedes est in terra Galilææ, vt patet sequenti c. & fuit ista data postea in ciuitate refugij, quia decreuerat Dominus ciuitates tres ponit ad fugitiuos ad Occidentalem plagam Iordanis, & ista fuit vna earum, vt patet seq. c.

Edrai.

Fuit etiam ista ciuitas data Leuitis de forte Nephthali, vt patet infra 21. c. Et Edrai. Ista differt ab illa, in qua dominabatur O rex Basan, qui dicebatur regnare in Edrai, vt patet suprà 12. & 13. c. & ad istam ciuitatem exiuit obuiam Israëlitis in pugnam, vt patet Num. 21. ibiq; expugnatus, & occisus est. Cedicit autem illa ciuitas dimidię tribui Manasse, vt patet suprà 13. c. ista autem multum ab illa differt, quia illa est ad Orientalem plagam Iordanis, & ista est ad Occidentalem plagam. Etiā quia fuit in duabus tribubus Nasor. Ista ciuitas differt ab vrbe Asor. De hac vide infra Ieron. Alia ciuitas vocatur Iercon, sed est in forte Dan, vt patet infra in litera Et Magdel. Ista assimilatur ciuitati illi, q; vocatur Magdalad, sup. 15. in forte Iudæ, tamen non est eadem, cum in duabus sortibus eadem urbem esse impossibile sit; potissimè, quia ista fortis multū distantes sunt, & fortis distantes in nullo cōmunicant. Scindū, quod ista ciuitas Magdelel est, quæ vocatur Magdalum à qua Maria Magdalena appellata est. Quod satis appetet, quia ista ciuitas est ad mare Galilææ, vt patet in lib. de diuisione Terræ sanctæ, scil. in vno latere maris Gencsareth, scil. in Galilæa: terra tñ Nephthali, quæ hic describitur pro magna parte pertinet ad Galilæam, sed ista nomina mutantur aliquiliter cum in Latinam formam vertuntur, ita vt pro Magdelel Magdalum appelleremus. Item ciuitas, q; vocatur suprà Nasor est ciuitas Nazareth, in qua Saluator noster conuersatus est à pueritia sua, nam ibi Genitrix sua, & putatius pater morabantur: nec ob aliud Christus in Bethlhem natus est, nisi quia tunc ex necessitate professionis generalis venerat Ioseph cum uxore sua Maria in Bethlhem ciuitatem suam, & cōtigit Mariam prægnantem ibi parere, quod declarat Luc. 3. c. Tota tamen vita Salvatoris nostri, & beatissi n. e. matris suæ fuit in Nazareth vrbe tribus Nephthali: ibiq; apud mare ipsum Galilææ prædicationem suam iam annorum 30. factus inchoauit, scil. incipiente anno. Postea autem venit in Ierusalem, vbi erat Metropolis totius terræ Iudææ, & locus Sanctuarij, atq; doctrinæ, & ibi sermones suos celebriores fecit, vitamque mortalem finiuit. Quod autem sit hæc ciuitas Nasor patet, quia Nazareth est circa mare Tyberiadis, siue Galilææ, & distat decimo millario Nazareth ab vrbe Tyberiade, quæ Cenæreth dicitur, & hanc suprà descriptissimus in litera. De hoc patet in libro de situ Terræ Sanctæ. Etiam quia Nazareth est ciuitas in terra Galilææ, nam Pharisei Christum Galilæum dicebant, Ioan. 8. scilicet, Scrutare scripturas, quia à Galilæa Propheta non surgit, & Matth. 21. Hic est Iesus à Nazareth Galilææ: tamen terra Galilææ hic descripta est, ergo necesse est Nazareth ponit hic, vel intelligi per aliquid nomine de positis hic. Satis ergo conuenienter dicitur Nasor esse Nazareth: nomina tamen postea ex parte in quibusdam, & in alijs formaliter immutata sunt. Horem. Non est ciuitas multum cognita in forte Nephthali. Bethanath. Identidem non est de famosis vrribus Bethsames. Alia ciuitas huiusmodi ponitur in forte Iudæ, vt patet suprà 15. c. Sed aliquis dicet eam esse eandem urbem cum hac, quia ponitur hic tanquam ciuitas, & poterit ponit hic tanquam terminus solū in forte Iudæ: tamen ista fors, & fors Iudæ contingunt se in latere Orientali, vt patet suprà, & ibi poterit esse Bethsames.

Respondendum est non stare, quia Bethsames est in latere Aquilonari sortis Iudæ circa Occidentem apud terrā Philistijm, vt patet suprà 15. cap. fors tamen Iudæ, & Nephthali coniunguntur solū in latere Orientali, vt patet suprà. Item Bethsames ponitur in forte Issachar, vt patet sup. & alia vrbs est ibi ab ista. Nam licet coniungantur Issachar, & Nephthali non potest ponit in coniunctione, sed in qualibet sorte est, tanquam vna ciuitas, cum in qualibet requiratur ad summam ciuitatum positarum in ipsa forte.

Ciuitates decem nouem. Id est, omnes ciuitates positæ in forte Nephthali sunt 19. aliae vrbes ponuntur infra 21. in illis, q; datae sunt Leuitis de hac tribu, scilicet Carthā, & Amothdor, quæ non ponuntur hic: sed dicendum est de illis, sicut dicebatur suprà de ciuitatibus Aser, & Issachar, quod po-

nuntur in prædictis ciuitatibus, tamen sub alijs nominibus, quia eadem ciuitas frequenter habet multa nomina.

Et villa earum. Id est, etiam villa, siue viculi, vel rura ciuitatum istarum pertinebant ad sortem Nephthali.

Hæc est posseſſio filiorum Nephthali. Id est, istæ ciuitates suprà positæ pertinent ad posseſſionem sortis Nephthali.

Per cognationes suas. Id est, distincta fuit per cognationes, id est familias, quia tota posseſſio sortis diuisa fuit in posseſſionem familiarum.

Vrbes, & viculi earum. Id est, tam vrbes, quam viculi, scil. ruora parua prouenerunt in sortem Nephthali,

Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est fors septima: & fuit terminus posseſſionis eius Sara, & Esthaol, & Hair semes, id est ciuitas solis. Selbin, & Halalon, & Iethela, Elon, & Themna, & Acron, & Elihecen, Gebbeton, & Balaath, & Iud, & Bane, & Barac, & Getbrenmon, & Meiarcon, & Arecon, cum termino, qui respicit Ioppen, & ipso fine concluditur. Ascenderunt g. filii Dan, & pugnauerunt cōtra Lefsem: ceperunt que eam, & percusserunt eam in ore gladij, & possederunt. & habitauerunt in ea, vocantes nomen eius Lefsem Dan, ex nomine Dan patris fuit. Hac est posseſſio tribus filiorum Dan per cognationes suas, vrbes & viculi earum. Cum g. compleſſet forte diuidere terram singulus per tribus suas, derunt filii Israël posseſſionem Iosue filio Nun in medio fuit, iuxta præceptum Domini, urbem quam postulauit Thamnathara in monte Ephraim. Et adiicuit ciuitatem, habitavit g. in ea. Ha sunt posseſſiones, quæ forte diuiserunt Eleazar sacerdos, & Iosue filius Nun, & principes familiarium ac tribuum filiorum Israël in Silo, coram Domino ad ostium tabernaculi testimoniū, partitig. sunt terram.

Tribui filiorum Dan.

Descriptio sortis Dan.

Q V A S T I O V.

HIC ponitur sextum huius capituli, scil. assignatio sortis Terræ Dan, & ponitur descriptio ciuitatum hic, & terminorum simul, quia non fit distinctio assignationis terminorum per se, & positionis ciuitatum in his vrribus, sicut in forte Iudæ, & Benjamin, vt patet suprà 15. & præcedenti capitulo.

Per cognationes suas. Fuit diuisa tribus ista per cognationes & familias, & tot portions fuerunt in posseſſione sua, quot erant familia Dan, sed in hac erat speciale, quia erat vna familia in tota tribu, vt patet Num. 26. cap. & ista totum posseſſit: tamen rursum illa vna familia diuisa est in multas domos, & istæ erant tanquam familiae recipientes partes posseſſionis.

Egressa est fors septima. Id est, de inuolucre schedulari fuit eglesia iehu dula vna de notis posseſſionem tribus Dan, & ista fuit septima, id est, in septimo loco, quia primò extraxerunt sortes omnes aliae tribus quam Dan, & in hoc nō fuit obseruatus ordo dignitatis: nam inter omnes filios famulaū Dan prior natus est, ergo prior erat dignitate, cum in his esset æqualitas in natalibus, scil. parentibus, prioritas patet Gen. 30. c. Item erat Dan dignior alijs, quia ipsi datum est vnu de quatuor vexillis Israëlitarum in deserto, erantq; sub eo alij filii ancillarum præter Gad, qui erat sub vexillo Ruben, vt patet Num. 2. c. & tamen hic fuerunt omnes positæ ante ipsum.

Fuit terminus posseſſionis eorum Sara, & Esthaol. Id est, istæ duas ciuitates fuerunt in termino sortis filiorum Dan ex vna parte, scilicet contra terram Philistijm. Ista duæ ciuitates ponuntur in forte Iudæ, vt patet suprà 15. ca. scilicet in terra cœptri Iudæ.

Et fortè aliquis dicet, quod possunt esse in terminis Iude, & non pertineant ad Iudam, sed ad tribum Dan.

Sed non stat, quia ad hoc necesse erat, vt fors Dan, & Iude coniungerentur, sed nō coniunguntur, quia fors Dan est

Limes
sortis
Dan cō
trater
rā Phi
listijm.

mul-

A multum Septentrionalis, sors autem Iudæ est in extremitate Meridiana.

Item dato, quod coniungerentur, non possunt esse istæ vrbes Sara, & Esthaol, quæ dicuntur in sorte Iudæ, nā in sorte Iudæ ponuntur, tanquam ciuitates ipsius fortis, in sorte etiam Dan eodem modo. Primum patet ex summula secunda ciuitatum, supræ 15. cap. in quibus ponuntur primæ Sara, & Esthaol. Quod autem essent oppida ista in sorte Dan, patet, quia Samson erat de stirpe Dan, & tamen erat de vrbe Sara, vt patet Iudicum 13. cap. & fuit postea sepultus inter Sara, & Esthaol in sepulchro patris sui, Iudicum 16. cap. si tamen essent istæ vrbes in sorte Iudæ, non fuisset ibi sepultus Samson, qui erat de tribu Dan.

Hairsemes, id est ciuitas solis. Ista est alia ciuitas Dan, & adiuncta est ista expositio: Ciuitas solis, in litera nostra: nam in Hebreo nō habetur, sed noster translator apposuit ad signandum quid importaret nomen Hebreum. In eodem autem idiome non consueuerunt fieri tales interpretationes. *Selebin.* Alia erat, quæ vocabatur Seboin, & erat vna de quinq; ciuitatibus Sodomorum, vt patet Gen. 13. sed illa iam non erat cum subuersa fuisset cum Sodoma. *Et Aialon.* Talis est ciuitas, de qua dixit Iosue, quando pugnabat contra quinque reges: Sol ita contra Gabaon, & Luna non mouearis contra vallem Aialon, vt patet supræ 10. cap. An tamen fuerit Aialon in aliqua alia sorte propinquiori, quam sors Dan, non patet. Ista ciuitas fuit postea data Leuitis, quando datæ fuerunt ciuitates de hac tribu, vt patet infræ 21. c.

Et Iethela. Ista ciuitas non est famosa in sorte Dan. *Elon.* Ista ciuitas etiam ponitur in sorte Iudæ, vt patet supræ 15. cap. scilicet in montanis. Etiam ponitur in sorte Nephtali, vt patet supræ. sed non est eadem ciuitas, quia in tribus sortibus impossibile est esse eandem ciuitatem, sed tres ciuitates eadem nomine appellatae. Ista ciuitas differt ab Eglon, quæ ponitur in sorte Iudæ, supræ 15. *Et Themna.* Ista est, quæ vocatur Thamnas, vel Thamnata, vel Thamna, de qua Gen. 38. & de hac Iudicum 14. In sorte etiam Iudee ponitur Thamna, vt patet supræ 15. quæ autem sit Thamnata, ad quam descendit Samson, & adamauit mulierem de filiabus Philisthijm, scil. an sit ista, vel illa, quæ habetur in sorte Iudæ, non plenè patet, sed magis videtur, quod sit illa, quæ est in sorte Iudæ, vt patet ex dictis supræ 15. *Et Acron.* Ista ciuitas differt à ciuitate, quæ vocatur Acharon, quia illa est in sorte Iudæ, & est de terra Philisthijm, scilicet ultima in terra Philisthinorum ad Septentrionem, vt patet supræ 13. c. illa autem est, quæ vulgariter vocatur Acre, & à qua denominatur quidam ordo militiæ, qui in Ecclesia fuit. Est autem ciuitas ista apud mare, de qua dictum est supræ 13. c. *Et Gethremmon.* Ista ciuitas postea data fuit Leuitis, cum distributa fuerunt eis ciuitates de qualibet tribu, vt patet infræ 21. c. *Elthece.* Ista ciuitas ponitur etiam in sorte Iudæ, vt patet supræ 15. ista autem fuit prima de illis, quæ data sunt Leuitis de forte hac, vt patet infræ 21. c. *Et Gebbethon.*

Ista etiam data fuit Leuitis de genere Caath in partem, vt patet infræ 21. c. *Et Balaath.* Ista differt ab vrbe, quæ vocatur Bala, & vocatur alio nomine Cariathiarim, ponitur quæ in sorte Iudæ, de qua supræ 15. *Bonebare Iud.* Ista due vrbes non sunt famose in sorte Dan. *Atq; Hiercon, & Arecon.* Ista duæ posite sunt circa mare Mediterraneum, quod est mare magnum, & Occidentale toti terræ Chanaan. Quod patet, quia ponuntur apud Ioppem, quæ est in littore maris Occidentalis. *Cum termino qui respicit Ioppem.* Id est, ciuitates supradiæcum cum terra, quæ extendit versus Ioppem ad littora maris, pertinent ad sortem Dan. Est autem Ioppe in littore maris, & vocatur nūc vulgariter Iapha, & est portus, vel statio nauium, per quæ introitus est eantibus de terra hac ad visitandum sepulchrum Saluatoris. Dicitur autem ab vrbe Ierosolyma milliarijs quatuordecim, vt patet in libro, de situ Terra Sanctæ. *Et in ipso fine concluditur.* id est, terra sortis Dan concluditur apud mare magnum, circa vrbum Ioppem: non enim poterat extendi aliquæ fors ultra mare, quia tota terra Chanaan concludebatur in littore maris Mediterranei. *Ascenderuntq; filii Dan.* Hic ponitur quoddam bellum factum à filiis Dan pro quadam ciuitate dicta Lefem.

Pro quo sciendum, quod filii Dan quamquam accepissent ius sortis, sicut cæteræ tribus, quia tamē tota sors sua adhuc tenebatur ab hostibus, non habebant liberum locum ha-

bitandi filij Dan: ideo habitantes in Sara & Esthaol miserunt viros quinque qui lustrarent terram, & viderent, an esset locus aliquis, quem possent accipere, & venientes in Lefem, q; alio nomine vocatur Lais, inuenierunt gentem quietam, & cum nullo alio populo communicationem habentem, qui redierunt renunciantes cæteris fratribus suis, qui erant in Esthaol, & Sara, atq; ascenderunt & tenuerunt ciuitatem, Iudic. 18. cap. Ex hoc autem colligitur, quod iste liber non fuerit scriptus à Iosue, sed multo post mortem eius ab aliquo alio. Nam iste casus de pugna filiorum Dan contra Lefem multo post mortem Iosue fuit, scil. parum ante tempora regum, cum de illo enarreret, Iud. 18. c. ponitur tamen hic, quia illi pugnatores erat filii Dan. Et quia hic enarratur sors eorum, ponitur quoque bellum, quod accidit illis, accipiendo vrbum vnam fortis suæ. *Ascenderunt filii Dan.* Dicuntur ascensisse, q; manebant in Sara, & Esthaol, cum iuerunt in vrbum Lefem, quia quinque viri, qui missi fuerant venerunt ad vocandum cæteros, & quia vrbs Lefem est in extremitate lateris aquilonaris terræ Chanaan, cum sit in terra Roob, vt Iudicum 14. & illa est Aquilonaris, vt supræ probatum est, dicebantur ascendere, quia à parte Meridiana versus Aquilonem ascensus est. *Et pugnauerunt contra Lefem.* Alio nomine vocatur Lais, vt patet Iud. 18. c. Ista secundum Rab. David Kimhi non erat in sorte Dan, & ipsi iuerunt ad acquirendum illam. Sed non stat, quia aut locus iste esset in terra Chanaan, aut non: si non esset, non licebat Israëlitis pugnare contra gentem illam, q; Deus insserat, quod nō acciperent viteriorem terram quam eam, quæ cludebatur sub terminis terre assignata, Num. 34. cap. si autem esset locus iste in terra Chanaan, necesse erat q; esset in sorte alicuius tribus, cum tota terra diuisa foret; sed non poterat aliqua tribus accipere vrbum alterius tribus, ergo non potuissent filii Dan accipere vrbum Lefem ad habitandum in ea, sed habitauerunt capientes eam, ergo ad eorum tribum pertinebat.

Si autem aliquis obijciat, quod non ponitur inter ciuitates sortis Dan; respondendum hoc non procedere, quia aliquando habet eadem ciuitas multa nomina, & frequenter sub altero eorum appellatur, & aliquando sub alio, vt patet in multis supræ positis, vt in Hebron, quæ vocatur Hebron, Mābre, & Cariatharbe, & in ista vrbe Lefem, quia vocata est Lefem, & Lais, & Dan, vt patet hic, & Iud. 18. c. ideo licet nō ponatur in aliquo horum nominum, poterit ponit sub aliquo alio. Vel forte dici potest, quod ista ciuitas non fuit polita in suprapositionis, quia iussiciebat, quod hic poneretur nunc, tanquam vna de forte tribus huius. *Ceperuntq; eam.* Quia erant viri multi, & fortes, scil. tota tribus Dan, viri autem qui manebant in vrbe Lefem, erant incauti, & cum nullo populo habentes consortium, vt inde adiuuari possent, vt patet Iud. 18. ideo faciliter potuerunt capere vrbum. *Et percusserunt in ore gladij.* Quia erant de Chananis, quibus non debebant parcere, facientes cum eis aliquod pactum pacis seruitutis, aut tributi, Deut. 2. sed occidebant in ore gladij.

Atque possederunt, & habitauerunt in ea. Scilicet, quidam de tribu Dan ibi habitauerunt: omnes enim ibi habitare non poterant, sed inquirebant sibi loca ad habitandum, quia nō dum illa accipere potuerant, vt patet Iud. 18. *Vocantes eam Lefem Dan.* Ipsa ciuitas vocabatur primò Lefem, vel Lais, Iudic. nunc verò ipsi apposuerunt ei nomen aliud ex nomine stirpis suæ, scilicet Lefem Dan, & aliquando vocatur absolute Dan, vt patet 3. Regum 12. cum dicitur: quod posuit Ierobeam duos vitulos aureos, vnum in Bethel, & alterum in Dan, & accipitur Dan ibi pro loco isto, quia erat in extremitate terra Chanaan ex parte vna, & Bethel circa extremitatem aliam. Item ista ciuitas est, de qua dicitur 1. Regum 3, scil. Cognovit vniuersus Israël à Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta Domini esset, id est, quod ab vna extremitate totius Israël usque ad aliam cognitum est, quod esset Samuel Propheta Dei, & vocantur Dan, & Bersabee tanquam duæ extremitates totius terra Chanaan, scil. Bersabee in sorte Iudæ ad partem Meridianam, vt patet supræ 15. cap. & Dan in parte Aquilonari in sorte Dan. De ista vrbe Dan, vel Lefem dicunt Iudei, quod sit Paneas, de qua nascitur Iordanis. Et verum est, nam de vrbe Paneas Iordanem oriri factis ibi duobus fontibus ad radices Libani montis certum est, cum Solinus in Polyhistorum hoc dicat, in capitul. de Iudæa, &

Librū
huc nō
scriptū
Iosue.

F

Dan ci
uitas
Lefem.

Ex Pa
nea ci
uitate
nasci
tur tor
danis.

voca-

A

vocatur ista ciuitas alio nomine Belinas, & magis visitato vocabulo vocatur Cæsarea Philippi, ut patet in libro, de situ Terra sanctæ. Apud hanc enim urbem cum ambularet Iesu cum discipulis suis, quæsiuit ab eis quem cum dicerent homines, & eis variè respondentibus, dixit Petrus: Tu es filius Dei vni, &c. Matth. 16. cap. Et satis consonat urbem Læsem esse Cæsaream Philippi, siue Paneas, quia ista urbs est multum Septentrionalis ad extremitatem Aquilonarem totius terræ Chanaan. Sic etiam est de Paneas, quia illa est apud montem Libanum in parte Aquilonis. Et de illa parte deriuatur Iordanis descendens ad partem Meridianam terræ Chanaan ad mare Sodomorum.

Ex nomine Dan patris sui. Quia isti erant filii Dan, impo- fuerunt urbi nomen patris sui, & postea aliquando vocatur Læsmandan, & aliquando Dan solum: sed plures vocatur so- lum Dan.

Hac est possessio filiorum Dan per cognationes. Id est, tota terra suprà assignata pertinebat ad cognationes Dan, id est, ad familias illius tribus. Solum enim erat una familia, sed quemadmodum aliquis habens unum filium dicitur habere filios. ita aliquis habens in tribu sua familiam unam, dicitur habere familias: nam Dan unicum filium, scilicet Vsim habuit, vt patet Genes. 46. cap. & tamen dicitur habuisse filios Dan, vt patet ibidem, scilicet filii Dan Vsim: ita dicitur habere familias, vel cognationes, quamquam unica sit familia, & sic patet Num. 26. vbi dicitur filii Dan per cognationes suas, &c. & tamē ibi subditur, quod solum sit unica familia. Alter dici potest, quod in tribu Dan licet non sint multæ familiae: tamen sunt multæ cognationes, quia illa familia diuideretur in multas cognationes minores, quæ vocantur domus.

Vrbes, & viculi earum. Id est omnes urbes suprà enarrate, & rura parua, & quæcunque loca non munita in circuitu harum urbiuum existentia pertinuerunt ad sortem Dan.

Cumq; compleisset. Hic ponitur possessionis Iosue assignatio, scil. quod postquam tota terra diuisa est, assignata est possesso ipsi Iosue in forte tribus suæ, scil. in forte Ephraim. Scindendum autem, quod ista non continuantur: sed quedam interdum anticipantur, & quedam recapitulantur. Nam assignatio possessionis Iosue, de qua hic dicitur, non fuit post captionem urbis Læsem de qua suprà dicitur, quia illa fuit multo tempore post mortem Iosue, vt patet, quia ponitur Iudic. 18. vbi signatur fuisse paucum tempore ante regum initia, sed solum obseruatur hic ordo, vel conuenientia materiae, & non temporis.

Cumq; compleisset sorte terram diuidere. Iste est Iosue: non enim solum Iosue terræ diuidebat, sed etiam cum eo alij 12. viri, & Eleazar sacerdos magnus, Num. 34. quia tamen Iosue erat præcipuus, dicitur de eo quasi ipse solum diuideret terram: compleuit autem diuisionem terræ, cum posuit sortes septem in Silo. Nam prius assignauerat sortem tribui Iudeæ, suprà 15. & postea tribui Ephraim, & dimidie tribui Manasse, suprà 16. & 17. capit. solum manebant septem tribus, quibus dandæ erant possessiones: & istæ descriptæ fuerunt, & postea positæ in Silo coram Domino, vt patet præcedenti cap.

Singulis per tribus suas. Id est omnibus Israëlitis dedit sortes Iosue, sed hoc fuit dando singulis secundum tribus suas, id est non dedit cuilibet homini unam sortem, vel cuilibet domui: sed solum diuisit in tribus totum Israël, & tot sortes fecit, quot tribus erant. Et non dicitur hic, sicut in omnibus superioribns, scil. per cognationes suas, siue familias, quia ibi dabatur fors tribui vni, & postea diuidebatur illa possesso in sortes secundum familias: hic autem dabat Iosue possessionem toti Israëli, ideo non diuisit Israëlem in familias, sed in tribus, & tot fecit portiones, quot manebant tribus suscepturæ possessionem: deinde ipsæ tribus accepta possessione sua singulæ diuidebant illam in tot partes, quot erant familiae illius tribus, sed de hoc nihil attinebat ad Iosue.

Dederunt filii Israël possessionem Iosue. Fuerat Iosue iudex, & diuisor terræ pro omnibus Israëlitis: nunc autem cum ei fuit danda possesso, non debuit ipse esse iudex, quia nullus unquam in causa sua aut bonus iudex, aut saltem, sine suspicione est, quia nobis nimis ad faciendum proni sumus, & ob hoc non assignauit sibi ipsi Iosue possessionem, sed filii Israël. isti filii Israël possunt accipi tripliciter. Vno modo pro terræ diuisori-

bus, nam erant diuisores 12. ex 12. tribubus præter Iosue, & Eleazarum sacerdotem, qui erant principes diuisorum, vt patet Num. 34. & cum Iosue esset unus de eis, quando ipse petret possessionem cessaret officium suum, & cæteri succederent in iudicando atq; diuidendo, & isti poterant ei assignare possessionem, scil. 12. viri cum Eleazaro sacerdote. Simile patet de Caleb filio Iephonne. Nam iste fuit unus de 12. diuisoribus terræ, vt patet Num. 34. cap. & tamen cum iste voluit petere possessionem, venit coram Iosue tanquam non iudex, & petrit possessionem, vt patet suprà 14. cap. Ita poterat Iosue petere ab his possessionem sibi assignari. Et isti vocantur filii Israël conuenienter, quia erant nomine omnium filiorum Israël, cum de omnibus duodecim tribubus assumpti fuissent diuisores, vt patet Num. 34. cap.

Secundo modo accipi possunt hic filii Israël pro omnibus viris de tribu Ephraim, & hoc, quia Iosue erat de tribu Ephraim: ideo de forte Ephraim erat accepturus hereditatem, & quia in præjudicium horum vertebatur dare modicum, vel multum de terra, ad hos pertinebat distribuere partem de possessione sua, & isti vocantur filii Israël, quia quælibet tribus de Israëlitis dicebatur filii Israël, & sic vocati sunt absolute filii Israël filii Manasse tanquam essent ipsi omnes Israëlitæ, vt patet præced. ca. scil. postquam autem conualuerunt filii Israël subuerterunt Chananæos, & accipiuntur filii Israël pro solis Manassitis, qui primò non prævaluerant contra hostes, qui erant in sorte sua, ad ultimum autem prævaluerunt. Itē patet, quia dicitur, quod filii Israël dederunt inter se Iosue locum habitandi, sicut iusserrat Dominus, sed hoc solis filiis Ephraim conuenit, quia ipsi intra se, id est in sorte sua dederunt possessionem Iosue, nulla autem alia tribus dedit ei possessionem.

Tertio modo possunt accipi filii Israël pro omnibus Israëlitis, scil. quod postquam ipse diuisit possessiones omnibus per sortes in Silo, ipse petrit possessionem pro se, & ibi omnes Israëlitæ congregati decreuerunt dandam sibi possessionem illam, quam ipse petebat. Quilibet horum modorum est convenienter: iste ultimus magis conuenit in cortice, quia omnes Israëlitæ simul magis propriè vocantur filii Israël, quā in predictis duobus modis. Et satis est rationabile, quod totus populus assignauerit possessionem Iosue, vt in hoc ipse cæteros excederet. Nam cæteri acceperunt possessionem, dantibus diuisoribus terræ qui erant iudices, Iosue autem nullum iudicem habuit, sed toto populo decernente hereditatem asseditus est, quilibet tamen prædictorum modorum satis habet rationem congruitatis.

Iosue filio Nun in medio sui. Ex ista litera videtur magis stare secundus, & tertius modus, quā primus, scil. quia in medio sui dederunt hereditatem, & tamē si acciperet ut pro iudicibus 12. diuisoribus non videtur quomodo ipsi inter se possessionem assignauerint, quia ipsi non erant in aliqua terra speciali coniuncta, sed dispersa per 12. sortes, cum pertineret ad duodecim tribus. Item quia ipsi nondum acceperant speciales partes: nam sola sortes tributum erant diuisæ: pro personis tamen non erat posita diuisio, potissimum in sortibus septem ultimis, quæ nunc posita sunt, quia de alijs non tantum constat: ideo inter se non poterant assignare possessionem. Accipiendo autem secundo modo stat, quia filii Ephraim acceperant iam sortem, & licet inter eos non esset facta diuisio specialis, tamen ipsa tribus habebat sortem, & sic poterant filii Ephraim inter se, id est in aliqua parte sortis suæ assignare portionem aliquam Iosue. Si autem accipiatur tertio modo, etiam stat, scilicet, quod omnes filii Israël dederunt Iosue possessionem inter se, vel in medio sui, quia tota terra Chanaan erat possessio Israëlitarum, & cum in aliqua parte eius suscepserit Iosue possessionem, diceretur suscepisse in medio filiorum Israël.

Iuxta præceptum Domini. Id est, Deus iusserrat, quod acciperet possessionem Iosue in terra Chanaan. Hoc fuit Num. 14. vbi alijs Israëlitis murmurantibus potissimum exploratoribus, Iosue & Caleb repugnauerunt toti multitudini dicentes, quod possent ascendere in terram Chanaan, & faciliter acquirent illam, & voluit eam tunc tota multitudo lapidare, nisi Deus defendisset apparente gloria Domini super tabernaculum. Et tunc dixit Deus, quod de omnibus numeratis à virginibus annis & suprà, isti soli introirent in terram Chanaan, & possiderent eam: illud autem fuit præceptum de assignando possesso.

A possessionem Iosue. *Vrbem quam postulauit Thannath Saraa.* Id est Iosue petuit ab Israëlitis, vt in forte sua darēt ei vñā vrbē, scil. Thannath Saraa: hanc enim elegit, & illi cōcesserunt eā. Est autem intelligendum, quod acceperit eam cum toto territorio suo, scil. cum omnibus vicis, & agris cæterisq; pertinētijs. Sacerdotes autem & Leuitæ, quando accipiebant vrbes, solūm ipsas accipiebant, non accipientes agros, nec vicos, sed sola suburbana, Num. 35. & suprà 14. cap.

In monte Ephraim. Sors Ephraim vocatur semper mons, vt patet suprà 17. cap. scil. si angusta est tibi possessio montis Ephraim: & non accipitur ibi pro aliqua parte speciali sortis ipsius, quæ esset montuosa, sed pro tota sorte: nam ibi totus Ephraim & Manasse tunc habitabant: & ad ambos simul verba ista dicta sunt, vt patet ibidem.

Et ædificauit ciuitatem. Non est sensus, quod de nouo construxerit eam Iosue, quia Thannath Saraa prius erat vrbs quā ipse cā peteret, sed dicitur ædificare, quia fortè cūm ista vrbs capta esset, more bellico ex magna parte expugnādo dirupta est, & illud restaurauit Iosue. Sic patet Nu. 32. c. de Ruben, & Gad, & dimidia tribu Manasse, de quibus dicitur, quod extrixerint vrbes, quæ habentur ibi pro vxoribus suis, & filiis: & tamen manifestum est, quod ipse vrbes erant prius stantes, vt patet ibidem ex litera, & sic est hic, quia dicitur, quod Israëlitæ dederunt Iosue vrbem, quam postulauit: ergo prius erat vrbs, quam ipse eam postularet. *Habitauitq; in ea.* Restaurauit vrbem, & ipse cum familia sua mansit ibi, & illa ciuitas pertinebat postea in ius filiorum suorum hæreditariè, quia patriorum Iosue fuerat data in titulum.

Ha sunt possessio[n]es. Hic ponitur epilogus præcedentium, scilicet, quod istæ prædictæ sunt possessio[n]es Israëlitarum, & refertur solūm ad eas, quæ habentur à principio 15. cap. vsque huc, quia iste fuerunt diuise per Iosue, & reliquos, de quibus hic. Possessio[n]es verò de quibus suprà 13. ca. non fuerunt per istos diuise, sed per Moyse, vt patet ibidem. & refertur hic ad possessio[n]es tribuum solūm, quia licet tam possessio[n]es familiarum, quām tribuum fuissent sorte diuise, vt patet Numer. 26. cap. tamen Iosue solūm diuisit, & sortes posuit inter possessio[n]es tribuum: postea verò ipse tribus acceptis possessio[n]ibus suis, diuiserunt eas inter se per familias cuiuslibet tribus sortes ponentes, & ob hoc non describuntur partitio[n]es factæ inter familias, quia illas non fecit Iosue, nec posuit sortes inter illas.

Quas sorte diuiserunt Eleazar. Licet viri triginta sex missi de omnibus tribibus describentes terram diuiserunt eam in portiones, sicut postea tribus acceperunt: tamen non dicuntur ipsi diuise esse terram, quia nondum erat diffinitum quam partem quælibet tribus acceptura erat, cūm verò sortes posita fuerunt à Iosue, & Eleazaro, prouenit determinatè cuiilibet tribui pars sua, ideo ipsi dicuntur diuise. Etiam quia alij missi nomine corum fecerunt, vt præcedenti cap. declaratum fuit.

Eleazar sacerdos, & Iosue filius Nun. Isti duo erant principales diuiseores terræ præter 12. qui de singulis tribubus assignati fuerunt. Erat autem Eleazar sacerdos summus filius Aaron, & ipse fuit diuisor etiam viuente Moyse. Ad ipsum enim & Moysem accesserunt filii Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manasse petentes hæreditatē ante transitum Iordanis, & ambo conesserunt. Coram eo etiam ventilabantur causæ, sicut coram Moyse, in quibus agebatur de suscipienda hæreditate in terra promissionis. de 1. Num. 32. de 2. Num. 27. cap.

Et principes familiarum ac tribuum. Ista litera videtur innuire, quod principes omnium familiarum, & tribuum conuerunt ad faciendam diuisionem, scilicet, quod ipsi ponebant sortes, & erant iudices horum quæ siebant, per quorum auctoritatem ista validabantur: & tunc cūm quælibet tribus habeat vnum principem, qui erat primogenitus veniens à capite tribus ipsius per lineam primogenitorum tribus ipsius, de quibus Numer. 1. & 2. essent duodecim principes tribuum ad hanc diuisionem faciendam. Etiam familiae habebant principes, quia familie sunt cognationes speciales sub ipsa tribu, in quas diuiditur immediate tribus, & quælibet tribus habebat alias familias. Quot autem essent in quælibet tribu, patet Num. 26. vbi enarrantur nominatim. Tot autem principes conuenirent ad istam diuisionem, quot essent in familij. Sed falsum est hoc, quia Deus assignauit diuiseores terræ ex

nomine, vt patet Num. 34. ergo nullus auderet se intromittere ad vindicandum sibi potestatem istam, vel iurisdictionē præter illos, nec Iosue alios statueret: quia hoc videretur contra diuina statuta: sed ipse statuit 12. diuiseores, scil. vnum de qualibet tribu, ergo nulli alij fuerunt: isti tamen non erant principes tribuum, vt patet Num. 34. vbi ponuntur nomina eorum, sed constat, quod alij erant tunc principes tribuum, quām ipsi nominati, ergo non fuerunt principes tribuum, & familiarum diuiseores.

Sed dicendum, quod erant 12. diuiseores assignati à Deo, & vocantur principes, quia erat datus eis quidam modus principatus, vel iurisdictionis: vnde principes appellantur, cūm electi fuerunt à Deo, Num. 34. etiam vocantur principes tribuum, & familiarum, quia principabuntur omnibus tribibus, & familiis, cum ipsi solūm possent diuidere tribus, & familiis possessio[n]es. Aliquando autem vocantur solum principes familiarum, vt patet suprà 14. cap. nam æquale est esse principem omnium tribuum. & omnium familiarum, quia nihil continent omnes tribus præter omnes familias. Ita autem expositio stare videtur, quia nomina virorum electorum, Num. 24. non videbantur esse nomina principum tribuum ipsius temporis, cūm alij viderentur primogeniti eorum: constat enim quod in deserto in tribu Iudeæ fuit princeps Naason, vt patet Num. 1. filius autem Naason fuit Salmon, vt patet Ruth 4. & Matth. 1. & iste introiuit in terram Chanaan, quia accepit in vxorem Raab Ierichontinam, vt patet Matth. 1. scilicet, Salmon autem genuit Booz de Raab: ergo per lincam iste debebat esse princeps in tribu Iudeæ in introitu in terram Chanaan & non Caleb, qui ponitur de diuiseoribus, Num. 34. cap.

Sed fortè dicendum erit, quod principatus fuerunt mutati ex quibusdam illarum linearum, in quibus prius erant ex Dei dispositione, vel ex alia causa ad alias linearas, & sic omnes qui fuerunt diuiseores terræ essent principes familiarum, & tribuum: & istum sensum videtur facere litera Num. 34. cap. cūm dicitur: *Ha sunt nomina virorum, qui terram vobis sorte diuident, Eleazar sacerdos, & Iosue filius Nun, & singuli principes de tribubus suis.* Et tunc isti viri cūm essent principes tribuum, dicebantur esse principes tribuum, & familiarum, quia nihil amplius continent familie omnes, & tribus, quām sola tribus, & nihil magis omnes tribus, quām sola familiæ: ideo quilibet princeps alicuius tribus, erat princeps omnium familiarum quæ sunt in ipsa tribu, & omnes principes tribuum simul sunt principes omnium familiarum, quia nūla earum est extra tribus. Vnde quando dicitur, quod principes tribuum, & familiarum diuiserunt terram istam, non est accipiendum hoc tanquam distincti sint principes tribuum, & familiarum, & præter ipsos principes tribuum venirent ad diuisionem principes familiarum: sed 12. principes 12. tribuum Israël, qui sunt principes tribuum, & familiarum omnium diuiserunt istam terram, & nulli alij accesserunt. Satis consonat iste sensus, sed magis conueniens videtur primus sensus, scil. quod non essent isti duodecim principes duodecim tribuum, ex causa suprà assignata, scil. quia non erant de linea principum præcedentium, sed vocantur principes tribuum, & familiarum, quia tam tribubus quām familiis principabantur eis distribuendo possessio[n]es. Et cūm objeicitur, quod Numer. 34. ponuntur isti esse principes tribuum negandum est, quia ibi dicitur: Eleazar sacerdos, & Iosue filius Nun, & singuli principes de singulis tribubus, id est quælibet tribus dabit vnum principem, scilicet vnum virum, qui sit princeps in diuisione hac: non tamen dicit, quod isti erant principes ipsarum tribuum.

In Silo coram Domino. Id est, fuit facta diuiso in Silo: nam quamquam descriptio terræ fuit facta discurrendo per ipsam terram in volumine, quod portabant viri 36. tamen diuiso facta est in Silo cūm sortes posite sunt, vt patet præced. cap. ex ibi dicitur. Et dicitur factum esse in Silo, quia totus Israël conuenerat illuc ad accipiendum sortes, vt patet præced. cap. Et dicitur coram Domino, id est coram tabernaculo, scil. intra atrium, quia in tabernaculo videbatur Deus specialiter habitare, & ea, quæ erant ante tabernaculum potissimum ante ostium illius dicebantur esse coram Domino. Et ob hoc cūm omnes offerentes quicquam in Sanctuario portarent illud ante ostium tabernaculi, dicebantur obtulisse coram Deo, vt patet

A pater ex processu totius Leuitici, vel dicebantur fieri coram Domino hoc, id est coram altari holocaustorum, quod erat in atrio tabernaculi circa ostium illius ad latus Meridianum. In hoc altari Deus specialiter esse videbatur: quia fiebant ibi illi specialia obsequia, scilicet, quia solum sacrificia fiebant ibi; ideo quaecunque ante altare illud essent, coram Domino esse dicebantur. Ibi autem positae fuerunt sortes, quia quia descriptae fuerunt sortes septem terrae in septem schedulis, quae in quodam inuolucro positae fuerunt; & tunc facta oratione, ut Deus per has sortes indicaret quid vellet a qualibet tribu possideri: miserunt manus in inuolucrum, & inde eduxerunt schedulas continentibus sortes, & sic possessio cuiuslibet tribus determinata est, quod fuit solum quantum ad septem tribus, quia duas tribus, & dimidia iam acceperant possessionem ante Iordanem de manu Moysi, ut patet supra 13. & alia duas tribus, & dimidia, scilicet Iudas Ephraim, & dimidia Manasse, acceperunt postea possessionem de manu Iosue per sortes, sed non fuerunt positae hic nunc sortes earum. De modo autem harum supradictarum & 16. cap. dictum est: solum autem de septem tribubus fuit factum, quod dicitur, ut patet praeced. cap.

B *Intra tabernaculum sortes sacerdotibus ingredi licebat.* Ad ostium tabernaculi testimonij. Id est, istae sortes posita fuerunt ante ostium tabernaculi, scilicet, in atrio tabernaculi. Intra tabernaculum autem non licebat alicui ingredi, nisi sacerdotibus, quia erant ministrations, ut patet Numer. 3. & magis 18. immo Leuitis non licebat illuc ingredi, quia si viderent vasa Sanctuariorum nuda morerentur, ut patet Numer. 4. cap. quanto minus liceret alijs, & tamen si intrarent in tabernaculum, necessario viderent vasa nuda, ergo non licebat illuc cuiquam ingredi, nisi sacerdotibus: & hoc signat Apostolus ad Hebr. 9. vbi dicitur, quod in primam partem tabernaculi introabant sacerdotes quotidie: in secundum autem tabernaculum, scilicet Sanctum sanctorum, solus summus sacerdos semel in anno, & non sine sanguine: ergo videtur, quod solis sacerdotibus licebat introire. Et patet, quia introitus in tabernaculum siebat solum ad ministrations aliquas, sed nulli licebat ministrare quaecunque in Sanctuario etiam in atrio eius, nisi sacerdotibus, ut patet Numer. 3. & 18. capit. ergo nullus accedebat, ut introiret in tabernaculum, nisi sacerdotes. Vnde sortes non potuerunt poniti intra illud, sed extra in atrio eius. Vocatur tabernaculum testimonij, quia intra se continet testimonium: est autem testimonium in tabulis legis, quae posita fuerunt in arca: nam illae vocantur testimonium, ut patet Exod. 25. scilicet pones testimonium in arca, scil. tabulas: & dicuntur testimonium, quia ponebantur ibi in testimonium contra Iudeos, quod Deus dedisset eis legem, & si quisquam negare vellet, posset conuinci ex tabulis illis. De modo autem, quo istae tabule probarent, & an maneret firmum testimonium, declaratum est Exod. 25. cap. ab his tabulis vocabatur area illa, in qua erat arca testimonij, id est continens testimonium, scil. tabulas, & tabernaculum. Vocatur tabernaculum testimonij, quia intra illud erant tabulae & arca. Etiam vocatur tabernaculum foederis interdum: de hoc praeced. cap. in principio dictum est.

C Partitum sunt terram. Id est, diuiserunt totam terram Chanaan. Nam terra, quae erat ante Iordanem ad Solis ortum, non pertinebat ad terram Chanaan, ut probatum est supra 14. & in hac acceperunt possessionem duas tribus, & dimidia: diuisitque illam Moyses. reliqua autem terra ad Occidentalem partem Iordanis usque ad mare magnum Occidentale pertinet ad terram Chanaan, & termini huius describuntur Numer. 34. in hac autem suscepserunt possessionem nouem tribus, & dimidia, quibus dedit sortes Iosue in Silo: & sic non mansit aliquid diuidendum in tota terra promissionis post hoc, licet multa terra capienda adhuc manebat, sed diuisa est priusquam capta, ut patet supra 13. capitulo.

C A P U T X X.



D *T locutus est Dominus ad Iosue, dicens: Loquere filij Israël, & dic eis: Separate urbes fugitiorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi, ut confugiat ad eas quicunq; animam percussit nescius: & posse euadere iram proximi, qui ultor est sanguinis, cum ad unam harum confugerit ciuitatum, stabitque ante portam ciuitatis, & loquetur senioribus urbis illius ea, quae se comprobent innocentem, sicque suscipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum. Cumque ultor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus eius, quia ignorans percussit proximum eius, nec ante biduum, triduumque eius probatur inimicus. Et habitabit in ciuitate illa, donec stet ante iudicium causam redens facti sui, & moriatur sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc reuertetur homicida, & ingredietur ciuitatem, & domum suam, de qua fugerat.*

E *T locutus. Acto in superioribus de terra promissionis divisione, hic agitur de priuilegiatorum locorum separatione. Sunt autem ista loca, quae vocantur fugitiuorum, ut patet infra, quia ad aliquam eorum confugiens saluabatur in voluntarius occisor.*

Et diuiditur in duo. Primo ponitur legis primo positae à Deo remoratio: secundo ciuitatum fugitiuorum separatio, ibi. Decreveruntque. Circa primum. Et locutus est Dominus ad Iosue. Sæpe Deus loquebatur ad Iosue, quia Propheta erat.

Pluribus modis loquebatur Deus in veteri testamento.

Q V A E S T I O I .

F *D E modis autem quibus ei Deus loqueretur, declaratum est supra 1. 3. & 4. cap. Pluribus enim modis loqui poterat, scilicet, apprendendo illi in assumpta effigie, sicut apparabat aliquando alijs, & ipsimet Iosue Angelus Domini apparuit sic apud urbem Iericho in agro eius, ut patet supra quinto.*

Alius modus erat si formaretur aliqua vox in aëre ab aliquo angelo, & non videretur aliquod corpus humanum, vel simile illi. sicut cum locutus dicitur Deus ad Iudeos super montem Sinai: nam vocem audierunt, sed figuram nullam viderunt, Deut. 8. & sic loquebatur Deus Moysi, & multis alijs in columna nubis apud ostium tabernaculi, ut patet Exod. 33. & Num. 12. Etiam quando loquebatur angelus in propitiatorio, de quo Exod. 25. & Num. 7. c.

Alius modus erat, si Deus per somnium moueret species phantasticas Iosue mirabiliter faciendo alias conceptiones speciales, vel causando species nouas, quae non præfuerint in phantasia, & per istas faceret intelligere Iosue, quod aliter intelligere non poterat. Sic siebat, ut plurimum in Prophetis: nam per somnia reuelationes accipiebant, ut patet Numer. 12. scil. per somnium loquar ad illum. Omnes hi modi poterant esse locutionis Dei ad Iosue. Poterat tamen adhuc Iosue inquirere veritatem à Deo, quam vellet, scilicet, faciendo, quod Eleazar sacerdos magnus consuleret Dominum pro eo: & iste modus fuit ei assignatus à Deo viuente Moysi, quando primo datum est præceptum, quod succederet Moysi in principatu, ut patet Numer. 27. scilicet, pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Alius modus adhuc erat, per quem Moyses cognoscet dubia per Deum, scilicet in treuendo in Sancta Sanctorum, & ibi petendo à Deo, & respondebatur tunc de propitiatorio, ut patet Num. 7. cap. sed hunc modum non habebat Iosue, quia non licebat ei ingredi in sancta Sanctorum: nec in primam partem Sanctuariorum in tabernaculum, quia hoc solis sacerdotibus conueniebat: Iosue vero non erat sacerdos,

cum

A cum esset de tribu Ephraim, ut patet Numer. 13. cap. Moysi autem specialiter licuit, quia ipse construxit tabernaculum, & fuit omnium ceremoniarum pater. Sed loco huius competebat Iosue, quod ipse peteret a sacerdote magno, & ille consuleret Dominum pro illo, ut dictum est. Omnibus ipsis modis cognosci poterant veritates reuelatae a Deo. Sed quod hic dicitur non pertinet ad omnes istos modos, quia in ultimis duobus modis non cognoscuntur veritates, nisi per inquisitionem, sed hic non inquisiuit aliquid Iosue a Deo, sed ipse locutus fuit ad Iosue iubens ea, quae habentur hic: ergo ad primos quatuor modos pertinet, & in illis duo sunt verisimiliores, scilicet, quod appareret angelus Domini Iosue, & loqueretur ista quae habentur hic, vel quod loqueretur ei, & tamen non videretur aliquod corpus assumptum.

An hac locutio de separatione urbium fugitiuorum fuerit facta ante diuisionem sortium, vel post. Et quot fuerunt.

Q V A E S T I O II.

QUARET aliquis de ista locutione, quando facta fuit, scilicet, an ante ea, quae supra posita sunt de diuisione sortium, vel post.

B Respondendum, quod postea facta fuit, quia hic dicitur de separatione urbium pro fugitiuis, & separatae fuerunt ciuitates de sortibus tribuum, ut patet infra, ergo istae tribus iam habebant possessiones, sed nunquam istae tribus habuerunt possessionem, quo usque facta est distributio, de qua supra patet: ergo iam fuerant diuisae forte portiones tribuum.

Tunc dubitatur, an fuerit causata ista locutio immediate post diuisionem possessionum, vel magno tempore post.

Respondendum, quod non potest constare, tamen videatur dicendum, quod fuerit factum immediate, scilicet, quod tota multitudo Israël, vel saltem de omnibus tribibus Israël fuit facta congregatio in Silo cum fuit facta diuisio ista, ut patet supra 18. & tunc cum quelibet tribus accepisset sortem suam, distributa sunt ciuitates pro fugitiuis, & hoc conueniens est, quia ad istam distributionem ciuitatum debebat congregari totus Israël, cum deberet iudicari de quibus tribibus ponerentur vrbes confugij, & quia nunc totus conuenerat ad ponendum sortes, melius nunc possent decerni vrbes fugitiuorum, quam alio tempore, & sic est dicendum, quod nunc factum fuerit.

C *Loquere filii Israël.* Deus loquebatur ad prophetas suos, & ipsi proponebant verbum toti populo: sic enim erat viuente Moyses, quia Deus loquebatur ei, & ipse toti plebi, per se autem locutus fuit Deus Israëlitis, scilicet, per Angelum suum solum in monte Sinai dando legem decem præceptorum, ut patet Exod. 20. sed postea potentibus Israëlitis, quod non loqueretur Deus eis, sed Moyses, quia timebant mori Exod. 20. & Deuter. 5. ac 18. cap. locutus fuit Moyses, & nunquam Deus: promisit enim quod non loqueretur amplius eis, sed per prophetas suos, ut patet Deuter. 18. cap. Causa autem quare Deus non loquebatur omnia præcepta ad populum in voce tubæ, sicut fuit locutus in primis decem declarata sunt Exod. 20.

Separate vrbes fugitiuorum. Considerandum circa hoc, quod Deus dederat leges de homicidiis, Exod. 21. in quibus occidentes per industriam, vel insidias, vel quomodolibet voluntarie, occidi iubentur: aliqui autem sunt, qui occiderunt iniuoluntarie, ut si quis iret ad scindendum ligna cum alio, & lapsum ferrum de manubrio percuteret proximum atq; occideret: hi non erant occidendi, & de his dictum est eodem cap. Constituam tibi locum, quo fugere debeat. Ad hoc postea distinxit Deus ciuitates. Nam cum peruererunt Israëlitæ ad terram duorum regum Amorrhæorum capientes illâ, iussit Deus, quod separarentur sex ciuitates pro fugitiuis, tres ante Iordanem ad solis ortum, & tres aliae ad solis occasum trans Iordanem, ut patet Numer. 35. cap. tres harum separatae sunt viuente Moysen terra ad orientem Iordanis. Et quia illa terra diuisa erat duabus tribibus, & dimidiæ, in qualibet harum portionum fuit assignata una ciuitas, scilicet, in forte Ruben fuit Gofor in solitudine; in forte Gad fuit ciuitas, quae vocatur Ramoth Galaad, quia est in monte

D Galaad: in dimidia sorte Manasse fuit Gaulon, vel Golam in terra Basan. Iste tres ciuitates habentur Deuter. 4. & Iste: aliae tres erant in terra Chanaan ad occidentem Iordanis constitutæ, & istæ fuerunt tempore Iosue constituta, scilicet Sichem in sorte Ephraim, & Cedès in sorte Nephthali in Galilea, & Hebron in sorte Iudeæ, de qua habetur hic in litera. Et istæ tres vrbes constituta sunt pro fugitiuis parum post ingressum Israëlitarum in terram Chanaan, scilicet, immediate, ut fuerunt datae fortes, ut supra declaratum est. Iussit etiam Deus, cum dilatarentur termini Israëlitarum, quod adiungerentur tres aliae vrbes, ut patet Deuter. 19. de illis, an fuerint additæ, vel quando non constat: a principio autem solum iubebant separari vrbes tres in terra Chanaan, Num. 35. & Deuter. 19. id est de ipsis dūtaxat hic dicitur, quod ipsa separatae sunt. De ipsis ciuitatibus erat considerandum, quod æqualiter inter se distarent, & hoc ut quicunq; occidisset alium ne sciret haberet locum propinquum. Si autem ciuitates multum distarent propter longitudinem viæ caperetur in via occisores. De hoc Deut. 19. ca. vocantur istæ vrbes fugitiuorum, id est, ad quas fugere deberent, qui occiderant aliquem nolentes.

E *De quibus locutus sum ad vos.* Dicit hoc, quia præceptum de separatione urbium paucum tempore ante hoc datum fuerat, scilicet, post captam terram duorum regum Amorrhæorum paulo ante transitum Iordanis anno quadragesimo ab exitu de Ægypto, & paulo post mortuus est Moyses, vnde omnes qui nunc erant, tunc fuissent, quia forte non effluxerant octo anni. Fuit autem locutus de his vrribus separandis, Numer. 35. & Deuter. 19. cap.

Per manum Moysi. Id est, per Moysem. Nulla locutio per manum fit, quia non est organum formatum vocis, sed accipitur large, & hoc est, quia manus est communissimum organum, & vocatur secundum Arist. organum organorum, ideo actus aliorum organorum trâsumuntur ad actum manuum, ita ut quidquid sit per manus fieri dicamus: & sic dicitur istud negotium expeditum fuit per manus illius, & tamen negotium non expeditur per manus: sed per actum rationis. *Vt confugiat ad eas quicunque animam percutierit necrum.*

Locutio per manum quid sit.

An ciuitates refugij essent solum in refugium homicidarum, vel etiam omnium aliorum delinquentium seu debitum oppressorum. Et ad quid proficiebant istæ vrbes. Et qui homicidae gaudebant immunitatem in vrbe, & quinon. Et qui medici sint homicidarij.

Q V A E S T I O III.

CONSIDERANDVM per hoc, quod istæ ciuitates solum erant ad refugium hominum qui occidissent aliquos, si autem aliquis vulnerasset, sed non occidisset (etiam si grauiter vulnerasset) non debebat refugere in vrbes istas, quia solum fugitiui illi ad vrbes has confugiebant, ut ibi mortem quâ al as impune pati poterât evitarent: nā qui occidisset hominem (etiam si neclens) si inueniretur extra aliquam harum vrbi poterat impune occidi, ut patet Numer. 35. & Deuter. 19. qui autem vulnerasset solum non occidens, non poterat impune occidi, etiam si infidoles vulnerasset: ideo confugere non debebat illuc. Item si aliquis alium infamasset, vel qualitercumque nocuisset, ita ut timeret mortem, non poterat confugere illuc, ut evaderet; nec proderat sibi quidquam huiusmodi ciuitas. Qui erant debitores, non poterant fugere illuc, ita quod non possent trahi inde ad iudicium, vel alicagi pro debitis, vel pati alias poenas legales. Item nullus de furibus, aut latronibus poterat evadere in vrribus his, siue eis est de publicis, & famosis latronibus, siue de non famosis, sed inde trahebatur ad iudicia. Item ipsi, qui à casu occidissent aliquem, non defendebant ibi totaliter, sed educebantur inde ad ventilandum causam in loco in cuius territorio commisum esset homicidium, & si inueniretur reus, qui confugerat, mox tradiebatur in manus hostis sui, ut occideret eum, nec reduceretur in vrbe, in quam confugerat. Nunc autem in Ecclesia si quis illuc homicida confugerit, non educetur ad iudicium, nec ad quidquam aliud: & dato, quod sit manifeste reus homicidij, non occidetur dum ibi manere voluerit. Solum autem proficiebat vrbs confugij, ut ille, qui confugerat priusquam ventilaretur

F

A causa homicidij, non posset occidi impune ab aduersario in vrbe illa, quod fieri posset in omni alio loco. Etiam vt post vtilitatem causam, & absolutionem rei ab impenitentia actoris, maneret occisor securus in vrbe, ad quam confugerat, quod non contingebat in aliis locis. Nam postquam aliquis erat per sententiam absolutus ab impenitentia super homicidio, etiam poterat occidi a cognatis occisi impune si reperitur in alio loco quam in vrbe refugij, vt patet Numer.35.

Considerandum vltius, quod cum ista ciuitates proficerent occisoribus, tamen non omnibus, quia solum dicitur de his, qui sanguinem nescientes effunderent.

In quo sciendum, quod quidam erant occidores voluntarij, & alij non voluntarij. Voluntarij distinguuntur in tres, scilicet, per insidias, per industria, vel quomodo cunque aliter voluntarie.

Primus modus est, vt cum quis alii insidiatus est, & ex insidiis incautum, & non videntem occidit, & iste est grauissimus modus.

Secundus modus est per industria, scilicet, si aliquis non insidioso occidit aliquem, sed desiderans cum occidere excoxituit verba aliqua quibus moueret eum ad iram, vel offendula aliqua in factis, & sic esset causa iurgiorum, & haberet colorem ad occidendum. Iste modus est valde grauis, quamquam minor est quam ex insidiis.

Tertius modus est aliter voluntarie: vt si aliquis non excoxitauerat qualiter occideret alterum, sed non ex accidenti facta diffensione inter aliquos cōsurrexit quidam in alium, & occidit eum: iste minus grauis est prædictis. Pro quolibet tamen horum infligebatur mors. Exponuntur isti modi, Exod.21. scilicet, Qui percussit hominem volens occidere, morte moriatur, & iste est tertius modus. Primi duo ponuntur, cum dicitur: Si quis per industria occiderit proximum suum, & per insidias ab altari meo euellas eum, vt moriatur: isti non gaudebant immunitate vrbi quantum ad aliquid. Respondendum est, quod litera dicit solum gaudere illos, qui occidissent nolentes.

B Sed dicendum, quod hoc intelligitur quantum ad plenam immunitatem: tamen quantum ad aliqualem necesse est, vt dicamus etiam quoscunque occidores gaudere.

Sed considerandum, quod quandoconque aliquis confugebat in has vrbes, veniebat ad iudices qui sedebant in portis, & dicebat se hominem occidisse, sed a casu: & tunc illi tenebant suscipere eum in vrbe, & dare sibi locum ad habitandum, nec permettebant, quod aliquis eum de vrbe educeret, vel in vrbe occideret. Et si hostis suus eum in vrbe occideret, etiam si esset reus homicidij, qui ad vrbe confugerat, tenebatur res violata immunitatis, qui sic occidebat.

C Sed sciendum, quod quando aliquis veniebat ad vrbe aliquam configuj, aut confitebatur se egisse voluntarie, vel a casu. Si primo modo iudices vrbis non recipiebant eum in vrbe, vel si permitterent, non gaudebat immunitate, sed cuiusque vltori sanguinis volenti occidere illum permittebatur, vel si peteret eum, tradebatur in manus eius. Si autem diceret se occidisse a casu, siue sic esset veritas, siue non, recipiebant eum senes in vrbe: nec tenebatur probare innocentiam suam, quia tunc necessarium erat, quod verteretur causa homicidij coram iudicibus vrbis illius, & quod citaretur vltor sanguinis, si forte aliquid vellet obiicere.

D Sed falsum est, quia ista causa ventilabatur in vrbe, in cuius territorio perpetratum fuerat homicidium ad petitio-

nem vltoris sanguinis, & postea si reus esset occisor ibi occidebatur, sin autem reducebatur per sententiam in vrbe, ad quam confugerat, vt patet Numer.35. Solum ergo proponebat verba sua coram iudicibus vrbis, per quæ induceretur eum esse innocentem, & tamen non tenebatur probare veritatem horum, & tunc iudices decernebant, quod maneret in vrbe, & nemo ei nocere posset, & tunc gaudebat immunitate vrbis, & hoc siue verum dixisset, siue non: manebat autem in vrbe illa quousque aliquis eum accusaret coram senibus ciuitatis illius reum homicidij, & tanc ipsi sub diligentia custodia transmittebant eum ad vrbe, in qua homicidium patratum fuerat, vt ventilaretur causa. Si autem falsum expressisset, & probaretur hic reus homicidij, non reducebatur in vrbe ad quam confugerat, sed tradebatur accusatori, vt occideret, si vellet illum: & iam non gaudebat immunitate vrbis, tamen toto tempore antequam traderetur ad agitationem cause gaudebat immunitate. Si autem absoluerebatur ab impenitentia accusatori reducebatur per sententiam in vrbe, in quam confugerat, & manebat ibi usq; ad summi sacerdotis mortem, & postea liber erat. Et hi gaudebant

plena

An qui per insidias, vel quomodo cunque sponte occidebat, gaudebat quantum ad aliquid immunitate vrbi.

Q V E S T I O IV.

E

Q UÆRET aliquis de illo, qui occidebat alium per insidias, vel industria, aut quomodo cunque voluntarie: si gaudebat immunitate vrbi quantum ad aliquid.

Respondendum est, quod litera dicit solum gaudere illos, qui occidissent nolentes.

Sed dicendum, quod hoc intelligitur quantum ad plenam immunitatem: tamen quantum ad aliqualem necesse est, vt dicamus etiam quoscunque occidores gaudere.

Sed considerandum, quod quandoconque aliquis confugebat in has vrbes, veniebat ad iudices qui sedebant in portis, & dicebat se hominem occidisse, sed a casu: & tunc illi tenebant suscipere eum in vrbe, & dare sibi locum ad habitandum, nec permettebant, quod aliquis eum de vrbe educeret, vel in vrbe occideret. Et si hostis suus eum in vrbe occideret, etiam si esset reus homicidij, qui ad vrbe confugerat, tenebatur res violata immunitatis, qui sic occidebat.

Sed sciendum, quod quando aliquis veniebat ad vrbe aliquam configuj, aut confitebatur se egisse voluntarie, vel a casu. Si primo modo iudices vrbis non recipiebant eum in vrbe, vel si permitterent, non gaudebat immunitate, sed cuiusque vltori sanguinis volenti occidere illum permittebatur, vel si peteret eum, tradebatur in manus eius. Si autem diceret se occidisse a casu, siue sic esset veritas, siue non, recipiebant eum senes in vrbe: nec tenebatur probare innocentiam suam, quia tunc necessarium erat, quod verteretur causa homicidij coram iudicibus vrbis illius, & quod citaretur vltor sanguinis, si forte aliquid vellet obiicere.

Sed falsum est, quia ista causa ventilabatur in vrbe, in cuius territorio perpetratum fuerat homicidium ad petitio- nem vltoris sanguinis, & postea si reus esset occisor ibi occidebatur, sin autem reducebatur per sententiam in vrbe, ad quam confugerat, vt patet Numer.35. Solum ergo proponebat verba sua coram iudicibus vrbis, per quæ induceretur eum esse innocentem, & tamen non tenebatur probare veritatem horum, & tunc iudices decernebant, quod maneret in vrbe, & nemo ei nocere posset, & tunc gaudebat immunitate vrbis, & hoc siue verum dixisset, siue non: manebat autem in vrbe illa quousque aliquis eum accusaret coram senibus ciuitatis illius reum homicidij, & tanc ipsi sub diligentia custodia transmittebant eum ad vrbe, in qua homicidium patratum fuerat, vt ventilaretur causa. Si autem falsum expressisset, & probaretur hic reus homicidij, non reducebatur in vrbe ad quam confugerat, sed tradebatur accusatori, vt occideret, si vellet illum: & iam non gaudebat immunitate vrbis, tamen toto tempore antequam traderetur ad agitationem cause gaudebat immunitate. Si autem absoluerebatur ab impenitentia accusatori reducebatur per sententiam in vrbe, in quam confugerat, & manebat ibi usq; ad summi sacerdotis mortem, & postea liber erat. Et hi gaudebant

F

plena immunitate vrbium. Non est ergo aliquis occisor cui solum aliquo tempore non proficeret immunitas harum vrbium, nisi forte confiteretur delictum suum coram iudicibus in vrbis refugij.

An qui voluntarie aliquem occidebat, tamen se defendendo gaudet immunitate vrbium. Et quod duo erant tempora quibus manebat profugus in vrbere refugij.

Q V A E S T I O V.

QVÆRETVR de illo, qui occidit voluntarie aliquem, tamen se defendendo, an gaudeat immunitate vrbium. Respondendum est, quod sic, quia ista immunitas accipiendo complete dabatur omnibus illis, qui non tenebantur rei homicidij, cum solum esset ista immunitas, ut vltor sanguinis non posset occidere tales occisorem, si eum alicubi periret, sed ille qui occiderat alium se defendendo non tenebatur reus mortis, ergo in vrbre hac gauderet immunitate, nec liceret hosti suo occidere eum impune. Nec principaliter est dubium de hoc, sed magis est dubium, an qui occidit alium se defendendo, teneretur ad leges vrbium refugij. Erat autem conditio earum, quod si quis ventilata causa sua absoluueretur, reducebatur ad vrbem, ad quam configuerat, & in illa tenebatur manere usque ad mortem summi sacerdotis: si vero ante hoc extra vrbem reperiretur, poterat impune occidi, licet per sententiam ab homicidio absolutus esset, vt patet Numer. 35. & Deuter. 19. cap. De hoc ergo stat dubium, an qui occiderat alium se defendendo, teneretur manere in ciuitate refugij toto tempore quanto manebat ille, qui occiderat a casu. Pro quo distingendum, quod duo erant tempora, quibus manebat profugus in vrbre refugij, scilicet, primo antequam ventilaretur causa homicidij, scilicet, an esset reus sanguinis, vel non: secundum erat postquam esset facta determinatio, & absolutus esset occisor, reducebatur enim per sententiam in vrbem, in quam configuerat, vt patet Numer. 35. & manebat ibi usque ad mortem summi sacerdotis. De primo tempore dicendum, quod occidens alium etiam se defendendo deberet configere in vrbem refugij antequam ventilaretur causa, quia tunc vertebatur in dubium an recte occidisset, vel non: cum autem esset determinatum, quod iste non esset reus mortis non tenebatur redire in vrbem, ad quam configuerat, sed poterat manere in qualibet alia vrbre: nec poterat vltor sanguinis occidere istum, in quocunque loco reperisset: sicut poterat interficere occisorem casualem si reperiret, eum in quocunque loco extra vrbem refugij. Causa est, quia non erat tanta strictio in occisore defendantem se, sicut in occisore casuali, quia de occisore defendantem se constabat, quod erat a culpa immunis: de casuali autem non tantum constabat potissimum in quibusdam casibus, cum nemo viderat occisionem fieri, sed iudicabatur ex præsumptionibus: vtputa si duo viri pacifice iuissent in syluam, inter quos a diebus paucis non fuisset rixa, vel iniuritiae, vel odium: & ferrum lapsum de manubrio securis occideret alterum, qui occiderat iudicabatur innocens, cognitio quod inter hos non fuisset odium a paucis diebus, vt patet Numer. 35. cap. & tamen quamquam haec essent: satis esse poterat, quod unus alterum occidisset a proposito: erat tamen ista præsumptio satis rationabilis. De hoc Deuter. 19. cum vero aliquis alterum occidisset se defendendo, constituto quod sic factum esset, erat magis immunis ab omni suspicione homicidij: ideo minus astringeretur ad manendum in ciuitate refugij, quam occidens casualiter. Itud aliqui tenent, & satis videtur rationabiliter dici, sed non applicatur ad literam. Nam ista lex data est de occisoribus casualibus: qui autem se defendendo occidit, non occidit casualiter, ideo non tenebitur hac lege: sed siue ante causæ ventilationem, siue post, non poterat occidi huiusmodi occisor; quia iure suo vtebatur alium occidens se defendendo. Et si aliquis propinquus occisi occideret hunc occisorem ante causæ ventilationem, vel postea, confito quod ille fuerat occisor per defensionem, iste qui eum occidit reus erit homicidij.

(...)

Quare priuilegium immunitatis occisorum datum fuit vrbibus, & non Sanctuario. Et nunc datur Ecclesiis, & cœmeteriis, & non vrbibus in quibus non accidunt ea tria inconuenientia que respectu Sanctuarij accidebant.

Q V A E S T I O VI.

QVÆRETVR quare priuilegium immunitatis vrbium pro inuoluntariis occisoribus non fuit datum Sanctuario, & fuit datum vrbibus, sicut in nouo testamento ista iura immunitatis sunt Ecclesiarum, & cœmteriorum, & non sunt vrbium, vel oppidorum.

Respondetur, quod non decuit in veteri testamento immunitatem hanc tribui Sanctuario, sed vrbibus ex triplici causa. Prima quia Deus volebat, quod nullus de occisoribus casualibus periret: & tamen concedebat rursus, quod propinquai viri occisi possent occidere interfectorum, ybi cuncti cum apprehenderent preterquam in loco configurij. Primum patet Deuter. 19. ideo mandauit Deus, quod non esset unica vrbis, sed tres vrbes ad orientem Iordanis, & totidem ad occidentalem plagam eius, ut patet Numer. 35. & infra in litera. Etiam postquam dilatauerunt termini terræ Iudaorum debabant addi aliæ tres vrbes, ut patet Deuter. 19. cap. Quia si una esset, non possent de omnibus partibus terræ Chanaan illuc configere, quia multum distaret, & possit vltor sanguinis comprehendere in via occisorem, & interficeret innocentem. Etiam iussum est ob hoc, quod constituerentur vrbes iste in debita proportione equalitatis, ita ut ex omni parte terræ aequalis distantia, vel proportionalis esset, & non distarent multum à ciuitatibus refugij quædam vrbes terræ Chanaan, & aliæ essent propinquæ, ut patet præallegato cap. Item iubebatur, quod via planaretur diligenter, ut non haberent offendiculum fugiendi effusores sanguinis in uoluntarij, ut patet eodem cap. Quod autem concederet Deus Israëlitis, ut proximus occisi possent interficere in uoluntarium occisorem ybi cuncte cum comprehendenderet preterquam in loco refugij: patet Numer. 35. & Deut. 19. Si tamen Sanctuario daretur ista immunitas, & non ciuitatibus, sicut nunc fit, non contigisset, quod Deus intendebat, scilicet, saluari innocentes effusores sanguinis, quia Sanctuarium erat unicum in tota terra Iudaorum, quia non licebat fieri altaria aliqua, vel loca ad sacrificia, vel cæmonias Sanctuarij, nisi ubi stetisset Sanctuarium: & hoc erat in una de vrbibus Israël, ut patet Deuter. 12. & ob hoc totus Israël pugnare voluit contra Rubenitas, Gaditas, & dimidiam tribum Manasse, quia putauerunt, cum fecerunt altare apud Iordanem, quod vellent ibi facere sacrificia infra 22. cap. Non possent autem faciliter effusores sanguinis configere ad istud Sanctuarium de omnibus partibus terræ Israël, ut de extremitatibus. Nam propter viarum longitudinem propinquai ipsius occisi possent in via comprehendere occisorem, & occiderent innocentem impune. Potissimum, quia Sanctuarium non erat in medietate terræ Iudaorum, sed aliquando erat in via parte, & aliquando in alia, cum per multa loca tam arca, quam totum tabernaculum Domini fuerit mutatum, & cū ad unam extremitatem terre promissionis declinaret, ciuitates, quæ ad oppositam partem essent, nimis distaret, & non possent occisores venire, quin prius comprehendenderetur in via, si propinquai occisi vellent insequiri fugientem. Ex hac parte nimis conuenit Ecclesiis nostris, & cœmeteriis, quod sint loca habentia immunitates, quia in quolibet loco Ecclesiæ multæ sunt: ideo cuicunque qui gaudente vult immunitate, facile est ad talia loca configere: constitui ergo necesse erat ciuitates aliquas, vel quæcumque loca in veteri testamento pro immunitatibus his, & non Sanctuarium. Secunda ratio est, quia dato, quod essent multa templorum in veteri testamento, non conueniret dari immunitates has Sanctuario, quia cum aliquis occisor in uoluntario configisset ad loca ista, & ventilaretur causa de homicidio, si absoluueretur reducebatur per sententiam in vrbem ad quam configuerat, & manebat ibi usque ad mortem summi sacerdotis: si autem aliquando extra loca ista reperiebatur, poterat impune occidi, ut patet Numer. 35. si ergo Sanctuarium haberet solum immunitates istas, necesse erat, ut maneret

A tamdiu occisor in Sanctuario non exiens de illo, sed hoc erat intolerabile, quia cum de tota terra Iudeorum multi essent occisores inuoluntarij, maxime in magno tempore, scilicet, in tota vita alicuius summi sacerdotis non possent capi in Sanctuario, quod erat vnicum. Etiam quia repugnabat hoc valde puritati Sanctuarij: nam istis nunquam exeuntibus de Sanctuario necesse erat illud pollui. Item dato, quod essent varia Sanctuaria, sicut nunc sunt multæ Ecclesiæ, non staret conuenienter: nam licet ibi capi possent omnes occisores inuoluntarij, quia tamen manere debebant magno tempore, scilicet, vsque ad mortem summi sacerdotis, non esset quid tolerabile: nimis enim repugnare puritati Sanctuarij videtur. Causa tertia est, quia etiam si per diem occisores manerent in Sanctuario, non conueniret: nam quilibet sanguinis effusor erat immundus, sed immundi non permittebantur introire in Sanctuarium, nec saltem accedere ad illud, ergo non erat conueniens assignare Sanctuarium tamquam locum immunitatis. Quod effusores sanguinis incurrerent immunitam, patet: quia terra maculari dicebatur sanguinis effusione, ergo effusores erant immundi. Antecedens patet Numer. 35. Nullum autem horum inconuenientium est in Ecclesiis nostris: non primum, quia multæ Ecclesiæ sunt, & facillimum est cuilibet configurere ad Ecclesiæ, vel in coemeteriis se conseruare. Secundum inconueniens non est, quia apud nos non manet aliquis occisor tanto tempore in Ecclesia: nam si non sit reus mortis, non expectabit in aliquo loco immunitatis, sed libere procedet quounque voluerit: in veteri autem testamento etiam si absolutus esset casualis occisor ab imputatione accusatoris, tamen per sententiam reducebatur in urbem, ad quam configuratur: & manebat ibi usque ad mortem summi sacerdotis. Tertium inconueniens non sequitur, quia in nouo testamento non sunt ceremoniaæ munditiarum, & immunditiarum legalium, quæ erant in veteri testamento: nulla enim requiritur munditia, nisi à vitiis, & à naturalibus contaminationibus, quæ hominem etiam in communicatione seculari fœdum fassent: sed legalem nullam tenetur obseruare immunditiam minister Ecclesiasticus, vel quicunque in Ecclesiam intrans. Eſc autem occisorem est immunditia legalis, sicut tetigisse aliquid morticum, & similia, sed horum nihil facit hominem immundum respectu nostri Sanctuarij, sicut faciebat respectu Sanctuarij Hebreorum: erant ergo necessariae vrbes in veteri testamento, vt constituerentur loca refugij, & gauderent configuentes quibusdam immunitatibus.

An Sanctuarium haberet aliquam immunitatem in veteri lege: & an bene arguant iurista circa immunitatem Ecclesiasticam inducentes illam ex veteri testamento. Et quod Sanctuarium sit aliquid carentiale.

C

Q V A E S T I O VII.

Q V A E R E T aliquis, quod quamquam constat ciuitates refugij habuisse immunitates in veteri testamento, & non dicatur de Sanctuario, an habuerit aliquam. Respondendum est, quod nullæ immunitates leguntur in veteri testamento traditæ Sanctuario. Sed an fuerint aliquæ, dubitabit quicquid. Respondendum est, quod non fuerunt aliquæ ei traditæ, ita ut aliqui occisores, vel percussores illuc configentes salvarentur: non erat autem hoc, quasi Sanctuarium non esset domus tantæ excellentiæ, ut non mereretur habere immunitates, cum loca prophana, scilicet, vrbes haberent priuilegia immunitatum, sicut sunt vrbes refugij: sed ad maiorem puritatem Sanctuarij, quia si esset locus immunitatis multi illuc configurerent, & pollueretur Sanctuarium: tamen in veteri testamento requirebatur magna puritas in Sanctuario, cuius causa declarata est Numer. 19. cap. ergo non debebat dari priuilegium immunitatis alicuius. Si autem aliquis arguat, quod Exod. 21. dicitur: Si quis per industria & insidias occiderit proximum suum, ab altari meo euellas eum, vt moriatur: in quo videtur innui, quod in isto casu, quia erat valde enorimis, non gauderet immunitate Sanctuarij occisor, sed in cæteris gauderet.

Sed non est iste sensus, quin potius, quia Sanctuarium e-

rat locus maximæ reverentiæ in toto Israël, & in Sanctuario ad quod licebat intrare popularibus pars maioris reverentiæ erat altare, multi configubant illuc timentes interdum: nō quidem quasi loca illa immunitate gauderent, sed quia propter reverentiam loci putabant se non trahendos fore inde. Et quia Israëlitæ putarent etiam, quod non liceret eis malefactores educere de Sanctuario, dictum est, quod si aliquis per industria, vel insidias occideret alterum, euelleretur ab altari, & occideretur: tamen non gaudebat ipsum Sanctuarium immunitate, quia Salomon fecit occidere Ioab intra Sanctuarium apud altare, vt patet 3. Reg. 2. cap. Nec valet, si dicatur, quod occidit Ioab virum quendam per insidias, id eo non gaudebat immunitate Sanctuarij: nam hoc erat quantum ad hoc, quod posset educi de Sanctuario, sed non quantum ad hoc, quod occideretur intra Sanctuarium. Sic patet de immunitate Ecclesiæ: nam quidam sunt, qui de Ecclesiis educi possunt ad occidendum, vt publici latrones, & insidiosi occisores, & nocturni depopulatores agrorum, vt patet extra de immunitate Ecclesiæ cap. immunitatem, tamen nullus est, quem intra Ecclesiæ occidi licet. Et si dicas, quod Ioab occisus est in Sanctuario, quia educi non potuit. Respondendum est, quod potuisset educi faciliter Ioab de Sanctuario, quia ipse inermis erat tenens cornu altaris, id eo faciliter expelli potuisset, sed quia gratis exire noluit, iusfit eum Salomon ibi trucidari, vt patet 3. Reg. 2. cap. Item dato, quod nullo modo educi inde potuisset non debebat intra occidi si aliquam immunitatem haberet Sanctuarium: sicut patet de ecclesia nostra, quia si quis reus mortis illuc configuerit, non potest inde trahi propter ecclesiasticam immunitatem, tamen non debet ob hoc occidi intra ecclesiæ, sed fecit hoc Salomon super altare Sanctuarij, ergo non gaudebat immunitate. Sed forte aliquis hoc factum fuisse dicet à Salomone per iniustitiam, sicut deteriora quedam fecit, scilicet, quia idola coluit, & constituit eis templa, vt patet 3. Regum 11. Respondendum est illa fuisse nefandiora, quam infringere omnem immunitatem Sanctuarij, si qua foret: tamen non stat, quod Salomon fecerit hoc per iniustitiam: nam Salomon in exordio regni sui valde bonus fuit, vt patet, quando petiuit à Deo sapientiam 3. Regum 3. quantum acceptauerit eum Deus: & postea quantum devote construxerit templum, & devote orauerit 3. Regum 8. Malitia autem sua fuit in senectute, quia tunc mulieres deprauauerunt eum, vt patet 3. Regum 11. ergo videtur, quod prioribus temporibus potissimum in principio regni valde bonus fuit: sed occisio Ioab super altare fuit in principio regni sui, vt patet 3. Regum 2. cap. ergo non fuit facta per iniustitiam, sed quia Sanctuarium non habebat aliquam immunitatem. Ex hoc apparet, quod non bene arguant iuristiæ, qui volunt inducere, quod ecclesia debeat gaudere immunitate, quia Sanctuarium gaudebat illa: nam Sanctuarium nullam habebat. Sed adhuc peius arguunt dicentes immunitatem ecclesiasticam esse de iure diuino, & hoc inducunt de immunitate, quæ erat in veteri testamento in Sanctuario. Peccant enim isti in duobus, primo quia supponunt falsum, scilicet, quod Sanctuarium gauderet immunitate in veteri testamento, cum nulla gauderet, vt inductum est. Secundo peccant, quia dato quod Sanctuarium in veteri testamento gauderet immunitate, non sequitur, quod deberet gaudere illa in nouo testamento, nisi forte dixerimus, quod omnia, quæ pertinebant ad Sanctuarium in veteri testamento pertineant ad ecclesiæ in nouo testamento, sed falsum est, quia non obseruantur nunc cæmeriaæ purificationum, & munditiarum respectu ecclesiæ, quæ obseruabantur respectu Sanctuarij in veteri testamento: ergo non manet nunc aliquid in ecclesia de his, quæ erant in Sanctuario veteris testamenti, nisi illud postea ecclesia instituerit: & tunc non est de iure diuino, sed de iure humano positivo. Quod patet, quia dato quod esset aliqua immunitas in Sanctuario in veteri testamento, aut illa esset de moralibus, aut de cæmerialibus: nam ad iudicialia pertinere non poterat, cum non esset aliquid directuum communicationis humanæ penes iustum, & iniustum, sicut erat leges forales. Si autem esset de moralibus, maneret, quia ista habent naturalem obligationem: sed immunitas Sanctuarij in veteri testamento, si aliqua foret, non erat moralis, quia ista ex natura penderet, & sunt sine lege determinata, sicut

patet

D

Salomon
fecit
occidi
Ioab
intra
Sanctua
rium.

E

Mali
tia Sa
lomo
niæ,
sunt in
sene
cato.

F

A patet de præceptis decalogi, quæ vocantur moralia, siue naturalia, & ista semper obligauerunt ab exordio seculi, etiam si nondum data fuissent, & obligant gentem illam, cui data nō fuerant, sed immunitas Sanctuarij non est aliquid huiusmodi, quia natura nihil magis determinat immunitatem in Sanctuario, quam non immunitatem, immo includit contradictionem esse immunitatem Sanctuarij de iure naturæ, quod est esse morale, quia Sanctuarium est aliquid non consistens naturaliter, sed pure per ceremonias: ergo iura, quæ sunt pure ipsius Sanctuarij impossibile est esse naturalia, quia tunc fundaretur immutabile super mutabile, & necessarium super contingens. Patet consequentia in similibus circa naturalia: nam si aliquid sit artificiale, impossibile est illud habere aliquam formam naturalem, quia naturalia per formas naturales consistunt, & artificialia per formas artificiales, & si aliqua forma naturalis sit in artificiatis, illa non est in quantum res est artificiata, quia hoc includit contradictionem: sed in quantum materia rei artificialis est naturalis, & non expoliatur formis naturalibus suscipiendo formam artificiale: cum illa nō possit penitus aetquare. Sic est de Sanctuario, quia illud non est aliquid consistens naturaliter, id est, ex iure naturali, vel ex obligatione naturali, sed pure cæremoniale est: ita enim potueramus saluari non habendo Sanctuarium, sicut ut habendo: ergo impossibile est aliqua iura ipsius Sanctuarij esse proprie naturalia. Et sicut patet de immunitate, quod impossibile erat illam esse moralem, siue de iure naturali. Ergo si aliqua esset, illa necessario esset cæremonialis, sed cæremonialis non manerunt in nouo testamento, quia licet nō omnia abolita sint, tamen nullum eorum habuit efficaciam obligandi nunc: nam cum aliqua de illis manent, ideo fit, quia ecclesia illa de nouo statuit obseruari: tamen ex antiqua ordinatione, vel legislatione nullam vim habent, sic etiam iudicia abolita sunt, tamē quasdam iudiciale leges, quæ habentur Exod. 21. & 22. cap. ecclesia approbavit, nouiter statuendo illas obseruari, vt patet extra de homicidio, & extra de furtis, & de adulteriis, & stupro, & de iniuriis, & damno dato in decretalibus: ideo necesse est, quod cum immunitas Sanctuarij in veteri testamento, (si qua foret) esset cæremonialis, non haberet obligationem in nouo testamento, sed si nunc manet, hoc est, quia postea ecclesia statuerit aliquam immunitatem: alioquin autem erat impossibile: falsum est ergo, quod immunitas, quam nunc habent ecclesiæ sit de iure diuino. Simile est de priuilegio clericorum, quod non conueniantur coram iudice laico, & quod non possint puniri poenis ciuilium legum: quamquam plerique iuristarum dicunt esse priuilegium istud de iure diuino, sed leuiter assentiunt quasi fidei, & non tanquam rationi. De hoc tamen alibi erit magis dicendi locus.

B C An immunitas ecclesiæ sit maior immunitate vrbium veteris testamenti. Et quod in eo veteri testamento lex erat nimis grauis contra occisores innoxios seu casuales, & in quo.

Quæstio VIII.

Q VÆRET nunc aliquis cum ciuitates refugij in veteri testamento gauderent quibusdam immunitatibus, & ecclesiæ nostræ cum cœmertiis gaudeant immunitate, quæ sit plenior immunitas. Respondendum est, quod valde maior immunitas est ecclesiæ, quam fuerit illarum ciuitatum in veteri testamento, quia ecclesiæ nostræ immunitate gaudent generaliter, scilicet, vt nullus inde trahi possit ad aliquā pœnam tolerandam, præterquam in quibusdam casibus, de quibus extra de immunitate ecclesiæ per totum: ciuitates autem refugij in veteri testamento non gaudabant immunitate, nisi quācum ad occisores: si autem aliqui percussissent alios non occidentes, non tutabantur in illis vrbibus, sed nec si egissent alia mala, vt si quem infamassent, vel quomodolibet nocuissent, & timentes fugerent, non tutabantur ibi ab hostibus suis, sed ad iudicia trahebatur, vel si quis alium persequens apprehenderet intra urbem refugij atq; occideret, si non confugisset tanquam inuoluntarius occisor, qui eum occideret non violabat immunitatem vrbium illarum, sed solum peccabat, sicut si occideret in quocunque alio loco. Item iste vrbes non defendebant omnes occisores, sed solum

D E F occisores à casu, si quis autem ab intentione percuteret, etiam si non per industriam, vel insidias, non tutabatur ibi ab ultore sanguinis: in ecclesia autem omnes occisores tutantur, nisi per insidias, & industriam. Item valde maior est immunitas ecclesiastica, quam illarum vrbium, quia in illis non defendebatur quisquam, nisi innocens, ita quod non esset reus sanguinis effusus, in ecclesia autem nō solum innocenter effundentes sanguinem, sed etiā qui circa hoc rei erant, conferuantur. Item vrbes fugitiuorum erat ad defensionem occisoris contra ultores sanguinis, sed non contra iudices, quia iudices ciuitatis ad quam configisset occisor ad petitionem aduersarij compellebat occisorem venire in iudicium ad locum, in quo patratum fuerat homicidium, & si reus sanguinis esset tradecatur in manus ultoris sanguinis, & occidetur, vt patet Num. 35. in ecclesia autem immunitas est contra omnes tam cōtra iudices, quam contra aduersarios: nam iudex non poterit occisorem educere de ecclesia, si constat eum reum sanguinis esse, vt occidatur: non potest eum cōcire de ecclesia cogens ire ad ventiladum causam sanguinis, si forte non constat occasionem esse iustum aut iniustum. In multis quoq; aliis differentia est. Maior ergo est nunc ecclesiastica immunitas, quam fuerit in veteri testamento immunitas vrbium fugitiuorum. Considerandum vltius, quod in veteri testamento erat lex nimis grauis contra occisores innoxios, qui à casu occiderunt aliquos in fauorem propinquorum defuncti, & hoc præcipue in duobus. Primum est, quod facta occisione casuali, propinquu occisi permittebatur impune occidere interfectorum si comprehenderet eum ante urbem refugij, vt patet Numer. 35. & Deuter. 19. sed istud nunc non permititur: nam sicut est in vulneratione, & occisione, quæ fit per defensionem, scilicet, quod non licet alicui vim vi repellere occidendo aut vulnerando inuasorem, nisi immediate: si autem semel recesserit in uasor non licet persequi illum ipsi percusso, quia iam non erit defendens se, sed in uasor, ita in occisione propinquorum quamquam liceat alicui occidere alterum defendendo proximum suum, & potissimum propinquum in sanguine, tamen non licet interficere postea occisorem; erat autem concessum hoc Iudæis ad duritiem cordis eorum, quia erant duri corde, & non possent tolerare legem, nisi eis permetteret vindictam, maxime cum factum esset recens; ideo permitta est licet occisor esset innocens, & sic fuit de aliis promissionibus factis Iudæis: nam vt Christus testatur Math. 19. libellus repudij permisus est Iudæis, non quia bonus, sed quia erant duri corde. Secundum erat in quo adhuc magis erat grauis lex Mosaica occisoribus inuoluntariis, scilicet, quia postquam aliquis configisset in urbem refugij, & causa eius ventilata coram iudicibus tanquam innocens iudicaretur, non licebat ei libere ire quo vellet, sed reducebatur per sententiam in urbem, ad quam configerat, & manebat ibi usq; ad mortem summi sacerdotis: si autem ante defunctionem sacerdotem reperiretur extra muros vrbis poterat licite occidi, vt patet Num. 35. & Deuter. 19. cap. hoc autem grauius est quam præcedens. Et hoc ex duobus. Primo quia antequam ventilaretur causa homicidij: nesciebatur an occisor iste fuisset in culpa, ideo erat aliquis color ad hoc, quod liceret eum occidi si comprehenderetur ante urbem refugij, cum tamen causa erat ventilata, & absolutus erat effusor sanguinis, non videbatur aliqua causa quare permitteretur aduersario, quod posset occidere interfectorum. Secundum inducitum huius est, quia quādo factum est recenter homicidium, antequam homicida configerit in urbem refugij, videtur esse persecutio ultoris facta tanquam ex incontinenti: ideo magis licet est; in qua autem magna mora interiecta fuerit, non licet: sicut patet in percusiente, vel occidente alterum defendendo se: nam immediate repellendo vim licet, sed cessante iurio non licet, potissimum, quia causa permissionis est propter propinquos occisi esse stimulatos dolore ex morte illius, tamen dolor de morte recenti magnus est, qui autem per magna tempora tenetur, paulisper emollitur: ideo non deberet tantum licere post multa tempora, & ventilata causa, sicut à principio licuerat. Nunc autem nihil horum permittitur, quia si aliquis quomodo cunque alium occiderit, & ventilata causa per sententiam absoluatur, etiam si post biddenum ab occisione fiat absolutio, licebit occisoris libere ire

lacet
vim
vi im-
media
e repel-
tere.

A quocunque voluerit, & non licet cuiquam eum tangere. Causa autem permissionis huius apud Iudeos fuit ad duri-
tem cordis eorum, volebat enim Deus vitare homicidia, si
autem non fuisset data ista lex multa homicidia sequerentur, nam Iudei erant nimis duri corde, & cum, quis occidisset aliquem propinquum eorum, etiam si absolveretur per
sententiam, non dubitarent eum occidere, quia cor eorum
erat indomitum: ideo voluit Deus grauare magis aliqualiter
occisores, scilicet, ut manerent in urbibus confugij usque ad
mortem sacerdotis magni, quam homicidiorum permittere
occasionem: cum autem in illis urbibus manerent occisores
per aliquanta tempora leniebatur dolor de morte occisi in
propinquis, & quasi aliqualiter obliuiscabantur, & tunc pos-
set occisor libere ire quo vellet, & non sequeretur occasio
homicidiorum: & ob hoc constituebatur tempus mansionis
in urbe refugij usque ad mortem sacerdotis magni, scilicet,
quia in hoc tempore leniri poterat dolor propinquorum
occisi, & iam non sequerentur homicidia. Nunc autem quia
homines sunt magis iugo legis assuetae non permittuntur
eis haec, sed mox, ut occisor per sententiam fuerit absolutus,
licet ei ubique voluerit, esse.

B An conueniens fuit aliquam immunitatem institui in veteri Testa-
mento. Et quod in omni loco, vel regno bene ordinato sunt loca
immunitatis, vel esse debent, ac de hoc, quae fuerit
Augustini sententia.

Q V E S T I O IX.

C V A R E T V R an fuit conueniens immunitatem ali-
quam in veteri Testamento concedi, siue urbibus, siue
Sanctuario, siue alicui loco.

Respondendum, quod statibus legibus quibusdam per-
missionis datis in veteri Testamento, fuit conueniens esse
immunitatem, & non solum conueniens sed etiam necessa-
rium ad statum politicum, dico autem necessarium politice
id sine quo politia non conseruatur, vel sine quo sequuntur
multa, & intolerabilia damna, sicut erat in politia Iudaica, si
non daretur immunitas aliquibus locis, nam permisum era-
tur, quod si quis occideret alium a casu: propter occisum
comprehendens occisorem ante causam ventilatam posset
eum occidere: etiam ventilata causa si eum comprehendenderet
priusquam summus sacerdos moreretur, posset impune il-
lum occidere, si ergo tempore hoc non esset aliquis locus
immunitatis, in quo possent conseruari occisores inuolun-
tarij, venientes propinqui ipsius occisi interficerent inuolun-
tarium occisorem: nec istic solum homicidium seque-
batur, sed plurima: nam cum quis occidisset aliquem a casu,
& sciret nullum esse locum refugij usque ad mortem summi
sacerdotis, sed ubique comprehendenderet occidi posset
impune, pararet se ad resistendum aduersariis, vel forte ad
patrandum plura homicidia ne maneret quisquam ei po-
tentia aduersari, quod maxime deordinabat politiam: necessa-
rio ergo fuit ut apud Iudeos constituerentur aliqua loca im-
munitatis, vbi secundum aliqua tempora gauderent securitate
confugientes nec solum hoc apud Iudeos fuit, & nunc
est apud Christum colentes, sed etiam in omni politia, vel
regno bene ordinato est, quod constituantur aliqua loca im-
munitatis: nam fuit apud Troianos hoc, & apud reliquas
gentes ab exordio institutarum politicarum, quod templorum
deorum essent immunitate gaudentia. Vnde ob hoc August.
1. de ciuitate Dei ostendens, quod non recte conquerantur
Romani de temporibus Christi, dicit quod in captione urbis
Romae per Alaricum regem Gothorum magis obseruata est
immunitas ecclesiarum, quam apud Gentiles obseruata fue-
rit immunitas templorum, indicens exemplum de Græcis
pugnantibus contra Troianos, & eduentibus Troianos
confugientes ad templo de ipsis templis ad occidendum, &
ad captiuandum iuxta Virgil. 2. Aeneid. Si tamen non fuisset
mos antiquis templorum esse immunitatem, non fuisset
conquestus, nec argueret August. in bello Troiano non fuisse
obseruatam immunitatem templorum. Amplius dato
quod non essent tot leges permissionis contra occisores, sic
ut fuerint datae, tamen conueniens erat, quod essent loca
immunitatis aliqua, ut saltem ante ventilationem cause pos-

D set defendi ibi occisor, ne subito adueniens aduersarius op-
primeret interfectorem innocentem.

An fuerit conueniens dari immunitatem ecclesiis, & cœmeteriis.
Et qui fuerit modus introducendi idolorum
culturam.

Q V E S T I O X.

E Q V A R E T aliquis an fuit conueniens dari immunita-
tem ecclesiis.

Respondendum est, quod populus Christianorum non
debuit habere politiam magis deordinatam, quam ceteri
populi tam Gentilium, quam Iudeorum habebant: sed apud
omnes fuit aliquis locus habens immunitatem, ita ut confu-
gentes illuc saluarentur, & non traherentur ad pœnam: ergo & apud Christianos.

Item patet, si non esset locus aliquis immunitatis seque-
retrum deordinatio, quia plurima homicidia sequerentur: sed
ordinata politia cauet omnia haec, ergo debuit instituere lo-
cum immunitatem habente.

F Antecedens patet, quia cum quis alicui nocuit, & timet,
confugit ad locum immunitatis, & qui laesi sunt non possunt
procedere de facto, si autem non esset aliqua immunitas, da-
retur occasio, quod quilibet se posset vindicare: & quia ne-
mo rectus iudex in causa sua est, qui iniuriam passus est, vel-
let se ultra modum vindicare, & sic sequerentur multa scandala;
ideo debuit esse aliqua immunitas locorum, per quam
timentes possent ad tempus esse securi, saltem usquequo
ventilaretur æquitas causæ eorum.

Sed tunc stat dubium, quod dato inter Christianos
debuisset esse aliquis locus habens immunitatem, an debe-
bat esse ecclesia, vel aliquis aliis locis, sicut in veteri Testa-
mento non donata est immunitas Sanctuario, sed ciuitati-
bus nouem, scilicet, sex de quibus hic: & tribus aliis de qui-
bus Deuteronom. 19. cap.

Respondendum est, quod fuit conuenientius tribui im-
munitatem ecclesiis, quam aliquibus aliis locis, & pater hoc
primo ex reuerentia: nam nos volumus ecclesias nostras, in
quibus stupendum admiranda bonitatis sacramentum Eu-
charistiae celebratur, facere reuerendas: sed non potest capta-
ri maior reuerentia, quam si confugientibus ad eas donetur
immunitas: ideo conueniens fuit eis donari immunitatem.
Patet hoc quia illos veneramus, qui nobis beneficia præsti-
terunt iuxta Arist. 5. Ethic. sed saluari à morte est maximum
beneficium, & istud confertur per immunitatum loca, in
quibus aliqualiter, vel simpliciter à morte eripiuntur timen-
tes, & qui nocuerunt: ergo magnam reuerentiam illis exhibe-
bunt, cum se per talia sciant consequi magna bona. Iste
fuit modus introducendi idolorum culturam: nam Fulgen-
tius Mithologiarum libr. 1. dicit, quod cum aliquis charum
filium morte perdidisset, ut eum, quem in re perdiderat sal-
tem æquioce in imagine retineret, rapti filij simulachrum
sibi finxit: huic seruorum turba honorem impendere coepit,
& cum quidam malorum seruorum sibi conscientia domini ira-
ram non dubiam expectarent, ad illud simulachrum suppli-
citer procurarent, vbi cum pœnas meritas euasissent cœpe-
runt magna veneratione simulachrum illud dignum duce-
re. Peruenit autem istud malum usque ad honoris diuini ex-
hibitionem, in quo tanquam in maximo status fuit. Hoc in-
tendit Petronius, cum ait: Primus in orbe deos fecit timor,
& Mintanor musicus in libr. musicæ suæ ait: Deum doloris
quem prima compunctione humani generis finxit. Sicut ergo
per immunitatem quandam istic simulachris tantus honor,
licet præter rationem quæsitus est ita, & ecclesiis nostris data
quadam immunitate debuit rationabilis honoris acquiren-
di dari occasio.

Item non debuit minoris priuilegij, & honoris esse eccl-
esia nostra apud nos, quam apud Gentiles fuerant fana sua,
sed apud illos gaudebant immunitate templo deorum, im-
mo ipsi hostes feruabant immunitatem, nisi rarissime in qui-
busdam bellis: sicut refert beatus August. 1. de ciuit. Dei de
bello Græcorum contra Troianos: ergo debuit ecclesia no-
stra gaudere immunitate. Sed aliquis arguet, quod San-
ctuarium Dei veri in veteri Testamento non gaudebat
immu-

A immunitate, ut supra inductum est, ergo nec debuit gaudere ecclesia.

Respondendum est, quod non gaudebat Sanctorium immunitate, quia fuit data ista immunitas urbibus & deinde aliis tribus: hoc non quidem, quod indignum esset Sanctorium immunitate, vel quod esset dedecus Sanctorio immunitate gaudere, sed quia sequebantur aliqua inconuenientia assignata immunitate in Sanctorio, & non in urbibus, & ista inconuenientia supra posita sunt, sed non sequuntur data immunitate in ecclesiis, ut ibi declaratum est, ergo decuit dari immunitatem ecclesiis nostris.

An decens fuerit tantam dari ecclesiis nostris immunitatem, quanta data est. Et quod nullus est in quo quis non gaudet immunitate ecclesiarum contra aduersarios.

Q V A E S T I O X L

B V A E R E T aliquis, an decuit dari tantam immunitatem Ecclesiis nostris, quanta data est. Dico autem quantitatem, vel magnitudinem ecclesiasticae immunitatis esse duplum, primo quantum ad multiplicatatem rerum, vel negotiorum, in quibus gaudet ecclesia immunitate, scilicet, pro homicidio, vel percussione, aut quocunque damno infecto, quis confugiens ad ecclesiam non possit inde extrahi ad poenam, nisi incertis casibus, de quibus extra de immunitate ecclesiarum. Secundum in quo attenditur ecclesiasticae immunitatis magnitudo, est quantum ad personas, contra quas aliquis gaudet immunitate, scilicet, si quis fecerit aliquid de praedictis confugiens ad ecclesiam non poterit inde extrahi ab aduersario, nec intra percuti, aut quomodo cumque puniri. Etiam quod non licebit iudici eum inde educere ad poenam, vel ad custodiā ante causā ventilationem.

H s datis, stat quæstio scilicet an conueniens fuit ecclesiastica immunitatem ita magnam esse.

Respondetur, quod quantum ad primum conueniens fuit magnam esse immunitatem ecclesiastica, scilicet, quod in omnibus casibus, in quibus nunc ecclesia gaudet immunitate, gauderet: ideo fuit quasi necessarium hoc ad conuenientem statum politicum. Nam si hoc non daretur sequentur multa homicidia, vt pote si quis confugiens ad ecclesiam propter homicidium gauderet immunitate, & tamen si confugiens propter adulterium, vel propter aliam causam non gauderet, sequentur multa homicidia: vt pote si aliquis infamatus ab alio, vel quomodolibet Iesu, aut eum suspectum habens de adulterio cum uxore sua prosequeretur ad mortem illum, & confugiens ad ecclesiam non tutaretur, daretur locus aduersario, vt occideret eum forte, qui innocens erat, vel saltem, qui sic mori non deberet, ideo conueniens fuit, vt saltem usque ad ventilationem causa gauderet confugiens immunitate locorum.

In quo duo bona sequebantur. Primum, quod non occideretur ille, qui innocens erat, vel forte, qui per sententiam, ventilata causa, non deberet damnari ad mortem. Secundum, quia si permitteretur aduersario agere contra aduersarium nulla data locorum immunitate, forte in defensione sequeretur pluriū mors, & hoc proueniret ex inordinatione politiæ, fuit ergo conueniens, immo verò necessarium ad bonum statum politiæ, quod assignaretur aliqua locorum immunitas, saltem usque ad causā cognitionem propter pacem publicam, & hoc in omnibus, in quibus esset timor poenæ: quia si aliquis sit in quo non sit immunitas sequentur inconuenientia supra assignata. Quamquam in hoc considerandum est, quod gaudet aliquis immunitate ecclesiastica contra aduersarium, & contra iudicem. De aduersario est regula, quod nullus casus est, in quo non gaudet quis immunitate contra aduersarium, quia nulla crima sunt quantumcunq; magna, & notoria, in quibus possit aliquis offensus aduersarium suum de ecclesia educere ad poenam vel ad custodiā, ne fugiat, vel quomodolibet: nec poterit eum in ecclesia punire, etiam si per insidias occiderit aliquem, vel sit publicus latro, vel nocturnus depopulator agrorum, qui sunt quidam de casibus, in quibus dicitur quis non gaudere immunitate ecclesiastica: sed hoc verum est contra iudicem,

D sed contra aduersarium in omni casu gaudet confugiens immunitate. De iudice autem dicendum, quod confugientes ad ecclesiam gaudent immunitate contra iudices, ita quod non possint eos iadie extrahere iudices ad poenam, vel custodiā, vel causā ventilationem, & hoc est generale in omnibus casibus: fallit autem in paucis, de quibus extra de immunitate ecclesiarum per totum. Si autem queratur quantum ad secundum, scilicet, an fuit conueniens gaudere confugientes ad ecclesiam tanta immunitate, scilicet, contra aduersarios, & contra iudices.

Respondendum est, quod necessarium est ad statum conuenientem politiæ, quod confugientes gauderent immunitate contra aduersarios: nam si licet aduersarios occidere, vel percutere aduersarios intra ecclesias, vel educere eos inde ad poenam, sequentur omnia inconuenientia supra posita, scilicet, quod multi innocentes occiderentur, vel qui non centes essent aliquantulum ultra modum paterentur. Etiam ex defensione, & mutua conflituatione sequentur plurimæ mortes, quod fieret per abusum politiæ: & non solum debuit esse immunitas contra aduersarios, in quibusdam casibus, sed simpliciter, ita quod non esset aliquis casus, in quo non gauderet immunitate confugiens: alioquin quantum ad illum casum sequentur omnia inconuenientia supra assignata: hoc fuit conueniens, & statuebatur per hoc iurisdictio, & executio legum: nam si non esset locus aliquis immunitatis, daretur occasio cuicunque leto, se vescendi, & non haberet iudex, quid hic diffiniret. Cum verò aliquis mala faciens timens confugit ad immunitatis loca, eripitur protunc de manibus aduersarii, & manet discussionis tēpus, vt si reus sit iudicaliter puniri possit, & quantum ad hoc cuilibet politiæ fuit conueniens aliquis locus immunitatis, & ista immunitas etiam fuit in veteri testamento, scilicet, quod non licebat alicui persequi aduersarium suum occisorem intra urbem refugij, nec quemquam lādere, & tamen licebat ei extra urbem illam occidere ipsum, vt patet Numeri trigesimo quinto, & Deuteronom. decimo nono, & hic. Erat tamen minor immunitas illa quia non extendebatur ad omnes casus, sicut immunitas ecclesiastica, sed solum ad occisores inuoluntarios.

E An fuit conueniens ecclesia gaudere immunitate in confugientibus tam quantum ad aduersarios, quam contra iudices.

Q V A E S T I O XII.

F V A N T V M ad aliam particulam dubitatur scilicet an conueniens fuerit esse aliquam immunitatem ecclesiastica contra iudicem, scilicet, quod iudex non possit educere reum de ecclesia ad occidendum, vel ad causā cognitionem, vel ad custodiā, ne effugiat dum ventilatur causa.

Respondendum est, quod non potest hic totaliter dici sicut in superioribus: nam esse aliquem locum immunitatis erat necessarium, nō quidem propter locorum reuerentiam introducendam, sed ad statum politicum conuenientem seruandum: nam ablata omni immunitate multa iniusta homicidia sequerentur ut supra inductum est.

Quod autem iudici non liceat reos de ecclesia educere nō est necessarium ad statum politicum, quia forte non melius per hoc reguntur politiæ, sed si detur erit propter priuilegium locorum, & non propter bonum politicum: nam erat satis rationabilis modus immunitatis, quod rei, vel quicunque timentes gauderent immunitate in ecclesiis totaliter quantum ad aduersarios, ita ut inde eos educere non possent, nec interius nocere, quia sequebantur inconuenientia, supra assignata quod tamen liceret iudici educere reos de ecclesia ad mortem, si notorij rei forent, vel educere eos ad custodiā ne effugiant, & crima impunita remaneant, vel ad causā ventilationem, hoc non erat contra statum politicum, quin potius iuuabatur magis, quia coacta immunitate contra aduersarios, auferebatur occasio multorum homicidiorum iniustorum, & permisso iudici educere reos de ecclesia, non manerent crima impunita sicut nunc plurima manent: immo plurima crima sub spe ecclesiastica immunitatis peraguntur aliqui enim ordinum immunitate gaudentes,

A alij vero immunitate locorum horrenda facinora peragunt vnde in lege veteri ista sola immunitas concessa est scilicet contra solum aduersarium, & ante causam cognitionem. Contra iudicem autem nulla immunitas erat, sed si quis confugisset ad vrbes refugij petente aduersario causam ventilari, iudices ciuitatis illius remittebant occisorem ad locum, in quo patratum erat homicidium, qui si absolueretur, reducebatur per sententiam ad vrbe refugij mansurus ibi usq; ad mortem summi sacerdotis, si autem reus esset, tradiebatur in manus aduersarij, vt occideret eum. Et satis erat rationabilis ista immunitas tollens vtraque inconuenientia, & multum adiuuans politicum statum. Nec tamen hoc dico, vt detrahiam, vel lacerem ecclesiasticam libertatem: satis enim fuit rationabile maiorem esse immunitatem ecclesiarum nostrarum, quam ciuitatum in veteri testamento, quia perfectior est status ecclesie nostrae, quam veteris testamenti.

Etiam in ministris ecclesie hoc factum est: nam ministri Sanctuarij in veteri testamento non gaudebant aliqua immunitate ordinum, sicut nunc gaudent ecclesiastici ministri: nam idem erat forus sacerdotum & laicorum, & eadem poenae atque idem iudex, vt declaratum fuit Numeri vnde imo capitulo.

In novo autem testamento fuerunt distinctae iurisdictio-nes, ita vt non iudicentur clerici a laicis, quamquam bene e-contrario. Data fuit ergo ecclesie immunitas, vt non solum aduersario nihil liceat contra confugientem ad ecclesiam, sed etiam nihil liceat iudici educendo aut intra puniendo, & hoc solum factum est in fauorem ecclesiarum, vt magis sic honorabiles sint, & licet interdum praetextu immunitatis huius remaneant quedam crimina impunita: tamen indicauit ecclesia melius esse, quod honoraretur in fauorem fidei tribuendo ei hanc immunitatem, scilicet, quod magis bonum sit ecclesiam hanc possidere immunitatem quibusdam criminibus clavis impunitis, quam puniendo crimina omnium confugientium ad ecclesiam nullam ecclesie immunitatem concessisse, quia tamen videbatur magnum scandalum si in omnibus criminibus immunitas ecclesiastica pro-ficeret, cum quedam crimina valde horrenda sint, & multum nocentia politiae, statutum est, vt in illis non proficeret ad ecclesias confugisse, sicut in occidentibus per insidas: & publicis latronibus, & nocturnis depopulatoribus agrorum, vt extra de immunitate ecclesiarum per totum.

An decens in veteri testamento fuit tributam esse tantam immunitatem vrbibus, sicut nunc ecclesie. Et quod in veteri testamen-to solum immunitas extendebatur contra aduersarios, non contra iudices.

Q V A E S T I O XIII.

Q U A R E T aliquis, an fuit conueniens in veteri testame-nto fuisse tributam tantam immunitatem vrbibus istis, sicut nunc ecclesie tribuitur, & hoc siue ex parte casuum, in quibus gaudent confugientes immunitate, vel ex parte personarum, contra quas quis gaudet, vt supra declaratum est.

Et pro hoc est presupponendum, quod vrbes istae non gaudebant tanta immunitate sicut nunc ecclesie nostra, & quia ecclesiasticae immunitatis magnitudo apparet in duobus, scilicet, in negotiis, in quibus extenditur & in personis, contra quas delinquitur, in eisdem cognosci potest differen-tia immunitatis veteris testamenti. Quantum ad primum eccliesiastica extenditur ad omnem casum praterquam ad valde paucos speciales, scilicet, in occisoribus, & quibuscumque damnificatoribus, & generaliter omnes, qui aliquid timent, si confugiant gaudent immunitate: in vrbibus autem istis in veteri testamento solum gaudebant immunitate occisores, & isti non omnes, sed solum inuoluntarii occisores, vt patet Num. 35. & Deut. 19. & hic.

Item erat secundum demonstrans magnitudinem immunitatis ecclesiasticae secundum personas, contra quas confugiens gaudet, scilicet, contra aduersarios, & contra iudices, quia non licet aduersario tangere confugientem ad ecclesiam. Iudicibus etiam non licet educere inde reos, nisi in paucis casib.

D In veteri testamento erat econtrario, quia solum immunitas extendebatur contra aduersarios, scilicet, quod non licet aduersario occidere confugientem ad vrbe refugij, nec educere illum de vrbe, & licebat extra vbiunque occidere, contra iudicem tamen non erat haec immunitas, quia poterat educere de vrbibus illis ad ventilandam causam, & postea tradebat confugientem in manus aduersarij ad occidendum si reus inueniretur Num. 35. c.

Nunc his datis stat quæstio scilicet an conueniens fue rit in veteri testamento dari tantam immunitatem sicut est nunc immunitas ecclesiarum.

Et dicet aliquis quod sic, quia sicut nunc datur ecclesiæ immunitas in fauorem eius, & ad honorem, ita poterat dari in veteri testamento.

Respondendum est non stare, proquo considerandum est quod dari immunitatem, quæ est contra aduersarios sicut fuit data in veteri testamento, erat valde conueniens statui politico, vt declaratum est supra: dari autem immunitatem contra iudices, ne possint aliquos de locis sacris educere non est directe ad utilitatem politicam, sed magis facit quedam crimina manere impunita: in fauorem tamen locorum quorundam conceduntur talia: sic enim fit in ecclesia ad fauorem fidei, vt locus, in quo conueniunt fideles ad doctrinam fidei, & in quo excellētia tractantur sacramenta gaudeat tan-ta immunitate: vt sic multum honoretur. Sic quoque in ministris ecclesiæ fauore ordinis introductum fuit, vt non subiicerentur foro seculari.

E Quamquam ad utilitatem politicam interdum melius fore eos secularibus poenis fore subiectos, sed dignitas ordinis, & ministerij ecclesiastici preponderauit. In veteri autem testamento nihil tale erat, quia immunitas non fuit data Sanctuario, sicut nunc data est ecclesiis, sed data fuit vrbibus sex, vt patet hic, & in his non erat aliqua ratio fauoris, quæ preponderaret, vt honorarentur ipsæ ciuitates sicut factum fuit in ecclesia, vt sic fieret aliqualiter contra utilitatem politi-cam.

Item dato, quod ista immunitas concederetur Sanctuario non fuisse ratio æqualitatis in immunitate ad ecclesiasticam immunitatem, quia sicut se habebant ministri Sanctuarij, in veteri testamento ad ministros Ecclesiarum in novo testame-to, ita se debuit habere Sanctuarium ipsum ad Ecclesias nostris: sed ministri noui testamenti non subiiciuntur legibus secularibus, nec patiuntur pro criminibus poenas secularares, nec quoquis modo iudicantur a iudicibus secularibus: ministri autem veteris testimenti subiiciebantur secularibus iudiciis, quia non erat diuersitas iurisdictiōnū, sed eadem penitus leges forales vtrorumq; erant, vt declaratum est Num. 11. ca. ideo sic esset differentia inter Sanctuarium noui testamenti, & veteris sc. quod non gaudent æquali immunitate.

F Item non conueniebat dari tantam immunitatem ciuitibus his in veteri testamento, sicut nunc est immunitas Ecclesiastica: & hoc ex parte ipsorum Iudeorum.

Et hoc dupliciter, scilicet, ex parte Iudeorum confugientium ad vrbes refugij, & ex parte aduersariorum.

Primo ex parte confugientium patet, quia Iudei erant du ri corde, & indomiti lege, quibus si daretur magna locorum immunitas præberetur occasio ad quedam facinora, quæ alias non auderent, cum possent evadere impuniti, quod alias non continebat, quia qui confugiebat ad vrbes refugij si peteret aduersario causam ventilari iudices educebant de vrbe illa occisorem compellentes eum in iure comparere, & ibi disceptabatur si autem reperiretur reus occidebatur.

Si autem vrbes iste haberent ecclesiasticam immunitatem confugientes ad illas non possent educi, vt discuteretur causa iudicialiter, si incognitus esset euentus causæ, nec possent educi ad peccatum, si esset notoriū delictum, ideo possent multa crimina impunita elabi, & his, qui erant duri corde darentur occasio ad maiora.

Secundo non conueniebat ex parte aduersariorum, quia ipsi etiam erant duri corde, & potissime cum essent dolore stimulati, ideo si daretur tanta ibi immunitas, sicut nunc in ecclesia, videntes aduersarij, quod non possent vindictam iabere de hoste suo, effringerent priuilegium immunitatis vrbium, vnde non possent præ duricia cordis hanc legē tolerare. Vnde quedam leges non bonæ datae sunt eis ad duriciā cordis eorum

A corum ut patet Mat. 19. c. id est quod quæ præ duritia cordis non potuerint tolerare leges bonas, ideo leges non bonæ datæ sunt, & propter hoc concessum est, quod possent Iudei vlcisci manu sua de occisoribus propinquorum suorum, si eos comprehendenderent extra vrbes refugij, & non solù quando manifeste erant rei homicidij, sed quando dubium erat, & tamen lex euangelica hoc non permisit, immo nulla lex ordinatarum politiarum.

Quod patet in lege Romanorum, & in legibus omnium politiarum, quæ nunc sunt, & aliarum politiarum quæ erant ante aduentum Christi, non enim permittebant quemquam vindictam capere nisi rarissime, sicut si quis inueniret aliquem cum vxore, filia, aut matre turpiter agentem, & in similibus.

Item videbatur magis hoc iniustum ad duriciem cordis Iudeorum, quia postquam ventilata erat causa, & absoluiebatur aliquis ab impietate accusatoris adhuc relegabatur nullum crimen habens, & manebat in vrbe ad quam confugerat, & si ante mortem summi sacerdotis egredieretur muros eius poterat impune occidi, quod nulla lex humana unquam fecit: sed Deus ad duriciem cordis Iudeorū hoc concessit. Non decuit ergo tantam immunitatem esse in testamento veteri sicut in nouo.

B In nouo autem quamquam sit ista magna immunitas, non sequuntur tot inconuenientia, quia sunt homines assueti legi, & ob hoc lex euangelica perfectior data est.

Cum in vtroque testamento, & qualibet politia requiratur aliqua immunitas, in quo erat magis necessaria, in nouo an in veteri. Et quem modum habere debebat occisor confugiens ad aliquam vrbum refugij.

Q V A E S T I O XIV.

V A E R E T nunc aliquis, cum in vtroque testamento nouo, & veteri, & generaliter in qualibet recta politia exigatur aliquis locus immunitatis, in quo exigeatur magis esse immunitatem in nouo an in veteri.

Respondendum est, quod in veteri testamento erant magis necessaria loca immunitatis.

Et primo si presupponantur quædam leges, quæ sunt in veteri testamento de occisoribus scilicet, quod propinquus ipsius occisi possent occidere interfectorum cum apprehenderent eum ante ventilationem causæ, & post ventilationem etiam usque ad mortem summi sacerdotis, ut patet Numeri 35. si ergo non esset locus aliquis, in quem confugere possent & euadere occisores his temporibus, sequeretur, quod possent multa homicidia causari impune, & tamē essent iniusta, in nouo autem testamento non erat sic, quia non permittitur etiam secundum leges humanas, quæ nunc sunt, quod aliquis occidat eum qui occidit propinquum suum: si hoc sit postquam cessavit iurgium, potissimum postquam definitum est negotium, quia si absolutus sit occisor, non erit amplius contra ipsum aliqua actio ad pœnam, nec poterit aduersarius eum quoquimodo impune lacerare: ideo licet nunc sit necessaria immunitas ad bonum statum politicum, ut supra declaratum est, tamen non est ita necessaria, sicut in statu veteris testamenti, quia ibi maius periculum erat ablata immunitate.

Item appetet hoc ex conditione subditorum temporis illius, & huius, quia tunc erant Iudei, qui erant corde indomiti, & duri ad subiiciendum legi, ideo si imponeretur eis dura non possent eam tolerare, quia ipsi erant duri corde, ut declaratum est supra scilicet, quod ad duriciem cordis eorum quædam leges datæ sunt in permittendo: nunc autem non sunt ita subditi indomiti, quia sunt magis assueta ad legem: ideo non est ita periculosum, etiam si tolleretur immunitas: nam immunitas ob hoc principaliter necessaria est, ut non sequantur iniusta homicidia aduersariis volentibus ad iniuciem pugnare pro expetenda vindicta sed ista expetitio magis sequitur quando homines magis sunt proni ad vltionem propter cordis duriciem: sed Iudei erant durissimi corde, ergo periculosius erat in eis non esse immunitatem, quam in nouo testamento ubi magis sunt homines assueti iugo legis

& consequenter magis necessaria erat in eis, quam in nobis.

Et confugiat ad eas quicunque percutserit animam nesciuam.

Id est, occisor inuoluntarius: nam voluntarij occisores non gaudebant hac immunitate, quod intelligendum est simpliciter: tamen quantum ad aliquid gaudebant immunitate omnes, qui confugissent ad vrbes illas scilicet siue voluntarij, siue inuoluntarij, dum tamen non confiterentur se spontaneum patruisse homicidium, quia tunc non daretur eis locus habitandi in vrbe refugij, & manebant in vrbe hac quoq; peteret aduersarius ventilari causam, quia tunc remittebatur occisor ad locum, in quo patratum extiterat homicidium secundum distinctiones supra factas.

Et posset euadere iram proximi, qui vltor est sanguinis. Proximus accipitur hic respectu occisi, & non respectu occisoris scilicet quod proximus id est propinquus in sanguine respectu occisi persequeretur occisorem, quia cuilibet propinquu occisi competebat vltio sanguinis tam accusando occisorem, quam manu sua expetendo vltionem & dicitur quod possit euadere iram proximi, scilicet qui vult vlcisci sanguinem occisi, siue ante ventilationem causæ, siue post vsq; ad mortem summi sacerdotis. Nam proximus defuncti poterat persequi occisorem, & si apprehenderet eum extra vrbum refugij occidebat ante ventilationem causæ: etiam si post ventilationem causæ absoluueretur occisor, poterat propinquus occisi illum interficere si inueniret extra vrbum refugij dum viueret sacerdos magnus. Toto autem tempore euadebat iram proximi defuncti occisor stans in vrbe refugij: extra illam autem si maneret non posset euadere. Cum ad vnam harum confugerit ciuitatum, id est, ad vnam harum sex ciuitatum, quæ hic statuuntur, quia omnes gaudebant æquali immunitate, vel si confugeret ad vnam de ciuitatibus tribus, quæ constituederant postea, de quibus Deut. 19. c. Stabitque ante portam ciuitatis. Hic ponitur modus quem habere debebat occisor confugiens ad vrbum aliquam refugij, scilicet quod veniebat ad iudices vrbis illius, & dicebat, quod ipse occiderat hominem casu, super quo erat innocens, ideo quod assignarent ei locum manendi in vrbe, & darent ei immunitatem, ne cui licet in eum quid attentare: ipsi tunc ex lege compellabantur ei dare immunitatem, & dabant locum, ut habitare posset in vrbe. Non est tamen intelligendum, quod antequam faceret ista coram iudicibus non gauderet immunitate vrbis, quia si proximus occisi persequeretur quasi è vestigio occisorem, non gauderet immunitate priusquam ista faceret, & posset interficere ipsum occisorem intra vrbum refugij: quia non poterant istæ cæremoniae iudiciales ita velociter fieri, occidi tamen posset velociter ipse interfector: ideo dicendum, quod cum intraret interfector moenia vrbis refugij gaudebat immunitate, nec licebat aduersario quidquam in eum, quia alias nihil fere proficeret vrbis immunitas, sed ista solennitas iudicialis fiebat ad hoc, quod iudices vrbis refugij iudicarent, & edicerent istum confugientem gaudere priuilegio immunitatis, & quod nemini aduersus eum, quidquam liceret. Etiam quia post istam petitionem tebatur iudices assignare ei locum habitandi in vrbe, prius autem non, quia non cognoscebant ad quid venisset, & dicitur quod stabit ante portam ciuitatis, id est, ante iudices, qui erant in portis ciuitatum, quia iste erat locus publicissimus, in quo iudices se debant ad iudicandum, ut omnibus transiuntibus iura rediderent. Et loquetur senioribus vrbis. Non oportebat congregari seniorum totius vrbis ad audiendum causam huius occisoris, sed soli iudices in hoc debebant attendere. Vocantur autem hic seniorum ipsi iudices quia iudices debebant esse de senioribus, cum requiratur prudentia magna in iudicibus, in iuuenibus autem est pauca cum exigat magnam experientiam, quæ tempore indiget, de quo Arist. Eth. lib. 6.

F Ea que se comprobent innocentem. Ex hoc aliquis intelliget, quod qui confugiebat ad vrbum refugij debebat probare se innocentem esse in patrata sanguinis effusione alias non recipere in vrbe, nec assignaret ei locus ad manendum. Sed falsum est, quia tunc oportebat, quod occisor adduceret testes, & quod vocaretur propinquus ipsius, si vellet forte aliquid obiicere contra occisorem. Sed non stat, quia non tenebatur quidquam horum facere occisor: ergo non debebat se probare innocentem occisor coram iudicibus vrbis refugij. Itē si ibi occisor se probaret innocentem ibi vtilaret cā homi-

A cidijs, sc. an reus esset, vel non occisor iste: sed falsum est. Patet antec. dens quia probare se innocentem erat perfecte ventilari causam nam tunc nihil agendum restabat, nisi vt absoluere tur. Quod autem non ventilaretur causa coram ipsis iudicibus vrbis refugij patet, quia remittebatur occisor ad vrbem in cuius territorio patratum fuerat homicidium, vt ibi ven tilaretur causa: si autem reperiebatur innocens, reducebatur per sententiam ad vrbem, ad quam confugerat, vt patet Nu. 35. si tamen in ipsam vrbem refugij ventilaretur causa non posset remitti post determinationem causae ad vrbem confugij, quia in ea esset, ergo necesse est quod extra vrbem illam determinaretur hoc: non ergo est sensus quod probaret se in nocentem coram senioribus vrbis, sed solum quod proferret verba quae demonstrarent eum esse innocentem, sc. quod si verba illa vera essent homo ille esset innocens: probatio tamen horum non debebat ibi fieri, sed postea coram iudicibus vrbis, in cuius territorio fuit patratum homicidium si petret hoc aduersarius. Vnde solum debebat dicere iste confugiens, quod occidisset illum hominem à casu, scil. quod non attendens fecisset, & qd non erat hostis illius, vt si ambo iuissent pacifice ad scindendum ligna in syluam, & ferrum secu ris lapsus de manubrio percussit alterum, atq; mortuus est, vt patet Deu. 19. quia tunc non iudicatur contra occitorem, ista verba probabant eum esse innocentem, id est, probabant eum esse innocentem, si vera essent. Et patet iste sensus, quia non dicitur in litera comprobet se innocentem, sed dicat ea, qd se comprobent innocentem, & patet magis ex litera Hebraica quae habet. Loquetur in auribus seniorum verba sua, id est, dicet ea, quae intendit, scil. quod ipse occidit hominem à casu, & qd confugit ad eos, vt esset ibi securus: & ad idem vtraq; litera pertinet. Si autem aliquis occisor per insidias aut alias spontanee confugeret ad ciuitatem illam, & diceret se occidisse hominem à casu etiam recipiebatur in vrbem, & dabatur ei locus manendi, nec poterat quisquam nocere illi, donec ventilaretur causa illa. Cum autem aduersarius eius impeteret eū coram iudicibus ciuitatis confugij deuoluebatur causa ad iudices illius terræ, in qua patratum fuerat homicidium & ibi iudicabatur, vt patet Num. 35. c. Sic sufficient eum, id est, cum præmiserit verba sua coram eis petens immunitatem recipient eum, prius autem non. Non tamen est sensus, qd prius prohiberent eum introire vrbem, quia neminem vetabant, sed intelligitur, quod non tenebantur seniores vrbis accipere istum tanquam fugitiuum, & assignare ei locū priusquam exponeret causam aduentus, quia nescirent ipsi quid peteret. Et dabunt ei locum ad habitandum, id est, permittent eum habita re in vrbem, sc. non excludent eum de vrbem vt aduersarius suus possit eum extra vrbem inuenire, & impune occidere. R. David Kimhi, & alij hebrei dicunt, quod tenebantur seniores vrbis tradere ei locum ad habitandum id est domum pro toto tempore, quo ibi mansurus foret nullo dato precio.

C Sed hoc non patet ex litera, nec appetat causa, quare hoc fieret, sed est sensus, quod darent ei locum id est permitteret habitare, quia forte, possent ei dicere nolumus, quod habites in vrbem nostram, & quia sic esset fraus, & daretur occasio mortis istius, coguntur iudices vrbis dare ei locum in ciuitate refugij.

Cumque vltor sanguinis cum fuerit persecutus. Quilibet propinquus occisi vocatur vltor sanguinis, quia illi dabatur vltionis expeditio, siue iudicialiter, siue iure proprio, si comprehendere posset occisorem extra locum refugij: hic autem solum accipitur vltor pro vltione, quae fit gladio scilicet, quia persequebatur occisorem usque in ciuitatem refugij ad occidendum eum.

Non tradent in manus eius. Id est vltor sanguinis peteret huc ad occidendum obiiciens, quod sponte, & hostiliter hominem occiderit: tamen senes vrbis non debebant ob hoc tradere in manus vltoris, nec poterant ipsi cognoscere de causa recipientes probationes ad examinationem facti, sed remittebatur quem tenebant ad iudices territorij, vbi res acta est, vt colligitur Num. 35. c. & dicitur quod isti non tradebant in manus eius, quia si in aliqua alia vrbem esset, tenerentur ciues vrbis illius tradere occisorem in manum vltoris, & poterat vltor in ciuitate illa impune occidere ipsum interfactorem. Item etiam si confugisset occisor ad iudices non tenebatur secure, etiam si se poneret in carcere publico: nunc autem

D quicunque reus subiiciens se carceri publico est tutus ab aduersario usque ad causæ examinationem: ibi autem nequam, sed oportebat confugere in vrbem aliquam fugituum, nam si gauderet quis immunitate fugiens ad carcere publicum usque ad examinationem causam non oportebat ponere vrbes refugij, quia vrbes istæ solum ponebantur pro illis, qui involuntarie occidissent aliquos, & ob hoc essent innocentes, vt patet hic, & nihilominus isti educebantur de vrbibus his ad petitionem aduersarij ad ventilationem causam, ergo si possent securi manere in carcere publico donec, examinaretur causa, non erat necesse ponere loca aliqua immunitatis: ideo dicendum, quod cum aliquis huiusmodi occidisset alium, vltor sanguinis poterat illum occidere vbiunque reperiret etiam si coram iudice, vel in carcere etiam si de mandato iudicis ibi repositus esset custodiendus, sed necesse erat, vt iste confugeret ad vrbes fugituum, & ibi maneret quousque inde educeretur ad ventilationem causæ, & cum ventilaretur gaudebat immunitate vbiunque esset, quia aliter non erant exhibituri iudices vrbis refugij hunc occisorem. Finita examinatione si reperiretur reus mortis, tradebatur in manus vltoris ex decreto iudicis non requisito aliquo assensu, vel auctoritate iudicis vrbis refugij, si autem innocens foret illuc reducebatur per sententiam. Quia ignorans percusit proximum eius, id est proximum vltoris, scilicet, iste, qui occisus est, erat proximus vltoris sanguinis, id est, propinquus consanguinitate, & iste occisor interfecit proximum, id est, cognatum vltoris nesciens, id est, casu, scil. per ignorantiam. Et ista est causa quare non traditur in manus illius quia si occidisset sponte traderetur in manus illius, vnde si confiteretur occisor in vrbem refugij occidisse voluntarie illum, de quo accusabatur, non poterat gaudere immunitate, sed tenebantur iudices ciuitatis illius tradere occisorem in manus vltoris sanguinis, sicut in qualibet alia ciuitate tenebantur ciues tradere huiusmodi occisorem, quia iam non habebat aliquam immunitatem vrbis quantum ad hoc, si tamen proclamaret vltor, quod occidisset per insidias vel alias sponte iste proximum illius, si occisor negaret, non tenebantur tradere illi occisorem etiam si verisimilia signa preberet, immo si polliceretur se habere probationes huius in promptu, non reciperent eas iudices vrbis refugij, quia non pertinebat ad eos super hoc iudicare, sed cum peteretur ad examinationem causam tradebant eum sub certa custodia, scilicet, ne posset ei villa infligi molestia. Nec ante biduum, triduum eius probatur inimicus. Ista est probatio superioris, & quedam circumstantia ad iussicandum causam occisoris, scilicet, quod non fuerit inimicus occisi ante biduum vel triduum. Hoc refertur ad casum, in quo aliquis occidit alium, & non patet plene an casu, sed arguitur ex coniecturis. Pro quo sciendum, quod si aliqui adessent testes rei non erat locus coniecturis, sed luce clarius probaretur veritas rei, & ex hoc conuinceretur, aut absoluueretur occisor, si autem non essent aliqui praesentes, erat solum probatio ex coniecturis, & in isto casu intelligitur hic: nam casuale homicidium dicitur, quando occisor non habuit animum occidendi, nec vulnerandi: si enim aliquis habuit animum vulnerandi, & vulnerauit, & secuta est mors, reus est, si autem ad neutrum fuit voluntarius, est homicidium pure inuoluntarium per ignorantiam, & casuale, ideo probatio consistit in inferendo animum nocendi, vel non, & hoc presumitur ex præteritis, si enim aliqui duo erant prius inimici ita quod adhuc durabat inimicitia, vel per paucos dies ante vii sunt inimicari, etiam si non constet fuisse occisionem voluntariam, arguitur fuisse spontaneam. Velut si duo homines in domo vna soli erant, & eraerat inimici, alterque eorum occisus reperiatur, contra alium est præsumptio, quod eum occiderit: potissimum, quia hic non intenditur an quis alterum occiderit, quia hoc ipse occisor verbo confitetur aut in sua prodit, sed inquiritur an voluntarie id egerit, vel casu, & tunc si erant inimici ex paucis diebus, arguebatur quod egisset voluntarie, & istam præsumptionem arbitratur ius sufficiem ad inducendum voluntarium, cum ipse occisor confitetur factum, & refertur hoc ad casum, quia habetur Deuteronom. 19. quia verba illius ponuntur hic, scilicet, duo, qui à multis diebus nullas inter se gerebant inimicitias, & pacifice soli iuerunt ad syluam ad scindenda ligna,

A lapsumque ferrum securis vnius de manubrio percussit alterum, & mortuus est: non præsumitur quod voluntarie occiderit, ideo iubetur, quod in ciuitate refugij ille liberetur: & idem tangit hic. Identidem aliquando in eis, quæ coram testibus facta sunt, quia testes non sufficiunt ad totius veritatis inquisitionem insitutur præsumptioni, sicut si quis occiderit alterum ferro, vel lapide, vel pugno, testes, qui aderant notificare poterant: sed an fuerit in his animus occidendi, aut letaliter percutiendi, non potest patere ex testibus, sed ex argumentis: & ad hoc scriptura distinguit de instrumentis dicens, quod si quis percussus est ferro, lapide, vel ligno, & mortuus est, morietur interfectus, quia in his manifestus appareat occidendi animus, cū talia instrumenta hostilia sint: ideo hic non distinguit an percutiens fuerit inimicus, vel non. Alia autem sunt, ex quibus verisimiliter non sequetur mors, aut laesio, vt quod aliquis alium in terram iaciat, vel quod pugno percutiat, & tunc si quis prostratus, vel pugno percussus moriatur: considerandum est an ille, qui hoc fecerit erat inimicus eius à paucis diebus, & tunc præsumitur, quod animo occidendi, vel nimis letaliter fecerit: & quia fortiter impulit, vel dure percuterit, secuta fuerit mors, & non casu: si autem non esset inimicus non præsumitur, quod ex percussione, vel prostratione moriatur occisus: ideo primus reus mortis censetur: secundus autem nequaquam, vt patet Num. 35. ca. vbi agitur de omnibus his. Dicitur autem hic, quod non probatur iste occisor inimicus occisi. q.d. ipse, qui occidit non tenetur aliquid probare, sed clamare se innocentem, & configere in urbem refugij, si autem nihil contra eum probatur præsumetur casu egisse, & iudicabitur innocentis, & dato, quod constaret egisse voluntarie, si tamen non obiciatur ei, & probetur non condemnabitur. Etiam dicitur, quod non probetur ante biduum, vel triduum eius fuisse inimicum. Dato enim, quod occisor confiteatur, quod occiderit eum, de quo agitur: si tamen nunquam probatur fuisse hostem eius, non præsumetur, quod egerit voluntarie, sed casu, & absoluatur. Etiam si probatum fuerit, quod aliquando fuerit hostis eius, adhuc non sufficit, nisi à paucis diebus hoc contigerit, quia inimicitiae, quæ à magnis temporibus elapsæ sunt non præsumuntur nunc mouisse occisorem ad hostiliter percutiendum occisum: si autem ex paucis tempore, dato, quod iam videretur cessauisse adhuc præsumit ius, quod non plene cessauerint, cum hoc secutum fuerit tam enorme. Quantum autem sit tempus istud, à quo debuerint cessasse inimicitiae litera dicit.

B An biduum, triduum ve. Id est duos, vel tres dies, sed non est intelligendum, quod istæ inimicitiae solum cessauerint ab uno, duobus, vel tribus diebus, sed à paucis tempore, vt si vnius hebdomadæ, vel vnius mensis, quod poterit vocari paruum tempus, & talis modus loquendi est frequens in sacra scriptura, vt patet Exodi vigesimo primo scilicet si fuerit bos cornupeta ab heri, & nudius tertius: & tamen non signantur ibi solum duo vel tres dies, sed aliquantum tempus. Quantum autem debeat esse istud tempus, arbitrio boni viri iudicabitur.

C Et habitabit in ciuitate illa, donec stet ante iudicium, id est, postquam iudices assignauerint ei locum in vrbe illa ad manendum: morabitur ibi vsq; ad tempus, quo stet ante iudicium, id est ante iudices, scilicet, quod non poterit eum quispiam compellere exire de vrbe ante tempus, quo steterit ante iudices: tunc enim non stabit in vrbe fugitiuorum. In quo innuitur, quod non erat ventilanda causa hic coram iudicibus urbis configij, sed coram aliis, quia si in vrbe configij ventilaretur, non diceretur, quod moraretur in vrbe vsque ad tempus illud, quia etiam tempore illo moraretur in vrbe, sed tunc non morabatur in vrbe, vt hic innuitur, ergo oportet quod ventilaretur causa coram aliis iudicibus. Itē patet Num. 35. cum dicitur quod inter percussorem, & propinquum percussi ventilabitur causa homicidij, & si fuerit repertus innocentis liberabitur de manu vltoris, & reducetur per sententiam in urbem, ad quam configerat: si tamen in vrbe ad quam configerat, ventilaretur causa, non poterat reduci ad urbem ad quam configerat quia in ea maneret: ergo necesse est, quæ extra vrbe illam ventilaretur causa, & hoc erat in vrbe illa in cuius territorio homicidium patratum est. Et hoc erat propter duo. Primo, quia propter delictum sortiebatur iste

D forum urbis illius, in qua patraverat, vel dato, quod non contaret esse delictum, ad sciendum an delictum esset pertinebat inquisitio ad iudices illius urbis. Secunda causa erat ex cunctate, & conuenientia discendarum causarum, nam causæ discutiuntur per conuenientiam probationum, sed in nullo loco probationes abundantiores haberi possunt tam secundum claram evidentiam, quam secundum præsumptions, quam in loco, vbi delictum patratum est: ideo ibi debuit discuti. Ista autem discussio non fiebat ad petitionem occisoris, quia non erat necesse, quod te purgaret, dum tamen aliis nihil probaret, sed fiebat ad instantiam vltoris sanguinis, qui proponebat querelam coram iudicibus illius urbis in cuius territorio erat patratum delictum, & isti mittebant ad ciuitatem refugij, vt exhiberetur occisor in iudicio, & tenebatur seniores ciuitatis illius exhibere, vt colligitur Num. 35. c. hoc tamen sub secura custodia, scilicet, vt nihil pati posset ab aduersario, dum ventilabatur negotium, & hoc tempore compellebatur occisor non habitare in ciuitate refugij, ante hoc autem nullus cum inde poterat trahere. Causam reddens facti sui. Non accipitur hic propriæ causa quoniam non petebatur ab occisorre quare fecerit, quia hoc pertinet ad agentem ex intentione, quia propter aliquam rationem ageret, qui tamen agit à casu cum non intendat, non habet aliquam causam facti sui, sed est sensus, quod det causam facti sui, id est det rationem excusatiuam, vel modum, vt dicat ego feci hoc in uoluntarie sic, vel sic, & hoc sufficiebat ad hoc, quod absoluatur. Vel dicitur reddere causam facti sui, quando respondet obiciensibus contra factum suum, scilicet quod iniustum sit. Et moriatur sacerdos magnus, qui fuerit illo tempore. Sacerdotes minores erant multi, sacerdos autem Magnus erat vnicus, sicut patet. Erat autem iste sacerdos Magnus per lineam primogenitorum descendantium ab Aaron: nam omnes descendentes ab Aaron quomodo cunque erant sacerdotes, sed de his erat vnicus summus sacerdos, sicut enim vivente eo fuit ipse summus sacerdos, & filii eius minores sacerdotes, ita eo mortuo filius eius maior, scilicet Eleazar fuit constitutus summus sacerdos Num. 20. & reliqui manserunt minores sacerdotes, & sic per omnes successiones generationum. De isto sacerdote magno quis esset, & quomodo descenderet per successionem, & quando non haberet filios, quis succederet, & quando summus sacerdos esset leprosus, & non posset ministrare an deberet aliis institui, vel dari ei coadiutor, & dato, quod alias institueretur cui daretur, & de multis aliis declaratum est Num. 20. circa finem. De redditibus autem summi sacerdotis declaratum fuit Num. 18. c. Dū iste summus sacerdos viueret, qui fuerat tempore quo patratum est homicidium manebat in vrbe occisor, postea vero regrediebatur in terram suam. Vnde dicendum, quod si summus sacerdos moreretur mox post diffinitionem causa non erat remittendus per sententiam occisor iste in urbem refugij, sed poterat ire in terram suam, vel si pendente lite super homicidio, moreretur summus sacerdos, cuius tempore ista acciderant, etiam dicendum quod ventilabatur causa vsq; ad diffinitionem, & si absoluatur reus non reducebatur in urbem refugij quoisque moreretur sacerdos, qui nouiter constitutus erat, sed immediate poterat ire in urbem suam, quia iam mortuus erat summus sacerdos, cuius tempore hæc contigerant.

E F Quid si patrato homicideo ante tempus motæ litis moriebatur summus sacerdos, quando liberandus erat occisor.

Q V A E S T I O X V .

Q V I D si post homicidium patratum ante tempus motæ litis moreretur summus pontifex, qui fuerat tempore commissi homicidij.

Respondendum est, vt in superioribus patet, quod ventilabatur causa vsque ad diffinitionem, & si reus huiusmodi occisor inueniretur, occidebatur, si autem absoluatur, non reducebatur in urbem configij vsq; ad mortem summi sacerdotis, qui fuerat nouiter constitutus, sed redibat in ciuitatem suam.

A

Si aliquis occidisset aliquem in tempore, quo non esset summus sacerdos, & eo tempore ventilata, & diffinita causa: an deberet manere in vrbe refugij per tempus summi sacerdotis sequentis, vel esset liber statim. Et quod summus sacerdos veteris testamendi certum habebat successorem: incertum in uno: propterea impossibile erat in veteri vacare summum sacerdotium.

Quæstio XVI.

VID si mortuo summo sacerdote antequam assumetur alius, aliquis occideret quempiam à casu, & fugeret in vrbe refugij, & postea ventilata causa reperiatur innoxius: An deberet expectare in vrbe refugij vsq; ad mortem summi sacerdotis, qui nunc constitueretur, vel immediate post cause diffinitionem posset redire in terram suam sicut dicebatur in præcedentibus casibus. Aliquis respondebit, quod immediate post diffinitionem causam reuertetur homicida in terram suam, quia homicidium non fuit patratum tempore secundi summi sacerdotis, cum nondum esset assumpitus. Sed tunc quæretur, cum litera ista imponat obligacionem quandam, siue magnam, siue parvam homicidæ manendi in vrbe configij vsq; ad mortem summi sacerdotis, oportet dari aliquem summum sacerdotem tempore cuius impeditur, redire in terram suam manendo in ciuitate refugij, sed non potest referri ad sacerdotem præcedentem, quia ille mortuus erat, ergo necesse erit referri ad sacerdotem sequentem, & tempore huius morari cogetur homicida in vrbe refugij, & illuc per sententiam reducetur. Ad hoc respondebit aliquis non sequi, quia satis stat, q; aliquis occideret aliquem à casu, & discuteretur causa eius vsque ad diffinitionem, & in toto hoc tempore nullus esset summus sacerdos. Tunc ergo valde irrationabile esset, quod postquam aliquis fuisset absolutus expectaret vsque ad mortem sacerdotis, quia nondum erat: potissimum, quia etiam contra literam istam dicit enim q; non reuertetur in terram suam immediate post sententiam, sed manebit vsq; ad mortem sacerdotis magni, qui fuerit in illo tempore, sed tempore occasionis huius non erat aliquis sacerdos magnus, nec tempore ventilationis causa, aut sententiae, ergo non poterat manere huiusmodi occisor in vrbe refugij post sententiam vsq; ad mortem sacerdotis, qui erat illo tempore, siue referatur istud tempus ad occasionem, siue ad lationem sententiae absolutiorum, quia nullus tunc Sacerdos erat, hoc patet cum dicimus vacare sedem sive per mortem episcoporum, siue per obitum summi pontificis. Nam non est immediate unus Episcopus post mortem alterius, sed interdum vacat sedes magno tempore: nam præter multa accidentia propter quæ contingit diuturnas esse episcopalium sedum vacationes, adhuc de iure datur certū tempus, in quo necesse est vacare sedem: nam nō possunt canonici conuenire ad electionem mox, vt aliquis Episcopus defunctus fuerit, sed primo fiunt solennes exequæ tradituriq; sepulturae corporis: deinde datur certum tempus, in quo expectatur absentes canonici: & sic conueniunt ad electionem: sed adhuc nō immediate Episcopus alius constituitur, cum contingat multas varietates fieri in electionibus, & sic temporibus istis sedes vacat: ita de summo sacerdote alicui dicendum videbitur, quod interdum vacat sedes, effetque tempus, in quo nullus esset summus sacerdos, sc. inter mortem unius, & constitutionem alterius, & tunc nō esset obligatio aliqua, sed quod intelligatur ista litera, quando fiunt hæc, scilicet occisio, & causa ventilationis atque diffinitionis, vel aliquid eorum viuente aliquo summo sacerdote: secus quando tempore omnium istorum vacat sedes summi sacerdotis.

Sed non stant hæc, quoniam presupponitur falsum scilicet quod aliquando vacat sedes summi sacerdotis, sicut vacat apud nos sedes episcopal, vel apostolica, & quod posset esse occisio alicuius, & ventilatio causæ tempore, in quo nullus esset summus sacerdos, quia non est de summo sacerdote sicut de Episcopis, & Papa, quia cum Episcopus moritur, non habet certum successorem: idem de summo pontifice, ideo sedes episcopal, & apostolica interdum vacant, id est, nullum habent succedentem: summum autem sacerdotium habe-

bat certum successorem. Cum enim moriebatur aliquis summus sacerdos, certus erat sibi successor, nam episcopalis dignitas, & papalis ceteræq; ecclesiastica per electionem, vel collationem superiorum proueniunt, & nulla venit per successionem, quia status ecclesiasticus abhorret successionem, vt patet extra De decimis. c. adhæc. scil. Sanctuarium Dei iure hereditario possideri non debet. Ideo impossibile est in his, quod cum aliquis moritur, habeat certum successorem, nisi per aliquam deordinatam deordinationem daretur alicui titulus expectatiuus ad certam vacaturam, quam aliquis viuens tenet: quod iura penitus vetuerunt. In summo sacerdote erat è contrario, quia ibi non erat electio, sed successio etiam ab inteflato, sic patet Exod. 29. & Leu. 6. scil. Sacerdos, qui patri suo iure successerit, &c. vnde non habebat hic locum aliquem electio. Et quod amplius est ipse sacerdos moriens non poterat facere sibi successorem, quæ vellet in summo sacerdotio, sicut potest quis libere scribere sibi heredem, quem voluerit non ablata legitima liberorum si quos habet, quia hæc debetur eis iure naturæ, & hoc, quia summum sacerdotium erat de iuribus primogeniturae, ideo sicut si quis habeat bona primogeniturae non potest ea, cui voluerit legare, vel in eis, quem voluerit heredem scribere, sed cogitur relinquere ea primogenito suo, ita in summo sacerdotio, nō poterat pater dececdens instituere filium, quem volueret summum sacerdotem, sed succedebat, qui erat primogenitus, & erat ista successio ab inteflato, quia dato quod pater nullum filium insituissest summum sacerdotem, sed magis aliquem extraneum, nihilominus, qui primogenitus erat, succedebat, ideo impossibile erat sedem summi sacerdotij aliquando vacare, quia nullum tempus erat, in quo summum sacerdotium non pertinere ad aliquem. Patet hoc de hereditate, ea enim quæ quis habet dum viuit sua sunt, cum autem mortuus fuerit non manent bona sine certo dominio, quia ad heredes pertinent siue ex testamento siue ab inteflato: nec est aliquid tempus, in quo dominium huius hereditatis non sit penes aliquem. Quæ autem proueniunt per electionem aut collationem solam aliquibus, multoties possunt sine domino esse: ergo sedem summi sacerdotis vacare in veteri testamento, sicut nunc vacat sedes papalis aut episcopal, est impossibile.

Vnde dicendum, quod immediate quo aliquis summus sacerdos moriebatur, filius primogenitus erat summus sacerdos nulla facta mutatione: vel si non habebat filios, succedebat alius, de cuius modo declaratum fuit Numeri. 20. ita vt nullum tempus esset sine summo sacerdotio, nec deficiebat aliquid isti summo sacerdoti, nisi consecratio quædam, sed ob hoc non tollebatur esse summum sacerdotem, sicut electus confirmatus est Episcopus, quamquam nondum afferatus fuerit munus consecrationis. Sed adhuc est maior confirmatione in isto, cum nullo modo possit sibi tolli talis dignitas, quia iure hereditario sibi conuenit: & sic non stat, quod isti opinabantur, scilicet, quod contingere quempiam occidere alium, & ista occisio, & ventilatio causæ atque diffinitione sint, dum nullus summus sacerdos est, quia semper erit aliquis, & tunc applicabitur quæstio ad propositum, scil. quod si aliquis occideret alium dum nullus esset summus sacerdos, & omnia hæc fierent immediate, vt diffiniretur in causa, si iudicaretur occisor innocens immediate redire poterat in ciuitatem suam.

Sed non stat, quod aliquis ista faceret dum nullus esset summus sacerdos, quia semper erat aliquis summus sacerdos, vt supra inductum est, ergo, dicendum in casu supra posito, quod si aliquis occideret quemquam cum aliquis summus sacerdos mortuus est prius, quam consecraretur successor suus, & indicaretur postea iste liber à crimine, non erat reducendus ad vrbum suum quoisque moreretur summus sacerdos secundus, qui nondum fuerat consecratus, quia homicidium tempore huius factum erat, cum ipse esset tunc summus sacerdos mortuo alio, licet non esset consecratus, quia esse consecratum, vel non, nihil agit ad esse summum sacerdotem, cum sit posterius, quamquam nullus summus sacerdos ministrabat in officio suo quoisque esset consecratus. De ritu consecrationis sue patet Exod. 29. Lexit.

8.cap.

Quid

B

C

D

E

F

A Quid si quis occidisset aliquem dum nullus erat sacerdos, & quando ventilabatur causa, & finita est erat aliquis pontifex.

Q V A E S T I O XVII.

QVÆRETVR quid si iste occidit aliquem, dum nullus erat summus sacerdos, & quando ventilabatur causa, & diffinita fuit, erat aliquis summus sacerdos. Iste casus est differens à superiori, quia in præcedenti ponebatur facta occiso, dum nullus erat summus sacerdos, & hoc tempore ventilata est causa homicidij atque diffinita: nunc autem ponitur, quod fuerit facta occiso nullo existente summo sacerdote, tamen ventilatio causa, & diffinitio fuerunt constituta iam alio in summo sacerdotio vnde sat is videtur, quod debeat esse ratio dissimilitudinis in diffiniendo.

Respondendum est, quod in isto casu, sicut & in superiori, falsum præsupponitur, nam non potest esse aliquod tempus, in quo quis occidatur, & non sit aliquis summus sacerdos, cum immediate, & quis mortuus est alius ei succedit: & idem instans est in quo definitus quisquam esse summus sacerdos, & in quo alius esse incipit: sicut in dominiis rerum, que per successionem habentur, super declaratum est. Ideo cum quis occideret aliquem in veteri testamento, necesse erat, ut in tempore alicuius summi sacerdotis fieret hoc, & pro tempore obligabatur ad ea, que dicuntur hic siue esset sacerdos præcedens siue subsequens. Si tamen daretur, quod aliquis, occideret alium tempore quo nullus erat summus sacerdos, videretur alicui quædam ratio diuersitatis inter casum præcedentem & istum, nam in casu præcedenti occiso, & ventilatio causa, & diffinitio fiebat dum nullus erat sacerdos magnus, ideo non videbatur aliqua causa, quare obligaretur iste occisor ad manendum in vrbe refugij tempore sacerdotis, qui postea constitueretur cum nihil tempore illius accidisset, in casu autem isto quamquam non erat simile, quia quamquam non accidisset occiso tempore summi sacerdotis alicuius, tamen accidebat ventilatio cause, & diffinitio eius tempore sacerdotis nouiter constituti: & tamen non debebat condemnari ad manendum in vrbe refugij toto tempore, quo viueret iste summus sacerdos, quia debet referri ista litera, scilicet, & moriatur sacerdos magnus, qui illo tempore fuerit, id est qui fuerit tempore, quo occiso facta est: quia ista pena datur propter delictum, vel delicti similitudinem, & istud solum causatur tempore occisionis, & non cum ventilatur causa, vel cum diffinitio: ideo de sacerdote qui fuerit tempore patrati homicidij intelligendum est istud, scilicet, quod eo viuente manere debeat in vrbe, ad quam configerat.

C Quid si quis occideret sumnum sacerdotem à casu, an deberet fugere in vrbe refugij. Ex quo delictum duplacter consideratur: Et ad quem pertinet indicare de criminibus.

Q V A E S T I O XVIII.

QVÆRETVR quid si quis occideret sumnum sacerdotem à casu sicut in aliis vulgaribus hominibus, propter quod deberet fugere in vrbe configurij, & postea ventilata causa iudicaretur innocens: an deberet manere in vrbe configurij, toto tempore sequentis summi sacerdotis. Videbitur dicendum alicui, quod non, quia in aliis occisionibus necesse est, ut dicamus eas factas tempore alicuius summi sacerdotis, siue præcedentis, siue subsequentis: hic fortassis non videbitur sic, quia, dum unus summus sacerdos occiditur, non est alius summus sacerdos; quia tunc sequeretur, quod duo summi sacerdotes possent esse simul; sed patratur delictum dum iste viuit, ergo satis videtur, quod non sit condemnandus occisor ad manendum in vrbe refugij viuente sequenti summo sacerdote.

Dicendum, quod si forte deberet occisor manere in vrbe refugij toto illo tempore, quo viueret summus sacerdos, qui erat quando facta est occiso, vel ventilatio causa, aut diffinitio: satis manifestum esset, quod iste occisor tempore sequentis summi sacerdotis deberet manere in vrbe configurij,

quia quamquam occiso non fieret tempore illius, tamē saltem processus in causa, & diffinitio tempore illius siebant, sed declaratum est, quod solum intelliguntur ista de sacerdote summo, qui est tempore, quo fit homicidium, & non est curandum de eo, qui est cum ventilatur causa, vel diffinitur, ideo stat difficultas, quia non satis appetet quis sit summus sacerdos, cum committitur homicidium. Si enim dicitur, quod tunc est summus sacerdos, qui occiditur.

Dicendum erit, quod cum diffinitum fuit occisorem esse innoxium reducetur in terram suam, & non redibit ad vrbe configurij, quia iam mortuus est summus sacerdos, cuius tempore haec facta sunt. Si autem dicitur, quod tunc esset summus sacerdos ille, qui subsequitur necesse est, ut quamquam iudicetur occisor innocens, maneat in vrbe, ad quam configerat toto tempore, quo vixerit sequens summus sacerdos. Quis ergo horum sit summus sacerdos tempore illo quo fit homicidium?

Considerandum, quod aut conspicitur delictum à sola actione agentis, aut ab actione eius, & passione patientis. Si autem primo modo dicendum, quod summus sacerdos est, qui moritur. Si secundo modo summus sacerdos est, qui succedit. In quo considerandum, quod si quis occidat alium à casu, delictum, vel quasi delictum est hoc homicidium: istud autem potest duplacter considerari, scilicet ab actione agentis, scilicet à vulneribus illatis, per quæ quis moritur, quæ sola infert agens, aut ex passione patientis, id est ex morte, quæ causatur in suscipiente vulnera. De primo manifestum est, quæ actione agentis est dum patiens est: nam dum aliquis alium percutit adhuc viuit, cum mors sit causata ex vulneribus, & quamquam paruula mora intercidat inter mortem, & vulnera, tamen vulnera ante mortem sunt. Et hoc modo delictum istud patratur tempore sacerdotis summi, qui occiditur, & non maneret occisor in vrbe tempore sequentis summi sacerdotis. Poteſt autem homicidium, vel delictum accipi ab eo, quod patiens patitur, & tunc cum istud sit mors necesse est, ut dicatur delictum istud patrari cum percutitus moritur, sed quando percutitus moritur alius est summus sacerdos, ergo delictum patratur tempore alterius summi sacerdotis, & debeat manere tempore illius in vrbe refugij. Patet hoc, quia nullus est instans, in quo non sit aliquis summus sacerdos, sed quando unus summus sacerdos moritur non est, ergo tunc est alius summus sacerdos. Primum ex prædictis patet: secundum probatur, quia quando aliquis moritur, mortuus est, cum idem sit mori, & mortuum esse, gigni, & genitum esse, quia ista sunt instantanea, & non habent aliquam diuisibilitatem extensionis, secundum quam distinguatur in eis mori, & mortuum esse, sicut in motu distinguuntur motus, & mutatum esse, quia motus habet magnitudinem, & in tempore distinguuntur tempus, & instans, quia identidem habet magnitudinem, sed mori non habet aliquam extensionem durationis, ergo idem est mori, & mortuum esse. Identidem gigni non habet extensionem successionis, ergo non potest distinguiri gigni, & genitum esse, & tunc quando aliquis moritur mortuus est, sed quandocumque mortuus est aliquis summus sacerdos est alius, ne detur tēpus in quo nullus sit, ergo quando moritur summus sacerdos mortuus est, & alius sacerdos summus est, & tempore illius dicitur patratum delictum.

Sed tunc stat dubium à quo horum accipendum sit delictum, scilicet, ab actione agentis, vel ab actione agentis & patientis passione.

Respondendum est, quod secundo, scilicet à passione patientis: nam crimen aspicitur ex fine tuo, cum dicitur esse patratum, quia tunc possunt distingui res, cum autem sunt in fieri nondum potest dari distinctione in illis. In naturalibus hoc patet, quia dum aliqua res transmutationi subiecta est ad acquirendum formam, nondum potest cognosci de illa quid sit, quia forma, à qua res denominari debet, nondum acquisita est, sed poterat alia, & alia acquiri, dum durat motus: cum autem cessante motu manet res completa per suam formam, potest determinate dici de re quid ipsa sit. Sic patet in differentia embrionum, & animalium perfectiorum, vel seminis decisi, & organizati corporis. In artificialibus sic est, quia dum filigulus aliquod vas manu tenet, & nondum complevit potest quod voluerit illud facere inducendo variam figuram, cum autem semel illud consummatum fuerit cessante motu deter-

Id est
mori et
mortu-
um esse
gigni et
genitum
esse.

A minatum est in specie sua artificiali large dicta, & potest de illo dici quid sit, ante autem dici non poterat. Ita in moralibus & ciuilibus dicitur: nam iudicare de criminibus, sc. quæ sint crimina, & quæ sint species criminum, vt pro illis poenæ imponantur ad ciuilem pertinet, si tamen ad principium inspiciat, sc. ad actionem agentis non distinguet crimina: ergo necesse est illa accipi secundum id, in quo distingui possint: & istud est per finem vel fuscipientis. Quod patet, quia cum aliquis vulnerat alium, si attenderetur actio huius, & non passio fuscipientis non distingueretur homicidium, & vulneratio: tamen leges humanae distinguunt ista crimina, & de ipsis sunt duo capita legis Aquilæ, vnum de occiso, & alterum de vulnerato. Attendendo tamen ad actionem agentis in virtuote esset idem crimen, quia utrobius fuit sola illatio vulnerum ex parte agentis, ergo crimina ex passione fuscipientis considerantur, & sic cum aliquis alterum percutit, attenditur si inde moriatur, & quamquam post aliquot dies moriatur, dicetur iste homicida, & non percussor. Patet ergo quod cum quis occidebat summum sacerdotem à casu non accipiebat nomen istud delictum, vel quasi delictum ex actio ne agentis, sc. ex vulneratione, sed ex passione fuscipientis, sc. ex morte, & quia quando moriebatur unus summus sacerdos iam erat alius sacerdos, vt supra inductum est, ergo delictum istud diceretur patratum tempore sequentis summi sacerdotis, & consequenter deberet occisor si iudicaretur innozens manere in vrbe refugij post ventilatam causam vsq; ad mortem sequentis summi sacerdotis.

Quid fieri deberet, si quis alterum occideret in vrbe refugij à casu. Et propter quid refugij loca dabantur.

Q V A E S T I O X I X .

Q VARET aliquis quid fieri deberet si quis occideret alium à casu in vrbe refugij, scilicet an in eadem vrbe liberaretur.

Respondendum est, quod sicut nunc est de quibusdam locis gaudentibus immunitate quamquam sint prophana, sicut vrbes vel oppida, ita tunc esset: nam confugientes ad illa de aliis locis non possunt inde trahi ad poenam, si tamen ibi quisquam deliquerit non gaudent immunitate, quia tunc tolleretur ordo politicus locorum illorum, & frangerentur leges, sed qui delinquunt in talibus locis: ita puniuntur in illis, sicut in aliis. Si ergo aliquis in loco refugij occideret alium à casu non gauderet ibi immunitate locorum, quia non configiebat occisor ad vrbum illam, sicut leges istæ dicunt, sed erat in ea, & sequeretur magnū inconueniens, si ibi occisor gauderet immunitate, quia cum in vrbe illa essent propinqui ipsius occisi, daretur occasio ad multa homicidia. Vnde propter hoc dabantur loca refugij separata à locis, in quibus fierent homicidia ne ibi essent cognati ipsius occisi, & sequeretur scandalum, sed qui sic occideret alium debebat fugere ad aliam vrbum refugij, & ibi gaudebat immunitate. Si autem vltor sanguinis apprehenderet occisorum in vrbe refugij, in qua occiderat proximum suum, posset eum impune occidere, vel vbiunque apprehenderet ante aliam vrbum refugij. In hoc autem non distat an aliquis, qui erat oriundus de ciuitate ipsa refugij occideret aliquem in loco ipso, vel aliquis de extraneis, quia forum simile vel dissimile non fortitur quis propter locum originis quantum ad delictum, sed propter locum, in quo delictum patratum est. Etiam nō differebat an iste, qui alium in vrbe refugij occidisset nullum alium occidisset, sed maneret in vrbe, quia erat accola terræ, siue ob aliquam negociationem, vel quod configisset iste in vrbum propter homicidium casuale: nam tunc tenebatur fugere de illa vrbe in aliam, & prior hostis poterat eum occidere impune, si comprehendenderet extra terminos ciuitatis refugij, cum nunc secundo fugeret, & in hoc debebat sic fieri, vt ventilaretur causa vtriusque homicidij, & si in aliquo eorum reperiretur nocens occidebatur: si autem in virtuote esset innoxius, reducebatur in ultimam vrbum, in quam configerat. Nam, quamquam ventilaretur causa primi homicidij, & reperiretur innocens, non reducebatur occisor ad vrbum illam, ad quam configerat factio il-

D lo homicidio, quia illa non erat iam sibi secura, cum ibi patrasset aliud homicidium: sed debebat reduci in ciuitatem secundam, ad quam configerat usque ad mortem summi sacerdotis.

Quid si quis in multis vrbibus refugij committeret homicidia casualia.

Q V A E S T I O X X .

Q VARET adhuc quid si aliquis in multis ciuitatis vrbibus refugij committeret homicidia casualia.

Respondendum est, vt in precedentibus, quod nunquam poterat aliquis esse immunis in ciuitate illa, in qua homicidium patratabat, sed debebat facere, vt dictum est, scilicet, quod cum in ciuitate vna patrasset homicidium fugeret in aliam ciuitatem refugij, & sic usque ad omnes, sed quoties aliquis esset plures occisor, toties erat multiplicatio vltorum sanguinis, & omnes poterant impune occidere hunc, cum inuenirent eum extra aliquam de vrbibus configurij: erant autem ciuitates istæ à principio sex, vt patet hic: & iubebatur quod postea cum dilatarentur termini terra Iudeorum, adderent tres alias vrbes Deut. 19. cap. & tunc si aliquis occidisset successus in octo vrbibus harum aliquos à casu poterat configere de vna in aliam successus, quo usque veniret ad nonam, quæ esset ultima, & cum occisor in aliqua vrbe harum quempiam vulnerasset occidens non licebat ei illuc redire, sed fugiebat ad aliam in qua nullum occidisset. Quantum verò ad ventilationem causarum istorum homicidiorum descendat quod quilibet de vltoribus sanguinis, scilicet, de propinquis occisorum poterat hunc accusare, & tunc extrahebatur iste de vrbe ad quam configerat, & ducebatur ad locum, in quo ventilaretur causa. Non poterant tamen ista negotia simpliciter tractari, quia erant tractandi in variis vrbibus, scilicet de quolibet homicidio agendum erat in vrbe illa, in cuius territorio fuerat commissum. In ordine autem ventiliandi causas istas non differebat: quilibet enim poterat ante aliam, vel post illam tractari, quia non erat annexus aut conexus: vel ab alterutro originem trahentes. Habebat autem locum præuentio. Nam sicut cum quis habet multos iudices, coram quibus potest in ius vocari est locus præventioni, scilicet, quod ille, qui primo fecerit eum citari cognoscet de causa, & pro hac vice tollit aliis potestatem cognoscendi, si sint iudices, qui sint penitus æquales. Quod dico ad differentiam iudicium superiorum in casu, in quo possunt causas ad se sumere: ita hic omnes iudices, qui poterant cognoscere de octo, vel nouem homicidiis alicuius occisoris erant iudices æquales, & coram quolibet horum poterat conuenire occisor, coram quo cunq; primo conueniretur, erat causa primo tractanda, licet homicidium illud esset postremo contrarium, cum causa istæ non habeant inter se aliquem ordinem, & finita causa si innocens iudicaretur poterat conueniri coram aliis iudicibus pro aliis homicidiis usquequo finirentur causæ omnium homicidiorum, & cum quilibet harum finiretur remittebatur innocens in vrbe refugij. Sed non indifferenter in vnam earum, sed solum in illam, quæ fuerat ultima, in qua neminem occiderat, quia nulla aliarum erat ei secura.

Quid si in qualibet vrbe refugij occisor interfecit aliquem à casu. Et quod possilia multa sint, quæ non quam contingent.

Q V A E S T I O X X I .

Q VARET aliquis quid si in qualibet vrbe refugij iste occisor interfecit aliquem à casu, quia iam non videtur habere quo fugeret: nam ad primas redire non poterat: quia ibi aliquos occiderat, & iam nō gauderet ibi immunitate.

Respondent quidam quod si erat ventilata causa alicuius homicidij horum, & reperiebatur iste innocens, reducebatur in vrbum illam refugij, in qua occiderat illum, de quo nunc ventilata fuerit causa, & sic de aliis homicidiis.

Sed ista responsio non stat: tenet enim si solum esset necessaria immunitas usq; ad examinationem causæ, sed etiam

cum

A cum aliquis iudicabatur innocens non erat immunis ab hoste usque ad mortem summi sacerdotis, & si aduersarius caperet eum extra urbem refugij, occidebat illum, ergo ventilata causa non poterat aliquis redire in urbem refugij, in qua aliquem occiderat, nisi post occisionem illam iam fuisse mortuus summus sacerdos, quia adhuc aduersario suo existenti in urbe illa licebat occidere ipsum: non ergo poterat hoc modo redire ad aliquam harum.

Sed dicendum, quod cum aliquis commisisset homicidium in qualibet urbe refugij, & et in ultima, quae sunt decem homicidia, aut erat diffinita aliqua causa harum praeter primam, aut non. Dico praeter primam quia illa erat primum homicidium, propter quod primo fugit occisor in urbem refugij, & quamquam ista diffinita esset nihil erat, quia adhuc manebant huic occisoris hostes, in qualibet urbe confugij, ideo non poterat ire ad aliquam earum: si autem esset diffinita aliqua causa homicidij de patratis in aliqua urbe refugij, est quareandum, an postquam homicidium illud fuit patratum mortuus fuisse summus sacerdos, cuius tempore fuerat contratum. Si dicatur quod sic, dicendum quod ad illam urbem poterat occisor redire, & manebat ibi, nec poterat redire in terram suam, quia quamquam mortuus esset unus summus sacerdos, cuius tempore patrata fuerant aliqua de primis homicidiis, tamen aliqua fuerant patrata tempore sacerdotis, qui postea esset, saltum homicidium in ultima urbe refugij, & ob hoc non posset redire in terram, quia licet primi aduersarij quorum propinqui occisi fuerant, ante mortem praecedentis summi sacerdotis, non possent huic occisoris amplius nocere: tamen aduersarij secundi possent occidere eum, si comprehenderent extra urbem refugij, ideo non posset redire in terram suam, sed in urbem refugij, de qua dicebatur. Si autem nulla causa ventilata foret, vel si ventilata essent causae: & tamen non fuisse mortuus aliquis summus sacerdos post primum homicidium horum, & post aliquid de factis in aliqua harum urbium refugij, non haberet occisor iste quo iret. Et dicitur post homicidium factum in aliqua harum urbium: nam dato quod post homicidium primum, factum est extra urbem refugij mortuus fuisse summus sacerdos, & tamen post omnia alia homicidia, vel post aliquid eorum non fuisse mortuus aliquis summus sacerdos, non manebat locus, in quem confugeret, quia nullus adhuc ei securus erat quoque moreretur summus sacerdos, qui fuerat eo tempore, quo patratum est homicidium in loco ipso refugij. Et in hoc dicendum, quod non erat aliquid remedium positum a lege: nam si fugeret in aliquam urbem extra urbem refugij occideretur, cum aduersarij sui illuc eum persequentes possent impune occidere. Si autem fugeret in aliquam de urbibus refugij etiam occidi poterat, quia in qualibet eam contraxerat homicidium, quod nondum secundum legem erat expiatum, lex tamen in hoc non posuit remedium, quia non creditum est esse contingens, vt quis in qualibet urbe refugij homicidium casuale committeret, ideo quamquam possibile foret, nihil de eo scriptum fuit, quia multa possibilia sunt, quae nunquam contingent, nec est facile ea eveneri & de his non dantur leges. Fortassis enim nunquam contigit tale in terra Iudeorum: si tamen contigisset, necesse erat, vt occisor fugeret ad regna gentilium, in quibus maneret securus usque ad mortem summi sacerdotis, qui tunc erat, & post reuerti poterat in terram suam, & ibi abolebantur omnia praeerita homicidia.

Quid si quis patrasset multa homicidia, propter que fugisset in urbem refugij, & discussa causa reperiretur reus: cui accusatori erat tradendus, vt eum occideret.

Q V A E S T I O XXII.

V A E R T aliquis quid si cum aliquis commisisset multa homicidia, propter quae confugisset in urbes fugitorum, & postea ventilata causa aliqua reperiretur nocens cui de aduersarijs tradendus erat ad occidendum: nam qui reus esset non occidebatur pracepto iudicis, sed tradebatur aduersario, vt eum iugularet si vellet, vel dimitteret, vt patet Numer. 35.

Respondendum est, quod cum aliquis reperiebatur nōcens in ventilatione causarum, aut erant aliqua ventilatae, in quibus fuisse absolitus, vel non. Si primo modo manifestum erat, quod non erat tradendus alicui eorum, quos innocentia sua in iudicio superauerat, quia si cum eis solum litigaret non occideretur, sed de aliis, qui manebant erat magis dubium. Si autem non fuisse aliqua causa homicidij adhuc ventilata, sed in prima probaretur reus, videbatur esse magis dubium cui de aduersariis tradendus foret. Sed dicendum, quod tradendus erat ei, qui eum tunc conuicerat; quia propter hunc iugulabatur, cum iste conuicisset eum reum, ergo isti erat tradendus. Item non poterat tradi alicui aliorum, quia forte erat innocens in omnibus homicidiis, de quibus alii accusatur erant eum: ergo non erat rationabile tradi aliquem morti, cum non constaret de eius criminis. De criminis autem de quo nunc conuictus fuerat constabat, ergo isti accusatori tradendus erat.

Quare usque ad mortem summi manebat occisor in urbe refugij. In quo ratio assignatur allegorica, quare confugientes ad urbes refugij manebant ibi usque ad mortem summi sacerdotis.

Q V A E S T I O XXIII.

V A E R T V R adhuc quare usque ad mortem summi sacerdotis non redibat occisor in terram suam, sed manebat in exilio.

Respondet Rab. Sal. quod summus sacerdos interpellabat ad dominum prototo populo, ne mala veniant, vt patet de Aaron, qui cum vastaretur totus populus incendio, tulit thyamia, & posuit se inter mortuos, atque viuentes, & stetit plaga, vt patet Num. 16, ideo cum aliquid malum fiebat tempore summi sacerdotis illi aliquo modo imputabatur, & ob hoc usq; ad mortem illius manebat iste homicida in exilio. Rab. Mair dicit, quod sacerdos magnus erat ad augendam vitam, cum oraret pro salute populi, occisor autem diminuerat vitam, ideo dum viueret sacerdos magnus tenebatur in exilio occisor. Rab. Omer dicit, quod sacerdos magnus est ad glorificandum Deum, homicida autem est ad tollendam gloriam Dei, ideo non veniebat ab exilio, donec moreretur summus sacerdos. Sed ista valde sunt puerilia, & ipsa se redargunt. Dicendum autem est causam esse, quia Deus ad duriciem Iudeorum permittebat multa propinquis occisorum: nam permittebatur, quod si possent comprehendere ante urbem confugij, vel postea extra illam priusquam ventilaretur causa, occiderent impune ipsum occidorem, & postquam esset causa ventilata, & iudicaretur innocens occisor, adhuc poterant ipsum occidere. Permittebatur autem, quia si non permetteretur hoc cum Iudei essent duri corde non obseruarent legem contrariam, & daretur occasio ad magis violandum legem, cum semel subducerent collum legi: prouidit autem Deus permittens eis hoc, vt licite facerent, quod alias, etiam si illicitum foret, facturi erant: & illo modo missus est libellus repudij, & usuræ, & quedam alia. Vnde ante cognitionem causæ erat generaliter permisum propinquis occisi, quod occiderent interfectores proximorum suorum, si eos extra urbes refugij comprehendenter: & quia post sententiam absolucionis etiam non immediatè sedatur ira propinquorum occisi, dabatur quod non posset immediate redire occisor in terram suam, ne daretur occasio, vt proximi ipsius occisi recenti ira stimulati occiderent ipsum occidorem, & ad hoc dandus erat aliquis terminus, usq; ad quem non posset venire occisor in terram suam, & fuit ad hoc prefixus terminus, scilicet usque ad mortem summi sacerdotis. Si autem dicatur quare magis usque ad mortem sacerdotis, quam usque ad alium terminum manebat sic occisor? Non potest dari determinata causa, quoniam istud est commune in iure, quod in assignatione terminorum non possit dari ratio, vt datur terminus alias tempus ad prosequendum appellationem, vel tempus ad prescriptionem, vel ad usum capione non potest aliqua ratio assignari, quare magis tantum tempus datum est, quam minus, vel plus, sicut dantur decem dies ad appellandum, & non potest dari causa quare magis dentur decem, quam nouem quam undecim, & ita de ceteris, ita

A ergo in iure diuino quantum ad assignationem terminorum in istis foralibus non potest dari causa quare magis tantum quam tantum in speciali, quamquam in generali satis potest dari causa. Alia ratio dari posset, quae videretur allegorica, sed aliqualiter est literalis, quia forte lex ista quamquam vellet sic obseruari, ut iacebat, tamen ad signandum aliquid dabatur huiusmodi determinato, scilicet, quod occisores sunt omnes peccatores, quia omnis, qui peccat occidit animam suam: isti non poterant redire in terram suam, id est, in vitam aeternam, quae vocatur terra nostra, cum naturaliter illuc ordinati sumus, & ibi nobis viendum est. Vel non poterant reuerti in terram suam, id est consequi perfectam remissionem peccatorum, donec summus sacerdos moreretur, id est Christus crucifigeretur, qui est summus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ut patet ex Hebre. 6. & 7. & Psalm. 109. & sacerdos quidem vincitus, ut hic dicitur, scilicet, quia erat vincitus oleo exultationis praet participibus suis Psa. 44. & Isa. 51. sci. Spiritus Domini super me, eo quod vinxerit me. Et erat summus sacerdos, quia pontifex vocatur, ut patet ad Hebr. 9. scilicet, Christus assistens pontifex futrorum bonorum. Et hoc quia faciebat talia qualia summus sacerdos: ille enim introibat in sancta sanctorum ferens sanguinem pro peccato populi, & suo: ita Christus introibat semel in sancta sanctorum per proprium sanguinem redemptione inuenta, ut patet ad Heb. 9. cap. ideo sicut in homicidiis istis quamquam aliquis innocens per sententiam iudicaretur, tamen tamdiu patiebatur exilium quoque sacerdos magnus moreretur, ita licet per circumcisionem originalis peccati reatus tolleretur, & per contritionem omnia actualia, tamen tandem detinebantur in exilio anima sanctorum in limbo, qui dicitur sinus Abrahæ quoque pontifex noster Christus moreretur. Ista expositio partim literalis, & partim allegorica est, nec tamen quis multum deuiciaret si penitus eam literalem asseruerit.

Quare hic dicatur de morte summi sacerdotis potius quam de minorum obitu. Et an conuenienter assignatus fuerit terminus exilij in monte summi sacerdotis.

Q V A S T I O XXIV.

C VÆRET aliquis quare magis dicebatur hic de morte summi sacerdotis, quam alicuius de sacerdotibus minoribus. Respondebitur, quod non oportebat ad hoc reddi causam, quia, ut supra dictum est, in assignatione terminorum non potest dari determinata ratio, scilicet, quare magis hoc quam illud: ita ergo de summo sacerdote, vel de minoribus.

Respondendum est etiam, quod non potuit conuenienter ponni de aliquo sacerdote minori, quia sacerdotes minores erant valde multi, & de illis non posset determinari usque ad mortem, cuius manere deberet occisor in exilio: sacerdos autem magnus erat vincus, ideo de illo manifestum esset pro quo diceretur. Item si poneretur mors alicuius sacerdotis minoris tanquam limitatio temporis huius exilij, necesse erat ut intelligeretur de illo, qui citius moreretur, & tunc esset paucum tempus: quia cum sacerdotes essent valde multi cito contingit mori aliquem de illis, & in quolibet anno multi & in quolibet mense, talis autem positio termini nihil erat. De summo sacerdote secus est, quia ille est unicus in tota terra Israel, ideo illum non continget ita mori, sicut de omnibus sacerdotibus minoribus mori vnum. Item non conuenienter mors sacerdotis minoris poneretur pro termino, quia non sciebatur per totum Israel mors cuiuscunquam sacerdotis minoris, sicut mors cuiuscunquam viri vulgaris: & tamen ad liberationem istorum occisorum necesse erat, ut sciretur per totum Israel, cum ciuitates refugij essent per totum Israel diffusa secundum commensuratam distantiam: mors autem summi sacerdotis per totum regnum Israel immediate pateret cum esset unicus, & esset potentissimus in toto Israel præter regem, ideo conuenienter potuit ponni mors sua tanquam terminus exilij pro homicidio casuali. Sed aliquis arguet, quod non fuit conuenienter posi-

tus iste terminus, quia per hoc daretur multis occasio desiderandi mortem alterius, scilicet omnibus exilibus, ut sic possent redire in terram suam: iura tamen humana euitant tale desiderium: nam propter hoc iura canonica non permiserunt, quod daretur alicui expectatio ad præbendam determinatam, quam aliquis nunc tenet, ne mortem illitus desideraret & procuraret, ut patet extra De concessione præbenda non vacantis, per totum. Identidem tam ciuilia quæ canonica iura non concesserunt tenere paecum factum de futura successione, ne quis ad mortem alterius desiderandam inducatur. Respondendum est, quod non oportet tolli omnia inconuenientia, quæ sequuntur ad leges positas, quia sic fortassis paucæ nobis relinquenter leges, ista autem lex erat valde conueniens, & rationabilis, ideo licet sequeretur hoc quod aliqualiter videbatur inconueniens, non erat nimis curandum, & potissimum factum est propter significationem quasi allegoricam, quæ supra data est: nam si non fuisset positum de morte summi sacerdotis, non conuenienter signari posset redemptio nostra futura per Christum: ideo ut illa locum haberet nihil de hoc paruo inconuenienti curatum est. *Et moriatur sacerdos magnus.* Duo ponuntur hic ad hoc quod occisor casuallis posset redire in terram suam: & vnum sine altero non sufficiebat. Primum quod redderet causam facti sui, id est, quod responderet se esse innocentem in iudicio excusando se de omnibus, quæ obiicerentur per aduersarios. Secundum quod moreretur sacerdos magnus. Primum enim erat quod cum cōfugisset occisor in aliquam de vrbibus refugij, vltori sanguinis accusabat eum, & ventilabatur causa coram iudicibus loci illius, in quo patratum est homicidium. Et si innocens reperiretur, adhuc non ibat in terram suam, sed reducebatur per sententiam in vrbem, in quam confugerat. Secundum est, quod sacerdos magnus moreretur: nam si ventilata causa non esset mortuus summus sacerdos, reducebatur occisor in vrbem, in quam confugerat, & manebat ibi: si autem dum causa ventilaretur moriebatur summus sacerdos, illa decisa non reducebatur occisor in vrbem, in quam confugerat, sed in vrbem suam redire poterat: sicut primum sine isto secundo non sufficiebat ad hoc, quod reuertetur occisor in terram suam, ita nec istud secundum sine primo: nam si inchoata causa homicidij sacerdos magnus moreretur non licebat redire occisor in terram suam, sed prius erat ventilanda causa. *Quis furerit in illo tempore.* Id est tempore quo factum est homicidium, & non tempore ventilationis causæ, vel diffinitionis eius, quia de hoc nihil differt: nam si patrato homicidio per aliquot dies moriatur summus sacerdos, siue incepta causa ad ventilandum, siue non, & succedat aliis cuius tempore diffiniatur causa, non manebit occisor in vrbe refugij vltore ad mortem huius, sed diffinita causa redibit in terram suam, quia tempore præcedentis summi sacerdotis patratum est homicidium. *Tunc reuertetur homicida, & ingredietur ciuitatem.* Id est reuertetur in terram suam, & ingredietur in ciuitatem suam, scilicet, quia iam non licebit vltori sanguinis quidquam impune agere contra occisorem, sicut licuisset toto tempore præterito si inuenisset eum extra vrbem refugij. *Et in domum suam, de qua fugerat.* Idem est redire in domum suam, & in ciuitatem suam, dicitur de qua fugerat, scilicet, quia præsupponit scriptura, quod iste patrauerat homicidium in terra sua, & de illa fugit. Idem tamen est, si quis in aliqua alia ciuitate patrauisset homicidium.

Quid si quis extra vrbem refugij occidisset aliquem illius vrbis refugij an posset ad illam con-fugere.

Q V A S T I O XXV.

C VÆRETVR quid si aliquis in aliqua ciuitate extra locum refugij occidisset aliquem virum de vrbe refugij, an posset ire in vrbem refugij, de qua erat vir occisus. Aliquis respondebit, quod non poterat fugere in vrbem illam, sicut supra declaratum est, cum quærebatur de eo qui occidit aliquem in vrbe refugij, quod non poterat manere in eadem vrbe, quia ibi puniretur poena communis, sicut fiebat in aliis ciuitatibus, siue per leges communes, siue municipiales non

D

Duo po-nuntur ad hoc q[uod] occi-sor ea-suile direc-ti in terram suam.

E

F

A les non proficiente immunitate quantum ad aliquid. In contrarium aliquis dicet, quod poterat configere in urbem illam, quia non est casus iste similis superiori, quia in illo patrabatur delictum in vrbe, & ob hoc ratione delicti efficiebatur occisor de foro illius vrbis, & debebat iudicari per leges vrbis illius, leges autem illius loci non erant ad conservandum occisores, quia hoc est priuilegium contra alias vrbes, scilicet, ne fugientes in illas de aliis vrbibus possent educi, & tamen istae ciuitates in seipso non habent priuilegia, sed leges communes, quibus regulatur status politicus, & vitia puniuntur. Et quia qui in territorio alicuius vrbis deliquit effectus est de foro illius vrbis, punitur per leges illius. Si autem aliquis occidit virum alicuius vrbis, si non occidit eum in vrbe ipsa, sed in alia, non efficitur ratione huius delicti de foro vrbis, de qua erat occisus, sed de foro vrbis, in qua homicidium patratum est. Poterit ergo configere in urbem illam, cuius virum aliquem occiderat, si extra illam occidit, scilicet, in alia vrbe, & non poterit iudicari in vrbe, ad quam configerit, quia non est de foro illius, sed gaudebit immunitate loci illius. Simile est in alio casu, vt si quis occiderit aliquem sacerdotem, qui est vir Ecclesiasticus, & ad Ecclesiam configerit, gaudet immunitate Ecclesiastica, quamquam occisus eset persona Ecclesiastica. Si tamen aliquis occiderit quemquam intra ecclesiam inuadendo, non gaudet immunitate ipsius ecclesie. Non ergo differt vnde sit persona occisa quantum ad hoc, vt occisor consequatur forum, sed in quo loco homicidium patratum fuerit: ideo videbitur de isto occitore, quod possit configere in urbem refugij cuius virum occidit.

B Respondendum est, quod non potest configere ad eam, sed debet fugere in aliam de vrbibus refugij, non quidem quasi iudices vrbis refugij possint iudicare de homicida isto, quia non est effectus de foro suo, cum non sit patratum homicidium in vrbe illa, sed quia homicida habet hostes in vrbe illa, scilicet, propinquos occisi, & illi non venientes ab extra ad infringendum immunitatem vrbis, sed intra eam reperientes hostem suum eum impune occident: debet ergo ad aliam vrbem configere.

C Et cum arguitur, quod non est iste casus, sicut supra assignatus cum quis occidebat alium in loco refugij, ideo quod possit iste gaudere immunitate loci. Respondendum est, quod quamquam non sint similes, tamen in nullo eorum poterit occisor gaudere immunitate vrbis. Habent enim aliquam similitudinem, & dissimilitudinem in facto, & ob hoc sequitur dissimilitudo in iure: nam in primo occidit aliquis virum aliquem in vrbe refugij, & hostes occisoris sunt in vrbe ipsa, atque in ea patratum est homicidium, in secundo autem sunt hostes occisoris in vrbe refugij, sed non patratum est homicidium in ipsa vrbe: ideo in primo poterat aliquis ab hostibus suis, qui in vrbe erant occidi, & poterat de homicidio iudicari à iudicibus ciuitatis ipsius. In secundo autem poterat occidi in vrbe ipsa, quia erant ibi inimici: tamen non poterat iudicari ibi, quia non erat effectus de foro vrbis illius ratione delicti, cum non patratum fuisset ibi delictum. Item dato, quod qui occidebat in vrbe refugij non esset de ipsa vrbe, nec haberet ibi aliquos proximos vltores sanguinis, tamen occisor non poterat ibi gaudere priuilegio immunitatis: sed hostes sui venientes ab extra, poterant cum occidere ibi, velut si patrasset homicidium in loco non priuilegiato possent eum occidere. Iste autem per actum illum perdebat priuilegium immunitatis loci, & tunc etiam per istum casum, & eum de quo hic queritur est differentia; quia hic est effectus de foro vrbis eius, quia deliquit in ea secundum leges communes, ideo ad iudices huius pertinet iudicare de homicidio isto: & cum iste configerit ad aliam vrbem, reducetur ad hanc ad ventilandum causam. Etiam iste, qui occidit aliquem in vrbe, fecit contra immunitatem vrbis, ideo non gaudet priuilegio immunitatis, ideo ibit ad aliam vrbem. Sic etiam qui occidit virum vrbis refugij, licet non sit effectus de foro vrbis, nec fecit contra immunitatem illius occidendo virum aliquem illius extra eam, quia tamen vltores sanguinis sunt habitatores ipsius, non licet ei manere in ea: quia ipsi non venientes ab extra ad violandum iura vrbis, sed inuenientes inter se hostem suum impune occident eum.

D Quid si quis viros de omnibus vrbibus refugij occiderit extra vrbes ipsas.

Q V A E S T I O XXVI.

S Ed tunc queret aliquis quid si quis occiderit viros de omnibus vrbibus refugij extra ipsas vrbes?

Respondendum est, sicut supra respondebatur de illo, qui occidebat à casu aliquos in omnibus vrbibus refugij, quia quamquam non sit eadem penitus ratio in utroq; quare non gaudeat immunitate vrbis, tamen sequitur idem effectus ex modo supra assignato. Si tamen detur, quod quis occidat aliquem virum vrbis refugij extra ipsam vrbem, qui non habeat aliquos propinquos vltores sanguinis habitantes in ipsa vrbre poterit configere ad eam, & non licebit vltoribus sanguinis habitantibus extra vrbem illam persequi homicidam intra vrbem refugij.

D Decreueruntque Cedès in Galilæa montis Nephthali, & Sichem in monte Ephraim, & Cariatharbe, ipsa est Hebron in monte Iuda. Et trans Iordanem contra Orientalem plagam Iericho statuerunt Bozor quæ sita est in campestri solitudine de tribu Ruben, & Ramoth in Galaad de tribu Gad, & Gaulon in Basan de tribu Manasse. Hæ ciuitates constitutæ sunt cunctus filii Israhel, & aduenus qui habitabant inter eos, ut fugeret ad eas, qui animam nescius percussisset, & non moreretur in manu proximi effusum sanguinem vindicare custentis, donec staret ante populum expositurus causam suam.

E Decreueruntque Cedès. Hic ponitur secundum huius c. scilicet vrbium refugij assignatio, & quia iussit dominus sex vrbes refugij à principio constitui, vt patet Numer. 35. postea vero crescentibus terris minis Iudeorum tres aliae debebant adiungi, vt patet Deut. 19. ponuntur hic, sex, quæ primo fuerunt assignatae, scilicet, tres ad partem Orientalem Iordanis, & tres ad Occidentalem partem, & quia nunc assignabantur aliae, quæ erant ad Occidentalem plagam ponuntur primo: aliae autem tres iam fuerant assignatae viuente Moyse, vt patet Deut. 4. Decreueruntque Cedès in Galilæa, id est, diffinierunt Israëlitæ, quod vna de vrbibus refugij esset Cedès in Galilæa. Ista vrbis Cedès, de qua hic dicitur est, quæ habetur præced. c. & ponitur in sorte Nephthali, sic enim dicitur hic. Alia autem est Cedès in sorte Iudeæ, vt patet supra 15 & differt ab ista, quia vna vrbis non poterat esse in duabus sortibus. In Galilæa montis Nephthali, id est, ista vrbis Cedès erat in Galilæa. Ista terra est apud mare Genesareth, quod vocatur mare Galilæa Ioh. 6. & est magna terra Galilæa, quæ etiam erat partim in terra Zabulon: erat autem habens oppida multa: nam in ea assignauit rex Salomon regi Hiram. 20. oppida, vt patet 3. Reg. 9. c. in hac terra erat Nazareth ciuitas, in qua Salvator noster nutritus est, ideo vocabatur Galilæus, & Nazareth vocatur Galilæa, id est, de terra Galilæa, vt patet Matth. 21. scilicet, Iesus à Nazareth Galilæa. In monte Galilæa dicitur esse vrbis Cedès, id est, in quadam terra montana Galilæa: sic dicitur in monte Ephraim supra 17. & præced. cap. 1. in terra montana Ephraim.

Vrbium
refugij
assigna-
tio.

F Quomodo distribuenda erant à tribubus vrbes refugij.

Q V A E S T I O XXVII.

Q V A E R E T aliquis, quomodo distribuerentur vel assignarentur istæ vrbes refugij, scilicet illæ tribus quæ haberent plures ciuitates darent plures, & quæ haberent pauciores, darent pauciores, vel an daréntur per fortipes, vel quomodo.

Respondendum est, quod non fiebat primo modo, quia illæ pertinebat ad distributionem ciuitatum pro tribu Leui: nam non acceperunt Leuitæ sortem inter reliquos Israëlitæ, sed singulæ tribus dabant eis aliquas ciuitates inter se, in quibus morarentur, & erant istæ. 48. ciuitates, de quibus illæ tri-

A bus, quæ habebant plures ciuitates dabant plures, quæ habebant pauciores dabant pauciores, secundum proportionem paucitatis, vel multitudinis, vt patet Num. 35.c. in vrbibus autem refugij non poterat esse sic, quia non dabantur vrbes aliquæ, aut sicutem vna vrbs, de qualibet tribu, quia de 12. tribubus dabantur sex ciuitates refugij solum, & de his erant tres ad partem orientalem Iordanis in fortibus duarum tribuum, & dimidiæ, vt patet infra & Deut. 4. ad partem autem Iordanis in fortibus 9. tribuum, & dimidiæ erant 3. ciuitates solum, ergo non poterat esse ille modus distributionis.

Item non potest stare iste modus, quia quod illa tribus, quæ haberet plures vrbes, daret plures, & illa, quæ haberet pauciores, daret pauciores, erat ex hoc quod tribus grauabantur dando ciuitates istas, cum adimerent eas sibi, cum truberent sacerdotibus, & Leuitis: sed dando vrbes pro fugitiis nulla tribus grauaretur, quia dato quod assignarentur omnes ciuitates in vna tribu, non adimebatur aliquid illi tribui: nam in vrbibus refugij habitabant omnes, qui occidebant in uoluntariè: alias non habitaturi erant, & solum recipiebant ipsos fugitiuos occisores, cum venirent ad vrbes ipsas assignantes eis loca ad habitandum. Cum autem dabatur vrbes sacerdotibus, secus erat: quia illa vrbs, quæ dabatur transibat in ius sacerdotum: ita quod non liceret aliis habitare ibi, ideo in hoc attendendum erat, vt tot vrbes darentur de vna tribu sicut de alia obseruata proportione, ne grauaretur magis vna tribus, quam alia: sed in assignatione vrbium pro fugitiis nullum erat grauamen, quia non tollebatur ali quid ipsis dantibus vrbes: ideo nihil differebat an omnes vr-refugii in vna tribu, vel in multis assignarentur. Item nō stat aliquid horum, quianulla tribus dabat aliquam de his ciuitibus refugij, sed de vrbibus sacerdotibus dabantur: nam Israëlitæ dabant Leuitis vrbes 48. vt patet Num. 35. & de illis separabantur sex in præsidia fugitiiorum. Patet etiam hoc comparando vrbes, quæ sunt hic ad eas, quæ sunt seq. cap. in distributione vrbium quæ fuerunt datae Leuitis: nam ibi omnes istæ reperiuntur. Ita non poterat esse secundus modus assignandi ciuitates istas, sc. per sortem, quia sors ponitur in his, quæ aliquid valoris, vel documenti habent: sed assignari vrbes fugitiiorum hic, vel ibi nihil nocebat possessoribus ipsarum vrbium, quia nihil per hoc diminuebatur de possessione eorum, ergo non conueniebat ponи sortem. Item sors ponitur pro incertis, sed de ciuitatibus istis erat certum quæ carum accipi deberent, ergo non debebat accipi sors. Patet minor, quia Deus iussit Deut. 19. quod terra diuidetur equaliter per partes, & ciuitates refugij ponerentur in distantia proportionali, sc. quod nō magis distaret vna vrbs ab alia quam alia ab altera: & hoc vna quacunque parte terræ Chanaan videretur aliqua ciuitas propinqua ad configum, ergo per hoc manifestum esset, quæ sc. haberent in ista proportione distantia de his, & ista debebant assignari tanquam vrbes refugij & nulla alia. Dicendum igitur quod modus assignandi vrbes istas fuit, quod darentur primo Leuitis vrbes 48. sicut præcepit Dominus, & de his postea separabantur sex, sc. quod habitarent in eis Leuiti sicut in cæteris 42. tamē essent etiam ad receptandum profugos propter homicidiū, & ad assignandum istas vrbes considerabatur, quomodo posset diuidi tota terra Chanaan per sex ciuitates, quarum vna esset in tanta distantia ab alia, sicut alia ab altera, & sic de omnibus. Et iste etiam respectu partium totius terræ Chanaan habebant se in situ conuenienti, sc. vt non magis distarent ab vna parte quam ab alia, vt patet Deut. 19.c. *Et Sichem in monte Ephraim.* Id est in forte Ephram fuit alia ciuitas refugij data, scilicet, Sichem, & fuit data ista ciuitas Leuitis, & non sacerdotibus: fuit autem pro Leuitis Caathitis, vt patet seq. cap. Ista ciuitas Sichem non fuit posita in diuisione fortium aliarnm vrbium, quia fuerat ista tribus specialiter assignata Ioseph extra fratres suos, & pertinebat ad filios eius, vt patet Gen. 28.c.sc. Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo, & fuit postea in agro vrbis huius tumulatus Ioseph, scili. ossa eius, quæ de Ægypto adducta sunt, vt patet infra 24.c. Dicitur autem esse in monte Ephraim, id est, in terra Ephraim, quæ est montuosa: terra enim possessio Ephraim vocatur mons: vnde quando agitur de forte Ephraim, vocatur mons, vt patet hic, & præcedens cap. & supra 17. *Et Cariatharbe.* Ista est tertia vrbs de

assignatis nunc, & pertinet ad tribum Iuda: erat autem ordo inter ciuitates istas, quia Cedès Galilææ erat magis aquilonaris: Sichem erat media: & Cariatharbe erat magis australis. *Ipsa est Hebron.* Habet ista vrbs multa nomina: vocatur Hebron, & Cariatharbe, & Mambre: nomen autem Hebron est communius in tota scriptura, & magis vulgatum. Cariatharbe etiam multoties vocatur. Causa huius nominis declarata est supra 14. vocatur etiam Mambre, licet rarius. De hoc tamen Gen. 23. & 49.c. vbi dicitur de Hebron, quod ipsa est Mambre. *In monte Iuda.* Id est in terra montana Iudæ: erant enim multæ dispositiones terræ in sorte Iudæ, eo quod sors illa erat valde magna, & quædam partes vocantur montana, & quædam campestres. Hebron autem pertinet ad terram montanam, vt patet supra 11.c.sc. in illo tempore venit Iosue & interfecit Enachim de montanis Hebron, Dabir, & Anab. *Et trans Iordanem.* Hic ponitur alia tres ciuitates refugij. Fuerant enim positæ tres ciuitates, quæ nunc nouiter assignatae erant per Iosue in terra Chanaan: hic ponitur alia tres, quas non assignauit Iosue, sed assignatae fuerant per Moysen, vt patet Deu. 4. quia tamē agitur hic de impletione præcepti Dei de vrbibus refugij, & istæ vrbes erant sex, vt patet Num. 35.c. ideo positæ fuerunt hic omnes.

Hebr
habet
media
nomi
na.

An vrbes refugij assignanda post dilatationem terræ essent in parte Orientali Iordanis, vel Occidentali.

E

Q V A S T I O XXVIII.

CONSIDERANDVM etiam, quod Deus iussit ponalias tres vrbes refugij postquam dilataret Deus terminos Iudæorum, vt patet Deut. 19.c. Dubitabit autem aliquis, in qua terra essent assignanda, scilicet, an in terra ad Orientalem plagam Iordanis, vel ad Occidentalem partem. Dicendum, quod ad partem Occidentalem Iordanis, quia Deuter. 19.c. cum dictum est, quod Israëlitæ assignarent tres vrbes refugij in terra Chanaan, ad quas configurerent homicidæ, subiunctum est, quod cum dilatarentur termini, adiungerentur alia tres: ergo de ipsa terra Chanaan ad Occidentem Iordanis accipitur. Item ciuitates refugij ponit debebant in æquali distantia ad inuicem, vt terra esset æqualiter diuisa per eas, sed terra ante Iordanem erat valde parua in comparatione terræ, quæ erat post Iordanem, quia in prima erant duæ tribus, & dimidia solum: & in secunda erant 9. tribus, & dimidia, vt patet ex diuisionibus hic factis cum toti Israel dederit sortem Iosue præterquam duabus tribubus, & dimidiæ, quæ acceperunt sortem ante Iordanem, vt patet supra 13. ergo in terra ad Occidentem Iordanis debebant augeri postea tres vrbes. Item dicitur Deut. 19. quod cum dilataret Deus terminos Israëlitarum, assignarent alias tres vrbes refugij, sed termini Israëlitarum non erant dilatandi à parte terræ, quæ erat ad Orientem Iordanis, quia ibi nulla erat terra, quæ cedere deberet in ius Israëlitarum, à parte autem Occidentali Iordanis manebat terra multa, quam non potuerunt à principio capere Israëlitæ cum Deus prædictisset eis, quod non erat tradenda terra tota simul, sed paulatim, & per partes, ne redigeretur terra in solitudinem, & crescerent bestiæ contra eos, vt patet Exod. 23.c. ideo de hac fuerunt vrbes postea additæ: dicitur hic trans Iordanem pro terra duarum tribuum, & dimidiæ, quæ est ante transitum Iordanis: & quia trans non magis signat partem anteriorem, quam posteriorem sicut ultra & citra, ponuntur determinationes alia hoc signantes, sc. ad Orientalem plagam, vel ad Occidentalem: ideo subditur.

Contra Orientalem plagam Iericho. Idem est dici ad Orientalem plagam Iordanis, vel Iericho, quia vrbs Iericho est apud Iordanem: est tamen Occidentalis ei. Id autem, quod Orientali est Iordani est Orientale vrbi Iericho, & quasi è contraria: ideo tota terra duorum regnum Amorrhæorum Sehon, & Og in qua acceperunt possessionem duæ tribus, & dimidia, cum sit ante transitum Iordanis dicetur ad Orientem Iordanis, vel Iericho. *Statuerunt Bosor.* Non statuerunt cā Israëlitæ cum statuerunt vrbes tres supra positas, quia istæ fuerunt assignatae post diuisionem terræ totius per fortis, & cœfiantibus omnibus bellis: istæ autem tres, quarum prima est Bosor, fuerunt assignatae viuente Moysi ante transitum Iordanis nondū cœptis bellis Chananæorū: ergo non pertinent ad

idem

B

C
Doct.
vera re
spensi
ad qua
sum.

A idem tempus: tamen filij Israël vtrasp; constituerunt esse ciuitates refugij, quia tempore Moysi ipsi faubant, & dabant auctoritatem dictis, & factis Moysi, & tempore Iosue idem faciebant: ergo ipsi statuerunt istas ciuitates refugij. De ista Bosor dicendum, quod non sit illa, de qua dicitur 2. Pet. 2. ca. scilicet. Secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, vbi dicitur, quod venerit Balaam ex Bosor, sed Bosor accipitur ibi pro Mesopotamia, quia de terra illa educatus est Balaam in terram Moab ad maledicendum Israëlitam, vt patet Numer. 23. ex verbis ipsius Balaam, scilicet, de Aram vocavit me Balac rex Moabitum de montibus orientis: & est Aram Mesopotamia, quod patet Deuter. 23. cap. scilicet, quod Moabitæ conduxerunt Balaam de Mesopotamia Syriae ad maledicendum Iadæos: & tamen Mesopotamia multum ab urbe Bosor, quæ est in terra duorum regum Amorrhæorum distat, quam ceperant Israëlitæ, cum dicatur hic, quod sit in forte Ruben. Si autem fuisset Balaam in ista Bosor, fuisset mortuus cum Israëlitæ acceperunt terram Schon, & Og: & non potuisset venire ad maledicendum eos post hoc: sed frequenter vocantur multa loca eodem nomine, vt patet supra 15. & supra præcedenti, vbi ponuntur ciuitates eorundem nominum in multis tribubus.

B Terra campes- tris quid. Quæ sita est in campestribus. Terra campes-tris vocatur, que non est penitus montuosa, nec tamen est plana, sed montuosa aliqualiter, & aliqualiter plana, media secundum dispositionem inter montes, & planicies, & in forte Ruben erat quædam pars terræ huiusmodi in qua erat ciuitas Bosor. Est autem ista terra campes-tris apud ciuitatem Esebon, & Medaba, quia viculi istarum ponuntur esse in campestribus, vt patet supra 13.

C Et Ramoth in Galaad. Detribu Ruben. Erant in ista terra duorum regum Amorrhæorum factæ tres portiones, scilicet, duabus tribubus, & dimidiæ, & in qualibet portione erat una ciuitas refugij.

Et Ramoth in Galaad. Ramoth est alia ciuitas, quæ data fuerat tribui Gad: erat in Galaad, id est, in terra montis Galaad, nam erat Galaad quidam mons in terra duorum regum Amorrhæorum, & medietas montis huius pertinebat ad regem Schon: alia autem medietas in regno Og erat, vt patet supra 12. & sic diuidebatur terra horum regum interposito monte Galaad: sic autem in terra diuisione medietas montis huius fuit data tribui Gad, scilicet, illa medietas, quæ erat magis Meridiana pertinens ad regem Schon: alia medietas magis aquilonaris, quæ pertinebat ad regem Og, data fuit dimidiæ tribui Manasse, vt patet Deuter. 3. & supra 13. vocatur autem terra montis Galaad terra adiacens monti illi ex utraque parte, apud quam ciuitates multæ erant, ibique ex parte Meridiana montis erat Ramoth in forte Gad. Est autem ista terra Galaad multum pascualis, & propter hanc filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse petierant dari sibi terram duorum regum Amorrhæorum in possessionem, quia abundabant in pecoribus nimis, vt patet Numer. 32. cap. ista ciuitas Ramoth est propter quam pugnabat rex Achab contra regem Syriae, quando in bello percussus occisus est, vt patet 3. Reg. vltimo.

Et Gaulon in Basan. Ista est tertia ciuitas de constitutis trans Iordanem, quæ aliquando vocatur Gaulon, & aliquando Golan, vt patet seq. cap. & etiam in litera Hebraica aliqualis mutatio appetit. Ista ciuitas erat in Basan, id est, in terra Basan, quia Basan est nomen regionis magnæ, à qua denominabatur regnum Og, scilicet, rex Basan: & fuit ista terra olim terra Gigantum vocata, in hac regione erant sexaginta oppida mutata, quæ vocantur sexaginta vrbes, vt patet Deuter. 3. & supra 13. cecideruntque in partem dimidiæ tribus Manasse, vt patet ibidem.

De tribu Manasse. Non est intelligendum, quod à tota tribu Manasse fuerit data ista ciuitas pro vrbibus refugij: quia non accepit totus Manasse sortem simul, sed medietas eius accepit sortem ad orientalem plagam Iordanis in terra Og regis, & de hoc dicitur hic, alia medietas accepit sortem ad occidentalem plagam Iordanis apud tribum Ephraim, & de illa dicitur supra 17. De illa autem non fuit data aliqua ciuitas refugij. Hic autem accipitur tribus Manasse pro medietate eius. Itæ tres ciuitates vltimæ non fuerunt constitutæ ab Israëlitis, & Iosue in Silo, vt essent vrbes refugij, sed constitutæ sunt a Moysi ante transitum Iordanis, vt patet Deuter. 4.

D Considerandum, quod omnes ciuitates refugij sive istæ sex, quæ nunc assignata fuerunt sive aliæ tres, quæ postea erant assignandæ, vt patet Deuter. 19. d. habebant esse de ciuitibus prouenientibus Leuitis, vt patet Numer. 35. & patet de istis sex. Nam prima harum, scilicet, Cedès, quæ erat in Galilee fuit data Leuitis Geronitis, vt patet sequenti ca. Secunda, scilicet, Sichem fuit data filiis Caath, qui non erant sacerdotes, sed simplices Leuitæ, vt patet seq. cap. Tertia, scilicet, Hebron fuit data sacerdotibus, vt patet ibidem. Quarta, scilicet, Bosor fuit data Leuitis filiis Merari. Quinta, scilicet, Ramoth fuit data etiam filiis Merari. Gaulon fuit data filiis Gerson, vt patet de omnibus seq. cap.

Hæ ciuitates constitutæ sunt. Hic ponitur epilogus prædictorum, scilicet, quod istæ sex ciuitates positæ supra fuerunt assignatae ad refugium homicidarum.

Constitutæ sunt à filiis Israël. Id est, à toto populo, quia quāquam principes ista decernerent, tamen populus faciebat interponendo auctoritatem suam. Moyses autem constituit has tres vltimas astante sibi toto populo Deuter. 4. Iosue vero constituit tres primas in Silo præsentibus iudicibus iudicioribus terræ, & reliquo Israël. Aliquæ Bibliae habent hic constitutæ sunt à filiis Israël, & tunc est sensus præcedens. Sed vera litera est.

E Constitutæ sunt filiis Israël. Et tunc est sensus, quod istæ ciuitates constitutæ sunt ad utilitatem filiorum Israël, scilicet, vt illuc confugere possint, quando occiderint aliquem ne-scientes.

F Et adueniæ, qui habitant inter eos. Adueniæ vocantur conuersi de Gentilitate ad Iudaismum, qui dicuntur adueniæ & peregrini: adueniæ quidem ab adueniendo, scilicet, quia de cultu aliorum deorum ad ritum Iudaicum transferunt: Peregrini vero à peregrinando, quia peregre manent, scilicet, extra terram suam, & cognitionem, & ritum deorum suorum, in quo nati sunt. Ipsi peregrini, sive adueniæ, qui aliquando vocantur profelyti tenebantur ad omnes cæremonias, quas obseruabant Iudæi ex genere, cum semel circuncisi essent, ideo in multis legibus fit mentio de Israëlitis & de adueniis, & sicut cæremoniæ erant eadem omnibus, ita leges iudiciales erant eadem, vt patet Leuit. 24. & Deuter. 1. scilicet, æquum iudicium erit sive ciuius ille sit, sive peregrinus. Differabant tamen in honoribus, quia non recipiebantur ad honores dignitatum, & officiorum, sicut Iudæi ex genere. Etiam quædam erant priuilegia Iudæorum ex genere inter se, quæ non erant pro conuersis, sicut lex de anno remissionis, scilicet, quod in septimo anno remitteretur quidquid debebat, ita vt non posset peti per legem: si tamen commodasset quidquid Iudæus conuerso poterat petere veniente anno remissionis Deuter. 15. cap. Item in septimo anno, qui venditus erat in seruum, efficiebatur liber, vt patet Exod. 21. & Deuter. 15. tamen si venderetur conuersus Iudæo in seruum non exibat anno septimo, patet præallegato cap. Item priuilegium anni iubilei non extendebatur ad conuersos, quia in anno illo omnis possessio redibat ad venditorem, etiam si non daret precium ad redimendum: immo si prius non redemisset non debebat tunc dare aliquam pecuniam pro ea, vt patet Leuit. 25. Etiam tunc si quis venditus in seruum non exiuisset in libertatem anno septimo, quia voluit secumducere filios, & vxorem exibat in anno iubilei. De conuersis tamen nihil horum fiebat. Sed si vendidissent aliquid Iudeis, vel inter se, fiebat simpliciter venditio usque in æternum licet inter omnes gentes fit. Et si quis venditus esset in seruum, manebat venditus in sempiternum, & transnittebatur ad posteros iure hereditario: Leuit. 25. De causis autem horum ibi dictum est late. Gaudabant tamen adueniæ hoc priuilegio immunitatis vrbium: nam si occidissent quemquam ne-scientes, sive ille esset Iudeus ex genere, sive conuersus, gaudabant immunitate vrbium.

Qui habitabant inter eos. Id est, inter Israëlitas, id est, quod venerunt de Gentilitate ad ritum Iudaicum, & postea non permittebantur redire in terram suam natalem ad habitandum, ne ad idolorum conuerterentur culturam, sed manebant in vrbibus Israëlitarum, & sic saepè dicitur in Deuter. Et peregrinus qui moratur intra portas tuas, id est, intra portas ciuitatum tuarum.

Vt fugeret ad eas. Id est, ad quamcunq; earum, quia omnes

A gaudebant æquali priuilegio immunitatis. Erant tamē multæ, quia si poneretur vnica difficile fieret, vt de extremitatibus terræ confugerent ad eam omnes homicidæ, quoniā præ longitudine viæ vltor sanguinis cōprehendere posset homicidæ in itinere, & occideret, ideo sex posita sunt, & cū magis terra dilataretur ponendæ erant tres aliæ ex eadē causa, vt patet Deut. 19.ca. *Qui anima nescius percussisset.* Id est, occidētes ex ignorantia solū gaud. bāt priuilegio immunitatis vrbiū erat autē occisio per ignorantiam, scilicet, casualis, cum quis non intendit occidere, & occidit, quia non dirigebat actum suū ad occasionem, nec erat talis, ex quo sequeretur occisio, tamen sequebatur, sicut de illo qui scindebat ligna, & exiliante ferro securis de manubrio percussus est proximus atque interiit, vt patet Deuter. 19. & sic in similibus. Ad hoc tamen attendendum erat de ignorantia, quia quædam ignorantia est quæ non tolleret peccatum, scilicet, ignorantia rei quam quis scire tenebatur, & ista vocatur secundum Arist. 3. Ethic. ignorantia eius, quod confert. Et de hac dicit quod non cōstituit aliquem simpliciter inuoluntarium: & tamen qui excusat propter ignorantiam, ideo excusatur, quia dicimus eum esse inuoluntarium, vt in principio 3. Ethic. Concludit Aristot. ponens duplex inuoluntarium in operatione, ideo non tollit peccatum talis ignorantia, & sic si aliquis medicus vel chirurgicus sit, & curare nesciens putans se bene agere aliquem occiderit, non excusabitur, quia tenebatur scire id, quod pertinebat ad artem suam cum professoris nomen gereret. *Quædam autem ignorantia est eius quod sciri nequit, & vocatur ignorantia inuincibilis.* Alia autem est ignorantia probabilis, & ista duæ excusant interdum totaliter, & interdum à parte criminis. Hic autem intelligitur de ignorantia inuincibili, & probabili: & dicitur de ignorantie quod gaudere debeat priuilegio vrbitum; non quidem intelligentio quod nulli alij gaudent, quia omnes homicidæ etiam si per insidias occidissent quemquam gaudebant immunitate, nisi confiterentur se egisse ab intentione, quia tunc non recipiebant tales in vrribus refugij. Si tamen diceret egisse à casu quamquam egisset per insidias, vel alias, recipiebatur in vrribus refugij, & gaudebat immunitate, scilicet, quod non tradebant eum iudices vrbis illius in manus aduersarij. Etiam quia non licebat aduersario percutere eum intra vrbum, sed manebat ibi quousque compelleretur ire ad reddendum causam facti sui coram iudicibus loci illius, in cuius territorio fuerat patratum homicidium. Dicitur tamen de occidentibus ignoranter, quia quamquam gauderent priuilegio occidentes voluntarie, tamen non gaudebant, nisi in quantum dicebant se egisse inuoluntarie, licet non tenerentur hoc probare. Item quia licet illi, qui occiderant per insidias aut alias voluntarie gauderent priuilegio; tamen non gaudebant simpliciter, sed solum vsquequo discuteretur causa, quia in discussione condemnabantur, & tradebantur in manus aduersariorum. Qui autem inuoluntarie occidissent simpliciter gaudebant, nam ante causam ventilatam, manebant in vrbe, & ea ventilata reducebantur ad eam, vsq; ad mortem summi sacerdotis. *Qui anima percussisset.* Id est, hominem. Accipitur anima pro homine, nam anima non percutitur, nec moritur, quia non est corpus, quod tangi queat. Homo autem vocatur anima, vt patet Gen. 4.6. & Exod. 1. scilicet, sexaginta animæ egressæ de fœmore Iacob ingressa sunt in Ægyptum, tamen anima non egreditur de fœmore alicuius. Sic accipitur 1. Mach. 2. scilicet, percusserunt vsq; ad mille animas. Aliquando etiam accipitur anima pro solo corpore, scilicet, pro cadavere, vt patet Num. 9. cum dicitur, quod quidam erant immundi super anima, id est, quia tetigerant corpus humanum defunctum. Hic autem pro toto homine accipitur, quia non est corpus, quod occiditur, nec anima, sed homo. *Et non moreretur in manu proximi.* Id est, non occideretur à proximo, non accipitur proximus hic respectu eius, qui profugit, sed respectu occisi, scilicet, quod non occideretur à propinquo defuncti. *Effusum sanguinem vindicare cupientis.* Id est, propinquus defuncti desiderat vlcisci sanguinem effusum: ideo prosequens occisorem comprehēderet eum, atq; occideret, nisi haberet aliquam vrbum refugij: nam licebat iudeis propinquus alicuius occisi de occisore se sine iudice vendicare, & si occideret interfictorem proximus defuncti ant. q; introiret in vrbum refugij, vel postea si exiret de vrbe refugij non pu-

niēbatur, vt patet Num. 35. & Deut. 19. *Donec staret ante populum exposturus causam suam.* Quasi dicat, iste vrbes refugij non assignabantur, vt essent tutamina vitiorum, scilicet, dando occasionem aliquibus ad occisionem cum haberent loca, in quæ confugerent, sed solum erant ad euitanda homicidia iniusta: nam cum quis occidisset quempiam inuoluntarie, & fugeret, si nō esset locus aliquis refugij, vltor sanguinis apprehenderet eū, & interficeret, vel è contrario ipse se defendens occideret vltorē, & alia homicidia vtrinq; sequerentur, quia forte qui prius alterum occidit non peccauerat, quia occiderat à casu, vt ergo tolleretur hoc, dabantur loca refugij. Et quod diceret aliquis, quod datus locis refugij, licet sequeretur quædam bona, tamen sequebantur quædam mala, quia qui occidisset alium non à casu manens in vrbe refugij nō posset puniri pro crimine, quod erat inconueniens. Dicitur, quod nō tollebatur per vrbes refugij punitio criminis, quia solū defendebantur ibi occisores ab aduersariis, tamen non à iudicibus, nam compellebatur venire ad iudicium reddituri rationem de facto suo, & dicitur quod veniebat homicida ante populum, id est, ante populum ciuitatis, in qua patratum est homicidium, quia nō iudicabatur in vrbe refugij, sed in vrbe delicti, vt supra probatū fuit. Et cum dicitur ante populū, non est intelligendum, quod coram toto populo de facto suo homicida rationem redderet, quia non iudicabat totus populus, sed coram iudicibus veniebat, quia tamen iudices erāt in portis ciuitatum, quæ sunt loca publicissima, confluunt populus ad videndum hæc: ideo coram toto populo homicida respondebat de facto suo, & dicitur exposturus causam suam, id est, datus rationē de facto suo, sicut dicitur supra donec stet ante iudicium causam reddens facti sui. Et nō accipitur proprie causam reddere, quia ille reddit causam, qui monstrat se recte egisse, & vsum fuisse iure suo, quod pertinet ad intendentes aliquid facere, & defendantes illud iure, qui tamen nihil intendens facere occidit alium, non habet aliquam causam facti huius cum sit factum per accidens, ideo non exponit causam, sed dicitur exponere causam, id est, exponere facti seriem, & defendere se ab opponentibus, scilicet, quod opponentur aliqua contra occisorem, scilicet, quia voluntarie egerit, vel quod erat inimicus occisi ad hoc, quod arguatur fuisse homicidium voluntarium, de quibus debet se defendere, qui occisor est.

C A P V T XXI.



Cesseruntq; principes familiarum Leui ad Eleazarum sacerdotem, & Iosue filium Nun, & ad duces cognitionum per singulas tribus filiorum Israel, locutiq; sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt. Dominus præcepit per manum Moysi, ut darentur nobis vrbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda iumenta.

Accepseruntq;. In precedentibus dictum est de assignatione vrbiū pro fugitiis, hic agitur de assignatione vrbiū pro Leuitis. Et diuiditur in quatuor partes. Primo ponitur Leuitarum petitio. Secundo eiusdem concessio. Tertio assignatarum vrbiū expressio. Quarto omnium prædictorum brevis epilogatio. Secunda ibi. *Dederuntq; filij Israel.* Tertia ibi. *Egressaq; est.* Vel magis ibi. *Dederuntq; filij Israel Leuitis.* Quarta ibi. *Dataq; est ab eo.* Circa primum considerandum est, quod tribus Leui non accepit fortē inter Israélitas, quia quamquam in principio habuisset ius fortis cum Leui esset de filiis Jacob sicut ceteri tamen Deus separauit Leuitas in occultum suum, & voluit, quod non acciperent possessionem inter Israélitas, sed ipse dedit eis quædam iura, de quibus sustentabantur, quæ erant eis loco possessionis, de his patet Numer. 18. & supra 13. & ibidem declaratum est, quia tamen Leuitæ non poterant manere in terra Chanaan, nisi darentur eis loca ad habitandum, & reliqua tribus acceperant totam terram in possessionem, & diuiserant eam inter se, necesse erat, vt de vrribus aliarum tribuum darentur aliquæ Leuitis ad habitandum, & ob hoc iussit Deus, quod darentur Leuitis quadraginta octo vrbes, & tribus, quæ haberet plures, daret plures, & quæ pauciores, daret pauciores,

A vt patet Numer. 35. ca. Et quia nondum data fuerant aliqua loca Leuitis ad manendum, petierunt nunc.

An quod hic dicitur de assignatione vrbium facta Leuitis, fuerit post eam fugitiuorum. Et qui fuit ordo assignationis vrbium pro Leuitis, & fugitiis.

Q V A S T I O I.

QUARET aliquis an istud, quod hic dicitur de assignatione vrbium facta Leuitis fuerit post assignationem vrbium fugitiuorum, de quibus praecedenti capitulo, vel è contrario.

Respondendum est, quod hic vtitur scriptura ordine transmutato, quia prior fuit assignatio vrbium facta Leuitis, quam assignatio vrbium pro fugitiis: nam vrbes fugitiuorum debebant dari de vrbibus Leuitarum: nam iuslum est Num. 35. quod darentur Leuitis quadraginta octo vrbes ad habitandum, & de illis separarentur sex ad refugium fugitiuorum, vt patet: ergo primo erant assignandæ vrbes ipsorum Leitarum: scriptura tamen interdum non multum curat de ordine, potissime cum ordo nihil elucidat de his, quæ dicuntur. Fuit tamen ordo, quod Leuitæ in Silo acceſſerunt ad principes Israël petentes dari sibi loca ad habitandum, sicut iusserrat Dominus, quæ data sunt illico de singulis tribubus secundum pluralitatem, & paucitatem ciuitatum cuiuslibet tribus, vt patet in litera. Postea de his separata sunt sex ciuitates, vt essent pro fugitiis, non quidem, quod dimitterentur libere pro fugitiis, sed morabantur ibi facerdotes, & Leuitæ, suscipiebantq; inter se homicidas configentes ad eos, fuerunt autem datae istæ vrbes refugij secundum proportionem magnitudinis terræ, scilicet, vt non essent omnes coniunctæ, nec essent in extremitatibus terræ, sed in distantia proportionali, vt qualibet pars terre Iudeorum haberet aliquam ciuitatem refugij sibi propinquam.

Quare Leuitæ non petierunt possessionem ante hoc. Et de divisione Leitarum, & de modo principatus inter eos.

Q V A S T I O II.

QUARETVR amplius, quare Leuitæ non petierunt possessionem ante hoc; erat enim iam sero, scilicet, quia steterant pluribus quam septem annis in terra Chanaan.

Respondendum est, quod Leuitæ non fecerunt hoc ex desidia sicut quædam aliae tribus: sed quia non habebant ius prius petendi, scilicet, quod quædam tribus Israëlitarum fuerunt nimis tardæ in petendo portiones terræ eis dari: cum enim Iudas, Ephraim, & Manasse petiuerint, & receperint possessionem, adhuc aliae septem tribus non petebant, quas Iosue ignauia redarguit dicens: Vsquequo marctis ignauia, & non intratis ad possidendam terram? vt patet supra 18. Leuitæ autem non habebant ius ad petendum ante hoc tempus, quia ipsi non erant recepturi in sortem aliquam partem terra, sicut cæteræ tribus, quia dixerat Deus, in terra eorum nihil possidebitis, ego enim pars & hæreditas vestra sum in medio filiorum Israël, Numer. 18. cap. ideo licet qualibet alia tribus posset petere à Iosue, quod assignaretur ei hæritas, tamen Leuitæ non poterant petere hæreditatem, quia non suscepturi erant eam, sed dixerat Dominus, quod de qualibet tribu darentur aliquæ vrbes in quibus manerent Leuitæ, vt patet Num. 35. & supra 14. ergo non poterant petere Leuitæ hæreditatem quoisque qualibet tribus haberet sortem suam, & 48. vrbes, quæ dandæ erant Leuitis possent distribui inter omnes portiones tribuum: si autem data hæreditate tribui Iudeæ, vel Ephraim antequam daretur aliis petiuerint facerdotes ciuitates, quæ eis dandæ erant, siue omnes, siue quædam carum, nesciretur quot de illa tribu dandæ essent. Nunc autem diuisa fuerat tota terra, & data est possessio omnibus tribubus Israël, vt patet supra 19. ideo finita diuisione in vrbe Silo antequam inde recederent Israëlitæ accesserunt Leuitæ ad Iosue, & principes Israël petentes portiones suas.

Accesserunt principes familiarum Leui. Leuitæ volebant pete-

re ciuitates, quas Deus iussit eis dari, ideo loco omnium ipsorum iuerunt principes eorum ad petendum. Et hoc propter duo.

Primo, quia principes continent eminenter totum populum, ideo quidquid principes faciunt, dicitur totus populus facere, & quia ista petitio competit Leuitis, nulli melius quam principes eorum hoc facere possent.

Secundo ad maiorem reuerentiam, quia principes Leuitarum erant personæ honorabiles, meliusque attenderetur ad eos, quam si qui plebei viri hoc petiissent.

Considerandum autem circa principes Leitarum, qui erant isti principes, & dicitur, quod erant principes familiarum Leui. In familiis enim principes sunt, quia sicut singula tribus habent principes, ita & singulae familiae, & sicut de aliis duodecim tribubus Israël est, ita & de Leuitis, quamquam non computentur, ita propriæ Leuitæ inter tribus. Erat enim princeps unus omnium Israëlitarum, & rursus cuiuslibet familiae erat unus princeps. Erant autem familiae Leitarum tres, & omnium harum ipse summus sacerdos erat princeps, quia nullus erat æqualis ei in tota stirpe Leitarum, habebant rursus principes istæ familiae, qui fuerunt tres iuxta tres filios Leui, scilicet, Caath, Gerson, Merari: Exod. 6. Sed prima harum familiarum, scilicet, Caathitarum diuisa fuit, quia Caath habuit multos filios, vt patet præallegato capitulo, quorum unus fuit Amram cuius filius fuit Aaron. Huic autem, & filiis eius dedit Deus ministerium suum sacerdotale, ita vt nulli alteri accedere liceret, siue de Leuitis, siue de reliquis Israëlitis, vt patet Numer. 3. & 18. Et si quis conaretur ministrare cum eis, moreretur. Omnes autem reliqui Leuitæ pertinuerunt ad aliam minorem ministracionem, quæ vocatur Leuitica, quæ consistebat in excubando in circuitu tabernaculi, & portando ipsum per viam cum castra mouenda forent, & in erigendo ipsum cum figerentur castra, & deponendo cum mouenda essent, vt patet Numer. 1. & 3. & 4. & secundum hoc familia sacerdotum erat separata à cæteris, & isti vocabantur Aaronitæ ab Aaron, qui fuit primus, & summus sacerdos. Vel Amramite ab Amram patre Aaron, & Moysi, vt patet Exod. 6. & isto nomine appellantur Numer. 3. capitulo, erant Caathitæ large loquendo, quia erant de stirpe Caath, fuit enim Caath avus Moysi, & Aaron, vt patet Exod. 6. Scriptura tamen non consuevit vocare Caathitas, nisi ipsos Leuitas minores, qui non pertinent ad stirpem Aaron, præter hos ergo manebant tres familiae Leitarum, scilicet, Caathitæ, Meraritæ, Gersonitæ, & sicut istæ familiae erant diuersæ, ita & officia eis assignata à Deo fuerunt diuersa, non quidem simpliciter, sed quantum ad ea, quæ portabant de sanctuario. Nam excubare in circuitu sanctuarij omnibus erat commune, & portare aliquid in via de particulis sanctuarij, & erigere atque deponere, sed differabant in hoc, quod quibusdam erant sanctuarij quædam partes assignatae, aliis vero aliæ. Nam Caathitæ portabant omnia vasæ, scilicet, arcam testimonij, mensam propositionis, candelabrum, & altare holocaustorum, altare thymiamatis, & labium æneum: hæc omnia cum vasculis suis, quæ erant ad ministracionem eorum. Gersonitæ autem portabant omnia, quæ erant de pellibus, & filis, scilicet, cortinas tabernaculi, & faga, pelles rubricatas, & pelles hyacinthinas, quæ erant quatuor operimenta tabernaculi. Etiam portabant omnes cortinas, & tentoria, quæ erant in circuitu totius atrij, & tentorium quod erat ad oīlium tabernaculi. Meraritæ autem portabant omnia, quæ erant in sanctuario de lignis, & ære, dum tamen non essent vasæ ministracionis, scilicet, omnes tabulas, quæ claudebant tria latera tabernaculi, cum basibus suis: columnas quoque nouem tabernaculi, & 60. columnas atrij. Cum autem sanctuarium deponendum, vel erigendum esset, qualibet familia Leitarum erigebat, vel deponebat ea, quæ ad officium suum pertinebant. De his omnibus specialiter patet Numer. 3. & 4. capitulo. Ista familia sic distinguunt infra ad recipiendum ciuitates. Nam primo Aaronitis, id est, sacerdotibus datae sunt vrbes tredecim Caathitæ autem inferioris gradus datae sunt vrbes decem. Gersonitis vero datae sunt vrbes tredecim. Meraritæ autem fuerunt datae vrbes duodecim, vt patet de omnibus infra in litera, & hæ omnes simul sunt vrbes 48. in his familiis erant principes: nam in familia sacerdotum ipse sacerdos magnus erat princeps,

D

E

Caathitæ
qui di-
cuntur,
& eo-
riū offi-
cium.

F

A
Princi-
pes fa-
miliari-
um se-
babe-
bant
duplici-
citer.

B
Leuitæ
duplici-
ter con-
sidera-
batur.

B

C

princeps, qui etiam in tota tribu Leui erat princeps: in aliis autem tribus familiis erant principes, sicut patet Numer. 3.

Sed considerandum, quod principes harum familiarum se habebant dupliciter, quidam erant principes habentes originem de ipsiusmet familiis: alij autem erant principes quantum ad officia. Quod patet, quia Nu. 3. in qualibet familia ponuntur duplices principes: nam in familia Caathitarum erat princeps Elisaphan filius Oziel, & rursus ponebatur princeps Eleazar filius Aaron, in familia autem Gerson erat princeps Eliasaph, & rursus erat princeps Ithamar filius Aaron. In familia Merari erat princeps Suriel, & super eum Ithamar filius Aaron. Pluralitas autem ista principum in qualibet familia Leuitarum erat propter hoc, quia Leuitæ considerabantur dupliciter: uno modo in quantum erant quædam multitudines pertinentes ad speciales cognationes.

Alio modo in quantum erant dedicati ad quædam officia: nam Leuitæ fuerant donati Aaron ad subministrandum ad præceptum illius, ut patet Numer. 3. & 8. cap. Propter pri-
mum habebant principes, qui erant in ipsis familiis origi-
nem habentes de ipsiusmet familiis, sicut familiae in reliquis tribibus, & sic assignabatur in tribus familiis Leuitarum soli tres principes, scilicet, Elisaphan, Eliasaph, & Suriel, qui erant de ipsis familiis. Secundo considerabantur Leuitæ, ut erant dedicati ad quædam officia, quia dederat illos Deus Aaron, & filii eius, ut ad mandatum eorum ministrarent, & quia ista officia erant in rebus pertinentibus ad Sanctuarium, scilicet, portando, erigendo, & deponendo Sanctuarium, sacer-
dotes exigeabant rationem à Leuitis de his rebus eis traditis, & ob hoc constituebantur de sacerdotibus aliqui principes super familias Leuitarum, ut iuberent eis quid facere debeant, & de rebus gestis peterent rationem: isti autem prin-
cipaliter petebant rationem à principibus ipsarum familiarum, scilicet, qui constituebatur de sacerdotibus princeps super familiam Caathitarum exigebat rationem ab ipso prin-
cipe Caathite: & iste modus principatus sacerdotum semper durauit in Israëlitis. A principio autem fuerunt constituti filii Aaron principes super tres familias Leuitarum, & quia duo erant solum, scilicet, Eleazar, & Ithamar cum alij duo, scilicet, Nadab, & Abiu mortui fuissent, cōstitutus fuit Ithamar super familiam Gersonitarum, & Meraritarum, & Eleazar super familiam Caathitarum, quamquam principatus Eleazar erat maior, cum postea etiam ipse Ithamar daret ei rationem de gestis, quæ ipse accipiebat à principibus Meraritarum, & Gersonitarum. De hoc Num. 3. Nunc autem cum dicitur, quod principes familiarum Leui accesserunt ad petendum ciuitates, non intelligitur de principibus, qui erant sacerdotes, & exigebant rationem ab ipsis Leuitis, sed de prin-
cipibus familiarum, qui erant de origine ipsarum familiarum, quia isti proprie vocantur principes familiarum.

*Quare Eleazarus non iuit cum aliis principibus ad petendum ciuitates has. Et quod fuit præcipius inter iudices diui-
fores terræ.*

Q V E S T I O III.

QUARET aliquis quare Eleazarus non iuit cum aliis principibus Leuitarum, dum ciuitates istas cum aliis principibus Leuitarum, quia ipse erat maior princeps, scilicet, summus sacerdos, qui in quantum erat princeps totius tribus Leuitæ generaliter, & in quantum erat specialiter princeps Aronitarum debuisset petere. Respondendum est, quod non petiit ipse cū ceteris, quia ipse erat iudex qui tradere debebat executioni hoc pro parte, scilicet, quia erat unus de iudicibus: ad iudicē autem non spectat postulare. Et patet, quia ipse ponitur hic, tanquam principalis iudex, cum dicatur, quod principes familiarum Leui accesserunt ad Eleazarum, & ad Iosue. Sed dicet aliquis, quod potuissest Eleazar petere hæreditatem cum ceteris, etiā si esset iudex, quia tunc desineret esse iudex, scilicet, quantum ad illam causam, & peteret, sic fecit Caleb qui erat unus de iudicibus diuisoribus terræ, ut patet Numer. 34. ca. tamen ipse accessit ad Iosue, & alios iudices petens ab eis urbem Hebron, ut patet supra 14. cap. Sic etiam fecit Iosue, qui princeps iudicium diuisorum erat, ipse tamen petiit dari sibi urbem Thamnathare, supra 19. & Israëlitæ ei concesserunt il-

lam. Respondendum est non esse simile, quia Caleb petebat pro se specialiter possessionem, Iosue quoque, ideo quilibet horum debuit petere dimisso officio iudicis quantum ad illum actum, Eleazar autem non peteret hic pro seipso, sed pro omnibus Leuitis si peteret, ideo non erat conueniens, quod ipse peteret, sed magis, quod esset iudex, nec in hac parte penitus debebat abiici, tanquam cum ad eum pertinere, quia non erat causa specialis ipsius, sed communis, scilicet, totius tribus, ideo satis poterat esse iudex, secus autem in causa propria, quia ibi nemo recte iudex constituitur, si au-
tem datis ciuitatibus omnibus sacerdotibus Eleazar peteret pro se, & familia sua, siue domo specialiter aliquam, debebat ipse peteret ab aliis, & non esset iudex, & hoc modo petierunt Caleb, & Iosue hæreditatem.

Ad Eleazarum sacerdotem. Id est, summum sacerdotem: ipse enim fuit secundus summus sacerdos, ante enim, quam moreretur pater eius Aaron in monte Hor exuto patre vestibus pontificalibus indutus est filius, & sic factus est sacerdos, ut patet Numer. 20. cap. vocatur autem sacerdos per excellen-
tiam, scilicet, summus, & ita vocabatur Aaron sacerdos nihil ultra exprimendo, ut intelligeretur summus sacerdos, ad istū accesserunt Israëlitæ, quia iste erat præcipius inter iudices diuisores terræ, posuerat enim Deus duodecim viros de 12.
tribubus, qui totam terram diuiderent, & super hos posuerat duos, scilicet, principes horum, & isti erant Eleazar, & Iosue, ut patet Numer. 34. ideo de his duobus semper recolitur in speciali: de aliis autem in generali, iste autem etiam viuen-
te Moysè habebat auctoritatem iudicandi, & ad diuidendū terram: nam cum vertebantur causæ de acquirenda hæ-
reditate, aut eligenda hic, vel ibi, coram Eleazar, & Moysè siebat petitio, ut patet Numer. 27. de filiabus Salphaad, & 32.
de duabus tribubus, & dimidia.

Et ad Iosue filium Nun. Iste erat etiam præcipius inter iudices. Numer. 34. & erat princeps totius populi, ideo ad eum venerunt.

Et ad duces cognitionum per singulas tribus. Istud potest intel-
ligi dupliciter: uno modo quod isti duces cognitionum sint duodecim viri, qui diuidebant terram forte, de quibus Numer. 34. & erant de singulis tribubus, de qualibet unus, & vocantur duces cognitionum, sicut supra 19. vocantur prin-
cipes familiarum, & tribuum filiorum Israël, non quidem, quod ipsi essent principes familiarum, & tribuum, sed quia principiantur familiis, & tribubus quantum ad hoc, quod era-
tur diuidere eis terram possidendam, & distribuere vni-
que portionem, isti autem quamquam non sint principes tribuum, ut declaratum fuit supra 19. tamen satis possunt
vocari principes cognitionum, id est, familiarum, scilicet,
quod quilibet illorum virorum esset princeps alicuius fami-
liae in tribu sua, & hoc innuitur cum dicitur per tribus sin-
gulas, scilicet, quod omnes isti duodecim viri erant principes cognitionum, scilicet, aliquarum familiarum: & hoc per tri-
bus singulis, id est, quilibet in sua tribu habebat aliquam familiam, cuius esset princeps. Aliter potest dici, quod non in-
telligatur hoc de 12. viris diuisoribus terræ, sed de prin-
cipibus omnium familiarum, & tribuum, scilicet, quod erant Is-
raëlitæ cōgregati in Silo, & ibi coram Iosue Eleazar, & om-
nibus principibus familiarum petierunt Leuitæ possessio-
nem. Et hoc poterit stare, quia forte iam non erant necessarij ad hoc viri diuisores, quia manifestum erat quot urbes dari debebant Leuitis, scilicet, 48. ut patet Numer. 35. & ista collatio pertinebat ad principes tribuum, & familiarum, cum de qualibet tribu danda essent aliquæ urbes, ideo magis ipsi, quam diuisores viri necessarij erant ad hoc.

Sed hoc non multum stat, quia cum quilibet tribus de-
bebatur dare aliquas urbes Leuitis, & non constaret, quot, nisi
essent viri diuisores, magna oriretur sedition, cum quilibet
tribus paucas dare vellet urbes, ideo necessarij erant ad hoc
diuisores. Iti autem erant qui vocantur principes cognitionum. Quod autem huic petitioni etiam astarent principes omnium familiarum Israël, satis stat, quia omnes conuenerant in Silo ad diuisionem terræ, quæ ibi celebrata est, & ibi
petierunt Leuitæ, quod hic dicitur. Istud tamen de iudicibus diuisoribus intelligitur, quia Leuitæ non curabant de aliis
principibus, sed solum de iudicibus, qui exequi poterant, &
lebant, quod petebant Leuitæ.

D

E

F

A Locutiq; sunt ad eos. Scilicet, petentes dari eis vrbes ad habitandum.

In Silo terra Chanaan. Id est, ista petitio facta fuit in Silo vrbe, quæ est in terra Chanaan: est enim Silo vrbs, in qua primo stetit tabernaculum, & ibi facta est diuisio totius terræ Chanaan, & positæ sunt sortes, vt patet supra decimo octauo capitulo, est autem Silo in sorte Ephraim, vt codem cap. declaratum fuit, & dicitur esse Silo in terra Chanaan ad differentiam terræ duarum tribuum, & dimidia, quia licet essent in terra promissionis, tamen non erant in terra Chanaan, quæ computabatur à Iordanے versus partem occidentalem, est enim Iordanis, tanquam frons orientalis terræ Chanaan, vt patet Numer. 34. cap. terra autem duarum tribuum, & dimidia est ad partem orientalem Iordanis.

Et dixerunt, Dominus præcepit. Non petierunt Leuitæ possessionem, sicut quælibet alia tribus petebat, quia aliae habebant ius petendi, Leuitæ autem nequaquam, cum possessio, & pars eorum erant sacrificia Domini, & iura sanctuarij, vt patet supra 13. sed petierunt allegantes auctoritatem Domini, scilicet, quia ipse iussicerat eis dari possessionem, ideo dari debebat.

B Per manum Moysi. Impropius modus loquendi est, quamquam usitatus: nam per manum Moysi nihil Deus poterat iubere, cum manus non sit instrumentum interpretatiuum per quod voces deruentur, sed accipitur per manum Moysi, id est, per Moysen: manus namque est organum organorum, ideo quæ pertinent ad quodcunque organum attribuantur manui. Inmo etiam quæ non fiunt per organa manibus ascribuntur, vt cum dicimus istud negocium expedietur per manus vestras: fuit autem præceptum istud datum per Moysen: Numer. 35. cap.

Vt darentur nobis vrbes ad habitandum. Scilicet, quadraginta octo, vt patet præallegato cap. tot autem datae sunt eis hic, vt patet computando infra, & dicunt. quod darentur eis vrbes ad habitandum ad differentiam aliarum tribuum: non enim petebant, quod darentur sortes, vel partes terræ, sicut petebant Israëlitæ qui vrbes accipiebant ad habitandum, & regionem ad colendum eam in sustentationem hominum, & pecorum. Leuitæ autem solas vrbes, cum suburbanis petebant, quia non erant accepturi terras aliquas ad colendum, & hoc erat, quia Leuitæ accipiebant iura decimarum, & alia pertinentia ad sanctuarium, de quibus sufficienter sustentabantur, ideo non indigebant terra aliqua ad colendum, sed solum locis ad habitandum in eis. De causis autem quare Leuitæ non acceperint vnam sortem terræ, sicut quælibet alia tribus, declaratum est, Numer. 18. & Deuteronom. 18. & supra 14. cap.

C Quid subburana. Leuitæ in vet. Test. non colebant agros, neque vineas

Et suburbanæ earum ad alenda iumenta. Id est, etiam iussit, vt darentur nobis suburbanæ vrbiū ad iumenta nostra alenda. Vocantur suburbanæ loca coniuncta vrbiū, quasi suburbanis posita. Indigebant suburbanis Leuitæ ad alenda pecora, non enim plantabant vineas, aut colebant agros, sed locis pascualibus egebant: nam Leuitæ minores percipiebant fructus decimarum totius Israël, de quibus poterant sustentari, vt patet Numer. 18. & inde suscipierent quidquid in agris, & vineis colentes accepturi erant, sacerdotes autem licet non suscipierent decimarum partem aliquam, suscipiebant primitias, & multa alia iura sacerdotij, de quibus sufficienter haberent quidquid erat eis ad viçtum necessarium, ideo neutri colere agros, aut vineas debebant, suburbanis tamen egebant, quia habebant sacerdotes, & Leuitæ multa pecora, & iumenta: nam Leuitæ minores suscipiebant decimam de fructibus terræ, & de pecoribus totius Israël, ideo multa pecora, & iumenta possiderent: sacerdotes etiam de iuribus suis recipiebant pecora, & iumenta, vt aliquando ex voto, aliquando ex redēptione, vel commutatione, & alias, vt declaratum est, Numer. 18. Et ista conservabant, cum ex horum commutatione in omnibus necessariis sibi prouisiū erant, ideo dabantur magna spatia apud vrbes, in quibus possent pasci pecora, & iumenta. Et ista vocantur suburbanæ, quia apud vrbes inchoantur, & descendunt per aliquantum spatium. Nam à mœnibus vrbiis, vñq; ad duo millia passuum extendebantur ex omni parte, vt patet Numer. 35. reliqui autem termini vrbiū, tam agrorum, quam vinearum, quam syluarum ad eos pertinebant, in quorum sorte erant

D istæ vrbes Leuitarum, vel sacerdotum, vt rura, atque viculi, quæ ad vrbes tales pertinebant non cedebant in possessionem Leuitarum, sed sola vrbes. Sic patet infra de vrbe Hebron, quæ data est Caleb in possessionem, vt patet supra 14. & deinde data est sacerdotibus cum quibusdam aliis vrribus fortis Iudæ: tamen dicitur, quod agri Hebron, & viculi manserunt in possessionem Caleb, vt patet infra.

Ad alenda iumenta. Accipiuntur large iumenta pro pecoribus, & iumentis: propriæ enim iumenta sunt animalia domestica non pertinentia ad cibum, sed ad labores, vt equi, muli, asini, cameli, & dicuntur iumenta quasi adiuuamenta, quia ad adiutorium solum sunt, & non ad cibum, pecora proprie dicuntur animalia mansueta ad cibos pertinentia, quæ quadrupedia sint, vt oves, boues, capræ, bubuli, & similia. Vtraque autem habebant Leuitæ, quia in decimis suis recipiebant, tam pecora, quam iumenta, sacerdotes quoq; interdum recipiebant animalia immunda, secundum speciem ex voto, vel oblatione, vt patet Leuit. vigesimo septimo cap. & illa custodiebant ad vñs, & utilitates suas: ergo indigebant locis pascualibus pro eis. Plura tamen Leuitæ de pecoribus, quam de iumentis recipiebant. Sic accipiuntut iumenta, Exod. vndeclimo cap. vbi dicitur, quod morietur in Ægypto omne primogenitum à primogenito hominis, vsque ad primogenita iumentorum, & tamen ibi non solum accipitur (iumentis) pro iumentis, sed etiam pro pecoribus, cum primogenita quoque pecorum perierunt, idem patet Exod. 13. scilicet, Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vnuam in filiis Israël, tam de hominibus, quam de iumentis, sed ibi magis intelligitur pro pecoribus, quam pro iumentis, cum de iumentis nullum sanctificetur, nisi asinus: pecora autem sanctificabantur, vt ovis, bos, & capra.

Dederunt q; filij Israël de possessionibus suis iuxta imperium Domini ciuitates, & suburbanæ earum. Egressaq; est sors in familia Caath filiorum Aaron sacerdos de tribu Iuda, & Simeon, & Beniamin ciuitates 13. Et reliquis filiorum Caath, id est, Leuitis, qui superuerant de tribubus Ephraim, & Dan, & dimidia tribus Manasse, & ciuitates decem. Porro filius Gerson egressa est sors, vt acciperent de tribubus Issachar, & Aser, & Nephthali, dimidiaq; tribu Manasse in Basan ciuitates numero tredecim. Et filii Merari per cognationes suas de tribubus Ruben, & Gad, & Zabulon vrbes duodecim.

Dederunt q; filij Israël. Hic ponitur secundum huius cap. scilicet, petitionis concessio: viderunt enim Israëlitæ, quod Leuitæ iuste peterent, cum Deus hoc iussisset, ideo nihil restiterunt mox tribuentes, quæ petebant. Et dicitur, quod dederunt filij Israël, scilicet, populares, qui erat duodecim tribus: iti enim vocantur filij Israël per se, quasi nulli essent præter eos filij Israël: erant tamen Leuitæ d: filii Israël. Vocantur autem sic propter duo: primum est, quia tribus duodecim Israëlitarum erant, quasi totus populus Israël, cum Leuitæ collati ad eos essent valde pauci, & hoc semper consuetum est, vt maior pars rei totum nomen assumat, sic patet in populis quibuscumque, quia maior pars populi vocatur totus populus, & si omnes de populo faciant aliquid contra vñm virū de populo illo dicitur facere hoc populus. Secunda causa, & potissima est, quia Deus iussicerat, vt non computarentur Leuitæ inter filios Israël. Dederat enim Deus Leuitis ministracionem quandam specialem pertinentem ad cultum suum, & nihil dederat popularibus, ideo ex officio erant hi distincti ab illis, vt patet Num. 1. cap. scilicet, tribum Leuti noli numerare, nec ponas summam eorum cum filiis Israël, sed constitue eos super tabernaculum. Videbantur igitur Leuitæ, tanquam alius populus, quia alterius professionis erant: unde nomine Israëlitarum raro comprehenduntur, nisi in his, quæ spiritualia sunt, quæ omnibus communicantur.

E De possessionibus suis. Id est, quælibet tribus dedit Leuitis de sorte sua vrbes aliquas, vt patet infra, sed fuit in hoc portio, quia quæ plures vrbes habebant plures dederunt, & quæ pauciores dederunt paucas, vt patet Numer. 35. cap.

A

Iuxta imperium Domini. Potest hoc intelligi dupliciter, scilicet, ut importetur causa, vel forma. Primo modo, quod Israëlitæ dederunt Leuitis ciuitates iuxta imperium Domini, id est, quia Deus imperauerat illas dari. Alio modo, quod importetur forma, scilicet, quod eo modo dederunt Israëlitæ, quo Deus iusserat nihil transgredientes de forma mandati, scilicet, ut iussit Deus dari vrbes, & suburbana, ita data sunt, iussit etiam, quod tribus habentes plures ciuitates darent plures. Quod etiam obseruatum est. Iussit etiam quod darentur quadraginta octo vrbes, Numer. 35. & ita factum est, ut patet infra in litera.

Ciuitates, & suburbana earum. In hoc monstratur obseruata forma mandati, quia Deus iusserat dari vrbes cum suburbanis, & sic factum est. Fuerunt autem mensurata ista suburbana, sicut Deus iusserat, scilicet, quod darentur spatia duorum millium passuum cuiilibet vrbis in circuitu, ut patet Numer. 35. & in hoc non differebat an vrbis esset magna, vel parva. Cuilibet enim tantum de spatio suburbanorum dandum erat, licet vrbes magnæ, quia plures habitatores capere possent, & consequenter plura pecora, & iumenta ibi essent, aut esse contingeret, maiori indigebant suburbanorum ambitu, quia tamen non poterat per legem determinari quantum vni vrbis, & quantum alteri dari deberet, iussum est omnibus vrbibus æqualia dari suburbana.

Egressag. est. Hic potest incipere tertium huius cap. vel infra. Dederuntq. Et ponuntur hic ciuitates datae Leuitis ab Israëlitis. Et primo ponitur omnium numeratio. Secundo eorum nominativum expressio ibi. Dederuntq. filij Israel. Circa primum. *Egressag. est fors.* Sciendum autem, sicut supra declaratum fuit, quod familiæ Leuitarum erant tres, scilicet, Caathitarum, Gersonitarum, Meraritarum. Prima tamen diuisa est in duas, scilicet, in familias sacerdotalem, & Leuiticam, ideo ponuntur hic quatuor familiae, scilicet, sacerdotalis Caathita, Gersonitica, & Meraritica, & ponitur quot vrbes cuiilibet harum traditæ fuerint, & ista distinctio obseruatur hic cum ponuntur vrbes in generali, & infra cum ponuntur nominativum, & dicitur.

Egressa est fors. Id est, quod familia sacerdotalis habuit per sortem istas vrbes, quæ infra habentur, scilicet, 31.

Quomodo potuerunt Leuitæ accipere vrbes per sortes, & an possent ponere sortes cum aliis tribubus.

Q V A E S T I O IV.

V A R E T V R circa hoc quomodo potuerint Leuitæ accipere vrbes per sortes, quia sortes solum pertinebant ad duodecim tribus, quibus competebat ius accipiendi possessionem, Leuitis autem non competebant vrbes ex iure hereditario, sed ex assignatione aliarum tribuum cum dixisset Deus ad Leuitas, in terra eorum nihil possidebitis, quia ego pars, & hereditas vestra sum, Numer. 18. cap.

Respondendum est, quod Leuitis non erant prohibita sortes inter se ad diuidendum vrbes, quæ eis assignarentur ab Israëlitis, sed prohibita erant sortes ad ponendum illas cum aliis Israëlitis, scilicet, quod sicut quilibet de duodecim tribubus habebat ius, ut diuisa tota terra daretur ei una de partibus illius proportionalis ipsi tribui, ita non poterant Leuitæ habere possessionem, nec poterant ponere sortes cum aliis tribubus: ideo in divisione totius terræ promissionis, quæ consummata fuit supra 19. cap. non habuerunt aliquam sortem caute, postea autem fuerunt eis assignatae vrbes, & quia erant quatuor familiæ fecerunt quatuor portiones, & forte diuiserunt vrbes inter se. Poterant ergo Leuitæ ponere sortem pro vrbibus suis, scilicet, quæ de 48. vrbes eis dandæ erant, quia sic iusserat Dominus, Numer. 35. & tot datae sunt, ut patet infra in litera, ideo forte de his peterent sortem, scilicet, quod ponerent sortem quas vrbes habituri erant, sicut Israëlitæ ponebant inter se sortes, quas partes terræ acciperet quilibet tribus.

Sed tunc obicietur non stare, quia nō erat simile de duodecim tribubus, & de Leuitis, quia duodecim tribus habebant ius ad fortendum terram, Leuitæ autem non habebant ius, ideo non poterant ponere sortes, quia sortiri est eorum quibus æqualia iura sunt, & ob hoc forte dirimunt, quod alias

dirimere non valebant: Leuitæ autem non habebant æquale ius cum Israëlitis, ideo non possent, ponere sortem.

Respondebit aliquis, quod Leuitæ non habebant paria iura cum Israëlitis, tamen habebant aliquod ius, & pro illo sortiri volebant, & possent. Quod patet, quia Leuitæ non habebant ius ad recipiendum de terra proportionaliter, sicut reliqua tribus, scilicet, multum, vel paucum diuisa tota terra in partes proportionales, sed erat ius eorum determinatum ad quadraginta octo vrbes, vt patet Numer. 35. ideo etiam si valde plures prouenirent cuilibet tribui non poterant dari plures Leuitis, scilicet, quod ipsi non haberent ius ad petendum plures.

Secundo non habebant Leuitæ equum ius cum Israëlitis, quia Israëlitæ suscipiebant partes terræ totaliter, scilicet, quod cum tribus aliqua susciperet aliquam partem terræ, totum quod in ea erat suscipiebat, scilicet, vrbes & viculos, vineas, & agros, sylvas, & montes, ita quod nihil in tota illa terra ad dominium alicuius alterius pertineret: Leuitæ autem suscipiebant vrbes cum suburbanis, agros tamen, & vineas, & reliquum territorium non accipiebant. Habebant tamen aliquod ius Leuitæ ad possidendum, quia Deus iusserat, ut darentur eis quadraginta octo vrbes, ideo istas, tanquam debitas sibi petere poterant. Nam diuina iussio est sufficiens titulus ad acquirendum, velut si quis acquirat ex iure hereditario, vel exemptionis: unde dicetur, quod quamvis non possent Leuitæ ponere sortem cum Israëlitis simpliciter, scilicet, ut cederet eis aliqua pars terræ proportionalis, sicut cedebat cuilibet tribui, vel quod cederent eis vrbes cum territoriis suis, tamen sortiri possent quantum ad hoc, quod prouenirent eis quadraginta octo vrbes.

Sed dicendum est adhuc istud non stare, non enim poterant aliquo modo ponere sortem Leuitæ cum filiis Israël. Et patet primo, quia si Israëlitæ sortes ponerent cum Leuitis, quamquam simpliciter non esset tantum ius Leuitarum, sicut Israëlitarum ad habendum possessionem, esset tamen æqualitas quantum ad aliquid, & est quædam analogia, scilicet, quod tantum ius habebant Leuitæ ad accipiendum quadraginta octo vrbes cum suburbanis suis, sicut Israëlitæ ad suscipiendum totum, quod eis prouentur erat.

Sed etiam falsum est hoc, quia quilibet tribus Israëlitarum habebat ius per se ad accipiendum aliquam partem terræ promissionis sibi proportionalem in comparatione ad alias tribus, & non recipiebat una tribus ab altera possessionem, scilicet, quod una tribus, vel reliqua earum primo suscipierent terram, & deinde aliis tribubus darent, sed omnes erant æquales iure, ideo non accipiebat una per collationem alterius, sed sortiebantur, Leuitæ autem nō habebant ius per se ad accipiendum, & æque primo cum aliis, sed ex collatione aliarum tribuum, quia Deus iusserat, quod darentur Leuitis 48. vrbes, singula tribus aliquas vrbes darent, & tribus, quæ haberet plures vrbes daret plures, quæ pauciores daret pauciores, Numer. 35. cap. Si tamen posuissent sortem cum Israëlitis pro istis 48. vrbibus non dedisset eis quilibet tribus aliquas vrbes, sed fors dedisset eis 48. vrbes, sicut cuilibet tribui fors dabat portionem suæ possessionis.

Item non stat, quia tota terra diuinda erat inter duodecim tribus Israëlitarum, ita ut nulla pars maneret, quam quis possidere posset facta diuisione, & postea quilibet tribus datura erat aliquas vrbes Leuitis, ut colligitur, Num. 35. & sic factum fuit, ut patet supra 19. scilicet, quod tota terra diuisa est in tribus duodecim, si tamen Leuitæ posuissent sortem cum Israëlitis, non fuisset tota terra diuisa per duodecim tribus, sed cum eis esset portio Leitarum cum prouenientibz ciuitates quadraginta octo.

Item non stat, quia Deus iusserat, ut darentur Leuitis vrbes cum suburbanis solum, reliqua autem territoria manerent Israëlitis, ut colere possent ea pro se. Si tamen accepissent Leuitæ per se sortem 48. vrbium, non prodecessent territoria harum vrbium Israëlitis: nam Leuitæ non colerent ea, quia non egebant, etiam quia non dababant eis: Israëlitæ autem non possent illa colere, quia cum separaretur fors una 48. ciuitatum simul magnum spatium regionum caperetur, & quia tunc omnes illæ vrbes pertinebant ad Leuitas, & non poterat ibi quisquam habitare de aliis tribibus, necesse erat, ut Israëlitæ culturi regiones, vel territoria harum ciuitatum,

venirent

D

E

F

A venirent de fortibus suis ad colendum. Quod non stat, quia quamquam hoc non posset fieri in extremitatibus fortis Leuitarum, vbi coniungeretur ista sors alijs fortibus Israelitum, tamen non poterant fieri in medio fortis Leuitarum, quia multum distaret terra illa à fortibus Israelitarum, & sic maneret illa terra inutilis facta, & inculta redacta in solitudinem, crescerentque bestie contra Israelitas, quod Deus vita re volebat: nam propter hoc noluit dare totam terram Chanaan Israelitis simul, vel anno uno, ne crescerebant bestie, vt patet Exod. 23. & Deut. 7. c. & id, quod superabundaret hic Leuitis, deficeret alijs Israelitis, quia eorum fortis breuiores essent cum Leuitae recipierent fortis inter eos.

Sed aliquis dicet se qui ista inconvenientia, si Leuitae acciperent fortis cum Israelitis, ita quod à principio, quando assignarentur portiones Israelitis per fortis poneretur una sors pro Leuitis, acciperentque terram distinctam à ceteris. Si tamen diuideretur semel tota terra in 12. portiones per 12. tribus non data aliqua forte Leuitis, & postea poneretur sors de omnibus ciuitatibus terra Israelitarum quas 48. habituri essent Leuitae non sequeretur aliquid inconveniens.

An potuerunt Leuitae ponere fortis cum Israelitis, quas vrbes habituri essent de omnibus quas Israelite habebant.

B

Q V A E S T I O V.

QVÆR T V R autem circa hoc an potuerint Leuitae ponere fortis cum Israelitis, quas vrbes habituri essent de omnibus, quas ipsi Israelite habebant. Respondendum est, quod etiam hoc non poterat, nam ponere fortis ad habendum hanc vrbe, vel illam pertinet ad illos, qui habent à equalia iura ad vrbes: nam sicut si antequam Israelite assequerentur vrbes per fortis positae inter seipso, liceret Leuitis ponere cum eis fortis, vt videretur quibus cōpeteret sors hæc, vel illa, haberent Leuitae equalia iura ad vrbes, cum ipsis Israelitis, ita scilicet postquam Israelite assequerentur vrbes per fortis positae inter seipso, Leuitae possent fortis ponere cum illis ad hoc, quod proueniret eis ista vrbs, vel illa haberent à equalia iura cum Israelitis. Sed non stat, quia non petebant ipsi iure suo hæc habere, sed per collationem aliarum tribuum: cum iubeat Deus Nu. 35. quod quilibet tribus daret Leuitis alias vrbes: ergo non poterant ponere fortis cum Israelitis.

C

Item sequeretur aliud inconveniens, quia si per fortis accepturi essent Leuitae omnes vrbes quadraginta octo, postquam Israelite diuisissent terram, aut acciperent eas simul, vel dispersas per omnes possessiones tribuum. Si autem simul acciperent eas, sicut quilibet tribus accipiebat totam possessionem suam simul, starent omnia inconuenientia, quæ supra assignabantur si acciperent fortis, cum eis à principio antequam diuideretur terra, vt patet inducendo per singula. Si autem non acciperent simul, sed in aliqua tribu aliquas vrbes, & in alia vrbe alias usque ad 48. etiam non staret, quia Deus iussit, vt quilibet tribus daret alias vrbes Leuitis, & tribus illa, quæ plures haberet daret plures, alia vero daret pauciores, vt Num. 35. si tamen sorte darentur eis vrbes continget, vt de tribu, quæ pauciores haberet vrbes prouenient plures Israelitis: ergo non ponebant fortis cum Israelitis.

Sed dicendum est necesse esse, quod singula tribus assignarent eis vrbes, ita quod Israelita iudicaret de qualibet tribu, quod vrbes dari deberent Leuitis considerata paucitate, aut multitudine vrbium tribus illius, & tot ei assignarentur.

An Leuitae possent ponere fortis cum qualibet tribu Israel, & diuisim pro vrbibus, quas habituri erant.

Q V A E S T I O VI.

QVÆR T tunc aliquis, an possent Leuitae ponere fortis cum Israelitis scilicet cū qualibet tribu per se, quas vrbes habituri essent de tribu illa, & hoc quod primo iudicarent Israelite inter se, quod tribus Iuda, vel Nephthali, aut Simeon debeat dare quatuor, vel quinque vrbes Leuitis, an

polt hoc possent Leuitae ponere fortis cum tribu Iuda, vel Nephthali, aut Simeon, quas quatuor vrbes de tribu illa accepturæ essent: nam tunc non videtur sequi aliquid de prioribus inconvenientibus.

Respondendum est, quod etiam hoc modo non poterat ponere Leuitæ fortis cum Israelitis, quia Deus iussit, quod Israelite darent vrbes Leuitis de tribubus suis: si tamen forte diuideretur quas vrbes Leuitæ, & quas Israelite habituri essent, iam non darent Israelite vrbes, sed Leuitæ iure suo assequerentur illas. Item patet hic, quia dicitur, quod quilibet tribus dedit vrbes alias Leuitis: ergo sors non intercedebat.

Apparet ergo ex prædictis, quod nullatenus Leuitæ posuerunt fortis cum Israelitis pro vrbibus suis. Manet autem secundus modus ponendi fortis, quo possent ponere Leuitæ fortis pro vrbibus suis, scilicet quod inter se ponerent eas. Date enim tuerunt illis 48. vrbes, & vt dirimeretur qui illas, & qui illas habituri essent, sors interposita est.

Considerandum autem, quod modus huius fuit, quod petitione exaudita Leuitarum, cum Israelite scirent, quod daturi erant eis 48. vrbes iuxta mandatum domini, dederunt iudices ad limitandum vrbes istas, & fuerunt isti diuiseores, qui fuerant totius terræ diuiseores. Nam potestis eis data à Deo ad diuidendum terram erat generalis, isti considerauerunt quamlibet tribu quod vrbes haberet, quia iussit Deus, quod tribus, quæ haberent plures vrbes, darent plures, & quæ pauciores, darent pauciores: & tunc proportionaliter diffinierunt de qualibet tribu dandas esse tot, vel tot vrbes, & ipsas vrbes sibi assignarunt, ne in assignatione discordia postea oritur, & iudicio horum steterunt Israelite, scilicet, quod siue dedissent multis, siue paucas vrbes de qualibet tribu non fuerunt conquerti, etiam siue vrbes magna, siue parua, essent nemo se grauatum contendebat: Leuitæ quoque non pertinuerunt aliud, quam eis datum est, siue essent vrbes magna, siue parua, postea vero cum designatae essent 48. vrbes dāda Leuitis ipsi net diuiseores iudices fecerunt ex eis quatuor portiones, quia erant quatuor familiæ Leuitarum, scilicet Sacerdotes Caathita, Geronitica, & Meraritica. Fuerunt autem ista portiones proportionales ipsis familiis secundum multitudines suas, scilicet, quod sicut se habebant iste quatuor familiæ inter se, ita se haberet partes terræ, vel ciuitatis eis dandas, & quia erant familiæ iste inæquales multitudine, fuerunt portiones inæquales. Vix enim habuit tredecim vrbes, & alia decem, & alia tredecim, & quarta habuit duodecim, vt patet in litera. Et sic fiunt simul ciuitates quadraginta octo, quæ dandæ erant Leuitis, & vt congruentius distribueretur portiones iste posse fuerunt fortis, & sic cuiuslibet pars sua forte prouenit. Sic patet infra in litera: dederunt filii Israel Leuitis ciuitates, & suburbana singulis forte diuidentes. Erat iste modus fortium, sicut factum est in distributione terræ inter Israelitas: primo enim terra in partes proportionales diuisa est, deinde positæ fuerunt fortis, quæ sic prouenerunt, vt diuiseores apud se primo destinauerant, vt declaratum est supra 18. cap.

Quare Leuitis 48. vrbes date sunt, & alijs tribubus pauciores.

Q V A E S T I O VII.

QVÆR T aliquis quare Leuitis tot vrbes date sunt, scilicet quadraginta octo, cum aliis tribubus paucæ vrbes darentur: nam filii Benjamin sola 26. vrbes date sunt supra 18. filii autem Simeon 17. tribui Zabulon vrbes duodecim: tribui Issachar vrbes 16. filii Nephthali 19. vt patet supra 19. cap.

Aliquis forte respondebit hoc fuisse factum propter multitudinem Leuitarum: iussit enim Deus, quod pluribus daret maior pars possessionis, & paucioribus daret minor. Num. 26. c. si ergo essent Leuitæ in valde magno numero debent eis dari multæ vrbes.

Sed non stat, quia Leuitæ non erant tot, vt secundum proportionem ad alias tribus deberent eis dari vrbes 48. immo nec 20. vrbes. Quod patet, quia in tribu Zabulon erat quinquaginta septem millia quadrangenti. Num. 1. fuerunt autem

D**E****F**

A eis date vrbes solum 12. supra 19. Etiam in tribu Simeon erat quinquaginta nouem millia, & trecenti. Numer. 1. & fuerunt eis datae ciuitates 17. supra 19. in tribu autem Leuitarum erat paucissimi. Nam computando etiam ab uno mense, & supra, solum erant vigintiduo millia, vt patet Num. 3. & illi non computantur, vt viri: computando autem eos ab anno 30. erant solum octo millia quingenti octoginta, vt patet Num. 4. ergo comparando Leuitas ad multitudines aliarum tribuum non correspondebant eis, nec vrbes decem. Sed respondebit aliquis, quod istud verum est in prima computatione facta in deserto in monte Synai, quae fuit in principio anni secundi ab exitu de Aegypto, vt patet Nume. 1. sed postea in 40. anno quando ingressi sunt Israelitae in terram Chanaan erant multi de Leuitis, quia creuerant in 40. annis, & alijs tribus diminuta fuerant. Et hoc fortassis videbitur alicui rationabiliter dictum, quia fuit sententia lata in Cadesbarne anno secundo ab exitu de Aegypto super omnes, qui computati erant a 20. annis, & supra, & ista non fuit lata super Leuitas, vt patet ex verbis eius. Nu. 14. & ibi declaratum est: ergo poterant multiplicari ipsi nimis, alijs autem tribus omnes diminuerentur, quia de qualibet tribu tot morituri erant, quot nominantur. Nu. 1. ut pote in tribu Iuda computati sunt leptuagintaquatuor millia sexcenti, vt patet Nu. 1. & de his nemo intravit in terram Chanaan, vt praeter Caleb, & sic de reliquis tribibus.

B De Leuitis autem nemo hac sententia ligatus est: ergo ad magnum numerum peruenire poterant, ita vt correspondent eis vrbes quadraginta octo.

Sed hoc non stat, verum est enim, quod quedam de tribus Israelitarum diminuta fuerunt valde, vt patet Num. 26. vbi ponitur secunda computatio facta in fine anni quadragesimi cum introituri essent Israelitae in terram Chanaan, & tuit apud Iordanem: tamen non fuerunt tantum diminuta istae tribus, vt tribui Zabulon corresponderet decem vrbes, & tribui Simeon 17. & proportionaliter corresponderet Leuitis quadraginta octo. Nam in secunda numeratione in introitu in terram Chanaan erant de tribu Simeon vigintiduo millia ducenti. Num. 26. cap. & de tribu Zabulon erant sexaginta millia quingenti, vt patet eodem ca. De Leuitis autem in eadem computatione erant paucissimi: nam in alijs tribus computabantur viri ab anno vicesimo, vt patet Num. 1. & 26. in tribu autem Leuitica computando etiam ab uno mense, & supra fuerunt solum vigintitria millia, eodem cap. Si autem de ipsis accicerentur soli viri ab anno vicesimo, & supra, forte non essent decem millia virorum, sicut patet Nu. 3. vbi computatis Leuitis ab uno mense, & supra fuerunt vigintiduo millia, & tamen computatis illis ab anno 30. solum inuenta sunt octo millia virorum, & quingenti octoginta. Num. 4. c. ergo non debebant Leuitae accipere vrbes saltem decem, sed proportionaliter acciperent vrbes secundum multitudinem suam.

C Respondendum est, quod Leuitae acceperunt vrbes secundum proportionem multitudinis sue, tamen acceperunt plures vrbes, quam alijs tribus, licet essent valde minoris multitudinis, quia omnes Israclitae acciebant vrbes, & viculos atque rursum, & agros, vniuersaque territoria portionum suarum: Leuitae autem acciebant solas vrbes cum suburbanis suis, ideo quamquam quedam tribus Israelitarum paucas acciperet vrbes, quia tamen habebat rura multa, & viculos poterant ibi habitare multi, & dato, quod pauca rura essent facta, & habitata, cum terra latissima esset, ipsi poterant nouas habitadi sedes facere, siue vrbes, siue viculos, ita vt multi caperentur in paucis vrbibus: Leuitae autem non poterant sic facere, quia solum dabantur eis vrbes ad habitandum cum suburbanis ad alenda pecora, ideo non poterant se distendere per territoria vrbium ad habitandum in viculis, vel ad constitutendum nouas sedes, si vrbes eorum paucae essent, ideo necesse fuit, vt plures valde vrbes darentur Leuitis, quam ceteris tribubus, licet essent pauciores numero. Hoc etiam patet ex comparatione aliarum tribuum inter se: nam quedam tribus erant valde maioris multitudinis, & acciebant valde pauciores vrbes alijs tribus minorum multitudinē, vt patet de tribu Zabulon, & Simeon: nam acceperunt filii Simeon vrbes 17. vt patet sup. 19. & erant vigintiduo millia duceti solum, vt patet Num. 26. ca. filii autem Zabulon acceperunt ciuitates 12. vt patet sup. 19. & tamē erat sexaginta millia quin-

D genti. Nu. 26. c. eodem modo tribus Aser accepit vrbes 32. vt patet supra 19. & tamen erant summa eius quinquaginta tria millia quadringenti. Nu. 26. c. Causa diversitatis est, quia aliquando paucē vrbes habebant magnum territorium, s. quia erant ibi multa rura, & viculi, vel saltem latitudo regionū ad constituendum nouas sedes, & multæ vrbes erant coniunctæ, & habebant inter se paruum territorium, & sic 12. vrbes, quas habebant filii Zabulon, vt patet sup. 19. possent habere inter se maius territorium, tam ad habitandum, quam ad colendum, quam 17. vrbes sortis Simeon, & quam 32. vrbes sortis Aser, & sic credendum est, q̄ fuerit, alioquin non poneretur proportionales partes possessionum datae tribubus Israel. Patet igitur quare tot vrbes datae fuerunt Israelitis.

Egressaque est fors in familia Caath filiorum Aaron. Idest familiae Caath quātum ad filios Aaron prouenit fors ista, quæ sequitur, scilicet ciuitates 13. In quo se endū, vt supra declaratum est, quod quamquam familia Caath esset vna, sicut familia Gerson, vel Merari, quia tamen in ipsa fuerūt quidam sacerdotes, scilicet tota posteritas Aaron, qui vocantur Aronitæ, vel Amramitæ, & alijs fuerunt Leuitæ minores, qui infra vocantur Leuitæ inferioris gradus, fuit distincta illa familia in duas, & nunc ponitur hic fors quātum ad vnam partem scil. quantum ad Aronitas, qui sunt sacerdotes, & ipsis datae sunt vrbes 13. vt patet infra.

Filiorum Aaron sacerdotis. Omnes enim de semine suo erant necessario sacerdotes, nisi essent maculati, quia tunc non poterant accedere ad ministrandum: tamen gaudebant omnibus iuribus sacerdotalibus, scilicet, quod recipiebant integros redditus, vt patet Leui. 21. cap. ideo etiam isti vocabātur de sacerdotum numero: omnes autem qui immaculati erāt, cogebantur esse sacerdotes, & dato, quod aliquis abrenūciaseret omnibus iuribus, quæ ei competere poterant ex sacerdotio non permittebatur, quin consecraret & ministraret, vt declaratum fuit Num. 20. licet hoc nemo faceret, quia libenter accipiebant officium sacerdotale, quia erat satis facile, & redditus magni ei adiuncti erant; immo multoties contendebatur super sacerdotio: sicut fecit Core, & socij sui contra Aaron, & Moysen. Num. 16. cap. vocatur Aaron sacerdos per excellentiam, quia fuit sacerdos magnus, & fuit primus sacerdos: nemo enim ante eum sacerdos eo ordine, & ritu consecrandi effectus est.

F De tribubus Iuda, Simeon, & Beniamin ciuitates tredecim. Non ponitur hic quot vrbes dederit quilibet tribus, quia hoc infra describitur, sed quot vrbes erant in qualibet sorte: sicut ut enim factæ sortes quatuor inter quas diuisa sunt vrbes 48. quarum prima fuit fors familia sacerdotalis, quæ habuit vrbes tredecim. Ponuntur iste tres tribus simul, quia iste tredecim vrbes quæ factæ sunt vna fors datae sunt de his tribus tribubus, fuit autem facta fors ista de vrbibus istarum triū tribuum, ne essent pertinentes ad vnam familiā diuisi, sed quātum possibile erat coniungerentur: non erat enim possibile ex data lege, quod pertinentes ad vnam familiam Leuiticam essent, ita coniuncti, sicut pertinentes ad vnam tribū filiorū Israel, quia non habebant simul loca habitationis sue, sed diuisa per diversas tribus: erat tamen possibilis aliqualis coniunctio, scilicet, vt inter vrbes Caathitarum non intercederent vrbes Geronitarum, vel Meraritarum, & è contrario, & inter vrbes Aaronitarum non intercederet vrbes aliorum Leuitarum, & ob hoc omnes ciuitates, quæ dabantur Geronitis erant simul, & quæ Meraritis simul, scilicet, quod nō intercedebant ciuitates aliorum Leuitarum. Ob hoc autem vrbes tredecim, quæ datae sunt de his tribus tribus factæ sunt vna fors, quia iste tres tribus erant simul: nā fors Simeonis erat intra fortem Iuda, cum fuerit quondam pars illius, vt patet sup. 19. fors autē Beniamin erat cōiuncta forti Iuda, quia latus aquilonaris sortis Iuda, & latus meridianum Beniamin erant idem, vt patet comparando loca vtriusque lateris, quæ ponuntur esse eadem

supra 18. & 15.

A

Quare non fuit data possessio 48. ciuitatum Leuitis simul, sicut alijs tribibus, & de quatuor rationibus Nicolai ad hoc, & assertent. Et quod sacerdotes, & Leuitæ veteris testamenti habebant determinata iura. Et an debebant Leuitæ accipere ciuitates ad habitandum, sicut alia tribus.

Q V A E S T I O VIII.

VERET aliquis quare non fuit data possessio ciuitatum Leuitis simul, sicut dabatur reliquis Israelitum, sed erant diuisæ vrbes eorum per fortis omnium tribuum. Nicolaus respôdet quatuor rationibus. Prima est, ne videretur cultus Dei ad vnicam tribum pertinere scilicet sacerdotes, & Leuitæ erant ministri Dei, de rel. quo autem populo nemo ministrabat. Si autem omnes Leuitæ & sacerdotes fuissent simul, videretur totus cultus Dei pertinere ad tribum illam, in qua essent habitates, & ad reliquias nihil pertinere, sed ad totum Israhel æqualiter pertinebat Deus, ergo in omnibus tribibus debuerunt esse ministri illius.

Secunda ratio, quia esset difficile vni tribui prouidere omnibus sacerdotibus, & Leuitis: cum autem essent dispersi per multas tribus faciliter sustentari possent ab omnibus recipientes, & hoc forte, quia Leuitæ, & sacerdotes non colebât agros, nec vineas, sed viuere debebant de his, quæ populus erogabat, vna autem tribus non posset tantum erogare.

Tertia ratio est, quia apud omnes populos sacerdotes de publicis sumptibus aluntur, quia pro tota communitate possunt mediatores inter Deum, & populum, sicut dicit Apostolus ad Heb. 5. Quod patet in sacerdotibus Ægyptiorum, quia cum inualescente fame omnes Ægyptij venderent terram suam, vt daretur eis cibus, sacerdotes non sunt compulsi vendere terram suam, quia cibaria constituta eis de horreis publicis præbebantur, vt patet Gen. 47. de hoc tangit Arist. Ethic. lib. 8. de quibusdam iuribus primitiarum, & oblationum, quæ tradebantur apud antiquos à gentibus: ergo Leuitis de publicis debebant dari sustentamenta, & consequenter in omnibus fortibus Israelitarum deberent morari, vt ibi a liquid reciperent, & non in vnicâ.

Quarta ratio erat propter doctrinam, quia sacerdotes, & Leuitæ erant periti in lege, & docere debebant totum populum, qui non poterat vacare studio legis, cum esset attentus alijs operationibus: Leuitæ autem, & sacerdotes, qui ad nihil diuertebant, nisi ad cultum Dei possent studijs vacare maxime circa legem, & isti docerent totum populum: si tamē morarentur omnes simul in terra alicuius tribus, sicut quilibet tribus simul habebat possessionem, difficile eis esset docere populum in tota terra Hebreorum, ideo debuerunt dispersi esse per totam terram Israel. Dicendum rationes istas satis esse apparentes, sed non solidas. Prima non tenet, quia nihil magis videretur cultus Dei pertinere ad vnicam tribum, si sacerdotes, & Leuitæ simul essent, quam si dispersi sicut erant: nam cultus Dei erat in sanctuario, in quo fiebant ceremoniae sacrificiorum, & omnes ritus legales: in alijs autem locis nihil de his fieri poterat, nec erat alicubi cultus Dei nisi mentalis, vel in oratione tamē in ceremonijs exterioribus nequaquam. Si autem existentibus sacerdotibus, & Leuitis in vna tribu, ibi esset sanctuarium, siue vnum, siue multa, & existentibus dispersis per omnes tribus essent sanctuaria in multis tribubus per multa loca, sicut nunc sunt apud nos multæ Ecclesiæ in quibus mysteria sacra celebrari possunt, verum esset, quod si essent in vna tribu videretur cultus Dei ad illam tribu solā pertinere, quia tamen siue sacerdotes, & Leuitæ essent simul, siue dispersi sanctuarium semper esset vnicum in quo Deus coleretur, nō videretur magis sic, quam aliter pertinere cultus Dei ad vnam tribum, quam ad alteram: immo accidere posset è contrario, quia forte mutaretur sanctuarium ad tribum illam, in qua nullus de sacerdotibus, vel Leuitis esset, & tamē verius ad tribum istam, in qua esset sanctuarium videbatur totus cultus Dei pertinere. Secunda causa etiam nō tenet scil. quod esse debebant in omnibus tribubus, quia non possent de sumptibus illius sustentari, vel saltē grauaretur nimis illa tribus. Præsupponit enim falsum. s. p. sacerdotes, & Leuitæ sustentabantur de eleemosynis populi, & nihil aliud

habebant, ideo quod vna tribus nō posset eis prouidere. Sed falsum est, quia tam sacerdotes, quam Leuitæ habebant iura determinata, quibus sufficienter alienarentur, sicut quilibet alia tribus poterat ali de fructibus poss. sionum suarū. Quod patet, quia omnes decimæ totius Israhel dabantur Leuitis minoribus. s. Geronitis, & Meraritis, atque cuiusdam parti Caathitarum. s. eis, qui non erant sacerdotes, & de his poterant sufficienter ali, quia isti Leuitæ nō erat tot in multitudine, sicut aliqua de tribubus, vt patet ex supra declaratis, nec fuerunt aliquando æquales multitudine alicui tribui: & tamen quilibet de 12. tribubus dabat illis annuatim decimam partem fructuum suorum, ergo plus habebat de fructibus quilibet anno Leuitæ, quā aliqua de tribubus Israhel, quia accipiebant 12. decimas, & quilibet tribus reserabat sibi nouæ decimas: ergo maior erat copia fructuum annorum, Leuitarum, tam in terra nascentibus, quam in pecoribus, & iumentis, quam cuiuslibet alterius tribus, praesertim, quia non diuidebantur iste decimæ inter omnes Leuitas, sed solum inter eos, qui nō erant sacerdotes, vt patet Num. 18. c. sacerdotes etiam habebat sufficiens alimentum, immo valde magis, quam Leuitæ, quia ipsi recipiebant omnes primitias, & omnes redemptiones primogenitorum humanorum, pro quilibet 5. scilicet etiam redemptoris iumentorum, & pecorum immundorum à casu. Recipiebant etiam omnia primogenita pecorum, scilicet boum, capraturum, & ouium, quod erat valde magnū ius, maius valde, quam decimæ pecorum. Etiam recipiebant omnia vota, vel æstimationes eorum, de quibus Leu. 27. Etiam omnia iura sacrificiorum, & omnia donaria, & oblationes, multa quoque alia iura, de quibus omnibus patet Num. 18. c. Ergo poterant sustentari sufficienter non recipientes aliquid alterum à populis præter iura constituta eis. Ista autem iura darentur sacerdotibus, & Leuitis, siue habitarent oēs simul, siue dispersi per omnes tribus, cum darentur ratione ministerij, quod fiebat in sanctuario, quod erat vnicum, ergo nihil magis differebat quantum ad posse Leuitas, & sacerdotes sustentari, habitare simul, vel quod esset in multis tribubus. Sed aliquis arguet, quod Leuitæ non haberent aliquid unde sustentarentur præter eleemosynas, quia Deut. 14. iussit Deus, quod quando Israelitæ offerrent, & facerent solennes epulas inuitarent Leuitas, & dicitur: Cauere derelinquas Leuitam, quia non habet aliam partem in possessione tua, & hoc sepe iubetur, scilicet Deut. 12. & 16. Respondendum est, quod iura sacerdotum erant magna, & totaliter sufficientia eis, ideo isti nunquam egebant eleemosyna, nec petebant. Leuitarum autem iura magna erant, sed quia ipsi erant aliquando multiplicati non sufficiebant tātum ista iura, ideo insituit Deus alias decimas, scilicet quod præter decimam principalem, quæ erat totaliter danda Leuitis, iussit quilibet anno separari aliam decimam secundam, & ista erat minor, quia erat de nouem partibus. Erat autem ista pro sumptibus Israelitarum quando ascendebant in locum sanctuarium, quia ter in anno tenebantur illud ascendere omnes masculi: Exo. 23. & 34. & Deu. 16. & de hac comedere debebāt in loco sanctuarium, & de hac erogabant in coniuia aduenarum, viduarum, & Leuitarum, vt patet Deuter. 12. & 14. & 16. & sic erat aliud constitutum eis quasi ius. Tertium genus decimarum erat, quod constituebatur de triennio in triennium, & istud non dabatur totaliter Leuitis, sicut primæ decimæ, quæ dabātur quilibet anno, nec etiam comedebant quidquam de his ipsi facientes decimam, sed conserabant fructus huiusmodi in domo sua, & veniebant Leuitæ pauperes, & aduenæ, & viduae, atque pupilli, & saturabantur de decima illa. De hac Deu. 14. & ibi de istis tribus generibus decimaru declaratum est. Sed adhuc ista iura non multum conferebant, quia erat generalia præter decimas primas, quæ solis Leuitis dabantur, & ista sufficiebant eis. Quod autem aliquos eorum contingeret esse pauperes, non erat admirabile, quia etiam si conuenientes redditus haberent: multis modis contingit aliquem pauperem effici. Cum autem arguebatur, quod Leuitæ non haberent aliquid, quo sustentarentur nisi eleemosynas Israelitarum: dicendum falsum est, cum eis constituta essent iura à lege, scilicet decimæ Num. 18. c. & iste non vocantur eleemosynæ, cum dentur ex debito. Et cum dicitur Deuter. 14. Cauere derelinquas Leuitam, quia non habet aliam partem in possessione tua. Dicendum verū esse, tamen non est sensus, quod

D

E

F

A

non haberet nisi eleemosynas in sustentationem, sed quod Leuitæ, & sacerdotes non habent partem aliam in possessione Israelitarum, nisi quod ab eis percipiunt, quia ipsi nō habebant agros, & vincas, nec vacabant agricultura, sed solum habebant vrbes ad habitandum, & suburbana ad alenda pecora, vt patet hic, supra 14. atque Num. 35. omnes autem tribus Israel possessiones habebant. Leuitæ autem, & sacerdotes solum habebant iura, quæ recipiebant ad Israëlitis, & ista erat pars eorum, tamen ista non erant eleemosynæ, sed debita, de quibus nihil magis perciperent Leuitæ, & sacerdotes habitantes diffusi per omnes tribus, quam si simul habitarent, in auctoritate autem præallegata Deus mouebat Israëlitas ad misericordiam pauperum, & præcipue Leuitarum, quia aliquando contingebat eos esse pauperes sicut cæteros homines, & tunc magis debebant misereri eorum, quam aliorum cæteris paribus. Tertia ratio, quam inducbat Nicolaus non stat, scilicet quod sacerdotes apud omnes gentes de sumptibus publicis sustentantur, ergo debebant habitare diffusi per omnes tribus: intendit enim, quod si habitarent in vñica tribu non possent sustentari de publicis, sed solum de sumptibus illius tribus in cuius territorio morarentur.

B

Sed non stat, verum est enim si de publicis sustentarentur eleemosynas, secus si de publicis iuribus, scilicet quod si sacerdotes, & Leuitæ non haberent aliquid sustentamenti, nisi de eleemosynis erogatis ab Israëlitis, oportebat, vt diffusi per totum Israel morarentur, vt ab omnibus recipere possent: tamen non sustentabantur de eleemosynis communibus, sed de iuribus statutis à tota communitate soluēdis, scilicet de iure sanctuarij: instituerat enim Deus aliqua iura sibi solui, & illa distribuit in Leuitas, & sacerdotes, qui erāt ministri eius, vt patet Numer. 18. ca. ideo quantum ad hoc nihil magis differebat, quod habitarent omnes Israëlitæ simul, quam quod diffusi per tribus Israel. Quarta ratio erat ad doctrinam, scilicet quod sacerdotes, & Leuitæ debebant populum instruere in fide prædicando, & alios erudiendo, cū populus non vacaret studio legis, sed hoc esse non poterat si simul habitarent omnes Leuitæ: ergo non simul habitare debebant. Sed dicendum nō stare ifam rationem, quia ad hoc debuissent sacerdotes diuidi per totum Israel, sed non erant diuisi. Hoc patet, quia doctrina legis non pertinebat ad Leuitas simplices, sed ad sacerdotes: his enim data est cura de lege, & ibi respondere debebant de questionibus legis. De Leuitis autem nihil iubetur. Et patet hoc Aggæi 2. cū dicitur: Interroga sacerdotes legem, si tamē ipsi non tenerentur scire eam, & respondere ad questiones de lege, nō iussisset dominus, q̄ interrogarentur sacerdotes. Item patet Mala. 2. scilicet labia sacerdotis custodient scientiam, & legem exquirunt ex ore eius, quia angelus domini exercituum est, ergo si diuidebantur Leuitæ per totum Israel propter doctrinam debuissent sacerdotes diuidi, quia ad ipsos pertinebat prædicare verbum legis, & respondere de ipsa. De Leuitis autē nihil patet: sacerdotes tamen non fuerunt diuisi per totum Israel, quia solum fuerunt in sortibus Iudæ, Beniamin, & Simeon, vt patet hic. s. quod sors filiorum Aaron fuit ciuitates 13. in sorte Iudæ Simeon, & Beniamin: apparent igitur ex dictis, q̄ nulla istarum 4. rationum fuit propter quam Leuitæ accepissent ciuitates diuisas per totum Israel: dicendum autem causam esse aliam. Et pro hoc quæretur an debebant Leuitæ accipere ciuitates ad habitandum, & terram in sortem, sicut accipiebat quælibet tribus Israelitarum an non. Si dicatur, quod sic, tunc stat, q̄ debuissent ciuitates eorum esse simul, sicut quælibet tribus habebat totam suam possessionem simul, sed hoc Deus noluit, quia iussit, quod non acciperent sortes inter Israelitas, sed darentur eis ciuitates ad habitandum: causæ quoque conuenientes sunt quare non debuissent Leuitæ accipere possessionem, de quibus actum est. Num. 18. & Deut. 18. & sup. 14. cap.

Si autem dicatur, quod non debebāt accipere sortem, sed ciuitates ad habitandum, necesse erat, quod istæ ciuitates, quas acciperent pertinerent ad alias tribus, cum primo tota terra diuidi deberet hoc modo inter Israelitas, & postea de qualibet tribu erant assignanda vrbes aliquæ Leuitis. Et tunc si darentur Leuitis ciuitates omnes simul, sequerentur duo inconvenientia.

Primum erat, quia aliqua tribus fuisset, aut duæ vel tres quibus tollerentur omnes ciuitates. Quod patet, quia Leuitæ habituri erant vrbes 48. vt appareat Nume. 35. nulla tamen tribus tot vrbes habebat, nisi tribus Iudæ, vt patet considerando supra à cap. 15. vsque ad finem 19. tollerentur duabus tribubus, aut pluribus omnes vrbes, ita vt nō maneret eis vbi morarentur: nam viculi, & agri non sufficeret: ideo non cōuenienter sic fieret, quia grauarentur valde illæ tribus, & necesse erat, quod transirent ad habitandum ad fortis aliarum tribuum, sed hoc non conueniebat. Erat enim congruētius, vt Leuitæ quibus nulla fors assignata erat morarentur diffusi per fortis diuersarum tribuum, quā vt Israëlitæ, quibus certa fors erat assignata transiret ad fortis aliarum tribuum, vt darent locum Leuitis, debuerunt ergo Leuitæ per varias sortes accipere vrbes ad habitandum, quia tunc cum quælibet tribus paucas vrbes daret non grauaretur, & ob hoc iussit Deus, vt tribus, quæ plures vrbes habebant darent plures, & quæ pauciores habebant darent pauciores Num. 35. scil. quia tūc proportionaliter imponeretur onus omnibus tribubus, & consequenter nulla grauaretur, ita vt non possent habitare intra sortem suam propter Leuitas. Item sequebatur secundum inconveniens, scilicet quod multa terra relinquenteretur inutilis, & inculta, in quo nimis grauarentur Israëlitæ: nā ob hoc iussit Deus, quod Leuitæ acciperent solum vrbes, & suburbana in circuitu, vt agri, & cætera territoria maneret Israëlitis ad colendum ibi, ita vt propter habitationem Leuitarū non videretur eis auferri aliqua portio terræ, quam alias cōsecuturi essent, sed solum vrbes ad habitandum: si autem tolleretur eis vrbes 48. & omnia harum vrbiuum territoria, grauarentur nimis: ideo totaliter debuit ordinari, vt non tolleretur Israëlitis in quorum territorijs erant vrbes quid de territorijs ad colendum, si tamen accepissent simul Israëlitæ vrbes suas, manerent multa territoria inutilia, quæ coli nō possent ab Israëlitis, & Leuitæ non debebant illa colere: ergo efficeretur terra inutilis, & sylvestris. Quod patet, quia cum 48. vrbes, quæ pertinebant ad Leuitas, darentur eis simul, magna terrarum spatia inter has vrbes caperentur Israëlitæ autem, qui habitarent extra istas vrbes Leitarum, scilicet in sortibus propinquis, non possent colere ista territoria, quia licet possent loca propinqua colere, tamen non possent penetrare ad territoria, quæ essent in medio regionis harum ciuitatum, cum distarēt valde à locis exterioribus, in quibus morarentur ipsi Israëlitæ: ideo maneret valde magna pars terræ inculta, & nulli utilis, quin potius nocua, quia efficerentur ibi magnæ sylvae, & crescent bestiæ contra Israëlitas. Debuit ergo aliter fieri, vt non maneret aliqua terra spatio inculta, & inutilia, quod non poterat accidere nisi vrbes Israëlitarum essent diuisæ per totum Israel, ita quod in circuitu cuiuscunq; vrbi sacerdotalis, vel Leuiticæ essent aliquæ vrbes Israëlitarum, & tunc habitatores illarum vrbiuum possent colere territoria vrbi sacerdotalis, & sic nihil maneret in cultum nec inutile, & non admireretur aliqua terra Israëlitis, quam aliis colore potuisset. Apparet ergo quare nō debuerunt Leuitæ, & sacerdotes accipere omnes vrbes suas simul, sicut reliquæ tribus habebant, sed erant diffusæ inter tribus Israëlitarum.

Et reliquis filiorum Caath. Ita est secunda fors vrbiuum Leitarum, quæ fiebant per familias, & quia erant quatuor fuerū factæ sortes quatuor, ad hoc familia Caathitarū in duas partes diuisa est. Prima fuit sacerdotalis, cui supra assignatæ fuerunt ciuitates tredecim in una portione, nunc dicitur, quod reliquis filiorum Caath fuit data alia portio: isti erāt Caathitiæ, qui non veniebant de genere Aaron.

Pro quo sciendum, quod Leui habuit tres filios, scilicet Caath, Gerson, Merari: Exo. 6. &, quamquam quilibet sutorum habuisset multos filios, vt patet præallegato capitulo, & Num. 3. tamen non fuit cognatio alicuius horum diuisa, vt fierent ex ea due, vel tres familiæ, nisi familia Caathitarum, & causa fuit, quia omnes Gersonitæ fuerunt ejusdem dignitatis in ministrando, & omnes Meraritæ cōsimiliter. Caathitiæ autē non fuerunt omnes æquales, quia ex eis fuerunt quidam sacerdotes, quod pertinebat ad maiorem, & excellentiorem gradum, alij autem fuerunt inferioris gradus, & fuerunt diuisi isti per filios Caath: Nam Caath habuit filios quatuor, scilicet Amram, Isuar, Hebron, Oziel. Exo. 6. & Nm. 3.

de Am-

D

E

F

A de Amram nati sunt Aaron, & Moyses, filii Aaron pertinuerunt ad sacerdotium, & isti fecerunt vnam familiam. Filii autem Oziel, Hebron, & Isuar cum quadam parte Amrami tarum, scilicet cum filiis Moysi pertinuerunt ad familiā Caathitarum, & de istis dicitur hic, & sic exponitur hic in litera, scilicet.

Et reliquis filiorum Caath, id est Leuitis, qui superfuerant. Id est accipiendo totam familiam Caathitarum, si dematur ab ea ipsa familia sacerdotalis manebit quedam alia pars Caathitarum, & isti vocantur hic Leuitae reliqui, vel qui superfuerant de Caathitis.

De tribibus Ephraim, & Dan, & dimidia tribus Manasse ciuitates decem. Id est istis Caathitis residuis data est alia fors decem ciuitatū, & fuit hoc de tribibus his, scilicet Ephraim, & Dan, & dimidia Manasse. Iste enim tres tribus dederunt ciuitates decem pro Leuitis: nam filii Ephraim dederunt vrbes quatuor, filii Dan totidem, & filii fortis dimidia Manasse dederunt duas, vt patet infra in litera: iste autem sortes erant coniuncte, quia fors Ephraim, & dimidia tribus Manasse erat simul, ita vt ponarur idem terminus vtriusque sortis, vt patet supra 16. & 17. cap. fors autem Dan an coniungeretur his non patet, quia non ponuntur aliqui termini eius supra 16. sicut in alijs sortibus tribuum: tamē satis est verisimile, quod fors Dan fuerit ex aliqua parte coniuncta sorti Manasse, quę erat magis aquilonaris, quam fors Ephraim versus sortem Dan.

B Et cum dicitur hic dimidię tribus Manasse, intelligendū est de medietate illa, quę erat ad occidentalem partem Iordanis cum sorte Ephraim. Quod patet, quia ponuntur hic Ephraim, & Manasse simul, & tamen non erat Ephraim, nisi cum medietate Manasse, quę erat ad occidentalem partem Iordanis. Item patet magis, quia infra dicitur, quod de illa medietate sortis Manasse date sunt vrbes, quedam Gersonitis in Basan, sed Basan est regio quedam medietatis Manasse, quę erat ad orientalem plagam Iordanis: idem patet infra cum exprimuntur ciuitates iste nominatim.

Quare datae sunt plures vrbes sacerdotibus, quam Chaathitis.

Q V A E S T I O I X .

C **Q**VÆRET aliquis quare date fuerunt plures vrbes sacerdotibus, quam reliquias Caathitis, scilicet sacerdotibus tredecim, & Caathitis decem, cum Caathitae essent plures, quam sacerdotes.

Respondebit aliquis, quod plures erant sacerdotes reliquias Caathitis. In quo non potest dari certitudo, cum non habeatur numerus eorum, quando accepérunt hereditatem, à principio enim cum fuit facta numeratio in monte Synai, manifestum est Caathitas reliquias plures esse sacerdotibus, quia tunc solum erant tres sacerdotes, scilicet Aaron, & duo filii eius Eleazar, & Ithamar: nam duo alij, scilicet Nadab, & Abiu ante hoc combusti fuerant. De hoc Numer. 3. De reliquis autem Caathitis computando ab uno mense, & supra erant octo millia sexcenti, vt patet eo. c. computando autem ab anno 30. erant 2750. vt patet Nu. 4. cap. in secunda autem numeratione facta, anno 40. apud Iordanem cum Israelitae introierunt in terram Chanaan: non patet de qua familia essent plures, quia non ponitur summa eorū distincta, sed summa totius tribus Leui, vt patet Nume. 26. capitulo: satis tamen appareat, quod semper fuerint plures Caathitae, quia ipsi habebant multa capita: sacerdotes autem vnum, vt supra declaratum est. Etiam quando sacerdotes solum erant tres, erant de Caathitis reliquias 8600. ergo suberessent plures de Caathitis, quam de sacerdotibus, nec est in hoc dubitandum.

Dicendum ergo, quod vrbes sacerdotum erant minores, ideo fortassis tantum suffecissent vrbes decem Caathitarum, sicut vrbes 20. aut plures de vrbibus sacerdotum: nam vocatur hic vrbes omnia oppida murata, siue sint vrbes, siue viliae, vt nos appallamus, & siue sint magnae, siue paruae, & tunc continget vnam ciuitatem esse maiorem quatuor ciuitatibus, vel alias, & sic nihil obstat datas fuisse his decem, & alijs tredecim.

Aliquis forte respondebit aliter, sicut supra respondeba-

D mus de fortibus tribuum, quare alicui tribui magna multitudo dabatur pauciores vrbes, quam alteri tribui paruae multitudinis, scilicet quod erat magna regio inter paucas vrbes interdum, & multa rura, vel viculi ad habitandum, vel saltem loca multa ad constitendum loca habitationis, & ibi moraretur multitudo magna, quamquam esset paucitas vrbiū.

De Leuitis tamen non potest stare ista responsio, quia non recipiebant Leuitae viculos, & rura ad habitandum vel regiones, quę erant apud vrbes, sed solum ipsas vrbes cū suburbanis in circuitu vrbium pro pastu pecorum, ideo dicendum, vt immediate dictum fuit.

Pro filiis Gerson egressa est fors. Ista est tercia familia Leuitarū hic, & tamen semper alibi accipitur tanquam secunda, cum non diuidantur Caathitae in duas partes sicut diuiduntur hic. Isti Gersonitae erant in magna multitudine, vnde datae sunt eis vrbes 13. erat autem officium Gersonitarum, vt portarent pelles sanctuarij, & tentoria, scilicet omnia oportimenta, quę erant super tabernaculum, & omnia velamenta, quę erant in circuitu eius, & totius atrij, vt patet Numer. 3. capitulo. istis egressa est fors, quę sequitur, quia diuisis omnibus ciuitatibus Leuitarum in 4. partes, vna pars sorte prouenit Geronitis, sine sorte enim nihil dabatur Leuitis, sicut nec Iuda.

Vt acciperent de tribibus Issachar, & de Aser, & Nephthali dimidię tribu Manasse. Ponitur iste tres tribus, & dimidia, quia iste vrbes 13. datae Gersonitis fuerunt de his tribibus accepta: nam fors Nephthali dedit vrbes tres, fors Aser dedit quatuor, fors Issachar dedit totidem, dimidia autē fors Manasse dedit vrbes duas, quę sunt simul 13. de his omnibus infra in litera. Ista quoque sortes tribuum satis cōiuncte sunt: nam Aser, Issachar, & Nephthali coniunguntur in terra nouem tribuum, & dimidię à parte occidentali, Iordanis; dimidia autem fors Manasse coniungitur eis ex parte orientali, & est ad orientalem partem Iordanis: tamen terminus occidentalis terrae duarum tribuum, & dimidię est terminus orientalis terrae nouem tribuum, & dimidię, vt colligitur ex terminis, qui ponuntur Deuter. 3. & terminis, qui habentur Num. 34. cap.

Dimidię tribu Manasse in Basan. Ponitur determinatio ista, scilicet in Basan: non ad signandum, quod omnes ciuitates 13. quę hic ponuntur, essent in Basan, quia Basan est regio quedam in dimidia sorte Manasse, vt patet supra 13. cap. fed ponitur ad distinguendum de dimidia tribu Manasse: erat enim Manasse diuisus in duas medietates quarum quedam erat ad partem orientalem Iordanis, & ista erat in Basan: alia erat ad partem occidentalem, & ista erat coniuncta sorti Ephraim, de qua supra 16. & 17. c. & quia dubitaretur quę esset ista dimidia tribus Manasse, de qua suscepit ciuitates familia Gersonitarum, dictū est, quod erat dimidia tribus Manasse in Basan, id est, quę acceperat possessionem in Basan, scilicet ad partem orientalem Iordanis.

Ciuitates numero tredecim. Quod satis appetit computando infra quot vrbes dederit quilibet tribus harum.

Et filii Merari per cognationes suas. Ista est 4. familia Leuitarum, vt hic computatur, quamquā alibi vocatur semper tercia familia, cum non diuidantur Caathite. Et suscepunt isti sortem vnam, quę habebat ciuitates 12. & dicitur per cognationes suas, id est tota familia Meraritarum cum suis cognationibus specialibus, quę non sunt familiae accepit istam sortem 12. vrbium.

In quo sciendum, quod iste tres familiae Caathitarū Meraritarum Gersonitarum denominantur à tribus filiis Leui, & quia isti rursus habuerunt alios filios immediatos, ab istis denominantur alię speciales cognationes, vel populi, & tamen non vocantur communiter familiae sicut tres predictae familiae Leuitarum, licet aliquando vocentur sic. Habuit autem Gerson duos filios, scilicet Lobni, & Semei, & ab istis denominantur duo populi, scilicet populi Semeite, & Lobnitę, siue cognatio Lobnitica, & Semeitica. Merari habuit duos filios, scilicet Moholi, & Musi, & inde dicuntur duæ cognationes, vel familiae, scilicet Moholitica, & Musitica. Caath habuit 4. filios, scilicet Amram, Oziel, Hebron, Isuar, & ab his nominantur 4. familiae, scilicet populi Amramitarum, Ozielitarum, Issuaritarum, Hebronitarum, vt patet Nu. 3. ca.

A Istae autem divisiones speciales cuiuslibet familiæ vocantur cognationes hic, & quælibet familia cum omnibus suis cognationibus recipiebat sortem, quæ hic describitur, & sicut hic dictum est de filiis Merari, ita de Gersonitis, & Caathitis intelligendum est.

De tribubus Rubē, Gad, & Zabulon. De istis tribubus tribus datæ sunt vrbes 12. quæ habentur in sorte ista, quia quælibet harum tribuum dedit vrbes.

Sciendum, quod duæ harum tribuum, scilicet Ruben, & Gad erant ad partem orientalem Iordanis in terra duarum tribuum, & dimidiæ, Zabulon autem erat ad partem occidentalem Iordanis in terra nouem tribuum, & dimidiæ, & est, coniuncta fors Zabulon sorti Nephthali, sic patet Mat. 4. ca. scilicet quod Christus cepit prædicare in finibus Zabulon, & Nephthali apud mare Galilæa,

Vrbes duodecim. Quia cum essent tres tribus quælibet dedit vrbes 4. vt patet infra in litera.

Dederuntque filij Israel Leuitis ciuitates, & suburbana earum sicut præcepit Dominus per manum Moysi singulis sorte tribuentes. *De tribubus filiorum Iuda, & Simeon dedit Iosue ciuitates, quarum ista sunt nomina filij Aaron per familias Caath Leuitici generis (prima enim fors illis egressa est) Cariatharbe patris Enac, que vocatur Hebron in monte Iuda, & suburbana eius per circuitum. Agros vero, & villas eius dederat Caleb filio Iephone ad possidendum.*

Dedit ergo filij Aaron sacerdotis Hebron confugij ciuitatem, ac suburbana eius, & Lobnam cum suburbanis suis, & Iether, & Estermo, & Helon, & D. bir, & Ain, & Iera, & Bethsames cum suburbanis suis: ciuitatis nouem de tribubus, vt dictum est, duabus De tribu autem filiorum Beniamin Cabaon, & Gabae, & Anathoth, & Almon cum suburbanis suis: ciuitates quatuor. Omnes simul ciuitates filiorum Aaron sacerdotis tredecim cum suburbanis suis. Reliquis vero per familias filiorum Caath Leuitici generis hæc est data possessio. De tribu Ephraim vrbes confugij Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, & Gaser, & Iebam, & Bethoron cum suburbanis suis, ciuitates quatuor. De tribu quoque Dan Eltheco, & Gabathon, & Aialon, & Gethremmon cum suburbanis suis, ciuitates quatuor. Porro de dimidia tribu Manasse Tanach, & Gethremmon cum suburbanis suis, ciuitates dua: omnes ciuitates decem, & suburbana earum data sunt filij Caath inferioris gradus.

C *Affigunturque filij Israel. Hic potest incipere tertium huius capituli vel immediate infra cum dicitur.*

vrbiū exprefſio. *De tribubus filiorum Iuda.* Quia hic ponitur expressio vrbiū traditarum Leuitis nominatim, & potest poni iste paraphus tanquam epilogus præcedentium, vel tanquam exordium sequentium ad expressionem ciuitatum in speciali.

Dederunt filij Israel. scilicet omnes 12. tribus, quæ vocantur filij Israel, vt comparantur ad Leuitas, qui non vocantur ita proprie filij Israel. *Leuitis.* Distinctis ab eis secundum officia, vt supra declaratum est. *Leuitis.* scilicet toti tribui Leui, siue Leuitis, siue sacerdotibus. Accipitur Leuita tripliciter, scilicet prout dicit genus, vel vt dicit ministracionem, vel gradū. Primo modo omnes tamen sacerdotes, quam inferiores sacerdotibus vocantur Leuitæ, & sic accipiuntur hic. Alio modo Leuitæ dicunt gradum, vel ministracionem, & sic solum vocantur Leuitæ, qui descendunt à Leui, & non sunt sacerdotes. Aaronitæ vocantur sacerdotes vnicō modo horum, scilicet primo. Meraritæ autem, Gersonitæ, & reliqui Caathitæ duplī citer Leuitæ vocantur.

Vrbes, & suburbana sicut præceperat dominus Moysi. Ista duo solū erant suscepturi Leuitæ, scilicet vrbes, & suburbana earum in circuitu, vt patet Num. 35. c. ponitur sicut præceperat dominus ad signandum formam mandati, scilicet quod eo modo quod Deus iusserat compleuerunt Israelitæ, scilicet ipse dixerat, quod darentur vrbes cum suburbanis, & ita factum est.

D *Singulis sorte tribuentes.* Id est Israelitæ cum dederant istas vrbes non dederūt eas per solum arbitrium, sed sorte diuisio facta est, intelligendo sortem non positam inter Leuitas, & Israelitas, sed inter ipsosmet Leuitas, vt supra declaratū est. Ante tamen, quam ponerentur sortes fuerū facta alia per arbitrium ipsorum diuisorum Israelitarum, de quibus supra declaratum est.

De tribubus Iuda, & Simeon. Hic exprimuntur vrbes nominatim, scilicet quot dederit quælibet tribus, & quæ fuerint, & primo ponitur de sorte Iuda, scilicet de Iuda, & Simeon. Sciendum autem, quod non ponuntur hic Simeon, & Iudas simul sicut prius, quia prius ponebantur Iudas, Simeon, & Benjamin: hic autem non ponitur Benjamin, sed infra ponitur per se. Item patet, quia supra describabantur simul tribus, de quibus accipiebantur vrbes ad vnam sortē Leuitarū, & quia Iudas Simeon Benjamin dederunt vrbes pro vna sorte, scilicet pro sorte sacerdotali posita fuerunt simul, hic autem non coniunguntur vrbes, sed quælibet per se ponitur ad sciendum quod, & quas vrbes qualibet tribus dederit, vt patet infra: Iudas tamen, & Simeon coniunguntur, quia non sunt, vt multæ sortes, sed vt vna: nam prima fuit vna fors, deinde terra illius fuit diuisa, & quædam particula illius segregata est, vt sit fors Simeonis, vt supra 15. & 18. declaratum est: vnde non distinguitur, quæ istarum vrbiū h̄c nominatarū fuerit de sorte Iuda, & quæ de sorte Simeonis.

E *Dedit Iosue ciuitates.* Ipse dicitur dedisse, quia princeps erat, & omnia ei ascribuntur: tamen non dedit ipse solus, quia etiam alij dederunt, qui erant diufores terra. *Quarum ista sunt nomina.* scilicet nomina 13. ciuitatum, quæ infra describūtur.

Filijs Aaron per familias Caath. Id est ista vrbes fuerunt datæ filiis Aaron, qui erat in vna familiarum Caath, quæ est familia Leuitici generis, & dicitur hoc, quia familia Caath est vniuersa familia, quantum ad caput ipsius familie, scilicet Caath, qui erat vnicus vir, sicut Gerson, & Merari, qui singulas solū familias faciunt: fuerunt tamen in Caath duæ familiæ, quia erant ibi diuersa officia, & excellentia, vt supra declaratum est. Prima harum familiarum fuit filiorum Aaron.

Leuitici generis. Id est familiae Caath sunt in genere Leuitarum, quia Caath fuit filius Leui, ideo omnes filij eius pertinuerunt ad genus Leuiticum.

Prima fors est illis egressa Cariatharbe. Id est prima fors inter omnes sortes Leuitarum fuit fors sacerdotum, & ista fuit Cariatharbe, id est ciuitas ista cum alijs, quæ infra habentur. Vel dicitur prima fors Cariatharbe, id est prima vrbs, quæ fuit in sorte sacerdotali fuit Cariatharbe. Nam non fuit ista ciuitas per se vna fors, dicitur fors egressa, quia cum fuerunt per diufores distinctæ 4. portiones ciuitatum proportionabiles ipsiis 4. familiis Leitarū, positæ fuerunt sortes, scilicet quatuor secundulæ fuerunt positæ in quadam inuolucro designatæ illas 4. portiones, & quælibet familia Leitarum misit manum, & secunda extracta denotabat partem possessionis, quam habitura erat illa familia. Inter omnes autem primo familia sacerdotum manum misit ad inuolucrum eduxitq; sortem, ideo illi prima fors egressa est. Dicitur autem egressa, quia sortes prius latebant in inuolucro, & cum familia aliqua mittens manum educebat sortem, dicebatur fors illa egredi.

Cariatharbe patris Enac. Id est ciuitas vna sortis primæ quæ fuit fors sacerdotum fuit Cariatharbe, id est Hebron. Vocabatur Hebron tribus nominibus, scilicet Hebron Cariatharbe, & Mambre. De primo, & secundo patet hic, & supra 14. de Mambre patet Gene. 23. & 49. c. Ista litera potest intelligi dupliciter. Vno modo, quod Cariatharbe non sit vna dictio, sed duæ, scilicet Cariath, & Arbe. Eritque Cariath nominatius, & Arbe erit genitius, & tunc Cariath est nomen commune signans ciuitatem, Arbe autem est nomen proprium viri cuiusdam, qui erat pater Enac. Et tunc est sensus, quod in sorte ista fuit vna vrbs, quæ est ciuitas Arbe, qui est pater Enac: sicut dicimus ciuitatem Rhoderici. Et hoc modo non ponitur nomen vrbiū huius, sed signatur cuius fuerit. Alio modo potest accipi Cariatharbe, vt sit vna dictio, & est nomen proprium vrbiū, & tunc est sensus, quod in sorte sacerdotum fuit ciuitas vna, quæ vocabatur Cariatharbe, & ista erat patris Enac, id est erat eiusdem viri, qui erat pater Enac. Vterque sensus satis stat secundum literam Hebraicam, sed litera

Prima
Leuiti-
ca fors

F

A litera nostra magis sequitur sensum secundum cum ponat Cariatharbe tanquam vnum nomen. Si autem poneretur in primo sensu, staret Cariath tanquam nomen appellatum, & tunc non poneretur in litera Hebraica Cariath, sed in Latino, dicereturque ciuitas Arbe patris Enac, secundum ergo sensum voluit.

Patris Enac. In quocunque sensu accipiatur ista litera semper ista vrbs dicitur esse patris Enac, sed in primo sensu ponitur nomen huius, scilicet quod vocetur Arbe: in secundo autem non ponitur nomen eius. Etiam dubium est quid sit esse patrem Enac.

Notandum de Enach, qd accipitur dupliciter. Et sciendum, quod Enac quod in Hebræo vocatur Hanath potest dupliciter accipi, scilicet vel prout est nomen proprium, vel vt est appellatum: signat enim Enac gigantem, & Enacim gigantes appellamus: sic patet supra 11. scilicet in tempore illo venit Iosue, & deleuit Enacim de montanis Hebron, Anab, & Dabir, id est deleuit gigantes, sic accipitur Deut. 3. scilicet ita vt de stirpe Enacim esse videretur, & supra 14. Da mihi montem istum, in quo sunt Enacim vrbes multæ atque muratae. Alio modo accipitur, vt nomen proprium viri: Iudæi autem volunt, quod sit nomen viri, & cōsciunt 5. gigantes, scilicet Arbe, vel Arba, qui fuit dominus in ciuitate Hebron, à quo vocatur vrbs Cariatharbe, id est ciuitas Arbe: filius huius fuit Enac, & iste etiam fuit gigas: filii autem Enac fuerunt tres, scilicet Tholmai, Sisai, Haima, Num. 13. & sup. 15. & Iud. 1. ifti 5. gigantes pertinebant ad vrbe Hebron. Alio modo potest accipi, quod sit Arbe pater Enac, id est gigantis, vt accipiatur tanquam nomen appellatum, & tunc erit sensus, quod gigantes vrbis Hebron coperunt ab isto Arbe, qui fuit dominus ciuitatis, vel forte cōditor, & hoc modo non debet dici, quod tres gigantes vrbris Hebron sint filii Enac, ita quod Enac sit vir filius Arbe, sed sunt filii Enac, id est de filiis gigantium. Vt que sensus satis stat.

Que vocatur Hebron. Non est nomen primum vrbis huius Cariatharbe, sed Hebron. Etiam magis visitatum est Hebrœ, ideo fuit expositum Cariatharbe per Hebron. Vel forte non est Cariatharbe nomen proprium, sed connotatio quædam ad signandum cuius esset ista vrbs, scilicet quod esset vrbs Arbe, ideo ponitur nomen proprium, scilicet quod vocatur Hebron.

In monte Iuda. Id est ista ciuitas est in terra montana Iudeæ: est enim quædam terra montana in forte Iudeæ, in qua sunt multæ vrbes, & ponuntur ibi Hebron, Dabir, & Anab, vt patet supra 11. scilicet deleuit Iosue Enacim de montanis Hebron, Dabir, & Anab, & de omni monte Iudeæ, & Israel. Etiam supra 15. cum ponuntur plures summulæ ciuitatum ponitur vna summula ciuitatum, quæ in monte sunt.

Et suburbana eius per circuitum. Id est data fuit sacerdotibus ipsa vrbs Hebron, scilicet corpus ciuitatis, & suburbana per circuitum, quæ erant per spatium duorum millium passuum & omnem partem, vt patet Num. 35. Erant autem ista suburbana ad alenda pecora, vt patet supra in litera, & sup. 14. c. & dicitur per circuitum, ad signandum, quod ista suburbana non multum extenduntur ab vrbe ad comprehendendum totum territorium vrbi, sed per determinatum spatium scilicet duorum millium passuum. *Agros vero, & villas dedit Caleb.* id est agros vrbis Hebron, dedit Iosue Caleb.

An Hebron fuisset possessa à Caleb priusquam daretur Leuitis, & quomodo diuisa fuerit.

Q V E S T I O X.

NON est sensus, quod nūc nouiter dederit Iosue vrbum Hebron Caleb, sed à principio cum petierunt possessionem filii Iudeæ, vt patet supra 14. ca. & tunc non est intelligendum, quod acceperit Caleb agros, & villas vrbis Hebron solum, nam totam vrbum accepit, sed postea cum omnes tribus accepissent hæreditatem accidit, vt diuisores separarent in forte Iudeæ hanc vrbum pro sacerdotibus, & tunc, quia sacerdotes solum suscipiebant corpus ciuitatis cum suburbani, necesse erat, vt manerent agri, & villa, ceterumque territori illis, in cuius sorte erat illa vrbs, sed pertinebat ad Caleb vrbs ista, quia ei collata fuerat, ideo necesse erat, vt totū, quod non proueniebat sacerdotibus, cederet in ius eius. Sed

arguet aliquis, quod à principio non suscepit Caleb de vrbe Hebron nisi agros, & villas, urbem autem, & suburbana nequaquam, quia dicitur quod agros, & villas Hebron dederat Iosue ad possidendum Caleb: ergo antequam daretur sacerdotibus vrbs Hebron erant dati Iosue soli agri, & rura, siue villa. Respondendum est, quod vrbs Hebron fuerit data Caleb antequam daretur sacerdotibus, vt patet supra 14. Nā nulla fuit vrbs, quæ daretur Leuitis, quæ prius non pertinuerit ad aliquam sortem Israelitarum, & fuerit in dominio eorum: nam omnes vrbes eorum fuerunt datae ab Israelitis, & non acceperūt ipsi per se aliquas sortes, sicut aliæ tribus, fuit autem ista vrbs primo data Caleb, ergo tota ei data est, scilicet tam vrbs, quam suburbanæ, & quæ agri, & villa. Nisi forte quis dicat, quod agri soli, & villa Hebron fuerunt collati Caleb, vrbs autem cum suburbanis fuerit alteri collata. Sed non est verum, quia satis apparet supra 14. quod ipse petierit totam urbem Hebron, & tota ei data fuerit. Nisi dicatur, qd à principio ipsa vrbs Hebron cum suburbanis suis fuerit seiuæta pro sacerdotibus, vel Leuitis, & ob hoc soli agri, & villa dati fuerint Caleb. Sed non stat, quia cum Caleb petijt istam urbem, nesciebat an aliquando pertinere debebat ad sacerdotes, vel non, donec data tota terra in possessionem Israelitarum, petierunt sacerdotes, & Leuitæ dari sibi vrbes, & de singulis tribubus aliquæ vrbes seiuæta sunt, sed quamquæ quando Caleb petijt dari sibi Hebron constitisset dandam esse Hebron sacerdotibus, vel si immediate daretur, non darentur soli agri ipsi Caleb, sed etiæ vrbs cum suburbanis suis: alioquin maneret aliqua pars terræ, quæ non fuisset data aliqui de Israelitis, sed solis sacerdotibus daretur, quod nō stat, quia tunc non fuisset tota terra diuisa inter tribus Israelitarum, quod falsum est, quia supra 19. dicitur, quod tota terra diuisa fuit per tribus. Item sequeretur falsum, scilicet Leuitæ accepissent aliquam sortem, quia cum daretur aliqua portio terræ sacerdotibus, quæ nulli alteri data fuisset, illam nō haberent sacerdotes ab alio, sed per seipsos: sicut quælibet tribus per seipsam accipiebat aliquam portionem terre, quæ nō erat collata alicui alteri. Sed falsum est, quia sacerdotes, & Leuitæ nullam sortem habituri erant inter reliquos Israelitas, vt patet Num. 18. c. ergo non poterant accipere aliquam urbem, quæ nullius de Israelitis fuisset prius. Item nō stat, quia Israelitæ erant daturi 48. vrbes Leuitis, vt paret Num. 35. c. & nullas alias accepturi erant, ergo non habebant aliquam urbem iure suo, sed omnes ex collatione aliorum. Si tamen urbem Hebron accepissent, ita quod ista non fuisset primo data alicui de Israelitis, haberent per se aliquam urbem, & non acciperent omnes 48. vrbes ab Israelitis: ergo necesse est, quod vrbs Hebron à principio tota fuisset data Caleb.

Cum autem dicitur hic agros autem, & villas dederat Iosue ad possidendum Caleb, potest intelligi dupliciter. Vno modo potest accipi hoc verbum dederat, improprie, id est dedit, & tunc est sensus, quod quando datæ sunt vrbes sacerdotibus, dedit Iosue urbem Hebron illis, & tunc dedit Caleb agros, & villas, id est dimisit ei ad possidendum, cum antea non solum hæc haberet sed totam vrbe, & suburbanæ, & territorium. Alter potest accipi dederat proprie, scilicet quod Iosue dederat Caleb ad possidendum agros, & villas Hebrœ, id est à principio dederat ei agros, & villas Hebron, & non solum hæc, sed etiam totam urbem: nominavit tamen hæc, quia ista solum ad extremum relicta sunt.

Agros & villas. Hic accipiuntur large agri, scilicet pro terris, quæ coluntur, siue sint vineæ, siue ad segetem, vel arborem.

Alio modo accipiuntur agri pro solis terris, quæ excoluntur ad segetes, & hoc modo accipiuntur agri distincti contra vineas, vt patet Nu. 20. scilicet non ibimus per agros nec per vineas, hic autem necesse est accipi agros generaliter, quia aliis solum acciperet Caleb agros, qui erant ad seminandum. Sed falsum est, quia sic manerent Leuitis vineæ ciuitatum ipsarum, quas acciperent, vel manerent sine domino, quorū vtrunque falsum est: nam Leuitis non licebat accipere quidquam nisi suburbana ad alenda pecora, vt patet hic, & Num. 55. etiam de terra non maneret aliquid, quod nulli accipere licet, quia iste esset peruersissimus ordo, ideo tam agri, quæ vineæ intelliguntur nomine agrorum.

A

An isti agri Hebron, quos suscepit Caleb essent agri in suburbanis, & extra, vel solum illi qui erant extra suburbana.

Q V A E S T I O XI.

VAERET aliquis de ipsis agris, qui sint, scilicet an soli agris, qui essent extra suburbana, vel qui erant etiam in suburbanis. Aliquis dicet, quod intelligitur tam de illis, qui sunt intra suburbana, quam de illis, qui extra, nam si de solis agris, qui extra suburbana essent, intelligerentur, nihil vide-retur hic clausula addere, quia ibi manifestum erat, quod pertinenter agri ad illos in quorum forte essent tales vrbes, & non solum agri, sed etiam sylae, & fontes, atque montana, ceteraque territoria, etiam si non possent intelligi nomine agro-rum. Si autem dicatur de agris, qui intra suburbana essent infra intra duo millia passuum ex utraque parte, quod pertinenter ad Caleb, vel ad viros de tribu illa, in qua erant tales vrbes, esset sensus, quod omnes vineae, & agri constituti intra spatium ipsorum suburbanorum pertinenter ad Caleb, & loca pascualia illorum suburbanorum pertinebant ad sacer-dotes, & ibi alerentur pecora eorum, & iumenta.

Sed non stat iste sensus, quia hoc modo aliquando nihil relinqueretur sacerdotibus, & Leuitis de spatio suburbanis illis ad pastum pecorum, quia multae vrbes sunt, quae tota illa spatia, aut vineis, aut agris, vel arboribus plena habent: potissimum cum ista spatia computentur ab exitu de vrbe usq; ad duo millia passuum ab ipsa vrbe ex omni parte.

Ideo dicendum, quod intra spatia suburbanorum, que erant duorum millium passuum nihil accipiebant Israelite de agris, vel vineis in ciuitatibus sacerdotum, & Leuitarum, sed cedebant in ius sacerdotum, & Leitarum: non quidem ad colendum, sed ad pascendum ibi pecora faciendo loca pascualia, & vt loca vinearum, & arborum non vastarentur redacta in loca herbosa ad pastum: Israelite scientes, quod Leuitae, & sacerdotes solum egebant territorios ad pastum pecorum, eligebant de omnibus tribubus suis vrbes magis pa-suales, & magis carentes vineis, & arboribus, vt sic utrisque fieret aequalius: minusque grauarentur Israelite datus talia loca, quam si darent loca abundantia vineis, & arboribus, quibus ipsi maxime indigebant.

Cum autem arguitur, quod ista clausula sit superflua, scilicet quod agros, & vineas haberet Caleb, quia de illis manifestum erat.

Respondendum est, quod quaedam ponuntur in sacra Scriptura, sicut in alijs scientificis sermonibus, que licet interdum non sint ad necessitatem eorum, que dicuntur, quia aliunde colligi posunt: tamē sunt ad maiorem explanatio-nem, & ob hoc non vocatur superflua: sic est hic, nam fatis apparebat, quod cum Leuitis darentur suburbana determinatae quantitatis, scilicet duorum millium passuum, & non amplius, quod reliqua terra manebat ipsis viris, in cuius tribu erat ciuitas sacerdotalis, vel Leuitica: apposuit tamē scriptura ad magis notificandum, quid erat, quod manebat Caleb de vrbe Hebron. Nam cum nunc daretur vrbis Hebron sacerdotibus, & prius fuisse data Caleb, supra 14. videretur esse inanis prima donatio, ideo declaratur, quod non sit inanis, quia aliquid inde acquisitum est, scilicet quod haberet vil-las Hebron, & agros, & vocantur agri omnia loca ad colendum, siue vineae, siue arbusla, siue loca segetum, & ita erat extra spatia suburbanorum. *Et villæ.* Sunt villa rura, vel quæcumque loca parua non murata: nam omnis locus muratus vrbis vocatur in sacra Scriptura, & ista vocantur aliquando villa, & villulae vici, & viculi, vt patet sup. 15. & 19. c. & ista posedit Caleb: habitabatque in eis ipse, & cognatio eius: poterantq; in territorio illo sibi relicto nouas insituere sedes fabrican-do murata loca, & pertinenter semper ad eum, & stirpem suam. *Caleb filio Iephonne.* Pater huius vocabatur Iephonne, & ponitur ad differentiam, quia alij vocantur Caleb in Scriptura, sicut Caleb filius Esron 1. Par. 2. *Ad postidendum.* Id est de-dit eis territorium, & loca, que erant in territorio vrbis extra suburbana, vt essent in possessionem suam, & filiorum suorum usque in æternum.

Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis. Hic ponitur repetitio eius-

dem: incepserat enim ponere, que vrbes prouenerant in sor-tem sacerdotum, & posuit primâ Hebron, & quia de ea ali-quit enarrando intercederat enumerationem aliarum con-tinuat, credit ad computandum eam rursus cum alijs. Et di-citur de filiis Aaron sacerdotis, vt distinguantur ab omnibus alijs Leuitis, quia isti pertinet ad unam fortē, que vocatur sacerdotalis, & huic primo assignata est possessio, quia illis prima pars egressa est, vt patet supra, & sunt vrbes fortis eius illæ, que ponuntur infra. *Hebron confugij ciuitatum.* Id est pri-ma vrbis, que data est Leuitis fuit Hebron, que est vrbis con-fugij. Non est sensus, quod Hebron primo esset vrbis con-fugij, id est vrbis fugitiuorum, quam daretur sacerdotibus, sed è contrario primo data est sacerdotibus, & post assignata fuit in vrbem confugij, quia iussit Deus, quod darentur sacerdotibus, & Leuitis ciuitates 48. & de his segregarentur sex, vt essent vrbes fugitiuorum, vt patet Num. 35. c. ergo pri-mo erant dande vrbes sacerdotibus, quam essent vrbes fugi-tiuorum, & sic fuit de Hebron, quia tamen ista scripta fue-runt postquam Hebron erat ciuitas sacerdotum, & erat ci-uitas fugitiuorum, potuit primo scribi de ipsa, quod esset vrbis confugij, quam scriberetur, quod data fuisse sacerdotibus. Quod autem esset de ciuitatibus refugij, patet prececd. c. Quæ autem essent priuilegia vrbium fugitiuorum, patet prececd. cap. & ibi declaratum est.

Ac suburbana eius. Id est non solum data fuit ciuitas ista sacerdotibus, sed etiā suburbana illius, que sunt spatia in cir-citu ciuitatis ad omnem partem habentia magnitudinem duorum millium cubitorum vt patet Numer. 35. & sic de o-mnibus vrbibus, que datae sunt Leuitis, & sacerdotibus. Ad quid autem essent ista suburbana supra dictum est in principio.

Lobnam cum suburbanis suis. Ista ciuitas aliquando vocatur Lebna, & aliquando Lobna. Est autem de forte Iudæ, vt patet supra 15. Contra istam ciuitatem pugnauit Iosue à prin-cipio, post vrbem Macea, vt cepit eam cum rege suo, vt patet supra 11. De ista fuit unus de regibus, quos occidit Iosue, vt patet supra 12.

Et Iether. Aliquæ bibliæ habent Iether, & istæ videntur esse veriores, quia magis consonant dictioni Hebraicæ, que habetur hic, & vocatur Iathir. Ista vrbis est, que habetur supra 15. & vocatur Iether. *Et Esthemio.* Ista est alia ciuitas Iudæ supra 15. & vocatur in Hebreo Istemcha. *Et Helon.* Ista quoque est ciuitas Iudæ, que erat in montanis Iudæ, vt patet supra 15.

Et Dabir. Ista ciuitas, & Helon sunt coniunctæ, vt patet supra 15. & sunt ambæ in montanis. Erant autem gigantes in vrbe Dabir, vt patet supra 11. scilicet quod Iosue expulit gi-gantes de montanis Hebron, & Dabir: fuit autem de vrbe hac quidam de regibus occisis tempore Iosue, vt patet supra 12. de ista vrbe an capta fuerit viuente Iosue, vel post mortem illius declaratum vt supra 11. istam vrbem inuasit Caleb, sed percusit, & cepit Othoniel frater Iosue, & ob hoc accepit in uxorem filiam Caleb Axam, vt patet supra 15. & Iud. 1. capit. *Et Ain.* Ista vrbis ponitur supra 15. & est in eadem regione cum prececdentibus ciuitatibus.

Et Ieta. Aliqui existimant Ieta, & Iether, de qua supra 15. esse idem. Sed falsum est, vt patet ex litera Hebraica, que fa-cit magnam differentiam in his, sed ista est eadem ciuitas cu-illa, que vocatur Iephta supra 15. licet nostri non obseruant modum literarum, & faciunt eas videri diuersas vrbes, ta-men in Hebreo eodem modo scribitur ista ciuitas, sicut illa: *Et Bethsames.* Ista est in latere aquilonari fortis Iudæ circa par-tem occidentalem, vt patet supra 15. est autem alia Bethsa-mes in forte Issachar supra 19. sed hic accipitur in tribu Iuda. Alia ciuitas est, que vocatur Hirfames, id est ciuitas solis, & est in forte Dan, vt patet supra 19. cap. *Cum suburbanis suis.* Id est cum qualibet harum vrbium data sunt sub vrbana, scil. spatia illa duorum millium passuum, nec plus de suburbanis dabatur in magnis vrbibus, quam in paruis, quia non pote-rat dari regula de magnitudine, quorumlibet locorum, ideo ne fraus fieret dando minora suburbana, quam conueniens erat data est aequalitas omnium suburbanorum. *Ciuitates nouem de tribubus,* vt dictum est duabus. Id est istæ ciuitates nouem, que computantur hic sunt in duabus tribubus datae, scilicet de tribu Iudæ, & Simeon.

D

E

F

Sed

A

Sed dicet aliquis, quod nulla harum ciuitatum erat de tribu Simeon, sed omnes de tribu Iudea. Dicit aliquis, quod ciuitas, quae vocatur hic Ain est in forte Simeon, & vocatur Ain. Sed non videtur esse eadem, quia non sunt eadem literae vtriusque in Hebreo. Sed dicendum, quod ista ciuitas hyn de tribu Simeon, & est illa, quae vocatur Asem sup. 18. ca. Quod patet, quia omnes vrbes sacerdotum, quae ponuntur hic habentur i. Paralip. 6. & ibi ponitur Asam, vbi ponitur hic hyn. Ponuntur autem iste due tribus simul quasi essent vna tribus, & de eis dantur ciuitates, quasi de vna, quia primo fuit ista vna sors cum data est tota terra haec tribui Iudea, & postea decisio est portio quedam eius ad faciendum sortem Simeon, de quo sup. 19. c. De tribu filiorum Beniamin. De ista tribu fuerunt etiam datae vrbes sacerdotibus, sicut etiam de duabus precedentibus, quia erant coniuncte iste tribus.

Gabaon
quid.

Gabaon. Ista ciuitas fuit, que confederata fuit Israelitis in dolo, vt patet supra 9. capitulo & alię tres ciuitates coniuncte. Fuit autem ciuitas ista data in sortem Beniamin, vt patet supra 18. de Gabaonitis autem, quos non occiderunt Israelites propter confoederationem an manserint in vrbibus his, scilicet Gabaon, & reliquis, vel an transierint ad alia loca, aut morarentur semper in loco sanctuarij, declaratum fuit supra 9. ca. Gabee. Alia ciuitas est ista à Gabaon, & sic ponuntur hic tanquam duæ, & supra 18. in forte Beniamin.

B

Et Anatoth. Aliqui scribunt hic Amathoth, sed errant, ista est ciuitas sacerdotalis in forte Beniamin, & non ponitur in forte hac supra 18. ideo dicendum, quod aliqua vrbes pertinebant ad sortem Beniamin, quae non expressè fuerunt, nec nominatae supra 18. vel, quod aliqua vrbes ibi positae habent multa nomina, sicut Hebron, quae vocatur Hebron, Cariatharbe, & Mambre, vt supra declaratum est, & ista aliquando appellantur per vnum nomen, & aliquando per alterum, & istud magis conuenit, vt declaratum fuit supra 19. capitulo: sic ergo Anatoth est vna de vrbibus positis supra 18. capitul. quia tamen habet multa nomina, appellatur ibi quodam alio nomine. De ista vrbe Anatoth fuit Ieremias propheta: vnde dixit ei Anamehel propinquus suus, quod emeret agrum, quid erat in Anatoth, & Ieremias intelligens hoc esse verbum domini, emit agrum, vt patet Ierem. 32. capit. & Iere. 1. est autem Anatoth quedam ciuitas parua rusticana: habitatoresque eius velut rusticani viri, & imperiti sermone erant, quod ostendit Hieronymus in prologo super Ieremiā, cum dicit: Ieremias apud Hebreos Isaia, & Osee, & quibusdam alijs prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est, quippe qui eodem spiritu prophetauerit: porro simplicitas eloquij de loco, in quo natus est, ei accidit fuit enim Anatothites, qui est vsq; hodie tribus à Ierosolymis tribus milliaribus distans, vocatur tamen Anatoth vrbis, quia erat murata, licet parua, & rustica esset. Erat autem de stirpe sacerdotum Ieremias habitans in hac vrbe, vt patet Iere. 1. distat porro à Ierusalem Anatoth tribus milliaribus, quia est in Ierusalē in forte Beniamin, scilicet in extremitate eius. Latere meridiano, & apud eā transit latus fortis Iudea, vt patet sup. 15. & versus aquilonem est Anatoth distans tribus millibus.

Almon
quid.

Et Almon. Ista est alia ciuitas in forte Beniamin, & etiā ista non nominatur supra 18. inter vrbes fortis Beniamin. Sed dicendum, quod habet ista vrbis multa nomina, sicut diximus de Anatoth, & multis alijs, & sub uno nomine ponuntur hic, & sub alio ponitur supra 19. capitulo: ista ciuitas vocatur Alamath. i. Paralipo. 6. Cum suburbanis suis ciuitates quatuor. Id est ista 4. ciuitates supra nominatae, & suburbana sua fuerunt traditae sacerdotibus. Suburbana accipiuntur vt supra dictum est.

Omnis ciuitates filiorū Aaron sacerdotis. Iste est epilogus prædictorum, scilicet quod ciuitates omnes datae sacerdotibus filiis Aaron fuerunt 13. & suburbana omnium: nam tribus Iudea, & Simeon dederunt nouem, & tribus Beniamin 4. Reliquis vero. Hic ponuntur ciuitates secundæ fortis Leuitarum: prima enim fors erat sacerdotum, quae posita est: secunda est aliorum Caathitarum, qui non sunt sacerdotes, & istis assignatur hic ciuitates decem, & dicitur reliquis filiorū Caath, quia de familia Caathitarum iam fuerat assumpta quedam pars, scilicet sacerdotalis: manebat autem pars alia, & ista erat minorum Leuitarum.

Reliquis vero per familias Caath Leuitarum generis. Id est alijs, qui

restabat de genere Leuitico in familia Caath. Dixit autem familias Caath. Quod duplice intelligi potest. Vno modo, quod familia Caath, quae vnitatem ab vnitate capitum, dicatur diuisa in familias, quia erat in ea homines inæqualis gradus, scilicet sacerdotes, & Leuitæ minores: sacerdotes autem faciunt vnam familiam, quibus data est præcedens portio. Leuitæ Caathitæ erant familia secunda, quibus assignatur portio, quae habetur hic, & tunc est sensus: reliquis, id est alijs Caathitis manentibus, qui non comprehenduntur nomine sacerdotum.

Per familias Caath. Id est, qui sunt distincti à sacerdotibus, qui supra ponebantur per familias Caath, id est secundum distinctionem familiarum, quae assignantur in Caathitis. Alio modo potest intelligi, quod familiæ referantur ad ipsam congregationem Leuitarum minorum de Caathitis: nam adhuc isti videntur inter se habere familias, quae sunt minoris cognationes. Erant enim quatuor filii Caath, scilicet Amram Oziel Hebron, Isuar. Ab Amram deriuati sunt sacerdotes per Aaron filium eius, & quedam pars Leitarum per Moyse: erat enim Moyses Amramita: filii tamen sui non fuerunt computati inter sacerdotes, sed inter Leuitas minoris, vt patet i. Paralipom. 23. cum dicitur: Moysi quoque hominis Dei filij an numerati sunt in tribu Leui, id est computati sunt solum inter Leuitas. Manent autem tria alia capita, scilicet Oziel, Hebron, Isuar, à quibus denominantur tres familiæ Leitarum, vel populi, scilicet Ozielite, Hebronite, Iessuare, qui non vocantur communiter familiæ, sed vna familia: aliquando tamen vocantur familiæ distinctæ, & sic accipitur Num. 3. & sic accipitur hic, scilicet quod reliquis filiis Caath, scilicet qui non erant sacerdotes per familias Caath, id est distincti per familias Caathitarum, scilicet Hebronitarum, Ozielite, Iessuare, data est possessio, quae sequitur. Et iste est sensus, quem facit litera, scilicet quod omnibus illis familiis simul non fuit data alia possessio, nisi ista, quae habetur infra.

De tribu Ephraim. Iste Leuitæ minores Caathitæ habuerunt sortem suā in tribibus tribus, scilicet in Ephraim, Manasse, & Dan: prima est tribus Ephraim, quae magis appropinquat sorti superiori sacerdotum.

Vrbis configij Sichem. Id est data est Sichem, quae est vrbis fugitiorum, vt patet præced. c. Intelligendum est, vt supra, scilicet quod non fuit primo Sichem vrbis configij, quam daretur Caathitis, magis è contrario, quia non fuerunt datae ciuitates pro fugitiis, nisi postquam datae sunt vrbes Leuitis, & inde sequestratæ fuerunt sex, vt patet Num. 35. cap. Ista vrbis Sichem non fuit posita in sortibus, quia determinate pertinebat ad filios Ioseph cum Jacob dedisset partem vnam Iosephi extra fratres suos, scilicet Sichem. De hoc Gen. 48. c. & in agro vrbis huius sepulta sunt ossa Ioseph translata in Ægypto infra 24. c. Cum suburbanis suis. Id est cum partibus adhærentibus vrbis usque ad passus duo millia, quibus extendebantur suburbana. In monte Ephraim. Id est ista ciuitas Sichem est in monte Ephraim, id est in forte Ephraim, quae est montuosa. Non accipitur hoc pro aliqua parte montuosa sortis Ephraim, quia vbi cunque agatur de locis existentibus in forte Ephraim dicitur montem Ephraim, immo quando tota fors nominatur dicitur mons Ephraim, sicut patet sup. 17. vbi dicit ad omnes filios Ioseph, scilicet ad Ephraim, & Manasse: succide spatia, quia angusta est tibi possessio mōtis Ephraim, sic etiam vocatur mons Ephraim præced. c. & supra in litera, 1. Reg. 1. & fere vbi cunque ponitur.

Gazer. Ista est alia ciuitas in forte Ephraim, vt patet supra 16. & ista fuit semper detenta à Chananæis usque ad tempus Salomonis: tunc enim ascendit rr̄x Ægypti Pharaon, pugnasse que deleuit Chananæum habitatorem Gazer, deditque urbem in dotem filiae suæ, quae erat vxor Salomonis, vt patet 3. Regum 9. cap. Et Celsan. Ista vrbis vocatur Maan i. Paralipom. 6. c. & hoc, quia ciuitates sunt interdum habentes multa nomina.

Et Bethoron. Ista est alia ciuitas in forte Ephraim, de qua supra 16. c. & ponitur duplex Bethoron, scilicet superior, & Bethoron inferior, vt patet eod. c. Sed dicendum, quod hic intelligatur de Bethoron inferiori id est magis declinante ad meridiem: est enim in latere meridiano sortis Ephraim, vt patet sup. 16. ca. per viam istius Bethoron ascenderunt 5. reges fugien-

D

E

F

Afugientes à facie Iosue in die, qua stetit sol: & in descensu Be-
thorom vsque ad urbem Azecha, pluit lapides super hostes, &
plurimi perierunt, vt patet sup.10.c. Cum suburbanis suis ciuitates
quatuor. Ista quatuor ciuitates datae sunt, & suburbana
earum simul iuxta legem aliarum vrbium. De tribu quoque Dan.
Ista est alia tribus, de cuius sorte datae sunt vrbes quatuor.
Vrbes de tribu Dan
Caathitis. Elthecen. Ista est prima, & in duabus tribubus po-
nitur scil. quia sunt duæ vrbes dictæ Elthecen: prima est in
forte Iudæ, vt patet sup.15. secunda est in forte Dan. sup.19. &
de ista secunda dicitur hic. Et Gebethon. Ista vrbs, & præcedens
Elthecen sunt coniunctæ. Quod patet, quia sup.19. vbi enar-
rantur omnes vrbes fortis Dan ponuntur simul, sicut hic. Et
Aialon. Ista videtur esse vrbs, de qua loquebatur Iosue die qua
stetit sol scil. Sol sta contra Gabaon, & luna ne mouearis cō-
tra vallem Aialon, vt patet sup.10. Et Gethremmon. Ista est alia
ciuitas in forte Ephraim, quæ prouenit Leuitis. Cum suburbanis suis.
Id est singulae vrbes harum datae fuerunt determinate
cum suis suburbanis duorum millium passuum, sicut in su-
perioribus dictum est. Porro de dimidia Tribu Manasse. Etiam de
hac fuerunt datae vrbes Caathitis, & est ista dimidia tribus,
quæ accepit sortem ad partem occidentalem Iordanis, alia
autem dimidia tribus accepit possessionem ad partem ori-
talem, & illa est, quæ habebat possessionem in Basan: ista autē
de qua hic, erat apud sortem Ephraim, & accepit funiculos
decem hereditatis, vt patet sup.17.c. Thenach. Ista est quædam
vrbs Manassitarum, cuius habitatores non potuerunt Ma-
nassitæ à principio subdere in seruitute, vel delere, sed postea
subdiderunt facientes illos tributarios, noluerunt tamen illos
disperdere, vt patet sup.17. & Iud.1.c. de ista vrbe fuit unus
de regibus, quos occidit Iosue, vt patet sup.12.c. Et Gethrem-
mon. Ista est talis ciuitas sicut Gethremmon, quæ est in forte
Dan, vt patet supra: contingit enim plures esse ciuitates eius-
dem nominis, sicut contingit eandem ciuitatem multa habere
nomina: istæ duæ vrbes alter nominatur 1. Paral. 6. vbi ponū-
tur oēs istæ ciuitates sicut hic, & quibus prouenerint, & po-
nuntur in dimidia tribu Manasse duæ vrbes. s. Aner, & Helā:
sed hoc accidit, eo qd eadē ciuitas multa habet interdum no-
mina. Cum suburbanis suis ciuitates duas. Id est de ista dimidia tri-
bu datae fuerunt ciuitates duæ cum suburbanis suis: non fue-
runt aut̄ datae plures, quia ista erat dimidia tribus, & sicut de
tribu Dan, quæ erat integra, vel tribu Ephraim accipieban-
tur ciuitates quatuor, ita de dimidia tribu Manasse accipie-
bantur ciuitates duæ, quia Deus iusserat, vt acciperentur vr-
bes proportionaliter de tribubus scil. quæ plures haberet da-
ret plures, & quæ pauciores daret pauciores Num. 35. Omnes
ciuitates decem, & suburbana earum. Hic ponitur epilogus pre-
dictorum s. qd in forte ista datæ Caathitis fuerunt ciuitates
decem & suburbana cuiuslibet vrbis, & nullum aliud terri-
torium. Datae sunt filii Caath inferioris gradus. Caathitarum fa-
milia diuidebatur in homines duorum graduum. Ad quosdā
enim pertinuit gradus excellens scil. quod essent sacerdotes,
& hoc erat maximum ministerium in toto veteri testamēto,
& in tota cognitione Leuitarum. Alij erant homines infe-
rioris gradus scilicet ad quos pertinebant officia minora, &
istæ erant ministrations Leuiticae, de quibus in principio c.
huius declaratum est, & quia ad omnes Caathitas præterquā
ad sacerdotes pertinuerūt ista parua ministeria scil. ad Ozie-
litas Hebronitas Iessuaritas, dicuntur omnes isti Leuitæ infe-
rioris gradus.

Filijs quoque Gerson, Leuitici generis dedit de dimi-
dia tribu Manasse configi ciuitates, Gaulon in Basan
& Bostrum cum suburbanis suis, ciuitates duas. Porro de
tribu Issachar: Ceson, & Dabereth, & Iaramoth, &
Engannim cum suburbanis suis, ciuitates quatuor. De
tribu autem Aser: Masa, & Abdon, & Helcath, & Ro-
hob cum suburbanis suis, ciuitates quatuor. De tribu
quoque Nephthali ciuitates configi Cedes in Galilea,
& Ammotodor, & Cartham cum suburbanis suis, ciu-
tates tres. Omnes vrbes familiarum Gerson tredecim
cum suburbanis suis. Filijs autem Merari Leuitis infe-
rioris gradus per familias suas datae est de tribu Zabu-
lon, Iecnal, & Cartha, & Damna, & Naalol, ciuitates

quatuor cum suburbanis suis. De tribu Gad ciuitates
configi Ramoth in Galaad, & Manaim & Esebon, &
Iazer, ciuitates quatuor cum suburbanis suis. De tribu
Ruben ultra Iordanem contra Iericho ciuitates refu-
giij Bosor in solitudine Misor, & Iazer, & Ieson, & Ma-
spha, ciuitates quatuor cum suburbanis suis. Omnes vr-
bes filiorum Merari per familias, & cognationes suas
duodecim. Itaq; ciuitates uniuersæ Leuitarum in me-
dio possessionis filiorum Israel, fuerunt quadraginta octo
cum suburbanis suis, singulae per familias distributæ.

Vrbes tertiae fortis Gersonitarum.

Q u a r t o S T I O X I I .

FILII quoque Gerson. Hic ponitur tercia fors: est enim fa-
milia Gersonitarum secunda loquendo communiter,
quia communiter non distinguitur familia Caathitarum in
duas, & quia hic diuisa est in duas scilicet in familiam sacer-
dotalem, & familiam Leuitarum inferioris gradus, ponitur
necessario familia Gersonitarum tanquam tercia, & huic fa-
milia datae sunt ciuit. 13. quæ infra habentur. Dedit de dimidia
tribu Manasse. Ad Iosue hoc referunt, quia ipse dicitur dedisse
omnes istas possessiones familij Leuitarum, cum esset prin-
ceps populi, quamquam non solus ipse dederit, & dicitur
hic de dimidia tribu Manasse scilicet de illa, quæ habitabat
ad partem orientalem Iordanis in terra duorum regum A-
morrhæorum, quia de alia iam positū est. Et patet hoc, quia
dicitur hic, quod ista dimidia tribus Manasse morabatur in
Basan: tamen Basan est ad orientalem plagam Iordanis, quia
est regio quædam in regno regis Og, à qua ipse vocabatur
rex Basan, vt patet sup.12. & 13. cap. Configi ciuitatem Gaulon.
Ista ciuitas aliquando vocatur Gaulon, & aliquando Golan.
Patet quia hic vocatur Gaulon, & Deutero.3. & præced. cap.
vocatur Golan, ista erat ciuitas configi id est fugitiuorum,
quia Moyses dum viueret assignauit tres vrbes fugitiuorum
ante transiit Iordanis, quarum una erat Gaulon, vt patet
Deuteron. 4.c. Gaulon in Basan. Id est ista ciuitas erat in re-
gione Basan. Est enim Basan quædam magna regio in terra
regis Og habens ciuitates muratas 60. vt patet Deuteron. 3.
& supra 13. quæ tota cecidit in forte dimidiæ tribus Manasse,
vt patet eisdem cap. Et Bostrum. Ista etiam est in forte dimidiæ
tribus Manasse in Basan, & est talis qualis illa de qua loqui-
tur Isa. scilicet quis de iste, qui venit de Edon tinctis vestibus
de Bostrum? Ciuitates istæ duæ ponuntur 1. Paralipom. 6. & vo-
cantur alijs nominibus, scilicet Aner, & Helan, sed hoc acci-
dit, quia frequenter contingit eandem ciuitatem multa no-
mina habere, & multas vrbes esse eiusdem nominis, sed non
sunt ciuitates istæ pertinentes ad Gersonitas, sed ad Caath-
itas, quia sunt de alia dimidia tribu Manasse, sed vocatur Bostrum.
1. Paralip. 6. Astaroth. Cum suburbanis suis ciuitates duas. Id est
istæ duæ ciuitates, & suburbana carum pertinuerūt de dimi-
dia tribu Manasse ad Gersonitas. Porro de tribu Issachar. De hac
datae sunt ciuitates Gersonitis. Ceson. Ista vocatur Ceson,
sup.19. cap. Et Dabereth. Ista ciuitas non ponitur sup.19. in ciu-
titib' fortis Issachar: sed debet intelligi, qd ibi scribatur, sed
non scribitur sub codem nomine, sub quo hic, quia una ciu-
tas s̄pē multa nomina habet, vt s̄pē patuit in predictis. Et
Iaramoth. Ista ciuitas non ponitur sup.19. in forte Issachar: sed
dicendum est, vt dicebatur de precedenti ciuitate. Alia ciu-
tas vocatur Iaramoth, quæ est in forte Iudæ, vt patet sup.15.c.
& de illa fuit unus de 5. regibus, qui pugnabant contra Ga-
baon, quos cepit Iosue in spelunca vrbis Maceda, vt patet su-
pra 10.c. ista ciuitas vocatur Ramoth 1. Paralip. 6.c. Engannim.
Ista ciuitas ponitur sup.19. in hac forte Issachar. Alia est ta-
men ciuitas Engannim, quæ in forte Iudæ ponitur, vt patet
sup.15. sed differunt, quia eadem ciuitas non pertinet ad di-
uersas tribus. Cum suburbanis suis ciuitates quatuor. Id est istæ
quatuor vrbes de forte Issachar fuerunt datae Gersonitis cū
suburbanis suis: non vocantur penitus sic ciuitates istæ 1. Pa-
ralipo. 6. sed Cedes, & Dabereth Ramoth, & Anen: mutatis
tribus nominibus vrbium, & hoc fit, quia eadem vrbs multa
habet nomina, & potissime secundum temporum varieta-
tes, sicut patet in vrbibus regionum nostrarum, quia nulli
fere

Gaulo,
& Ba-
sā quid
ac eius
situm.

F
Ciuita-
tes
Gerso-
nitarum.

Engan-
nins
quid.

Quo se
habet
liber
iste ad
lebrum
Pareli.

A fere vbi antiquum nomen manet, sicut ex historijs colliguntur antiquissimis. Sic autem se habet iste liber ad librum Paralip. quia iste scriptus fuit à Samuele, vt supra declaratū fuit in proœmio, liber autem Parali. scriptus fuit tempore Babylonice captiuitatis, vt satis patet ex eo, cum tractetur ibi historia illius temporis: inter Samuelem autem, & Babyloniam captiuitatem multa tempora intercederunt, in quibus multa vrbium nomina mutata sunt. *De tribu autem Aser.* De hac tribu etiā datae sunt ciuitates Gersonitis. *Masal.* Ista ciuitas est, quæ vocatur *Masal.* sup. 19. c. *Et Abdon.* Ista ciuitas non ponitur sup. 19. tamē intelligendum est, quod sit aliqua de ibi positis quamquam sit sub alio nomine, sic sup. de alijs multis dictū est. *Et Iacob.* Ista est, quæ vocatur sup. 19. *Alchat,* & ponitur prima in forte illa. *Et Rohob.* Ista ponitur sup. 19. & est ciuitas multum septentrionalis scil. iuxta vrbem Emath, vt patet Num. 13. & tamen Emath est in latere aquilonari tertæ Chanaan, vt patet Num. 34. c. vñque ad hanc ciuitatem accesserūt exploratores Iudaorum, quando venerunt de Cadesbarne in terram Chanaan, vt patet Num. 13. c. *Ciuitates quatuor cum suburbanis suis.* Id est istæ quatuor ciuitates de tribu Aser fuerunt datae Gersonitis, & suburbana earum. i. spatia duorum millium passuum in circuitu vrbium. Istæ ciuitates vocantur aliter i. Paralip. 6. f. *Masal, Abdon, Asath, & Rohob,* quæ nomina ex aliqua parte mutata sunt, parum tamen distant. *De tribu quoque Nephthali.* De ista tribu fuerūt datae ciuitates tres Gersonitis. *Ciuitas confugij Cedès in Galilea.* Cedès est prima ciuitas, quæ data fuit Gersonitis de tribu Nephthali, & ista est ciuitas confugij. i. ciuitas fugitiuorum, vt patet sup. 20. & erat in Galilæa: eft enim Galilæa quædam magna prouincia, quæ partim ad Zabulō, partim ad Nephthali pertinet, vt patet Matth. 4. & Isa. 9. & declaratum fuit sup. 19. & præced. ca. & magis appetet, quia cum diuisa est tota terra Israelitarum paruo tempore ante Saluatorem in tetrarchias. i. in quatuor partes, fuit posita Galilæa tanquam vna tetrarchia, vt patet Luc. 3. vbi ponitur Galilæa tetrarchia Herodis, & ponuntur ibi alia tetrarchia. *Et Ammotbor.* Ista ciuitas nō ponitur sup. 19. in forte Nephthali: tamen intelligēdum est, quod ibi sit, licet sub alio nomine, quia vna vrbis multa habet nomina. *Et Tartham.* Etiā ista ciuitas non ponitur sup. 19. in forte Nephthali. Aliqui scribunt *Cartham* cum c. sed debet scribi Tartham cum t. vt patet ex litera hebraica. *Cum suburbanis suis ciuitates tres.* Id est istæ tres ciuitates, & sua suburbana data sunt Gersonitis de forte Nephthali. Istæ tres vrbes non denominantur sic penitus i. Paralip. 6. f. *Cedes Cariathiarim, & Ammon.* Causa varietatis ex præcedentibus patet, sicut in alijs ciuitatibus. *Omnes vrbes familiarum Gerson.* Hic ponitur epilogus præcedentium, & dicitur familiarum Gerson, non quod familia Geronitarum sit diuisa in plures, quia tanquā vna ponitur & vnicam sortem recipit: secus autem de familia Caathitarum, quæ in duas diuisa est scil. in Leuitas minoris gradus, & in sacerdotes, vt patet sup. & ob hoc acceperunt Caathitæ duas sortes. s. sacerdotes vrbes 13. & Caathitæ vrbes decem, vt patet sup. vocantur autem plures familiae Geronitarum large pro cognationibus specialibus sub familijs, quæ magis vocantur domus quam familiae, & fuerūt duæ cognationes scil. Lobnitica & Semeitica, quæ etiam vocatur familia Nu. 3. c. & est sensus, quod istæ vrbes assignatae supra Geronitis non fuerunt solum pro vna familia Geronitarū, sed pro omnibus cognationibus illorum, quia nullas alias vrbes acceperunt Gerlonitæ. *Tredecim cum suburbanis suis.* Id est de forte Gerson fuerunt ciuitates tredecim. Quod patet, quia duæ datae sunt de dimidia forte Manasse, & de forte Issachar ciuitates quatuor, de forte Aser totidem. De forte autem Nephthali ciuitates tres, quæ pariter sunt 13. *Filiis autem Merari.* Ista est ultima familia Leuitarum, quæ hic est quarta quamquam alias vocaretur tertia, & hoc, quia hic diuiditur fors Caathitarum in duas, & vt detur possessio cuilibet harum per se necesse est vocari istam quartam familiam. *Inferioris gradus.* Non ponitur hic ista clausula ad distinguendum, sicut in familia Caathitarum, quia ibi est quædam pars Leuitarum maioris ministerij, scilicet sacerdotum, & alia est pars Leuitarum minoris gradus, scilicet simplicium Leuitarum, in Meraritis autem omnes erant eiusdem gradus, ideo non vocantur inferioris gradus ad signandum differentiam aliquam, quæ sit inter iesiplos, sed ad signandum differentiam

corum à sacerdotibus, qui dicuntur esse gradus superioris. *Per familias suas.* Non est sensus, quod familia Merari sit diuisa in familias multas, quia ipsa est vñica, & pro vñica accipitur hic, quia datur ei vñica poss. s. sed dicitur habere familias, id est cognationes speciales, quæ sunt domus, & erāt duæ in familia Merari, scilicet Mohpīta, & Musitæ, vt patet Numer. 3. vbi non vocantur istæ duæ partes familiae, sed populi, tamē pro eodem accipitur: sic enim in familia Caathitarum, quæ habet multas familias dicitur, quod cognatio Caath habebit populos Amramitas Hebronitas, Ozielitas, lessuaritas, patet eodem cap. Et tamen isti populi vocantur familiae, cum hic diuisi fuerint Caathitæ in duas familias, & duas receperint sortes. Est autem sensus, per familias suas, id est pro omnibus familijs Meraritarum datae sunt istæ ciuitates, quæ ponuntur hic. *Data est de tribu Zabulon.* De ista forte datae fuerunt ciuitates quatuor, vt patet infra. *Iethenam.* Non habetur sup. 19. in forte Zabulon, sed debet dici, quod ibi sit scripta, licet non sub hoc nomine, quia eadem ciuitas multa habet interdum nomina. *Cartham.* Etiam ista non ponitur sup. 19. sub hoc nomine ex eadem ratione. *Et Damna.* Alia quoque ciuitas non nominata sup. 19. *Et Nalol.* Ista vocatur in litera Hebraica Nahalol. *Ciuitates quatuor cum suburbanis eius.* Id est de forte Zabulon fuerunt datae 4. vrbes Meraritis, & suburbana earum secundum legem communem aliarum vrbium. *De tribu quoque Ruben.* De sorte ista datae sunt ciuitates 4. vt patet infra. *Ciuitas confugij Bosor.* Id est prima ciuitas data de forte Ruben etat Bosor, quæ est in solitudine, & ista est de vrbibus fugitiuorum, vt patet supra præcedenti cap. Nam ante transitum Iordanis ad orientem fuerunt tres ciuitates confugij, vt patet Deuter. 4. & præced. cap. quarum vna est Bosor: de vrbibus fortis Ruben non habetur summa, sicut de sortibus, quæ fuerunt ad occidentalem plagam Iordanis, vt patet sup. 13. vbi nominantur quædam vrbes, & postea ponitur clausula generalis de vrbibus regni Sehon. Unde nulla de 4. vrbibus hic positis enarratur supra 13. in ciuitatibus Ruben, quia plures subtilentur quam enarrantur, & quamquam aliqua poneretur, tamen non est sub eodem nomine. *In solitudine.* Dicitur esse Bosor in solitudine, quia in terra regis Sehon, in qua accepit possessionem tribus Ruben est quædam pars, quæ vocatur desertum, vel terra campestris, & ista est apud vrbem Esbon, & Medaba, vt patet supr. 13. & in hac terra est Bosor. *Tethson, Misor, & Ocho.* Istæ tres ciuitates sunt incognitæ, quia non exprimuntur in forte Ruben sup. 13. sicut exprimuntur supra 15. & 18. & 19. vrbes sortium, quæ sunt post Iordanem: istæ vrbes quatuor nominantur alijs nominibus i. Paralip. 6. q. a. scilicet Bosor, Cademoth, Iasa, & Miphath, & sunt nomina ista magis cognita: nā Cademoth est vrbis, quæ fuit in potestate regis Sehon, & de hac vrbis misit nuncios Moyses ad regem Sehon, vt concederet transitum Israelitis per terram suam, vt patet Deuter. 3. ca. scilicet misit ergo nuncios de solitudine Cademoth ad regē Sehon. Iasa, quæ ponitur ibidem est ciuitas, ad quam occurrit rex Sehon Israelitis pugnaturus cum eis, vt patet Deuter. 2. Istæ ciuitas etiam vocatur Basa, vt patet Numer. 21. cap. vbi dicitur, quod rex Sehon exiuit pugnaturus cum Israelitis in Basan, quæ necessario est eadem vrbis, sed multiplicantur nomina, & hoc facit maximam turbationem in sacra scriptura apud multos, qui non attendunt ad multa. Miphath quæ hic vocatur Ocho est ciuitas incognita. *Ciuitates quatuor cum suburbanis suis.* Ide est tribus Ruben dedit ciuitates quatuor Meraritis cum suburbanis suis iuxta legem omnium ciuitatum Leuiticarum. Libri moderni Iudeorum non habent istum versum, siue duos versus de vrbibus quas dedit fors Ruben, sed iste versus necessarius est.

Primo quia iste versus habetur i. Paralip. 6. vbi ponuntur ciuitates eadem, & ponuntur de tribu Ruben ciuitates aliquæ, scilicet tot quot ponit litera nostra hic, ideo necesse fuit, quod ponenterur hic ciuitates istæ, quia hic intendebat scriptor ponere omnes vrbes, quæ datae fuerunt Leuitis, & sacerdotibus.

Item omnes tribus dederunt aliquas vrbes Leuitis, quia sic iussit Deus Num. 35. sed si tollatur versus iste non poterit inueniri, quomodo tribus Ruben dederit aliquas vrbes Leuitis: ideo nescie est, quod ponatur iste versus.

Item hic dicitur tam in litera nostra, quam in Hebreæ, quod

E
Tribus
Ruben
dedit 4
ciuita-
tes Me-
raritis.

Biblia
moder-
norum
Iudeo-
rum est
defal-
cata,
ut te-
bantur
sui do-
tores.

A quod traditæ fuerunt sacerdotibus, & Leuitis vrbes 48. si tamen tollatur versus iste in quo ponuntur quatuor ciuitates date de sorte Ruben non poterunt colligi ex omnibus superioribus, nisi vrbes 44. ergo necesse est ponere istum versum de ciuitatibus sortis Ruben.

Itē patet, quia dicitur infra, quod omnes vrbes datae Meraritis, fuerunt duodecim, si tamen tollatur in Hebræo versus de ciuitatibus Ruben, non poterunt inueniri vrbes duodecim, sed solum octo: ideo ponendæ sunt quatuor vrbes de tribu Ruben ad faciendum vrbes duodecim. Iudæi tamen habent libros suos nunc vniuersaliter defectuosos, & hoc per defectum duorum versuum: sed non fuit hoc semper: nam quando transtulit B. Hieronymus non erat defectus iste, id eo ipse potuit ponere quæ vrbes datae fuerint Meraritis de sorte Ruben: si enim noa fuissent in Hebræo versus isti, nō habuisset Hieronymus aliquid vnde transtulisset vrbes datas de sorte Ruben.

Respondebit aliquis, quod fuit facta trāslatio per literam libri Paral. vbi ponuntur ciuitates datae de tribu Ruben. Respondendum est non stare, quia quamquam ibi ponatur ciuitates quatuor de sorte Ruben, sicut hic, tamen non ponuntur sub eisdem nominibus, immo non concordant: nisi in uno nomine, vt supra declaratum est. Hoc autē etiam probatur testimonio ipsorum hebreorum: nam Rab. David Kimbi qui de valde nouis inter hebreos est, dicit, quod hic deficiunt duo versus scilicet de ciuitatibus sortis Ruben, & dicit, q̄ inuenit hos versus in antiquissimis libris, & valde correctis, licet in nouis non habeantur. Ex hoc autem accipitur magnum argumentum, & valde utile contra Iudeos: interdum enim nobis aduersus eos litigium est circa aliqua, quæ ad Mefiam pertinent, in quibus non sic habet litera nostra, vt sua: dicūt autem ipsi, quod vbi ltera nostra deficit à sua, errauit, & q̄ scriptores sui sint impeccabiles, & nostri fuerint valde deficiens, vel translatores imperiti. Sed non possunt contra nos in hac parte gloriari, quia cum litera nostra deviauerit à sua, sicut ipsi dicunt nostram errass̄, ita poterimus dicere literam eorum male habere, vtpote scriptorum vitio iam corruptam. Quod si negauerint, poterimus inducere exemplum ex hoc loco, vbi deficiunt duo versus in litera hebraica, & doctores sui testantur deficere, & tunc non semel constet aliquid deficere, semper erit præsumptio, q̄ aliquid deficere poterit, nec magis faciet præsumptio pro sua, quam pro nostra, vbi mutuo discordauerint. Et de tribu Gad. De ista tribu etiam datae fuerunt Leuitis, Meraritis vrbes quatuor: est autē fors Gad ante transitum Iordanis ad partem orientalem, & est coniuncta sortis Ruben, quia regnum regis Schon diuisum est inter has duas tribus, quædam enim pars illius prouenit tribui Ruben, & alia pars prouenit tribui Gad, vt patet supra 13. cap. Ciuitas confugit Ramoth in Galaad. Id est in vrbibus, quas dedit tribus Gad Leuitis fuit vna ciuitas fugitiuorum scilicet Ramoth, & ista fuit in terra Galaad, id est in regione montis Galaad, nam ad vnam partem montis illius est ciuitas ista, scilicet in medietate montis huius, quæ est in sorte Gad. De hac magis dictum est præced. c. Et Manaim. Ista ciuitas ponitur in tribu Gad, & etiam supra 13. vbi ponuntur ciuitates aliquæ sortis Gad ponitur Manaim, sed ibi magis ponitur per modum regionis, quam per modum vrbis, vt quidam volūt. Sed falluntur nescientes punctuare, nam ibi dicitur: dedit possessionem dimidiæ tribui Manasse, cuius hoc est principium: A manaim vniuersam Basan, & cuncta regna regis Og. Aliqui prae legentes dicunt Amanaim esse vnam dictio scilicet vnum accusantium, & coniungunt ei adiectuum sequens scilicet vniuersam, & tunc cum dicant vniuersam Amanaim necesse est, vt sumatur pro regione, & non pro ciuitate, quia de ciuitate nō diceretur vniuersa, quia vniuersus distribuit pro partibus subiectis, & non pro integralibus. Sed aliter legenda est litera scilicet dedit Iosue possessionem dimidiæ tribui Manasse, cuius principium est Manaim, id est incipit à loco, qui vocatur Manaim, & ibi Manaim est vna dictio, & (a) est præpositio deseruēs ablatiuo, & tunc impossibile quod adiectuum illud (vniuersam) referatur ad Manaim, quia Manaim est in ablatiuo: sed refertur ad sequens subiectum scilicet Basan id est dedit Iosue dimidiæ tribui Manasse vniuersam Basan, & principium eius est à Manaim id est principium possessionis huius est in vrbe Manaim, quæ non est in sorte dimidiæ

D tribū Manasse, sed in sorte Gad in extremitate eius, & sic ponitur ibi tanquam terminus extrinsecus ad dimidiā tribū Manasse, sic enim saepe fit in omnibus sortibus tribuum supra positis: nam aliquando ponuntur termini intrinseci. Ista ciuitas Manaim vocatur in Hebræo Manaim, vt patet hic, & est illa, apud quā Iacob descendens de monte Galaad habuit obuios angelos Dei, & dixit castra Dei sunt hæc, ideo vocavit nomen loci Manaim id est castra, vt patet Gen. 32. cap. Et Ezebon. Ista ciuitas fuit maxima in regno Schon regis Amorhai, & denominatus est ab hac ciuitate, s. rex Ezebon, vt patet sup. 12. & 13. Istam autē vrbem cepit rex Schō de manu Moabitum, & multas alias vrbes, cum ea, de qua carmen proverbiale factum est, de quo Num. 21. ca. Fuit ista ciuitas data filiis Gad. Quod patet, quia dicitur hic, quod Leuitæ accepérunt de tribu Gad vrbem hanc. Etiam ista vrbis videtur fuisse in sorte Ruben, vt patet sup. 13. vbi ponitur in sorte Ruben. Sed dicendum est vnu de duobus. s. quod ista vrbis fuerit in extremitate sortis Ruben, & Gad: & tamen pertinuerit ad tribū Gad, sicut dicitur de Manaim, sup. 13. vbi ponitur Manaim principium possessionis dimidiæ tribus Manasse, & tamen est in sorte Gad, vt patet hic: ita poterit esse Ezebon in extremitate sortis Ruben, & Gad, & tamen pertinebat ad solam tribum Gad, & quamquam dum computatur possessio sortis Ruben, nominetur ibi Ezebon: tamen nō ponitur ibi, vt ciuitas sortis Ruben, sed tanquam terminus extrinsecus sortis Ruben, & terminus intrinsecus sortis Gad.

E Alio modo potest dici, q̄ Ezebon sit duplex vrbis, & tunc poterit poni vna Ezebon in sorte Gad, & alia in sorte Ruben, sic etiam de multis alijs ciuitatibus: nam Bethfames ponitur in sorte Iudee sup. 15. & ponitur in sorte Issachar, sup. 15. etiam Asor est in sorte Iudee, sup. 13. & est in sorte Nephthali, sup. 19. & sic de aliis multis. Fortassis tamen magis dicendum est Ezebon esse in sorte Gad, & poni in extremitate sortis Ruben, & propter hoc numerari in sorte Ruben. Et Gazer. Alia ciuitas est, quæ vocatur Gazer, & est in sorte Ephraim, vt patet sup. 16. etiam illa data fuit Leuit's Caathitis, vt patet sup. in litera, vbi ponuntur ciuitates in sorte Ephraim, & ista est inter illas, hic tamen alia Gazer necessario ponenda est, quia fors Gad, & Ephraim non communicant ad hoc, quod eadē ciuitas posset poni aliquo modo in vtraque scilicet, vt in vna esset tanquam ciuitas illius tribus, & in alia esset tanquam ciuitas existens in termino: erit ergo duplex ciuitas Gazer.

F Ciuitates quatuor cum suburbanis suis. Id est fors Gad dedit Meraritis 4. ciuitates, & earum suburbana secundum legem omnium ciuitatum Leuiticarum, quæ dabantur cum suburbanis suis. Omnes vrbes filiorum Merari. Hic ponitur epilogus vrbium Meritarum scilicet quod erant 12. quia de sorte Zabulon date sunt eis vrbes 4. & totidem de sorte Ruben, & totidem de sorte Gad.

Per familias & cognationes suas duodecim. Non autem in familia Merari propriæ aliae familiae, quia familia nunquam ponitur sub familia: sub tribu autē ponuntur familiae immediate: accipiuntur autem large familiae id est domus, quæ sunt cognationes quædam speciales, & istæ erant duæ scilicet familia Moholitica, & Musitica, vt patet Deut. 3. ca. cognationes autem idem signant hic, quod familiae: est tamen cognatio non minus magis generale, quia signat congregationem plurimi attinentium sibi in sanguinis identitate, vel radice, & quando istæ congregations sunt maximæ, & denominatae ab aliquo descendenti immediate. A Iacob vocantur tribus, & sic cognationes deriuatæ à 12. filiis Iacob vocantur 12. tribus. Si autem congregatio consanguincorum sit minor, quæ ponitur immediate sub tribu vocatur familia: nam qualibet tribus sub se habet alias familias, quæ denominantur ab illis qui descenderunt immediate à capitibus tribuum: quot autem familiae essent in toto Israel tam in 12. tribubus quam in Leuitis, patet Numer. 26. cap. Si autem congregatio consanguincorum sit minor, vocatur domus: nō prout domus importat cœconomiam, sed quandam communicationem plurimi pertinentium ad idem genus, qui tamen non multum distant à radice, vel trunko identatis, & horum dicit esse Aristot. communicationem homogalactarum, vel collectaneorum, quam alij vocalem vocant. De hoc i. Paralipom. cap. 1. & istæ domus ponuntur sub familijs, quia diuiduntur familiae per domos, sicut tribus per familias. Istam divisionem ponit

Argu-
mē-
um
validū
contra
Hebr.

C Ignorā-
tia quo-
rundā
in expo-
siione
particu-
la rex.
in 13. c.

A ponit scriptura supra 7. vbi cum inquiretur de furto anathematis Iericho, iussit Deus applicari ad se totum Israel per tribus suas, & tribus per familias, & quamlibet familiarum per domos, & quamlibet domum per viros id est, per capita singulorum: ista tamen omnia signat cognatio, & ob hoc varie reperitur, scil. interdum pro tribu, vt patet Num. 25. cap. vbi dicitur, quod Zambri erat princeps cognitionis Simeon: interdum pro familia, vt hic, aliquando autem pro domo, vt multoties patet.

Epilogus omniuum sortium Leuitarum. Itaque vniuersae ciuitates Leuitarum. Hic ponitur epilogus magis generalis, scilicet, omnium quatuor fortium Leuitarum, & fuerunt in eis vrbes. 48.

In medio possessionis filiorum Israe. Id est, vrbes datae omnibus Leuitis fuerunt datae in medio possessionis omnium Israelitarum accipiendo medium per interpositionem, & non secundum æquidistantiam. Nam non fuerunt omnes vrbes datae Leuitis simul positæ, ita quod possent esse in medio fortium Israelitarum, sed in qualibet tribu fuerunt eis datae aliquæ vrbes, dicuntur tamen esse in medio, id est, inter possessionem Israelitarum.

B Fuerunt quadraginta octo. Quod patet ex summis partialibus cuiuslibet sortis Leuitarum per aggregationem. Fuerant enim quatuor sortes, scilicet, sacerdotalis, quæ habuit 13. vrbes, & Caathitarum, quæ habuit decem vrbes, & Geronitarum, quæ habuit tredecim vrbes, & Meraritarum, quæ habuit duodecim vrbes, vt patet supra, quæ simul sunt quadraginta octo his computandæ sunt sex vrbes refugij, vt patet supra in litera, & Numeri trigesimo quinto, cum Deus iussit, quod darentur Leuitis ciuitates quadraginta octo, & de his segregarentur sex ad fugitiuorum præsidia.

Cum suburbanis suis. Id est, quælibet vrbs istarum fuit data cum suburbanis suis, sine his enim non proficiebat ciuitas Leuitis, cum abundarent in pecoribus & iumentis, pro quibus erant necessaria suburbana ad pastum.

Singula per familias suas distributa. Id est, omnes istæ ciuitates non fuerunt datae Leuitis indistinctè sub uno cumulo, sed fuerunt datae distinctè, scilicet, singulæ per familias suas, id est, cuiilibet familiae Leuitarum datae sunt distinctè ciuitates: nec est sensus, quod singulæ dabantur per familias suas, id est, quod cuiilibet familiae dabatur una ciuitas, & singulis familiis singulæ ciuitates, quia quælibet familia suscipiebat multas ciuitates, vt patet ex predictis: nam minimæ familiæ vrbes decem datae sunt, scil. familia Caathitarum. Sed est sensus, quod singulæ per familias distributa sunt, id est, quælibet vrbs dabatur alicui certæ familiae, & non fuit aliqua vrbs quæ daretur Leuitis confusè non limitando ad quam familiam pertinebat.

Quare de tribubus inequalibus datae sunt vrbes numero æquales, & è contrario, cum plures deberent dare maiorem partem, & pauciores minorem. Et quod Leuite non accipiebant regiones seu territoria, sed vrbes cum suburbanis ad habitandum.

Q V A E S T I O XIII.

V A R E T aliquis circa predicta quare de tribubus in equalibus datae fuerunt ciuitates numero æquales, & de tribubus æqualibus datae sunt vrbes numero inæquales: nam Deus iussit quod singulæ tribus filiorum Israe darent vrbes Leuitis, & tribus, quæ plures vrbes haberent darent plures, quæ verò haberent pauciores, darent pauciores: Num. 35. ca. hic tamen fuerunt multæ tribus inæquales, quæ dederunt vrbes numero æquales, vt tribus Gad, Ruben, Zabulon, Issachar, Manasse, Aser, Dan, Ephraim, Benjamin: quælibet enim dedit vrbes 4. vt patet in litera: tamen non erant æquales quantu ad vrbes, quia pars Zabulon habuit ciuitates 12. vt patet supra 19. De tribu Gad nō patet, quia accepit sortem ante transitu Iordanis ad orientem, & non computantur vrbes eius. De quo supra 13. cap. de sorte Ruben ex eadem causa etiam nō patet, sed credendum est, quod accepit plures vrbes, cum acceperint magnam terram. Issachar habuit ciuitates 16. supra 19. c. De Manasse non patet quod vrbes habuerit, sed saltē de dimidia tribu Manasse, quæ accepit possessionem ante Iordanem ad orientem constat, quod accepit plures quam 60. vrbes, cum in so-

la terra Basan acceperit vrbes 60. vt patet Deuterono. 3. & sup. 13. ca. Tribus Aser accepit ciuitates 32. vt patet supr. 19. tribus Dan non accepit tot vrbes sicut Aser, accepit tamen plures quæ Zabulon, vt patet sup. 19. cōparando vrbes vtriusque fortis. De Ephraim nō patet quod vrbes acceperit, quia non ponitur summa virbiū suarum sup. 16. tribus B. niamin accepit vrbes 26. vt patet sup. 18. ergo inæquales erant istæ sortes tribu in vrbus, sed omnes dederunt æquales numero vrbes, scil. quælibet dedit 4. ergo nō rectè distributu est. Item aliquæ tribus accepérunt plures ciuitates alijs, & dederunt pauciores, sic patet de sorte Nephthali, quæ habuit vrbes 19. vt patet sup. c. 19. & dedit vrbes tres: tribus autē Zabulon accepit vrbes 12. & dedit 4. vrbes. Primum patet sup. 19. secundū patet hic. Respōdendū est, qd ista diuersitas, & apparentia iniusta distributionis accidere videtur ex duobus, cum tamen recte factum sit. Primum est inæqualitas ciuitatum: vocatur enim ciuitas more sacrae scripturæ omnis locus muratus, & istæ sunt inæquales, ita vt interdum una vrbs præualeat quatuor, vel quinque aut pluribus vrbus, & tunc quanquam darent omnes istæ tribus vrbes numero æquales, non dabant æqualiter, quia vnius tribus essent maiores vrbes quam alterius, & sequeretur inæqualitas in quantitate quanquam esset æqualitas in numero. Secundum in quo apparet ista iniusta distributio est inæqualitas regionis, quia aliquæ tribus sunt, quæ habent valde paucas vrbes, & tamen habent magnam regionem, quomodo inter vrbes sunt magna terra, in quibus erant rura, & viculi, & loca multa ad faciendū sedes habitationum: alij autem erant tribus, quæ habebant valde multas vrbes: tamen regio pauca erat inter vrbes. In istis autem, quia non consideratur magnitudo sortis secundum multitudinem vrbinm, sed secundum latitudinem regiones, dicentur sortes æquales, ideo quanquam dent vrbes æquales numero, non agunt iniustum tributionem, nec grauabitur aliqua tribus. Nam si quælibet tribus dare debuisset Leuitis aliquam partem regionis sine vrbus, scilicet, non solas vrbes, sed magnitudinem regionis, siue essent ibi multæ vrbes siue paucæ, si essent sortes æquales secundū magnitudinem regionis, quanquam non essent æquales numero ciuitates in his sortibus, non grauarent dando æquales terre partes, Leuite autem nō erant accepturi regionem aliquam ad colendum, sed solas ciuitates cum suburbanis suis ergo non grauarentur tribus istæ dando æquales numero vrbes: quanquam non haberent æquales vrbes numero vtræque. Nam non recipiebatur principaliter in sortibus ad dicendum eas esse æquales, vel inæquales, multitudo vrbiū, sed magnitudo regionum. Quod patet, quia multæ erant tribus, quæ erant æquales, vel quasi æquales in multitudine, & tamen aliqua erat dupla, vel quasi dupla ad alteram in multitudine vrbiū. Quod patet in Aser, & Zabulon: nam Zabulon in introitu in terram Chanaan habebat sexaginta millia virorum, & quingentos & tribus Aser habuit quinquaginta tria millia virorum, & quadragesimos vt patet Numeri. 36. tamen accepit sortem plurium vrbiū Aser, scilicet, 32. vrbes, Zabulon solum 12. vt patet supra 19. Necesse est ergo respicere ad magnitudinem regionis, vt fiat æqualitas, vel inæqualitas, ao non ad magnitudinem regionis propter vrbes solum. Et hoc innuitur Numeri 26. vbi dedit Deus regulam de dividendo terram Chanaan per partes tribuum, & dixit: Pluribus maiorem partem dabitis, & paucioribus minorem, & non dixit: pluribus plures vrbes dabitis, & paucioribus pauciores. Ad Israelitas autem nihil referbat dare vrbes cum manerent eis rura, & vici ad habitandum, dum tamen non tolleretur eis terra, quæ erat ad colendum, ideo licet sortes æquales in regionibus, & inæquales in numero vrbiū darent vrbes numero æquales, non erat iniusta distributio.

Deditque Dominus Deus Israeli omnem terram, quam traditum se patribus eorum iurauerat, & possederunt illam, atque habitauerunt in ea. Datq. est ab eo pax in omnes per circuitum nationes, nullusq. eis hostium resistere ausus est, sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt. Ne unum quidem verbum, quod illus præstiturum se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expletis sunt omnia.

A

Deditq; Deus. Hic ponitur quartum, scilicet, prædictorum recapitulatio. Dictum fuerat sup. de captione terræ, & divisione eius per singula, hic recapitulatur, scil. Dedit Deus Israei omnem terram, quā traditum se patribus eorum iurauerat. Deus iurauerat Abrahæ, quod traderet semini suo terram decem gentium, quæ habentur Gen. 15. c. istæ nominantur postea cōmuniter nominibus septem gentium, vel populorum, scilicet, Chananæi, Amorrhæi, Iebusæi, Pherezæi, Gergesæi, Heuæi, Hethæi. Iuramentum autem non patet factum, nisi Abrahæ Gen. 22. c. vbi dixit Deus: Per memetipsum iurauit &c. ad alios autem posteriores patriarchas non fuit factum iuramentū in forma, sed remittebat se Deus ad iuramentū, quod præstiterat Abrahæ, ut patet cum locutus est Deus ad Isaac, tibi dabo vniuersas regiones has complens iuramentū, quod spopondi Abraham patri tuo, ut patet Gen. 26. & hoc modo ad alios sequentes patriarchas factum est. Dicit quod omnem hanc terram Deus dederat Iudeis.

An Deus dederit viuente Iosue omnem terram, quam datus erat.

Q V A E S T I O XIV.

B

ARGEAT aliquis non stare, qua ista dicebantur viuente Iosue, sed post mortem eius manerunt gentes multæ in terra Chanaan, scil. multæ vrbes, & regiones, quas non subiecit Iosue, ut patet Iud. 2. & 3. c. & sup. 13. dicitur ad Iosue: Latissima terra derelicta est, quæ necedū sorte diuisa est. Et postea non pugnauit Iosue cum cessasset iam terra à prælijs, ut patet sup. 11. & 14. ergo non fuit eo viuente subiecta.

Aliquis respondebit hoc intelligi de tempore post mortem Iosue, scil. quod data fuit postea pax, sed in tempore Iosue non fuit tota terra subiecta. Hoc videtur innui. sup. 13. cùm dicitur: Latissima terra derelicta est, quæ necedū sorte diuisa est, & sequitur: Veniat in partē hæreditatis: ego enim sum, qui delebo eos à facie filiorum Israël.

Sed dicendum etiam hoc non stare, nam post mortem Iosue etiam nunquam fuit tota terra tradita in potestate Israelitarum, sed vsq; ad Salvatoris aduentū manebant aliqui Chananæi in terra Iudeorum, ut patet de Chananæa, cuius filiam Christus à dæmonio sanauit Matth. 15. cap.

Item necesse est istam literam referri ad tempus Iosue: nam cum dictum fuerit, quod data est pax, & completa sunt omnia hæc, sequitur in cap. sequ. quod eo tempore locutus fuit Iosue ad Rubenitas, Gaditas, &c. ergo necesse est ea, quæ dicuntur hic, referri ad tempus Iosue.

Respondendum est, quod debet intelligi de tempore Iosue, quod ibi omnia hæc completa fuerunt. Et cum dicitur, quod Deus dedit Israëlitom omnem terram, quam traditum se promiserat exponi potest dupliciter. Vno modo, quod istud signum vniuersale (omnis) distribuat hic, sed accipitur omnis terra i.e. multa. Raro enim iste terminus (omnis) distribuit in sacra scriptura, & quia hic maxima pars terra Chanaan tradita fuerat in potestatem Israelitarum, dicebatur esse tota terra promissa illis tradita.

Alio modo potest responderi, quod tota terra promissa fuerat tradita, scil. non simpliciter tradita, sed eo modo, quo promissa fuerat: promisit enim Deus totā errā Chanaan Israëlitom & adiunxit Exo. 23. & Deut. 7. quod nō traderet totam illis simul, vel in anno uno, sed per partes quousq; crecerent, & possent replere terram, ne redigeret terra in solitudinem, & multiplicarentur contra eos bestiæ. Et tunc verum est, quod Deus tradiderat totam terram Israëlitom, quā se traditum promiserat, id est, totam, quā tradere promiserat, vsq; ad tempus illud iam tradita erat, & accipitur hic proprie distributio, & est iste sensus proprius, quia temporibus prioribus, quibus pugnabant Israëlitæ cōtra Chananæos nondū tradiderat eis totam terram, quā se pro illo tempore traditum promiserat. Cum autē fecit, ut cessaret Iosue à bello, erat tradita Israëlitom tota terra, quam pro illo tempore Deus promiserat se traditum Israëlitom.

Item iste sensus magis conuenit quā præcedens, quia dicitur infra ne vnum quidē verbum, quod præstitum se esse promiserat, irritum fuit: ergo necesse est verificari propositionem vniuersaliter propter illam limitationem. Si tamen dicatur in primo sensu non stat distributio, sed ponitur om-

nis terra pro magna parte terræ, ideo tenendus est sensus secundus, scil. quod tota terra data fuit, quam Deus dare iurauerat, scil. eo modo, quo iurauet: non promisit autem tam dare simul, sed per partes, & hoc compleuit, quia totū quod dare promiserat pro tempore Iosue iam datum fuerat. Sed arguetur, quod ista expositio repugnet literæ, quia dicitur, quod Deus dedit totam terram, quā se præstitum iurauerat patribus Iudeorum, qui erant tempore Iosue: sed illis promisit, quod daret totam terram septem populorum Chananæorū, ergo necesse est, quod illa data fuisset. Quod non stat: nam ista expositio præcedens teneret, si loqueretur litera de terra promissa istis Iudeis, qui nunc erant, vel tempore Moysi, quia ad eos data fuit illa limitatio, quæ habetur Exo. 23. scil. Non ejciam à facie tua anno uno, ne terra redigatur in solitudinem, & crescent cōtra te bestiæ: paulatim ejciam eos atq; per partes: ad priores tamen patriarchas nō fuit data ista limitatio: ergo si tota terra illis promissa data est, necesse est, ut fuierit tota terra Chanaan tradita eis, sed non fuit: ergo non poterit stare propria distributio.

Respondendum est, quod quanquam Deus promiserat Abrahæ, & alijs patriarchis terram Chanaan absolute non adiecta aliqua limitatione, aut conditione, tamen subintelligebatur limitatio, quā postea apposuit, & habebat tanquā expressa fuisset: si autē fuisset expressa, diceretur, quod Deus dans Israëlitis tempore Iosue istam terræ partem, quam tradiderat: dabat eis totam terrā, quā promiserat patribus eorū, quia dabat per eundem modum, per quem promiserat, ita nunc dans terram, quā tradiderat dicitur tradidisse totā terrā, quam promiserat patribus eorum, id est, per eundem modum, per quem promiserat, quia modus, vel limitatio illa subintelligebatur, quanquā non fuisset expressa. Et posse derunt illam. Refertur ad agros, & territoria vrbiū, vel locorum, quia ista possidebatur, sed non habitabantur. Et habitauerunt in ea Quantū ad vrbes intelligitur, & alia loca parva, ut rura & viculos, & totā istam terram possederunt, & inhabitauerunt, licet multas vrbes Israëlitæ acceperunt, quas non inhabitauerunt, sed combusserunt igni vastantes eas, ut patet supra 11. vbi dicitur, quod omnes vrbes, quæ erant in locis planis, & non erant munitissimæ combustæ fuerunt ab Israëlitis, quæ erant munitissimæ, & in locis fortissimis, ut super colles, non fuerunt combustæ, nec vastatae. Has autem non inhabitauerunt Israëlitæ: causa verò declarata fuit sup. 11. c. Non enim adhuc poterant totā terram replere, quam occupauerant, quia pauci erant. Si autem queras, quare igitur tantam terram occupauerunt declaratū est sup. 11. c. Dataque est ab eo pax. Id est, Deus dedit pacem Israëlitis cum gentibus, quæ erat in circuitu eorum.

*Quomodo Deus dat pacem inter aliquos, & quomodo eam causat.
Et quod dupliciter poterat esse pax ex parte hostium cum Iudeis.*

Q V A E S T I O XV.

PACEM vocat hic cessationem à bellis per hoc quod hostes nō insurgebant contra eos, nec ipsi inuadebant hostes. De ipsis quod non inuaderent hostes facile erat, & credendum est fuisse à Deo reuelatū Iosue: sciebant enim Israëlitæ, quod Deus non erat traditurus eis totam terram Chanaan uno impetu, vel continuato bello, sed successiue per multa tempora tradenda erat, ideo non conarentur Israëlitæ nunc simul pugnare contra omnes Chananæos ad capiendum terram ipsorum, ne sciebant tamen vsq; ad quod tempus, vel vsq; ad quantā terram captam pugnandū erat, sed cum pugnauissent ipsi pluribus quam sex annis, ut declaratū est sup. 14. c. & semper caperent aliquā terram hostilem, cessauerunt penitus tandem pugnare: ergo dicendū est, quod Deus reuelauerit Iosue, qd cessarent, & tunc erat pax ex parte Israëlitarum, sed restabat esse pacem ex parte hostium, & istud erat in non insurgendo contra eos ad pugnam. Quod dupliciter poterat eueneri.

Vno modo per quandam concordiam, scil. quod placet eis id, quod placebat Israëlitis, & videretur eis bonū cessare à bellis quietam agentes vitam, & istam pacem Deus inducebat, quia cor nostrum est in manu Dei, & inclinat illud quo vult. Sic dicitur Prover. 21. Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu

D

E

F

A in manu domini, & quocunq; voluerit, vertet illud. Sicut autem est de corde regis, ita de cordibus omnium aliorum, quod Deus vertit illa quo vult, & sic mouet homines ad concordiam, vel ad seditiones: ad gaudium vel mæorem, sicut voluerit. Alio modo poterat fieri ista pax per timorem, scil. quod Chananæi desiderarent pugnare contra Israelitas, & eradicare eos de terra, tamen arbitrabantur se esse inferiores viribus, & credebant se succubituros, cessabant à bellis timore compulsi: quin potius ipsi credebant secum bene fieri, si Israelitæ nō insurgerent contra eos in bellū. Et isto modo Deus dat pacem aliquibus interdum immittendo aliquibus timorem, vt non audeant insurgere in alios. Sic patet de Chananæis, qui volebant delere Jacob cum domo sua apud urbem Sichem, quia filij eius occiderant omnes masculos viribus Sichem: Deus tamen immisit timorem super omnes habitatores virbiū in circuitu, & non ausi fuerunt mouere bellum contra Jacob. Sic patet Gen. 35. cap. scil. Cumq; profecti essent terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes. Ita poterat Deus incutere timorem Chananæis, ne mouerentur contra Iudeos. Interdum causat Deus pacem inter aliquos, inclinando cor vnius ad aliquid, & distrahendo à pugna: non per modum timoris, sed occupando alijs negocijs, sic fuit de Senacherib rege Assyriorum, qui proponebat pugnare cōtra Ierusalem, & delere eam: cumq; timeret rex Ezechias respondit ei Dominus per Isaiam: Noli timere à facie sermonum, quos audiisti, quibus blasphemauerunt pueri regis Assyriorum me: ecce ego mittam ei spiritum, & audiet nuncium, & reuertetur in terram suam, & deiçiam cum gladio in terra sua, vt patet 4. Reg. 19. c. & sic factum fuit, vt patet eod. c. Simile quoque fuit cum Dauid lateret fugiēs à facie Saulis, & persequeretur eum latentem in deserto Maon prodentibus Ziphis desperabat se Dauid posse fugere, quia concludebat eum Saul vndique, & tunc venerunt nuncij ad Saul dicentes, festina & veni, quia infuderunt se Philisthijm super terram, & tunc desijt Saul persequi Dauid exiens in occursum Philistinorum. De hoc 1. Reg. 23. c. De timore etiam, quod Deus interdum incutiat timorem aliquibus, ita vt non audeant insurgere contra alios, vel vt fugiant à facie eorum, patet, quia Deus dabat Iudeis in maledictionem ipsum timorem, si declinarent ab eo. Sic patet Leuit. 26. scilicet, & qui remanserint de vobis dabo pauorem in cordibus eorum, in regionibus hostium terrebit eos sonitus folijs volantis, & ita fugient quasi gladium, & cadent nullo sequente, & corruent singuli super fratres suos quasi bella fugientes: nemo vestrū audebit inimicis resistere, peribitis inter gentes, & hostilius vos terra consumet. De hoc etiam multa Deut. 28. sicut autem in Iudeis hoc per maledictione dabatur, ita & in pœnam dabatur Gentilibus, & in fauorem Iudeorum, scil. vt fugerent à facie ipsorum, & non auderent resistere, vt patet Exo. 23. cap. & Deute. 7. scil. terror meum mittam in præcursum tui, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris cunctorumque inimicorum tuorum terga vertam. Sicut ergo poterat terror immitti in Chananæos, vt fugerent à facie Iudeorum, ita poterat, & à fortiori mitti terror ne contra Iudeos insurgere auderent. Patet ergo quod pluribus modis fieri poterat, vt cessarent Chananæi à bello contra Iudeos, & hoc erat dari pacem: Deus autem dabit istam pacem, quia ipse mouebat corda Chananæorum per timorem, vel alias, vt non pugnarent cōtra Iudeos. In omnes per circuitum nationes. Id est, Deus dedit pacem Iudeis cum omnibus nationibus, quæ erant per circuitum: solum intelligitur hoc de Chananæis Amorrhæis, & cæteris populis, qui erant residui, erantque in circuitu Iudeorum, nam isti non mouebant aliquod bellum contra Iudeos. Nullusque hostium eis resistere ausus est. Accipitur resistere pro insurgere, scil. quod hostes Iudeorū, qui erant omnes residui de lepitem populis Chananæorum non ausi sunt surgere contra Iudeos, & hoc à Deo collatum est, scil. incutiendo timorē illis, vel faciendo alijs modis, vt supra declaratum est: accipiendo autem resistere propriè nō stat litera: nam Chananæi resistebat Iudeis, quando pugnabant, quia à principio Chananæi insurrexerunt contra Iudeos facientes bella magna, sicut in bello contra urbem Gabaon, de quo sup. 10. & in bello multorum regum ad aquas Meron, de quo sup. 11. c. cum verò ab alijs se superari vide-

runt, non insurrexerunt pugnantes in campo, sed intra urbium suarum præsidia tutabantur se ab Israelitis, & sic pugnauit Iosue contra reges Chanaan multo tempore, vt patet sup. 11. & sic nunquam desliterunt resistere dum Iudei voluerunt pugnare, alioquin omnes fuissent superati, & deleti ab Israel, vel positi sub tributo. Sed omnia hæc falsa sunt, sed insurgere aliquando desliterunt, scil. postquam viderunt se superari, vt patet ex processu 11. cap. ergo debet intelligi de insurrectione.

Item non attinet ad istam literam accipi resistere propriè, quanquam posset verè stare, quia dicitur, quod data est pax, est autem pax non quando hostes confringuntur, & delen-
ter penitus, quia ista victoria vocatur sed nō pax. Sed positis hostibus, & eis cessantibus à pugna est pax, & istud est si ho-
stes non audeant suis hostibus inferre bellum: si tamen resi-
stere non audent non est pax, sed bellum, quia resistentia, vel
non resistentia est cum bellum infertur, & qui resistere non
audet, victus est, & non erit ibi propriè pax. Sed cuncti in eo-
rum ditione redacti sunt. Hoc posset aliquis intelligere sicut li-
teram præcedentem, scil. quantum ad partem illam, quam

*Doctrina in-
ter pa-
cem &
victo-
riam.*

Deus tradere promiserat Iudeis pro tempore Iosue, quod tota illa tradita sit, ita hostes omnes, qui habitabant in terra illa redacti sunt in potestatem hebræorum, quia omnes illos occiderunt. Sed non stat iste sensus, quia dicitur, quod redacti sunt in ditionem eorum, redigi in ditionem alicuius est subiecti imperio illius, hinc enim venit iurisdictio, qua domini, vel indices funguntur, sed hoc nō conuenit nisi viventi, quia mortuus in nullius nostrū ditionem inductus est. Ideo debet necessario intelligi de Chananæis superstibis, quod sint redacti in ditionē Hebraeorum. Et hoc verum est quantum ad quædam loca, in quibus manserunt Chananæi facti tributarj Iudeorum, vt patet sup. 16. & 17. & Iudi. 1. non tam-
en est intelligendum vniuersaliter, quia plurima loca erant quæ nequaquam erant redacta in potestatem Hebraeorum quantum ad tributorum solutionem, & sic non accipitur hic omnis distribuendo, sed ponitur pro multis. scil. quod mul-
ti de Chananæis in potestatem Israelitarum redacti erant, & quotidie plures subiectebantur. Nec unum quidem verbum, quod
se illis præstiturum promiserat irritum fuit. Id est, de omnibus,
quæ promisit Deus Israelitis, nihil fuit in vacuū, sed omnia
habuerunt efficaciam. In quo notatur magna Dei fidelitas
promittentis, scil. quod promissa eius nunquā frustrantur,
& pertinet hoc ad maximam eius potestatē, & superexeden-
tem bonitatem. Nam quia summè potens est, nulla res est,
quæ possit eum distrahere à completione promissorum. Nos
autem quanquā interdum promissa obseruare velimus, ta-
mén impediti ab alijs agentibus non implemus: secundū est
bonitas sua super excellens, nam quia bonus est seipsum dif-
fundere vult, quia conditio boni iuxta Dionylium est esse
suijpsius diffusuum, & quanquā nos inimeriti simus tamen
bona sua nobis communicat, vt patet Matth. 15. scil. Facit
solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos
& peccatores: ista bonitas est, quæ Deum ad complendum
promissa ineuitabiliter inducit: nos enim interdū licet com-
plere promissa possemus, tamen complere nō curamus, quia
magis ad contrarium quam ad id quod rectum est inclina-
mur: Deus autem cum pure bonus sit, secundum bonitatē
agere necessario debet, licet non coacte, & hoc modo cum
complere promissa sit aliquid bonum, promissa Dei frustra-
ri nequibunt. Sed rebus omnia expleta sunt. Id est omnia, quæ
Deus promisit apparuerunt verificata in opere: veritas enim
propositionum appetit ex confirmitate vocum ad res signa-
tas, cum autem correspondent signata signis, verè sunt pro-
positiones, & sic fuit in promissis Dei. Erant autem proposi-
tiones Dei de futuro, quia erant promissoræ, & non sunt
propriè propositiones cum indicatiua oratio, & præsentis so-
sum sit propositio, istæ tamen propositiones reducuntur
ad naturam propositionum, cum efficiantur de præsenti, &
tunc potest considerari in eis veritas, vel falsitas: erat autem
ista reductio, si Deus promisisset aliquid pro certo tempore:
quanquam ante illud erat de futuro, tamē tunc debebat esse
propositio de præsenti: si autem fieret, erat vera: si autem
non, erat falsa, & quia omnia à Deo promissa suis temporis
completa sunt, erant promissa vera rebus comprobata.

*Magna
Drift
delitas
in pro-
missis.*

A

CAPUT XXII.

EODEM tempore vocavit Iosue Rubenitas, & Gadditas, & dimidiā tribū Manasse, dixitq; ad eos : Feceſtis omnia, quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini : mihi quoque in omnibus obedijtis, nec reliquias fratres vestros longo tempore, usq; in praesentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri. Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietē & pacem, sicut pollicitus est : reuertimini, & ite in tabernacula vestra, & in terram possessionis, quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Iordanem : ita dunt axat, ut custodiatis attente, & opere compleatis mandatum, & legem quā præcepit vobis Moyses famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus vijs eius, & obseruetis mandata illius, adhaeratisque ei, ac seruiatis in omni corde, & in omni anima vestra. Benedixitq; eis Iosue, & dimisit eos. Qui reuerſi sunt in tabernacula sua. Dimidiā autem tribui Manasse possessionem Moyses dederat in Basan, & idcirco media quæ superfluit, dedit Iosue sortem inter catros fratres suos trans Iordanem ad occidentalem eius plagam.

EODEM tempore. Hic ponitur pars vltima huius libri, & principalis, quæ est de ducis dispositione, & consistit dispositio in tribus, scil. tempore certaminis, secundo tempore pacis, tertio tempore mortis. Secundum cap. sequenti: tertium infra vigesimoquarto.

Circa primum considerandum, quòd hic agitur qualiter Iosue remiserit duas tribus, & dimidiā in terram suam, & quia præteritis temporibus fuerat semper sub ducatu Iosue, obligabanturq; sequi præcepta illius, nō debebant sine illius redire licentia. Et circa hoc tanguntur quatuor. Primo redeunti datur licentia. Secundo euntes infamantur de idolatria, tertio per legatos inquiritur de orta infamia: quartò demonstratur veritas clara. Secunda ibi. Cumq; venissent. Tertia ibi. Et interim miserunt. Quarta ibi. Responderunt Ruben.

Nunquid hic sit ordo conueniens, quoad continuationem ad præcedentia.

QVÆSTIO I.

CIRCA primum inquire poterat de cōtinuatione huius ad præcedentia: nam licet semper credendum sit esse continuatum ordinem, & conuenientem in eis, quæ narrantur, dum non constat esse anticipationem, vel recapitulationem, tamen multoties fit anticipatio, & recapitulatio in sacra scriptura: ideo quæri posset, an sit hic ordo conueniens, scil. q; istud de missione Rubenitarū, & Gaditarum, & dimidiā tribus Manasse fuerit immediate post præcedentia, vel fuerit ante illa.

Et dicendum, quòd ista quæſtio soluitur in litera, scil. q; eodem tempore, quo ista, quæ supra dicta sunt, fiebant, vocavit Iosue Rubenitas, Gaditas, & dimidiā tribum Manasse, & dedit eis licentiam eundi in terram suam, quia iam magno tempore steterant, cum fratribus suis in laboribus quousq; terra de manu hostium erupta est. Eodem tempore vocauit Iosue Rubenitas. Scil. tempore, quo finita est diuīſio terræ per fortē tribuum, & date sunt vrbēs Leuitis, atque assignatae sunt ciuitates refugij: toto enim hoc tempore manserunt duæ tribus, & dimidiā cum nouem tribubus, & dimidiā in terra Chanaan. Nam tempore belli manere obligatae erant, quia sic iusserat Moyses Num 32. cap. scil. quòd si Rubenite, Gadite, & dimidiā tribus Manasse nollet transire Iordanem ad pugnandum contra Chananeos: non daretur eis terra, quæ erat ante Iordanem, sed cogarentur accipere possessionem ad occidentalē plagam Iordanis, & ipsi acceptauerunt

Redeun
di da
tur li
cenſia,
duabus
tribu
bus &
dimi
dia.

hoc: nec solum obligabantur manere isto tempore, sed etiā quousque diuideretur tota terra Chanaan Israëlitis per fortē suas, & inciperent morari in fortibus illis, sic enim spō- pōndērunt duæ tribus, & dimidiā, vt patet Numeri trigesimo secundo capit. scilicet. Nos autem ipsi armati, & accincti procedemus ante fratres nostros filios Israhel, donec introducamus eos ad loca sua, & post hoc non reuertemur in domos nostras, vsque dum possideant filii Israhel hæreditatem suam. Et istud postea confirmauit, & acceptauit Moyses ibidem: Israëlite tamen non dicuntur possidere hæreditatem suam, quousque habeant terram diuisam, & incipiat quilibet tribus manere in portione sua, ergo quanquam duæ tribus, & dimidiā stetissent cum cæteris Israëlitis, quousque subiuceretur eis terra, si tamen non manerent quousque diuideretur inter eos terra occupata non complebant pactum, & ob hoc Iosue non licentiauit Rubenitas, & Gaditas & dimidiā tribum Manasse, quousque fuerunt completa omnia supraposita de diuīſionib; terræ tam pro Israëlitis, quām pro Leuitis. Vnde in omnibus istis diuīſionib; interueniebat duæ tribus, & dimidiā: nam licet de terra Chanaan, quæ erat ad occidentalem plagam Iordanis nihil accepturæ esent: nam ipsæ renunciauerant omni iuri, si quod habere poterant ad terram trans Iordanem ad occidentem, vt patet Numeri trigesimo secundo, scilicet, nec quicquam querimus trans Iordanem, quia iam habemus possessionem nostram in orientali eius plaga. De istis tamē duabus tribubus & dimidiā possiti erant iudices diuīſores terræ Chanaan, & vt patet Num. 34. & illud Deus instituit.

Item quando missi fuerunt viri ad luſtrandum totam terram Chanaan, & describendum eam atque diuidendum, fuerunt etiam de istis tribubus missi viri, vt patet supra 18. cūm dicitur quòd de qualibet tribu viri terni missi. Etiam quando fortē positæ fuerunt in Silo illuc conuenerunt cum reliquis Israëlitis habituris fortē duæ tribus, & dimidiā, licet ipse non erant posituræ fortē, sed intreat carum bonum publicū procurare, scilicet, quòd omnes Israëlite conuenirent in accipiendo possessiones. Etiam conuenerunt illuc ad honorem situationis sanctuarij, quia tunc incipiebat sanctuarium situarij, cūm ante fuisse motum per loca caſtrorum; & tunc inchoari debebant sacrificia, & quotidiane cæremoniae legales: ad hoc autem rationabile erat, quòd conuenirent illuc duæ tribus & dimidiā, etiam si iam essent in terra sua; quia cultus Dei, & initium omnium legalium operationum ad totum Israhel pertinebat: & hoc signat litera supra 18. scilicet, Congregati sunt filii Israhel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonij, & postea in loco eodem positis fortibus pro omnibus tribubus Israhel, quæ nondum acceperant possessiones, Leuitæ acceſſerunt ad Iosue, & ad principes diuīſores terræ, petieruntque ciuitates, quas Deus eis dari iusserat, & collatae sunt, vt patet præcedenti cap. quod ibi in Silo factum dicitur: & deinde de vrbibus Leuitarum segregatae sunt ciuitates sex pro fugitiuis, de quibus sup. 20. cap. & cum nihil reflaret agendum, vocauit Iosue duas tribus, & dimidiā, deditque eis licentiam redeundi in terram suam.

Vocauit Iosue Rubenitas. Quanquam iam tempus, quo obligabantur duæ tribus, & dimidiā manere cum reliquis Israëlitis, clapsum foret, & mansissent magno tempore extra terram suam; tamen non petebant licentiam recedendi, sed manebant subditæ ad imperium Iosue quousque Iosue iuberet eis redire in terram suam: in quo signatur magna attentione obediendi: sic enim promiserant Moysi, vt patet Nu. 32. & post mortem eius promiserant idem Iosue, vt patet supra cap. I.

Dixitq; ad eos fecisti omnia. Iosue volens mittere duas tribus, & dimidiā in terram suam laudat eas hic primo de obedientia magna, scil. quòd fecerunt omnia, quæ iusserat Moyses, & omnia, quæ præcepérat ipse Iosue. Poterant autem ista laus esse ad tria. Primo, quia virtus laudata crescit: nam cum laus sit primo explicans magnitudinem, per laudem exhibetur nobis aliquis honor, & hoc est generosus animis valde delectabile: cum autem sentiunt sibi hoc coniungi eis cum ipsa virtute, feruntur delectabiliter in eam, vt autem Iosue magis aliceret istas duas tribus, & dimidiā ad virtutem laudauit in eis virtutem præteritam.

D

E

F

Iosue
propter
quid
lauda-
uit tri-
bus du-
as, &
dimi-
diā
quan-
do re-
cess-
runt a
se.

Secunda

A Secunda causa est, quia volebat Iosue consolari istas duas tribus & dimidiā. Laborauerunt multo tempore non inquirentes aliquam utilitatem suam, sed seruientes utilitati aliorum Israëlitarum, & præceptis Iosue: & quia est magnū solamen laborem seruienti, cum se sit actus suos, & labores esse acceptos iubenti: & quamdiu de his ambigit quadam confictione, & anxietate tenetur: voluit Iosue consolari istos declarans labores eorum fuisse acceptabiles, & ad hoc laudat eos in testimonium bonitatis eorum. Et in hoc iuste agit Iosue laudans istos, quia verè laudabiles erant cùm tanto tempore obediuerint ad durissima, & semper virtuosè. Tertia ratio & potissima est, ut alliciat eos ad custodiendam legem Dei: nam tempore, quo fuerant isti cum alijs Israëlitis, & Iosue non poterant facere aliquid contra legem, quia Iosue hoc non permetteret: nunc autem cùm recessi essent trans Iordanem in terram suam, erat sibi liberius facere malum, quod vellent contra legem Dei, & ob hoc Iosue valde hortatus est, ut custodirent mandata legis Moysi: & quia magis efficerentur benevoli ad suscipiendum monita hæc, si laudibus permulcerentur corda eorum iuxta Senecam: Generosus est animus humanus, & facilis dicitur quām trahatur: primò laudauit eos de virtute obedientiæ præteritæ, ut magis alliceret ad actum latræ futuræ, quæ consistebat in cæmoniarum legalium obseruatione.

B *Fecisti omnia, que præcepit Moyses.* Laudat duas tribus, & dimidiā de obedientia: & quia obedientia est respectu præceptorum, ponuntur præcepta duplia respectu quorum fuerunt obedientes, scilicet, respectu præceptorum Moysi, & præceptorum Iosue: præcepta Moysi fuerunt quòd duæ tribus, & dimidia mitterent viros suos fortes ad bellum cum Israëlitis, & non redirent in terram suam quo usque Israëlitæ possiderent pacificè terram, sicut ipsi possidebant, ut patet Numeri 32. hæc omnia custodierant diligenter filij Ruben Gad, & dimidij Manasse. Iam enim hæc omnia expleta fuerant, cùm remitteret Iosue duas tribus, & dimidiā in terram suam.

C *Famulus Domini.* Istud ponitur pro singulari laude: semper enim dicitur de Moysè in toto isto libro, & in alijs omnibus ferè, in quibus de ipso agitur, quòd sit famulus Dei, id est, quòd specialiter Deo famulatus fuerit. Nam multi alij in toto Israel Deo famularentur: nullus tamen ita perfectè: ut Moyses famulatus est: & ob hoc vocabat eum Deus fidelissimum in tota domo sua, ut patet Num. 12. & ad Hebr. 4. cap.

D *Mibique in omnibus obeditis.* Præter præcepta Moysi obseruauerunt amplius omnia præcepta Iosue: nam præcepta Moysi erant vniuersalia valde, Iosue autem erat dux belli, & iubebat eis toto tempore, quo fuerunt in terra Chanaan, cum Israëlitis aliquid agere, in quo ipsi sponte obediebant: Hoc ipsi promiserunt Iosue à principio ducatus sui: proposuit enim Iosue illis illud, quod mandauerat Moyses de transitu eorum in terram Chanaan, & hortatus est quòd illud complerent: ipsi autem responderunt: Omnia, quæ præcepisti nobis faciemus, & quocunque miseric, ibimus; sicut obediuiimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi: qui contradixerit orituo, & non obedierit cunctis sermonibus, quæ præceperis ei, moriatur. Postea autem sic fecerunt nunquam prætergredientes mandatum illius. De hoc supra primo cap.

E *Nec reliquistis fratres vestros longo tempore.* Istud ex superioribus intelligebatur, scilicet, quòd obedierant omnibus mandatis Moysi. Iusserat tamen Moyses, ne redirent in terram suam, quo usque Israëlitæ securè tenerent possessiones suas, ut patet Num. 32. cap. ideo tenebantur ad hoc: commemorat tamen Iosue istud specialiter, quia erat difficultimum, & ex hoc erant valde laudabiles: nam quilibet desiderat manere in terra sua, & possessione sua, potissime cùm isti reliquistissent filios, & vxores ante transitum Iordanis, & iam a magno tempore non reuersi fuerant ad eos: tenebantur enim iam magno desiderio corum.

D *Quanto tempore manserunt duæ tribus, & dimidia cum alijs Iudeis trans Iordanem.*

Q V A E S T I O II.

F VIT autem istud tempus longum, quia fuit fortè decem annorum, aut ulterius. Quidam enim volunt quòd fuerint anni quatuordecim, scil. septem anni, quibus durauit acquisitio terræ de manu hostium, & alijs septem anni in diuisione eius. De septem annis quibus durauit bellum & acquisitio, satis patet ex verbis Caleb ad Iosue supra 14. dixit enim quod ipse erat annorum quadraginta quando missus fuit de Cadesbarne ad explorandum, & quod in die, quo loquebatur verba ista ad Iosue erat annorum octogintaquinque: ergo fluxerant anni quadragintaquinque; à missione illa usq; ad tempus, quo loquebatur Caleb ad Iosue: ab illa missione tamen usque ad introitum in terram Chanaan fluxerunt anni triginta octo vel quasi dimidius: ergo manebunt sex anni & dimidius ab introitu in terram Chanaan usquequo verba illa dicta sunt. Assumptum patet, quia ab exitu de Ægypto usque ad introitum in terram Chanaan fluxerunt anni quadraginta Exod. 16. & Deut. 8. ab his dematur annus & dimidius, vel quasi qui fluxit ab exitu de Ægypto usq; ad missionem exploratorum de Cadesbarne, quia circa medium anni secundi missi fuerunt, ut declaratum fuit Num. 13. cap. ergo manebunt triginta octo & dimidius. Ad completionem autem quadragintaquinque, qui fluxerant à missione exploratorum de Cadesbarne usq; ad tempus, quo locutus fuit Caleb verba hæc deficiunt sex, & dimidius: tot ergo anni transtierant ab introitu in terram Chanaan, usquequo locutus fuit Caleb verba hæc, & totum istud fuit tempus bellorum, quia quando loquebatur ista Caleb ad Iosue fuit data pax, ut patet supra 14. ergo septem annis, vel quasi durauit acquisitio terræ Chanaan. De tempore quod postea fluxit, usquequo redierunt duæ tribus, & dimidia in terrâ suam non potest sic patere, quia nihil scriptum est.

G Dicit tamen historia scholastica super Genes. quod annis septem durauit diuilio, & hoc videtur dicere ex auctoritate Iosephi de antiquitatibus lib. 2. Quòd autem tantum tempus fuerit non facile dixerim, nescio enim quomodo expedium fuerit. Quòd tamen fuit magnum tempus, ut duorum, vel trium annorum saltem constare satis credo, quia descrip̄tio illa, quam Iosue fieri præcepit, erat valde difficilis, & magna occupationis, & declaratum est supra 18. in his tamē satit obediens oportet historiographis approbat, ut Iosepho. Maior autem difficultas obedientiæ, quæ fuit hic consistebat in hoc quòd postquam duæ tribus, & dimidia transierunt Iordanem cùm alijs Israëlitis nunquam redierunt in terram suam saltem ad modicum tempus visuri filios, vel uxores, sed manserunt toto tempore magno quo usque expletis bellis, & terræ diuisione regressi sunt.

H *Visque in presentem diem.* Id est à tempore quo transiit Iordanem venientes cum fratribus vestris nunquam reliquistis eos usque hodie, scil. saltem per unam diem nunquam regressi fuistis in possessiones vestras & ad uxores & liberos. *Custodientes imperium Domini Dei vestri.* Id est, hoc fecisti, ut custodiretis imperium Dei. Sed dicetur quomodo custodiebant imperium Dei duæ tribus & dimidia in hoc: quia solum imposuerat præceptum istud Moyses, & fuit impositum præceptum quali ex quadam conuentione inter duas tribus, & dimidiā cum Moysè nomine aliarū tribuum. Respondendum quòd Moyses erat propheta Dei, & credebatur omnia, quæ faceret agere ex præcepto Dei: & quæcumque iuberet Deo prius iubente ei hoc mandaret: sed ipse interpoluit mandatum istud, ideo dicebatur esse mandatum Dei.

I *Quia ergo dedit Dominus Deus.* Volebat dare Iosue duabus tribus, & dimidiæ licentia redeundi in terram suam, & ad hoc præmittit causam, scilicet, quòd iam non erat necessaria præsentia eorum in terra illa. toto enim tempore præterito fuerant necessaria duæ tribus, & dimidia cum cæteris Israëlitis, ut ad pugnandum, & faciendum cætera cum eis in diuindenda terra: nunc autem quia data erat requies Israëlitis acquisitis possessionibus, & diuisis: non habebant aliquid quod facerent duæ tribus, & dimidia.

A *Quia dedit Dominus Deus vester fratribus vestris requiem.* Id est, dedit pacem cum hostibus in cessatione à bellis. Ista quies est data à Deo. Et hoc quantum ad duo, quæ importat. Primum est acquisitione perfecta terræ pro tempore illo requisitæ. Secundum est cessatio à bello insurgente. Quantum ad Primum data est pax à Deo, quia Israelites nunquam habituri erant pacem quoisque acquirerent terram sibi sufficientem ad habitationem. Cum autem Deus dedit Israelitis terram ad sufficientiam dedit eis pacem, quia ipsi non curauerunt ulterius pugnare cōtra Chananæos. Ifstud autem à Deo datum est, vt patet Deuter. 8. scilicet, ne dicas in corde tuo fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt, sed recorderis Domini Dei tui, qui vires tibi præbuit, vt cōpleret pactum tuum. Secundum quod importat pax est cæssatio ab impetu insurgente. Et hoc est ex parte hostium, scil. quod Deus repressit Chananæos ne insurgerent contra Iudeos: fuit autem hoc incutiendo timor vel aliquo de modis assignatis in fine præcedentis cap. ideo pax quomodo cunq; accipitur à Deo data fuit Israelitis.

Quietem & pacem. Ista duo pro codem consueuerunt accipi, sed hic possunt signare diuersa, scil. quies importat terminationem motus, & desiderij: *Quies enim est terminus motus cum autem aliquis mittitur, vt aliquid acquirat, non est desiderium eius in complemento, nec operationes eius quietè, sed mente, & corpore semper se in aliquid fert, cum vero illud acquisitum fuerit quod quærebamus, sequitur quies quæ est quietatio appetitus & cæssatio ab operationibus exterioribus, pax autem dicit priuationē molestationis ab extra illata, scil. cum nullus contra nos insurget.* Vtrunque erat in Iudeis, scil. quia iam acquisierant totam terram, quam pro tunc expectabant & contra eos hostes non insurgebant. Ponitur tamen quies ab intra: pax autem quantum ad ea, quæ exteriora sunt.

Sicut pollicitus est. Promiserat enim Deus, quod tribueret Israelitis terram Chanaā, & quod subijceret eis hostes, vt patet Exod. 23. & Deut. 7. cap. & sic iam compleuerat, vt dicitur præced. cap. in fine.

Reuertimini, & ite in tabernacula vestra. Id est, antequam Deus daret pacem fratribus vestris, vos eratis necessarij ad pugnandum contra hostes: nunc autem data pace nō est opus, vt maneat hic: reuertimini ergo, & ite in tabernacula vestra.

Et in terram possessionis vestra. Scilicet, in terram, quæ est ante Iordanem ad solis ortum, vbi fuerant duo reges Amorrhæi: illam enim terram acceperant duæ tribus, & dimidia in possessionem, vt patet Num. 32. cap. & Deut. 3.

Quam tradidit vobis Moses. Istam terram tradiderat Moses diuidens in tres partes pro duabus, & dimidia tribubus: ipso enim viuente fuit terra illa acquisita: & eo viuente fuit distributa, quia duæ tribus, & dimidia petierunt illam, quia erat conueniens pastui pecorum, in quibus abundabant viri isti, vt patet Num. 34. cap. sicut autem Moses tribuit terram istam duabus tribubus, & dimidiæ; ita distribuisset totam terram Chanaan, si introisset in illam: nec fuisse datus aliquis aliis diuisor, nec quæretur modus specialis diuidendi, sicut pro divisione terra duorum regum Amorrhæorum nullus fuit assignatus diuisor præter Moysen, quia tamen nō erat victurus Moyses, vt introiret in illam: antequam moreretur Moyses, fuerint assignati diuisores, scil. Iosue, & Eleazarus sacerdos, & duodecim viri, scil. singuli de singulis tribubus, vt patet Num. 34. c. ideo cum sit mentio de terra duarum tribuum, & dimidiæ: dicitur quod Moyses tradidit illis in possessionem terram ipsam. *Trans Iordanem.* Id est, ultra Iordanem, scil. ad orientalē plagam: vtraq; enim terra erat trans Iordanem, scil. terra duarum tribuum, & dimidiæ, & terra nouem tribuum, & dimidiæ: sed prior erat ad partem orientalem Iordanis, secunda autem est ad partem occidentalem: & ob hoc interdum ponuntur istæ connotationes, scil. ad orientalem plagam, ad occidentalem; vt patet supra 1. & 5. Nam supra 1. & 13. dicitur quod acceperunt duas tribus, & dimidiæ hæreditatem trans Iordanem ad solis ortum, & supra 5. dicitur quod reges Amorrhæi, qui habitabant trans Iordanem ad occidentalem plagam audierunt, &c. hic autem non ponitur limitatio, scil. ad orientem, vel occidentem, tamen intelligitur: quia cum esset iste, qui loquebatur, scil. Iosue, ad occidentalem plagam Iordanis, nō vocaret trans

Iordanem, nisi partem orientalem, quia ipsam partem in qua erat non vocaret trans Iordanem, sed aliam.

Ita dumaxat ut custodiatus attente. Hic adiungit Iosue alias conditiones, vel præcepta, scil. quod colerent Deum obseruantes legem Moysi, & quod diuiderent prædam cum fratribus suis qui manebant in terra ante Iordanem. Et est sensus, ego do vobis licentiā redeundi nihil imponens oneris, nec quidquā à vobis exigens dum tamen obseruetis ista duo. Vnum quod est ad Deum, & alterum ad fratres vestros. Et dicitur ut custodiatis attente. Custodire potest importare duo: uno modo custodire signat cauere, & pertinet ad præcepta negatiua, scil. quod nullo modo faciant quod vetitum est. Alio modo pertinet custodire ad cor, scil. quod in corde nostro diligenter custodiamus aliquid adhibentes diligentiam, vt compleamus. Primo modo distinguuntur custodire & opere complere, quia custodire pertinet ad præcepta negatiua, scilicet, cauere ab actibus vetitis: opere complere pertinet ad præcepta affirmatiua, scil. quod sicut iussum est ita faciunt. Accipiendo secundo modo custodire pertinet ad animum, scil. quod homo habeat animum agendi ea, quæ agenda sunt: & cauendi ab eis, à quibus cauere debet: & tunc distinguitur ab opere complere, quia istud pertinet ad exteriorem executionem, siue aliquid agendo siue ab illo cauendo dato casu, & iste secundus sensus magis conuenit literæ. Dicitur aliquis attente custodire quando toto animo laboret, vt Dei præcepta compleat inuigilando, nec ex errore offendat: sic dicitur Psal. 1. de viro beato, scil. Sed in lege Domini fuit voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Et opere compleatis. Non sufficit quod quis habeat voluntatem complendi mandatum Dei, si dato casu non complet: quia studium in moralibus inutile est cum operatio deficit, quia negotium in moralibus non est gratia speculationis, sed operationis, vt patet 2. Ethic.

Mandatum & legem quam præcepit vobis Moses. Per mandatum intelliguntur moralia, per legem intelliguntur ceremonia, & iudicia, quæ propriè vocantur lex, id est, aliquid positivum cum non dependeant ex determinatione rectæ rationis: sed ex voluntate Legislatoris, & ita cūm uniter expōnitur. Sed magis dicendum est quod præceptum, & lex non sint hic aliqua distincta, sed per utrumque importetur tota lex Mosaica ad cuius obseruationem hortabatur Iosue duas tribus & dimidiā. Vocatur tamen ista lex & mandatum: Lex quidem, quia lex dicit dictamen rationis directium, vel aliquam regulam: & id quod Moses scriperat Deo iubente, erat directium operationum humanarum, ideo lex vocatur. Vocatur autem mandatum in quantum respicit auctoritatem iubentis, quia ista lex à Deo dabatur Israelitis in mandatum, scilicet, vt eam obseruarent. Quod autem nō stet primus sensus, patet: quia dicitur opere compleatis per mandatum, & legem quā dedit vobis Moses: in quo refertur totū ad Moysen, scil. mandatum, & lex: sed moralia præcepta, scil. decalogi non dedit Moses: quinimo angeli in voce tubæ in monte Sinai dederunt illa; sed Iosue non curabat facere differentiam inter præcepta moralia, & legalia, sed solum nominabat legem Moysi, quia ibi comprehendebantur omnia, & si quis legem totam Moysi obseruaret, custodiret etiam omnia præcepta decalogi, nam licet non fuerint data per eum, tamen ipsa ea in libris suis scripti, vt patet exod. 20. & postea parum ante mortem suam, cum inciperet proponere populo totam legem, primò posuit moralia præcepta decem, & de quibus Deut. 5. cap.

Vt diligatis Dominum Deum vestrum. Proponit duo Iosue duabus tribubus & dimidiæ, scil. diligere Deum, & obseruare mandata. Est autem præceptum de dilectione fundatum omnium præceptorum: nam qui diligit Deum, omnia quæ iubet adimplebit. Et quoque principalissimum præceptum: sic enim dixit Christus quod diligere Deum ex toto corde, & tota anima est primum & maximum mandatum in lege Matth. 22. cap. & secundum est simile huic, scilicet, diligere proximū, sicut seipsum. Et sic Moses cum iusticeret Israelitas pluribus præceptis ordinans in uno volumine totam legem præposuit præceptum de dilectione Dei: patet Deut. 6. & iterum cum in cap. 11. Deut. redeat ad narrationem præceptorum, quæ primò ponere tentans propter

historicas

Iosue
præ-
cepta ad
tribus.

Custo-
dire po-
test in-
ferre
duo.

E

Diffe-
rentia
inter
legem,
& man-
datum.

F

Præ-
ceptum
de dile-
ctione
est ma-
ximum
man-
datum.

A nitoricas narrationes omiscerat, de amore Dei ponit: & inde ad præcepta legalia tam cæmeritalia quam iudicialia transfit. Ponitur etiam istud præceptum de diligendo, quia nullus est quod ita nos dirigit in Deum sicut ipsum, quia per nullum actum magis ad eum accedimus: fide namque, & charitate colitur Deus, ut ait August. in Enchiridion, & in his tribus actibus nullus est magis directus in Deum, quam amare: ideo hic magis quam ceteri præcipi debuit. Alij namque actus, scilicet, cæmeritales in cultu exteriori non profundunt secundum se, sed solum secundum quod à charitate quam in Deum est, diriguntur.

B *Et ambuletis in omnibus vijs eius.* Accipitur via in moralibus præceptum directuum operationis, sicut via est directua ambulationis: via autem Dei dicuntur præcepta Dei, & hoc dupliciter. Primò quia Deus illas vias ad progrediendum nobis concessit prohibens omnes alias ad inuentiones nostras, quæ non sunt secundum Dei voluntatem, sed secundum humanam nequitiam. Secundo modo vocantur viae Dei, id est, quia per præcepta ista sicut per vias in Deum tendimus, & non est alius modus eundi ad ipsum: istum sensum declarauit Christus in verbis suis Matth. 19. cum quæsuerit quidam quid faciendo vitam æternam possidebo? Responsum est: Si vis ingredi ad vitam, serua mandata. Ingredi tamen ad vitam nihil aliud est quam in Deum, qui felicitas est, & vita æterna venire, ergo præcepta sunt viae Dei, id est, in Deum. Alio modo vocantur præcepta viae propter assuefactionem: omnis enim assuefactio nostra vocatur via, siue sit bona, siue prava: sic dicitur Ierem. 10. Iuxta vias gentium nolite discere, id est, iuxta consuetudinem, & quia præcepta cum ponantur tanquam regulæ directiæ operationum sunt, in quibus assuefieri debemus, vocantur viae.

C *Et obseruetis mandata illius.* Hic fit repetitio ciudem sententiæ per alia & alia verba, & hoc est ad exaggerandum: cum enim quis magis mouere vult, loquitur sic: quia si unico verbo non trahimur, multis saltim leniemur: & potissimum fit hoc ex effectu loquentis, quia cum circa aliquid nimis efficiatur non credit satis factum esse intentioni sua si semel protrulerit, ideo idem pluries per alia & alia verba profert. Obseruare mandata non differt ab hoc quod est ambulare in vijs Dei, nisi accipiatur custodire vel obseruare, ut pertinet ad animum, & ambulare in vijs Dei ut importat opere completere, ut supra dicebatur. Accipiuntur autem mandata Dei hic pro omnibus mandatis siue cæmeritalibus, siue iudicialibus, siue moralibus: omnia enim Deus obseruari iubet, & Iosue qui illa volebat custodiri. *Adhæreatisque ei.* Adhære alicui est firmiter se tenere ex parte eius, & signat totam animi applicationem, scilicet, cum quis ad alterum totaliter se conuertit: & hoc importat magis quam prædicta, scilicet, non solum ambulare in vijs Domini, sed totaliter proponere declinare in Deum & sequi voluntatem illius nec unquam conuerti in aduersum: & iste modus eriam pertinet ad partialitates, & factiones cum quis alicui parti fauet illi semper fauere intendens ad quemcunqu euentum, & hoc pertinet ad perfectum amorem: nec petit aliquid aliud Deus à nobis, nisi ut ei adhæreamus, scilicet, disponentes sequi ad omnem causum voluntati illius. Fit autem hoc, si aliquid appareat nobis bonum totaliter, & indubitate, quia illi tunc penitus adhæremus nescientes aliud ad quod debeamus declinare: sic dixit Petrus Christo, cum recederent ab eo quidam discipuli scandalizati in verbis eius, quia dixerat: Nisi manducaeritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: ait ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Respondit Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitae æternae habes q. d. non inuenimus aliquid maius bonum te ad quod declinamus. *Ac seruitatis in omni corde, & in omni anima vestra.* Istud dicitur ad maiorem exaggerationem, scilicet, quod non solum Deum debemus colere, & adhære alicui, sed etiam in toto corde nostro, & anima seruire illi. Seruitus Dei ponitur absolutè hic, & importat omnem modum cultus diuini, siue solum interioribus, siue etiam extra in opere, dicitur autem ex corde, & anima quia fortè ista duo ponuntur pro eodem, sed duplicantur ad exaggerandum maximum ex modo improprio loquendi, cum aliqui non multum experti circa significata, & differentiam vocabulorum multiplicant ea. Potest autem aliter dici, quod possunt poni

D tanquam diuersa scilicet, quod cor ponatur hic, ut importat partem affectiuam, vel quomodo cunque appetitum: anima autem importat partem iudicatiuam, scilicet, quod homo feratur in cultu Dei secundum partem volitiam, & intellectuam iudicando semper ea, quæ ad Deum perrinent: & eligendo illa. Et ponuntur ista duo, quia ista duo sunt propriæ principia omnium actuum humanorum, ut patet Ethicor. lib. 6. & cum ista directa sunt in Deum totus homo directus est in eum: & dicitur ex toto corde, id est, nullatenus ei repugnando, sed totaliter eligendo quæ ad eum pertinent: & ex tota anima, id est, nequaquam iudicando debere eligi quod est contra Deum. Vcl magis propriæ secundum significacionem istarum vocum, scilicet, quod ex toto corde, id est, tota affectione, vel voluntate ferat se quisquam in Deum, scilicet, quod tota volitio sit in Deum, & nullam aliam rem velimus. Et istud pertinet ad amorem perfectissimum; sic enim ait Aug. Domine minus te amat, qui cum alio te amat. Et est senius quod tota delectatio voluntatis nostræ esset in Deo, & in nulla alia re. Hoc tamen non potest compleri hic, sed complebitur in vita æterna: in isto sensu in tota anima aliquis deseruit quando totum intellectum nostrum ad Deum conuertimus, scilicet, ut nihil præter ipsum intelligere, aut considerare velimus: & hoc conformiter non completur hic. Quanto tamen aliquis magis de isto præcepto obseruat, perfectior est. De hoc magis declaratum est Deut. 6. & declarabit Matth. 22. c. *Benedixit g. eis Iosue.* Per imprecationem bonorum. Benedictionis enim significat augmentationem bonorum, & maledictio importat diminutionem: sic patet Deut. 7. & 28. c. scilicet. Benedictus fructus ventris tui: benedictus fructus terra tua: benedictus fructus iumentorum tuorum, & armentorum: benedicta horrea tua. Benedictionis quoque aliquando significat multiplicationem, vel abundantiam: sic fumit Apost. 2. ad Cor. 9. scilicet. Qui parcet seminat, parcet metet: qui in benedictionibus seminat, in benedictionibus & metet, ibi opponitur benedictionis parcitati, sed parcitas significat auaritiam, vel diminutionem, ergo benedictionis significat augmentationem. Benedicere tamen communiter & benedictionis accipiuntur pro imprecatione bonorum, vel pronunciatione. Primus modus pertinet ad minores respectu maiorum, vel ad æquales respectu aequalium, vel maiores respectu minorum: omnes enim hi alii interdum bonum precantur. De minoribus ad maiores patet, ut in Jacob, qui benedixit regi Pharaoni, ut patet Gen. 47. cap. Maiores quoque interdum benedicunt minoribus. scilicet, prelati subditis suis, & sic sacerdotes benedicebant populo, ut patet Nu. 6. & Leu. 9. Pater quoque benedicebat filios, ut Jacob benedixit filios suis, ut patet Gen. 49. c. De benedictionibus autem istis quomodo se habeat, scilicet, benedictiones maiorum ad minores, & è contrario, & benedictiones Dei ad nos, & benedictiones nostræ ad Deum declaratum est Leu. 9. c. fuit autem ista benedictionis Iosue solum per bonorum imprecationem, ut si diceret: Deus det vobis omnia prospera, vel augmentet vos in omni bono. *Et dimisit eos.* Id est, dedit eis licentiam recedendi in terram suam ad orientalem plagam Iordanis. *Qui reuersi sunt in tabernacula sua.* Scilicet, postquam dedit eis Iosue sententiæ recedendi. Vocantur tabernacula sua omnes ciuitates, quæ erant ad orientalem plagam Iordanis in terra duorum regum, Amorrhæorū, quia ciuitates illæ fuerant datæ duabus tribubus, & dimidiæ, ut patet Deut. 3. & supra 13. c. ibi enim antequam transirent Iordanem costruxerunt ciuitates pro vxoribus suis & filiis, & causas pro pecoribus, ut patet Nu. 32. c. *Tribui autem Manasse medie possessionem Moyses dederat in Basan.* Hoc ponitur quia dicitur quod dimisit Iosue duas tribus & dimidiæ in tabernacula sua, & dimidia erat tribus Manasse. In quo videtur, quod tribus Manasse non accepérat possessionem in terra illa, ideo dicitur quod media tribus Manasse accepérat possessionem in Basan, id est, in terra Basan. Est autem regio Basan ad orientalem partem Iordanis in terra duorum regum Amorrhæorū in regno regis Og; & ab hac terra vocatus est ipse rex Basan. Nec tamen intelligendum est quod accepérat ista medietas Manasse solam terram Basan: sed etiam medietatem montis Galaad, & alias vrbes, de quibus dictum est Deuteronom. 3. & supra 13. sed dicitur de terra Basan, quia maior pars possessionis huius dimidiæ tribus erat in regione Basan. Et dicitur quod Moyses dederat possessionem huic dimidiæ tribui ad differentiam

Minus
Deum
amat
qui cū
alio
Deum
amat.

E

Bene-
dictio
quid si-
guis-
est, &
ad que
sb. stat

F

alterius

A alterius dimidiæ tribus, cui dederat possessionem Iosue: dedit enim Moyses possessionem duabus tribubus & dimidiæ, quia terra duorum regum Amorrhæorum capta est ipso viente & regente Israëlitæ, ut patet Num. ca. 21. & Deut. 2. & 3. Ideo ipse diuisit eam inter duas tribus, & dimidiæ, quæ pertierant eam, ut patet Nu. 32. & sup. 13. c. Iosue autem dedit possessionem nouem tribubus & dimidiæ de quibus patet supra à c. 15. vsq; ad 20. fuit autem dimidia tribus ista Manasse. Idcirco dimidiæ quæ superfuit. Scilicet, quæ non acceperant possessionem ad orientalem plagam. Dedit Iosue sortem. Id est, possessionem acquisitam per sortem. Inter fratres suos. Id est cum ceteris nouem tribubus, quæ non acceperant possessionem ante Iordanem per manum Moysi. In quo sciendum quod cum Moyses, & totus Israel ceperunt terram duorum regum Amorrhæorum ante Iordanem non intendebant illam terram diuidere, sed acquirere reliquam terram promissionis, & tunc diuidenter totam simul assignantes cuilibet tribui sortem. Duæ tribus & dimidiæ, quia viderunt terram duorum regum Amorrhæorum valde pascualē, & ipse abundabant nimis in pecoribus petierunt illam à Moysi, qui concessit eis post multas disceptationes, ut patet Num. 32. Manserunt autem nouem tribus, & dimidiæ, quæ nondum suscepserant sortem, & dimidiæ fuit Manasse. His autem dedit Iosue possessionem trans Iordanem ad occidentem: & cum his dedit possessionem dimidiæ tribui Manasse: & hoc est quod dicitur, idcirco mediae quæ superfuit dedit Iosue sortem quasi dicat Moyses & Iosue erant daturi possessionem per sortem omnibus Israëlitæ, sed dimidiæ tribui Manasse non dederat Moyses possessionem: ideo Iosue erat datus. Et dicitur. Inter ceteros fratres suos. Id est, inter alios Israëlitæ, qui non acceperant possessionem. Omnes enim Israëlitæ inter se vocantur fratres, quia veniebant ab eodem capite: & sic sive accipientes possessionem tempore Moysi, sive non, fratres erant: tamen dicitur inter ceteros ad differentiam illorum, qui iam habuerant tempore Moysi possessionem, scilicet, Ruben, & Gad: cum nouem autem tribubus residuis acceperit dimidiæ tribus Manasse possessionem.

B Trans Iordanem. Dicebatur supra quod duæ tribus, & dimidiæ acceperant possessionem trans Iordanem: hic etiam dicitur quod dimidiæ tribus Manasse accepit possessionem trans Iordanem, sed non ad eandem partem Iordanis: utraq; enim pars vocatur trans Iordanem: nam illi, qui sunt ad partem occidentalem dicunt eos, qui sunt ad partem orientalem esse trans Iordanem, & è contrario qui sunt ad orientalem plagam Iordanis dicunt eos, qui sunt ad occidentalem plagam esse trans Iordanem: quia tamen Iosue, qui ita loquebatur, erat ad partem occidentalem, vocabantur proprie respectu illius trans Iordanem illi, qui erant ad partem orientalem: ideo cum de his dicebatur quod erant trans Iordanem, non fuit posita determinatio, scilicet, an essent ad partem orientalem, vel occidentalem: cum autem dicebatur de his, qui erant occidente quod erant trans Iordanem: adiunctum est quod erant ad plagam occidentalem, quia in eadem parte erat Iosue ista loquens, & respectu eius non erat dimidiæ tribus Manasse, de qua dicitur trans Iordanem, ideo ne ita etiam crederetur esse ad partem orientalem subiuncta est determinatio, scilicet, ad occidentalem plagam, & sic tribus Manasse erat diuisa in duas medietates quarum una erat trans Iordanem ad orientalem plagam, & alia trans Iordanem ad plagam occidentalem, & ista est medietas, cui Iosue assignauit possessionem.

Cumque dimitteret eos in tabernacula sua, & benedixit eis, dicit ad eos: In multa substantia atque diuitijs reuertimini ad sedes vestras, cum argento & auro, ære ac ferro, & ueste multiplici: diuidite prædam hostium cum fratribus vestris. Reuersique sunt, & abiurunt filij Ruben & filij Gad & dimidiæ tribus Manasse à filiis Israël de Silo, quæ sicut in Chanaan; ut intrarent Galæad terram possessionis sua, quam obtinuerant iuxta imperium Domini in Manu Moysi.

Cumque dimitteret eos. Id est, duas tribus, & dimidiæ. Benedixisset illis. Ista est replicatio sententiae, quia intendebat si-

D gnisificare scriptor libri quomodo Iosue benedixerit istis duabus tribubus, & dimidiæ: & quid dixerit eis post benedictionem, & quia post benedictionem enarratam interposuit quædam de possessionibus duarum medietatum tribus Manasse, repetit hic benedictionem, ut non videatur facta interruptio.

Dicit ad eos. Id est, ad duas tribus, & dimidiæ. In multa substantia. Ista fuerant ultima verba Iosue ad duas tribus & dimidiæ. Et ponuntur ista tanquam introductio ad unum præceptum, quod intendit dare Iosue, scilicet, de diuisione prædæ cum remanentibus in terra istarum duarum tribuum & dimidiæ.

In multa substantia atque diuitijs reuertimini. Id est, vos reuertimini in terram vestram habentes substantiam multam, quam ex præda hostium accipistis, id est, diuidite eam cum fratribus vestris. & dicitur in multa quasi dicat, si modicum acquisiuerint ex bello, quia multis temporibus manserant pugnantes & extra terram suam periculis se exponentes, non videbatur rationabile quod aliquid darent illis, qui non venerant ad bellum; quia tamen fuerant facti abundantes ex bello, rationabile erat ut diuidenter partem pecuniarum cum alijs, & dicitur in substantia atque diuitijs accipiendo pro eodem: quanquam magis propriæ substantia accipitur pro immobilibus. Diuitiae autem ad res mobiles magis pertinent, & potissimum ad pecunias.

Differ. E
 rentia inter substantiam & diuitias.
 Reuertimini ad sedes vestras. Sedes istarum duarum tribuum & dimidiæ erant regna duorum regum Amorrhæorum: illa enim diuisa fuerant inter istas tribus, ut patet Deut. 3. & supra 13. ideo antequam transirent Iordanem parauerant ibi locum pro parvulis suis, & uxoris in urbibus: & caulas pro pecoribus, ut patet Num. 32. cap. vocatur autem sedes hic id quod supra vocabatur tabernacula. Et dicitur terra, in qua quis moratur sedes eius à sedendo, id est, manendo, quia ibi quiete manet, sicut sedes: & istud vocabulum est frequentatum apud antiquos scriptores.

Cum argento, & auro; ære, & ferro. Ista acceperunt ex bello: cum enim aliqua loca accipiebant occidentes habitatores locorum, diripiabant omnia, quæ innuenient in locis, & potissimum accipiebant aurum, & argentum; ferrum, & æs.

An omnes urbes terra Chanaan fuerint subiectæ interdicto & licuerit accipere Iudeus quandam partem prædae.

Q V A E S T I O III.

Dicit aliquis quod forte ista ponebantur, quia ista erant, quæ licebat accipi de anathemate, ut patet in Iericho: nam ipsa supposita fuit anathemati, tamen de ipsa accepta sunt aurum, argenteum, ferrum, & æs, ut patet supra 6. cap. Et adiungeretur ad hoc quod ciuitates terra Chanaan subiiciebantur anathemati, & solum accipiebantur de eis hæc, quæ alias licebat de anathemate sumi. Quod autem subiicerentur omnes urbes anathemati colligi videtur ex hoc quod urbs prima terra Chanaan, scilicet, Iericho anathemati supposita fuit, ut patet supra 6. urbs quaque secunda terra huius, scilicet, urbs Hai fuit sub anathemate, quia facta est tumulus sempiternus, cum fuerit combusta: idem patet de alijs urbibus terra Chanaan quia combusit eas Iosue, ut patet supra 11. cap.

Respondendum est quod non fuerunt positæ omnes urbes terra Chanaan sub anathemate, sed solæ duæ, scilicet, Iericho, & Hai, ut patet supra 6. & 8. cap. Et cum dicitur, quod non licebat aslumi de urbibus, nisi ita quatuor, scilicet, ferrum, æs, argenteum, & aurum, quia erant urbes suppositæ anathemati. Respondendum est falsum esse, quia non solum accipiebantur hæc, sed etiæ uestes isti tulerunt, ut patet in litera. Item dato quod fuisse anathema positum super omnes urbes Chanaan non solum licuisset accipere aurum, & argentum; ferrum, & æs; sed etiæ uestes, iumenta, pecora, & quæcumque pertinentia ad valorem aliquem quæ possumunt appellari non niente prædæ. Quod patet de urbe Hai: ipsa enim fuit supposita anathemati, quia facta est tumulus æternus, ut nemo in ea habitaret, ut patet supra 8. tamen in ea capta sunt pecora, & iumenta, & tota præda exercitui diuisa est Deo iubente, ut patet præalleg. cap. licuisset ergo etiam in his urbibus.

Item

A Item non conuenienter argueretur, quod solum accepta fuissent in his vrbibus aurum argentum, ferrum, & æs; quia hæc sola accepta sunt in Ierichontino anathemate: nam si ex illo arguatur, non licebit hic Iudæis quidquam accipere; quia aurum, & argentum, & cætera, quæ accipiebantur in vrbe Iericho, non accipiebantur ad redigendum in vsum Israelitarum, sed ad conseruandum in thesauris Domini, vt patet supra 6. & si quis acciperet quidquam de illa peccabat, & erat reus mortis: sic patet de Achan, qui accepit regulam auream, & pallium coccineum, & lapidatus est supra 7. & tamen istud aurum, & argentum, æs, & ferrum acceperunt duæ tribus, & dimidia pro se, & iubebat Iosue quod diuidarent illa cum alijs fratribus suis, vt patet in litera: ergo non accipiebant Israelitæ istud aurum, & argentum eo modo, quo acceperunt id, quod erat in Iericho: & sic nec sufficienter in concludetur, quod ista acceperint, quia solum ea accipi licebat quasi ex anathemate. Item cum arguebatur, quod essent omnes ciuitates terræ Chanaan suppositæ anathemati, & quod ea, quæ ex illis accipiebantur caperentur quasi ex anathemate, non stat, cum dicitur quod Iericho anathemati subdita fuit, & ciuitas Hai: nam de ipsis concedendum est quod fuerunt suppositæ anathemati: sed non fuit hoc quasi tota terra Chanaan, sic anathemati subiicienda foret, sed ex causis quibusdam specialibus, de quibus dictu est supra 6. & 8.ca. cæteræ autem vrbes non erant subiiciendæ anathemati, quia per anathema qualitercumque poneretur efficiebatur locus ad habitandum illicitus, cum dicatur quod ponebatur tanquam tumulus æternus, sicut patet supra 4. & simile Deuter. 13. cap. Si ergo tota terra Chanaan anathematizaretur, non liceret habitari in ea, vel saltem in aliquibus vrbibus de primò factis: sed falsum est, quia terra illa dabatur Iudæis, vt habitarent in ea, ergo non erat anathematizanda. Item patet quia ciuitates terræ huius diuiserunt inter se Israelitæ, & habitabant in eis, vt patet ex præcedentibus à cap. 15. vsq; huc. Item quando arguebatur q[uod] aliae vrbes terræ Chanaan anathematizatæ sunt, quia fuerunt cōbusæ, vt patet supra 11. non conuenienter arguitur, quia non fuit aliqua illarū posita sub anathemate: & cum dicitur q[uod] fuerunt combustæ non est verū quod fuerunt omnes combustæ: sed solū ciuitates, quæ erant in plano, & non erant fortiter muratae: vrbes autē, quæ erant in collibus habentes fortia præsidia integræ manserunt præter unicā, scil. Asor, quæ licet esset in collibus, & murata fortiter, tamen combusta est, vt patet præalleg. cap. Et de ipsis ciuitatibus, quæ combustæ sunt, dicendum quod non fuerunt combustæ ex anathematis causa, sed propter hostes, scil. q[uod] illæ quæ erant in plano, & non fortiter muratae possent faciliter rursus capi ab hostibus, & oriueretur rursus materia belli: Iudæi autem quia pauci erant non poterant esse in omnibus vrbibus, quas ceperant ad tuendū eas, ideo paucas relinquabant, & de his eligebant eas, quæ facilius poterant defensari, scil. quæ erant in collibus, & fortiter muratae. De quo magis declaratum est supra 11. cap. patet ergo quod Iudæi non acceperunt ista quasi ex anathemate, sed alias ex præda hostili.

Et veste multiplici. Id est etiam portauerunt Israelitæ multas vestes, duas acceperant de parte præda bellicæ: semper enim in bello diuidebatur præda inter pugnantes. Et licet duæ tribus, & dimidia non venissent ad pugnandum principaliter, quia illa terra, in qua pugnabant nullo modo pertinebat ad eas, sed veniebant in adiutorium nouem tribuum, & dimidiæ: tamen præda communis erat, quia omnes pugnabant, sic etiam cum omnes Israelitæ pugnauerunt contra Amorrhæos reges, qui erant in terra, quam acceperunt due tribus & dimidia, non solum prouenit præda duabus tribibus & dimidiæ, sed tota Israel.

An Israelitæ acceperint iumenta in bello terra Chanaan pro se vel occidebant illa.

QVÆSTIO IV.

CONSIDERANDVM quod cum dicitur hic de veste multiplici etiam intelliguntur omnia alia, quæ possunt accipi nomine præda, scilicet, pecora, & iumenta, & quicquid aliud est mobile quod possideri queat, sed non expri-

muntur, quia per hoc satis innuuntur. sed dicet aliquis quod non accipita fuerunt iumenta in bello sed occidebantur, sic patet de bello contra Iericho: nam ibi omnia pecora occisa sunt & iumenta, & generaliter omnia bruta quotquot occidi potuerunt, cetera autem incendio absunta sunt, vt patet supra 6. c. Item in bello contra Amalec occisa sunt pecora, & iumenta, & quia reseruauit Saul pinguiora pecora terræ Amalec, Deus iratus nimis abscondit regnum de manu eius, vt patet 1. Reg. 15.

Respondendum est, quod licuit accipi pecora, & iumenta, & accepta sunt in tota terra Chanaan, siue ante Iordanem, siue post. De terra, quæ erat ante patet Deut. 2. cum dicitur, quod Israëlitæ nihil reliquerunt de terra regis Og præter iumenta, quæ in partem venere prædantium, & cæteris spolijs vrbium. De terra Chanaan, quæ erat ad occidentalem partem Iordanis patet supra octauo vbi dicitur, quod Iosue diuisit iumenta, & prædam ciuitatis Israelitis: nec erat maior ratio de iumentis, quare non liceret ea accipi, quam de cæteris venientibus nomine præde, nisi fortissim ex anathemate vetita forent: sed tunc non solum vetarentur iumenta, sed etiam cæteræ, quæ possent accipi prædando: sed nō erant vetita aurum, argentum, & ferrum, atque æs, ergo nec iumenta. Ad argumenta cum dicebatur de vrbe Iericho, quod iumenta, pecora ibi gladio perierunt. Respondendum est, quod ibi erat anathema de maximis, in quo nihil accipi poterat, quod pertineret ad utilitatem humanam: sed quod accipiebatur transferebatur in thesauris domini, scilicet, aurum argentum, ferrum, & æs: pecora autem non poterant transferri, ergo non conseruata sunt, sed fuerunt applicata ad Deum in hoc, quod occisa fuerunt, & cremata cum vrbe: de quo supra sexto capitulo dictum est. Hic autem non fuit anathema, nec in aliqua vrbe totius terræ Chanaan sic positum, vt in vrbe Iericho: ideo non occiderentur iumenta: vnde in vrbe Hai fuit positum anathema, quia ipsa ciuitas combusta est, & fuit facta tumulus æternus, vt patet supra octauo, tamen pecora, & iumenta non fuerunt occisa, sed exercitu diuisa, vt patet ibidem. Ad aliud quando arguebatur de pugna contra regem Amalec, quod pecora, & iumenta occidi iussa sunt. Respondendum est, quod non erat hoc generale in omnibus alijs bellis, quæ faciebant Iudæi contra Gentiles, sed ibi ad magnam detestationem voluit Deus, q[uod] periret Amalec, & quidquid erat in terra illa: aliquid acciperent de præda Israelitæ, sed omnia consumerent comburendo. Sic enim faciebat Deus in magnam detestationem idolatriæ, quod vrbes, in qua colerentur publicè idola tota deleretur, & occiderentur omnes, qui erant in ea ab hominibus vsq; ad pecora, & consumerentur cuncta, quæ in ea erant: nec quidquid inde acciperetur, vt patet Deut. 13. Quod autem id quod præceptum est de Amalec esset ad magnam detestationem patet, quia Amalecitæ fuerunt primi qui pugnauerunt contra Israhel cum exirent Israelitæ de Ægypto non agentibus quidquid contra eos Israelitis, vt patet Exod. 17. & ob hoc dixit ad memoriam Israelitarum quod ipse deleret memoriam Amalec de sub cœlo, vt patet eod. cap. scil. scribere in libro monimentum: delebo enim memoriam Amalec de sub cœlo: & Moyses ante mortem suam Deo iubente commendauit valde Israelitis, vt exigerent vindictam de Amalekitis, vt patet Deut. 25. cap. scil. Memento quid fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris ex Ægypto, quomodo occurserit tibi, extremos agimus tui, qui lassi residencebant ceciderit, quando tu eras fame, & labore confectus & non timuerit Deum: cum ergo Deus subiecerit tibi gentes per circuitum delebis nomen eius sub cœlo: caue obliuiscaris. Non fuit autem aliqua gens, contra quam sic specialiter pugnari iuberet: ideo quando tempore Saul regis Deus voluit hoc compleri iussit, vt in regno Amalec omnia delerentur, nec concupiserent aliquid ex præda 1. Reg. 15. In cæteris autem locis Chananæorū licebat omnem prædam accipi: solum enim erat illicitum permitti quemquæ de Chananæis viuentem aliquo pacto pacis seruitutis aut tributi, vt patet Deuter. 20. cap. Sed adhuc arguet aliquis quod non licet accipere in terra Chanaan iumenta & pecora, sed occidere: quia Deus iussit vt equi in terra Chanaan subneruarentur, vt patet supra 11. Subneruare autem occisionem faciebat, quia equi subneruati morerentur: ergo iumenta occidenda erant.

A Ad hoc re ponderi potest multipliciter. Vno modo quod istud mandatum fuit datum pro tempore vnius belli, scilicet quando Israëlitæ pugnauerunt contra multos reges Chanaëorum ad aquas Meron: & non intelligebatur de alijs temporibus, & sic in alijs poterant accipere pecora, & iumenta. Alio modo potest responderi quod istud mandatum fuit solum de equis subneruandis: cætera ergo iumenta, & omnia pecora etiam in ipso tempore, quo durauit istud mandatum accipilicite poterant & seruari. Aliter dici potest quod omnia pecora, & iumenta quæcunq; in utilitate Iudeorū verti poterant, ipsi accipere poterant, nec cogebantur illa occidere. De equis autem iussum est, quod eos subneruassent, & cremarent currus, quia equi illo tempore nō erant ad usum equitandi, vt communiter: sed adiungendum curribus, qui facti erant, de quibus dictū est sup. II. Iudæi autē in pugna a aquas Meron accepturi erant de manu Chanaëorū currus multos & equos: ipsi autē non nouerant bella equestris, sed solum pedestris, & sic non poterant sibiipsis proficere in curribus & equis. Vnde relinquerent hæc tanquam inutilia: gentes autē rursus ista reciperen, & pugnarent contra Iudaos. Vel dato quod ipsi accipere vellent ista ad vendendum transirent in alienigenas, quod ipsis non proderat, & inde conuersti poterant contra eos ad usum bellicos: ideo ne ipsis hostes suos armis munirent iussit Deus, vt equos subneruant & cremarent currus: & sic non possent transire in hostium utilitatē. Patet ergo inductum quod licebat Israhelitis accipere in bellis pecora, & iumenta: & sic duæ tribus & dimidia acceperunt aurum, argentū, æs, ferrum, vestes pecora, & iumenta, & quidquid aliud sub præda cadere potest, licet de omnibus non exprimatur hic. *Dividite prædam hostium cum fratribus vestris.* Hoc intelligitur de viris duarū tribuum, & dimidia, qui manserunt in terra cum recederent alij ad pugnandum cum nouem tribibus, & dimidia.

Quomodo potuerunt manere aliqui de duabus tribibus, & dimidia in terra sua transiuntibus alijs ad pugnandum contra Chanaeos trans Iordanem.

QVÆSTIO V.

VÆRET aliquis quomodo potuerunt permanere aliqui qui de duabus tribibus, & dimidia in terra sua transiuntibus alijs ad pugnandum contra Chanaeos trans Iordanem. Nam ipsi promiserunt, quod omnes viri pugnatores transirent armati ante fratres suos in terra Chanaen vxoribus, filiis, atque pecoribus manentibus in terra possessionis eorum. Moyses quoque postea confirmauit sententiam eorum dicens; si facitis quod promittitis, expediti pergit eorum Domino ad pugnam, & omnis vir bellator armatus Iordanem transeat. Hoc patet Num. 32. cap. Idem patet ex verbis Iosue ad duas tribus, & dimidiā post mortem Moysi cum iam tempus esset transiudi Iordanem: dixit enim quod transirent omnes, vt patet supra primo, scilicet, vxores vel træ ac filii, & iumenta manebunt in terra, quam tradidit vobis Moyses: vos autem transite armati ante fratres vestros omnes fortes manu, & pugnate pro eis. Respondendum est, quod non venerunt omnes de duabus tribibus, & dimidia ad pugnandum contra Chanaeos transiundo Iordanem, sed solum quædam pars eorum, & forte non medietas, quia solum venerunt quadraginta millia virorum, vt patet supra 4. cap. multi tamen erant alij de his duabus tribibus, & dimidia bellatores. Ad argumentum primum, cum dicatur quod isti de duabus tribibus, & dimidia promiserunt, quod ipsis omnes transirent Iordanem armati: responderi potest dupliciter. Vno modo quod omnis non faciat hic distributionem, sicut communiter consuevit accipi in sacra scriptura signū vniuersale pro multis: vt omnes prouincie veniebant in Ægyptū, vt emerent escas Gen. 41. cap. manifestum tamen est, quod non omnes veniebant illuc, sed multi populi, vel prouinciae, ita poterant promittere duæ tribus, & dimidia nō quidem quod omnes transirent, sed multi, & numerus horum esset secundū determinationē Moyhi, v. I. Iosue principantium. Alio modo potest intelligi quod duæ tribus, & dimidia promiserunt quod omnes ipsi potentes pugnare transirent, tamen intelligebatur quod ali-

qui manerent in terra ad defendendam eam ab hostibus, qui erant in circuitu, quia aliter non manerent ibi securè vxores Iudeorum, & paruuli atque pecora eorum: si tamen voluissent Iosue ad nouem tribus, & dimidia, quibus erat facta ista promissio, quod omnes viri pugnatores de duabus tribibus & dimidia transirent: cum eis Iordanem ad pugnandum transiuerint, quia tamen putauerunt sufficiens esse quandam partem eorum transire ad pugnandum, elegerunt quadraginta millia virorum de fortissimis in illis duabus tribibus & dimidia, & illi iuerunt ad pugnam transeuntes Iordanem: reliqui autem manserunt in terra possessionis ad custodiendum terram ab hostibus. Ad confirmationem ex verbis Moysi idem modus respondendi est, scilicet, quod quam dixerit, quod transiret omnis vir pugnator armatus, tamen non intendebat pro omnibus, sed pro multis. Vel si pro omnibus intellexerit postea, tamen viderunt Israëlitæ non esse opportunum, quod transirent omnes; tum quia non erat necessaria tanta multitudo; tum quia relinquerentur vxores, & paruuli & pecora in direptionem hostibus, scilicet possent ea capere faciliter. Ad verba Iosue idem modus respondendi est. Causa autē principalis quod aliqui de tribubus istis manerent fuit, vt in urbibus captis manserent præsidia ipsius terræ captæ: ne rursus in hostiū rediret potestatem, & ne vxores filij, & pecora Iudeorum in captiuitatem ducerentur. Hoc colligitur Num. 32. vbi viri duarum tribuum, & dimidiæ antequam transirent Iordanem construxerunt urbes pro filiis suis, & uxoribus, & caulis pro pecoribus, & subdividit quod factum est propter habitatorum terræ insidias. Sed manifestum est, quod nihil proficiebat ibi esse urbes muratas si nullus esset, qui eas tueretur; dandi fuerunt ergo aliqui viri defensores in terra, & consequenter non transierunt omnes in terra Chanaan cum nouem tribibus, & dimidia. Sed obiectetur, quod Iosue dixit duabus tribibus, & dimidiæ quod transirent ipsis viri, & manerent vxores eorum filii atque iumenta in urbibus: ergo videtur quod non erant mansuri aliqui viri de istis tribibus: alioquin non exprimeretur solum de uxoribus filiis, & iumentis. Respondendum quod ex hoc non tollitur manere aliquos de his tribibus in terra sua possessionis; sed Iosue dirigebat verba sua hic ad illos, qui transiunt erant, scilicet, quod dimitterent uxores suas, & filios ad orientalem plagam Iordanis in terra possessionis suæ, & ipsis expediti transirent; quod dicitur ad differentiam virorum nouem tribuum, & dimidiæ, quia ipsi transierunt Iordanem cum uxoribus suis filiis, & pecoribus omnique super illi. Etli: & hoc quia non habebant aliquam terram possessorum, in qua illa dimitterent, sicut viri duarū tribuum, & dimidiæ. Patet ergo quod de tribibus duabus, & dimidia manserunt viri multi in terra possessionis suæ ante Iordanem, qui non transierunt cum ceteris ad pugnandum: & de his dicitur hic quod illi, qui venerant ad pugnandum, & nunc redibant diuites nimis, rediderent prædam cum illis, qui manebant custodientes terram, & isti vocantur fratres eorum, quia erant de cisdem tribibus.

An Rubenite, & Gadite, qui nunc in terram suam redibant diuisuri essent prædam cum remanentibus in terra illa æqualiter.

QVÆSTIO VI.

VÆRET aliquis an isti qui nunc redibant in terram suam diuisuri essent prædam cum remanentibus in terra illa æqualiter. Respondebit aliquis quod diuisuri erant æqualiter, quia æqua est pars manentis ad sarcinas, & descendenteris in bellum, vt patet 1. Reg. 30. cap. sic autem erat de his, quia quadraginta millia virorum de duabus tribibus, & dimidia descenderunt ad pugnam contra Chanaeos cum nouem tribibus & dimidia vt patet supra 4. cap. reliqui autem manserunt in terra eis data ad obseruandum terram ab hostibus, & ad tuendum uxores, & paruulos, & pecora, atque iumenta euntium ad bellum: ergo vere dicebantur ad sarcinas manere, & sortientur medietatem ex præda, scilicet, quod æqua pars esset eorum cum descendenteribus ad bellum. Item patet hoc ex litera, quia dicitur hic diuidite prædam hostium cum fratribus vestris. Si autē intelligeretur, quod

A quod non esset diuisio facienda per medium, non diceretur diuidenter cum fratribus suis, sed quod darent fratribus suis de præda. Aliquis respondebit aliter ad questionem istam, scil. q̄ non tenebantur viri duarū tribuum, & dimidiæ dare quidquam de præda fratribus suis manentibus in terra possessionis eorum ante Iordanem. Et cum arguitur quia litera dicit, quod diuidenter prædam cum fratribus suis. Respondent quod ista fuit quædā moralis exhortatio, non tamen præceptiva obligatio, scil. quod cum isti viri valde diuites effecti fuissent de pugna hostium, rationabile erat, q̄ aliquā partem tribuerent fratribus suis, qui manserant in custodia terræ nihilq; receperant de his, & tamen nō obligabat eos per hoc. Sed dicendum est non stare istam secundam solutionē, quia isti viri, qui manebant in terra duarū tribuum & dimidiæ, nō manserunt in terra, quasi ad quietem, scil. quod efficerentur immunes à necessitate, quia tunc esset ratio manifesta, sed positi sunt ibi ex necessitate ad custodiā terræ, scil. propter habitatorū terræ infidias, vt sup. declaratū fuit, & colligitur Nu. 32. ergo sicut viri, qui ponuntur in extremitatibus regnorū in confinibus terraे hostilis ad tuendum terrā, ne eam inuadant hostes, dato quod isti non agant bella cōtra hostes inuadendo recipiunt salariū de publicis redditibus, quia cōmunitatibus bonū faciunt: sic isti, qui ponebantur ad defendendam terrā duarum tribuum ab hostibus, & tam necessarij erant ipsi ad manendū in terra sicut alij ad eundum ad bellū recipere debuerunt salaryum: ergo de præda hostium eis sati fieri debebat aliqualiter, vel de cōsimili. Item cum iuerint viri duodecim millia ad pugnandum contra Madian, & acceperunt totam prædam terræ illius, iussit Deus, vt diuidetur præda in duas medietates, & daretur vna pugnantibus, scil. duodecim millibus virorū, & reliqua medietas toti populo, vt patet Nu. 31. c. tamen isti viri, qui manserunt in terra duarū tribuum & dimidiæ habebant ius solidius, vt participarent parte præde quā totus populus de præda pugnatorum cōtra Madianitas ad nihil videbatur necessarius, nec etiā propriè manebat ad sarcinas, viri tamen de duabus tribubus, & dimidia, quæ manserunt in possessione illa ante Iordanē, erant necessarij respectu eorū, qui iuerant ad pugnam, scil. q̄ eorum terrā custodiebant ne eam hostes caperent, & irrumperent: etiam ne eorum vxores, & paruulos captiuarent prædando pecora, & iumenta: sed populus accepit partem de præda Madianitarum, & iussa Dei, ergo isti à fortiori debuerunt habere aliquam partem præde eorum, quorum terrā conseruauerunt. Aliter autē respondendum est, scil. quod isti habebant ius ad recipiendum quid de præda, sed non æqualiter cum illis, qui iuerant ad bellum, & Iosue quando dixit diuidite prædam cum fratribus vestris, obligauit eos ad aliquid dandū. Quod autem non tenerentur dare æquale, patet: quia si manentes ad sarcinas recipiarent tamen de præda quantū euntes ad bellum; cñm duæ tribus, & dimidia ad bellū iuissent cum alijs tribubus & dimidia, omnes diuifissent prædā cum manentibus in terra duarum tribuum, & dimidia ante Iordanem, scil. quod tota præda fieret unus cumulus, & inde separaretur quædam pars proportionalis manentibus in terra duarum tribuum, & dimidiæ ante Iordanem: sed non fuit factum sic, sed potius Iosue præcepit, vt isti 40. millia viri, qui erant de duabus tribubus, & dimidia diuidenter prædam cum alijs manentibus in terra possessionum suarum ante Iordanem: ergo non debabant accipere medietatem de præda, scil. æqualiter cum euntibus ad bellum. Ad primum argumentū respondetur, cum dicebatur quod æqua erat pars descendensis ad bellum, & manentis ad sarcinas. Dicendum quod ista non erat lex tempore Iosue, & Moysi: sed cœpit esse quando pugnauit Dauid contra Amalekitas, qui diripuerant ea, quæ erant in vrbe Siceleg. Nam cum tunc illi, qui descenderunt ad bellum, nihil dare vellent de præda manentibus ad sarcinas, dixit Dauid, non audiat vos quisquam super sermone hoc: æqua erit pars descendensis ad prælium, & manentis ad sarcinas, & similiter diuident spolia, & tunc sequitur ibidem: Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum, & præfinitum, & quasi lex in Israel vsq; ad diem hanc: ergo tempore bellorum Iosue non erat obligatio ad sic diuidendum.

B Doct. respon-
sio ad
qua-
si-
sum.

Aliter solui potest quod non manserunt illi, qui erant in terra possessionis duarum tribuum, & dimidiæ trans Iordanem ad sarcinas: nam dicuntur manere ad sarcinas illi, qui manent ad custodiendas aliquas res bellatorum: & quia illi cœperunt ire ad bellum quanquam postea non pugnent: quia tamen manent ad custodiā sarcinarū aliorum virorū bellatorum partem recipiunt tanquam bellatores, & sic fuit de viris illis, propter quos Dauid protulit sententiam hanc, quanquam causa mansionis istorum fuit, quia lassi non poterant sequi aliorum vestigia, quod cum vidisset Dauid fecit eos manere in via, & reliquit eis aliorum sarcinas conseruandas, vt cæteri expeditiores essent ad persecutionē hostium, isti autem qui manserunt in terra duarum tribuum, & dimidiæ non exierunt de terra illa ad bellum, ideo nō manserunt ad sarcinas bellatorum. Ad aliud cum arguebatur, quod Iosue dixit, quod diuidenter isti prædam cum fratribus. Diuisio autem equalitatem notat, ideo &c. Respondendū quod non dicitur, vt darent eis prædam, quia dare importat librale donationem, diuidere autem importat ius in ipsis, inter quos fit diuisio, scil. quod quilibet eorū habet ius ad rem ipsam, vel magis in ea ius, & quia illi, qui manserant in terra duarum tribuum, & dimidiæ habebant aliquod ius ad prædā, quanquam non æqualiter cum ipsis, qui iuerant ad pugnam: dixit eis, vt diuidenter prædam, & non quod darent de præda illis, qui manserant in terra. Et cum dicitur quod diuisio importat equalitatē, falsum est: nam diuisio nō magis fit per equalia quā per inequalia, quia vtroq; modo fieri potest cū continuū séper sit diuisibile vsq; in infinitū: nec etiā diuisio signat equalitatem ex modo loquendi quia nō magis accipitur in scriptura pro diuisione per equalia, quā per inequalia: sic patet cum dicitur, quod diuisum est regnum Israel: tamē non fuit diuisio per equalia, nam in vna parte fuerunt decem tribus, & in alla duę, vt patet 3. Reg. II. & 12. cap. sic etiam patet Luc. 22. cap. cum dixit Christus de calice sanguinis sui dato Apostolis: accipite, & diuidite inter vos: & tamen manifestum est, quod non iubebat, vt per æqualia diuidenter, quia non referebat, an æqualiter, vel inequaliter de calice illo haurirent. Non ergo importatur ex hoc, quod diuisio per equalia fieri deberet. Sed adhuc arguet aliquis, quod æqualiter diuidenda erat præda inter manentes, & euntes ad bellū, quia Deus iussit in bello factō contra Madianitas, vt euntes ad bellū diuidenter prædam æqualiter cum multitudine manente in castris, vt patet Nu. 31. c. sed isti, qui manserunt in terra duarum tribuum, & dimidiæ, magis profecerunt euntibus ad bellum, cum conseruarent terrā eorum ab hostibus, & vxores paruulos atq; iumenta, quam tota multitudo Israel euntibus ad bellum contra Madianitas: ergo à fortiori debuerunt recipere medietatē de præda, scil. quod diuidenter æqualiter. Respondendum est non valere, quia euntes ad bellum Madianitarum non diuiserunt æqualiter, cum quolibet de populo, sed cum tota multitudine, scil. q̄ tota multitudo manens in castris accepit tantū de præda quantū omnes pugnantes: tamen non accepert quilibet de non pugnantibus æqualiter cum quibuslibet pugnantibus: nam pugnantes erant ibi solum duodecim millia, vt patet Num. 31. cap. cætera autem multitudo erat, quasi sexcentorum milliū peditum, vt patet computando summam totalem, quæ erat tunc Iudeorum, & habetur Nu. 26. c. & sic quilibet de pugnantibus recipiebat quinquagesies super quemlibet non pugnante. Quod patet, quia si duo æqualia sint, & vnum diuidatur per sexenta, & aliud per duodecim, quilibet duodecim pars est quinquagesima ad quamlibet sexcentesimam, id est, est quinquagesima maior: non ergo inducitur inde, q̄ tantum deberet habere de præda non pugnantes, sicut pugnantes, sed magis contrarium: patet ergo ex prædictis quod isti, qui redierunt de bello diuiserunt prædam cum illis, qui non iuerunt ad bellum, & hoc ex necessitate, sed non per equalia. Reuersique sunt. Scilicet, recedentes de Silo ad terram Orientalem trans Iordanem. Et abierunt filij Ruben, & filij Gad. Non intelligitur de omnibus filiis Ruben, & Gad, quia pluri eorum manebant in terra sua ad orientalē plagam Iordanis, vt dictum fuit sup. scil. quod diuidenter prædam cum fratribus suis: & isti erant in terra, sed intelligitur de quadraginta millibus virorum, qui venerunt ad pugnandum de istis duabus tribubus & dimidia, vt patet supra 4. cap.

C

D

E Diuisio
non im-
portat
æquali-
tatem.

F

A

Et dimidia tribus Manasse. Id est, viri quidam de dimidia tribu Manasse: nam non iuerat ad bellum tota dimidia tribus Manasse, vt colligitur ex suprpositis. *A filiis Israel de Silo.* Id est, recesserunt de Silo vbi fuerant cum filiis Israel. Hic vocantur filii Israel nouem tribus & dimidia in comparatione ad duas tribus, & dimidiā: non quidem quod duæ tribus & dimidia non essent de filiis Israel, sed quia nouē, & dimidia erant maior pars accipient ipsi nomen illud, tanquā eis propriū, & sic vocantur omnes tribus duodecim respectu Leuitarum, scil. filii Israel, quasi Leuitæ non essent filii Israel: sed erant Leuitæ pauci respectu totius populi. Dicuntur recessisse due tribus, & dimidia de Silo à filiis Israel, quia factis omnibus bellis, & subiecta terra conuenerunt omnes Israelite in Silo, & posuerunt ibi Sanctuarium domini, quod prius semper mouebatur per loca castrorum, & incēpit manere usque ad tempora sacerdotis Ely. Tunc etiam positæ fuerunt fortes ad diuidendum terram omnibus Israeliteis, qui non acceperant possessiones, datæq; fuerunt vrbes 48. Leuitis, & separata sunt sex vrbes refugij, quibus omnibus astiterunt duæ tribus, & dimidia: quibus expletis recesserunt de Silo manentibus adhuc cæteris Israeliteis ibidem. *Quæsta est in terra Chanaan.* Id est, ciuitas Silo est in terra Chanaā, nam est in vrbibus fortis Ephraim, vt declaratum est supr. 18. Ephraim tamen possessionē accepit in terra Chanaan, vt patet sup. 17. cum tota terra, quam diuisit Iosue, vocetur terra Chanaan.

Terra possedita ab Israelius quare dicatur terra promissio.

Pro quo considerandū, quod tota terra, quā possiderunt Israelite vocatur terra promissionis, quia tota illis promissa est siue accipiatur pro terra duarū tribū, & dimidiæ, quæ erat ad Orientalem plagam Iordanis, & siue pro illa, quæ data est non em tribubus, & dimidiæ, quæ erat ad Occidentē Iordanis: tamen non vocatur tota terra Chanaan, sed solum illa, quā possederunt nouē tribus. & dimidia, vt satis probatū est sup. 14. id eo dicendū quod terra, quā dedit Moyses duabus tribubus & dimidiæ, non erat in terra Chanaā, quia illa nō erat clausa Iordanē, qui ponitur terminus Orientalis terræ Chanaan, vt patet Num. 34. c. cum esset ad Orientalem partem eius, vt patet Nu. 32. & sup. 1. Et sic cum 40. millia viorum de duabus tribubus & dimidia essent intra terram Chanaan, quando erant in Silo, & nunc reuertebantur in terram suam, posset dici quod reuertebantur de Silo, quæ est in terra Chanaan in Basan, quæ erat in terra eorum extra Chanaan. *Vt intrarent in Galaad terram possessionis sua.* Id est, ibant, vt introirent in terram Galaad, quæ erat terra possessionis eorum. Non accipitur hic Galaad pro ipso monte, sed pro terra, quæ adiacet ipsi monti ex omnibus partibus: illa enim est valde pascualis, & ibi sunt multæ vrbes, tam regni Og, quā Sehon, vt patet Deut. 3. & sup. 12. & dicitur in terram possessionis eorum, non quod mons Galaad esset terra possessionis omnium istorum, quia solum in monte hoc acceperat medietatem vnam tribus Gad, & aliam medietatem accepit dimidia tribus Manasse, vt patet Deut. 3. tribus autem Ruben nullam partem ibi habebat, sed solum in regno Sehon. Vocatur tamen possessio istarum tribuum, quia ad istas pertinebat, & ad nullam aliū, licet non pertineret ad omnes istas tribus. Et dicitur, quod ibant in montem Galaad, quia licet irent in omnem terram possessionum suarum, tamen intratruerunt per regionē Galaad, quæ erat magis coniuncta parti illi, per quā intrabant de terra Chanaan, quam alia regio totius terræ possessionis eorum. *Quam obtinuerunt iuxta imperium domini per manum Moysi.* Id est, quod duæ tribus, & dimidia, acceperant illam terram in possessionem ex mandato Dei: illa autem determinatio, scil. per manum Moysi potest dupliciter intelligi. Vno modo ad verbū obtinuerunt, scil. quod obtinuerant illam per manum Moysi, scil. quod Moyses dedit eis terram illam, & sic dicitur supra 1. & 13. & multoties, quod Moyses famulus Dei dedit duabus tribubus, & dimidiæ terram illam in possessionem: & tunc dicitur, quod per imperium domini, id est, qd Moyses dedit, quia Deus iussit dari erit autem sensus, quod cum duæ tribus, & dimidia à principio petiuerunt terram, quam postea possederunt turbatus est Moyses, vt patet Num. 32. c. vnde quæsivit à Deo, an daret eam illis, & responsum est, quod sic. Alio modo per manum Moysi refertur ad quoddam participium sapientiæ, scilicet, quod duæ tribus & dimidia obtinuerunt terram hanc per mandatum domi-

ni, & hoc per manum Moysi, id est, mandatum illud fuit factum per manum Moysi: est sensus, quod Deus iussit dari terram hanc, & istud præceptum datum est per Moysen, scil. quod ipse illud protulit, & dicitur per manum, id est, per os, quia præceptum domini non fit per manū alicuius, cum nō sit organum interpretatiuum, sed quidquid per hominem fit, qualitercumq; fiat per manum eius fieri dicitur, quia manus est organum organorum, iuxta Aristot. 2. de Anima.

D

Cumque venissent ad tumulos Iordanis in terram Chanaan, edificauerunt iuxta Iordanem altare infinitum dignitudinis. Quod cum audissent filii Israel, & ad eos certi nunc detulissent adificasse filios Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse altare in terra Chanaā super Iordanis tumulos contra filios Israel, conuenerunt omnes in Silo, vt ascendirent, & dimicarent cōtra eos. Et interim miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazar sacerdotis, & decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus. Qui venerunt ad filios Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse in terram Galaad, dixerunt qd ad eos: Hec mandat dominus populus Domini: quæ est ista transgressio? Cur reliquistis dominum deum Israel, adificantes altare sacrilegum, & à cultu illius recedentes? An parum vobis est, quod pec. N. 25. castis in Beelphégor, ut usq; in presentem diem macula huius sceleris in votis permanet? Multiq; de populo corruerunt. Et vos hodie reliquistis dominum, & cras in uniuersum Israel ira eius desauiet. Quod si puta sis immundam esse terram possessionis vestram, transite ad terram, in qua tabernaculum domini est, & à nostro confortio non recedatis, adificato altari præter altare domini dei nostri. Nonne Acham filius Zare præterit mandatum domini, & super omnem populum Israel ira eius incubuit? Et ille erat unus homo, atque utinam solus petisset in scelere suo.

E

Cumque venissent. Hic ponitur secundum, scil. infamatio de idolatria. Nam co quod fecerunt altare magnū, vt infra patet putauerunt reliquæ tribus Israel de his duabus, & dimidia, quod erant coniunctæ ad idolatriam. *Cumq; venissent ad tumulos Iordanis.* Usq; ad locum istum non cōstruxerunt altare duæ tribus & dimidia, quia intendebant per istud altare signare, quod ipse pertinebant ad cultum Dei veri, & licebat eis sacrificia facere. Si tamen fabricasent istud altare in medio terræ Chanaan, vel in alia parte, quæ nō esset coniuncta terræ duarum tribuum & dimidiæ nō videretur aliquid ex illo altari: nam nō putaretur pertiner ad duas, & dimidiæ, sed magis ad nouem tribus & dimidiā, cum autē esset apud terrā eorum appararet ad eos pertinere. Vocatur autē tumuli Iordanis, id est, sepulchra apud Iordanem, vel colles eleuati, scil. tumores terræ: magis autem sunt quidam colles eleuati in valle, in qua est Iordanis, & isti sunt, qui vocantur tumuli in regione accensus Adommī, vt patet sup. 18. Nam vtrunque apud Iordanem, vt patet cōputando latus, in quo ponuntur tumuli isti supra 18. ca. & quia erant tumuli isti circa Iordanem visus est locus conueniens duabus tribubus, & dimidiæ ad fabricandum altare.

Supr.s.

In terra Chanaan. Id est, isti tumuli sunt in terra Chanaan, scil. sunt ex parte Occidentali Iordanis: est enim Iordanis terminus Orientalis terræ Chanaan, vt patet Nu. 34. quod autem coniunctū est Iordanis ex parte Occidentali est in terra Chanaan, & satis patet hoc, quia ponuntur isti tumuli in latere fortis Iudeæ, & Benjamin vt patet supra 18.

F

Tumuli Iordanis qui.

An duæ tribus construxerunt altare in terra sua, vel in terra Chanaan.

Q U E S T I O VII.

E Tex hoc patet, qd duæ tribus, & dimidia construxerunt altare non in terra sua, sed in terra Chanaan ex parte Occidentali

A Occidentali Iordanis : terra tamen duarum tribuum & dimidiæ, nihil habet ad Occidentalem plagam Iordanis: sed ipse Iordanis est terminus Occidentalis eius, ut patet supra 13. capitulo.

Sed aliquis dicet, quod altare constructum est ex parte Orientali Iordanis circa Iordanis ripam, quia terra istarum duarum tribuum, & dimidiæ est accedens ad Orientalem partem Iordanis, sed non pertransit ulterius quidquam versus Occidentem: ipsi autem non construerent altare extra terram suam, ergo dicendum, quod ex parte orientali Iordanis constructum fuerit.

Sed non stat, quia infra dicitur, quod relatum est filiis Israël duas tribus, & dimidiæ construxisse altare in terra Chanaan.

Item patet, quia dicitur hic, quod venerunt filij Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manasse ad tumulos Iordanis, & edificauerunt altare infinitæ magnitudinis: si autem fuit apud tumulos edificatum, & ipsi erant ex parte Occidentali Iordanis, & in terra Chanaan, esset altare in terra Chanaan. Si autem dicatur, quod erat ex alia parte Iordanis ad orientem, erit litera superuacua, scilicet, quod venerunt filij Ruben, &c. ad tumulos Iordanis, id eo apud tumulos illos fuisse altere dici necesse est.

B Item patet hoc ex intentione istarum duarum tribuum, & dimidiæ: dixerunt enim, quod filij Israël dicerent in sequentibus generationibus, terminum posuit Deus inter nos, & vos o filij Ruben, & Gad Iordanem flumen, & hoc ipsi volebant tollere, ideo si fecissent altare ex parte terræ suæ, scilicet, apud Iordanem ad orientalem plagam eius semper staret illud dictum, quia Iordanis esset terminus inter Rubenitas, &c. ad nouem tribus, & dimidiæ filiorum Israël: ergo ex parte Occidentali Iordanis fecerunt, scilicet, in terra Chanaan.

Ædificauerunt iuxta Iordanem altare. Fuit causa huius quia Iordanis erat diuidens terram Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manasse à terra nouem tribuum, & dimidiæ; & ibi altare erat iuxta terram duarum tribuum, & dimidiæ, & erat intra terram Chanaan, & hoc volebant Rubenitæ, & Gaditæ, scilicet, vt in eo, quod altare erat circa extremitatem terræ eorum, videretur pertinere ad eos, & quia erat in terra Chanaan viderentur signare per altare, quod immolare hostias, & holocausta Deo, qui erat in terra Chanaan, pertinebat ad Rubenitas, & Gaditas.

Quare duæ tribus edificauerunt altare, & quare magis hoc quam aliud. Et quid opus erat ad cultum
Dei veri.

Q V A E S T I O VIII.

C **V** A R E T aliquis, quare edificauerunt altare, & quare magis edificauerunt altare quam aliquid aliud.

Respondendum est, quod adincauerunt altare, quia Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse volebant prouidere filiis suis in posterum: erant enim ipsi in cultu veri Dei, qui unus erat, & altare illius atque sacerdotes erant in terra Chanaan, scilicet, ubi erant nouem tribus, & dimidiæ: si autem licuisset Israëlitis in multis locis habere Sanctuarium, sicut nos multas ecclesiæ, & altaria habemus, duæ tribus & dimidiæ, fabricassent fibi Sanctuarium in terra sua, sed Deus hoc vetuerat solum in uno loco esse iubens, ut patet Deuteronomio 12. capitulo, ideo duæ tribus, & dimidiæ, non potuerunt fabricare Sanctuarium in possessione sua: ex cogitauerunt ergo quid possent habere pro signo cultus veri Dei: nam poterant filii nouem tribuum, & dimidiæ in posterum dicere filii Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, ecce vos non pertinetis ad Deum nostrum, nec habetis ius faciendi sacrificia, quia ad nos solos pertinet Deus, vos autem à nobis separati etis mediante Jordane flumine: hoc autem stimulo commoti filii duarum tribuum & dimidiæ declinarent ad alios Deos, quod valde timebant illi, qui nunc erant, quia cultus veri Dei erant zelatores. Ut ergo cauerent hoc malum, posuerunt aliquod signum per quod probare possent filii Ruben, & Gad se pertinere ad Deum: & sic non auertentur ab eo.

Quare amplus, quare magis altare quam aliquid alterum positum est in signum huiusmodi.

Respondendum est, quod filij Ruben, & Gad volebant per istud signum quod ponebant, probare se pertinere ad cultum Dei, ideo volebant dare signum, quod hoc maxime signaret; nihil autem erat in toto cultu Dei maius quam facere sacrificia, nec est quidquam, per quod homines de Deo magis monstrant, quod sit Deus, quam per sacrificium, cæteri quippe honores, & quicunq; ritus reverentiales hominibus, qui homines esse cognoscuntur traditi sunt: sacrificium autem nemo unquam etiam de rusticissimis in antiqua serie seculorum cuiquam, nisi Deo vero, aut ei, quem verum Deum opinabatur exhibuit: sacrificium ergo tanquam in maximum protestatiuum munera exhibetur. Altaria autem sunt ad faciendum sacrificia, ideo altare conuenientius fuit ponere, quam aliquod aliud signum. Altera causa adhuc efficacior est, quia filij Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manasse putauerunt, quod posteri eorum possent declinare à Deo per exprobationem filiorum nouem tribuum, & dimidiæ: exprobatio autem erat quantum ad sacrificia: ideo in hoc prouidere debuerant magis quam in aliis.

In quo considerandum est, quod ad cultum veri Dei pertinebat obseruatio quorumcunque præceptorum suorum, ideo siue obseruarent Iudei moralia, siue iudicia, siue cæmonalia, Deum in hoc colebant. De his autem cultibus erant quidam, quos poterant filii duarum tribuum & dimidiæ, impendere Deo non communicantes filiis nouem tribuum, & dimidiæ: alij autem, quos sine communicatione impendere non poterant. Primi erant quantum ad omnia moralia, scilicet, præcepta decalogi, & similia naturalem habentia obligationem, hæc enim non exigebant ad obseruationem suam, quodirent illi in terram nouem tribuum, & dimidiæ; sed ubique essent seruare hæc poterant, iudicia, siue quoq; præcepta indifferenter poterant obseruari in omni loco, quia ista solum regulant communicationem humana ad inuicem, & infligunt penas pro delictis non concorrentia determinationem loci, nec temporis; ergo ita possent filij Ruben, & Gad obseruare præcepta illa in terra sua, sicut cundo in terram nouem tribuum, & dimidiæ. Alia erant præcepta cæmonalia: & istorum quædam obseruari poterant in terra duarum tribuum, & dimidiæ, & quædam non. De primis, vt custodia sabbathi, circuncisio, & purificationes, quæ fiebant si quis tetigisset rem immundam, & similes: istæ enim non concernunt aliquem locum, id eo ubique poterant obseruari. Alia erant quæ non poterant obseruari, nisi transiendo ad terram nouem tribuum & dimidiæ, & hoc erat in sacrificiis, & in omnibus, quæ concernebant sacrificia, vt in festiuitatibus quibusdam, scilicet, azymorum, pentecoste, festo clangoris, festo expiationis, & tabernaculorum. In istis enim fiebant specialia sacrificia, ut patet Numeri 28. & 29. cap. etiam non poterat obseruari phase, nisi in loco Sanctuarij in terra nouem tribuum & dimidiæ, quia immolari debet agnus, qui solum erat immolandus in loco Sanctuarij, ut patet Deuteronomio 16. cap. & sic de multis aliis.

F Quantum ad prima poterant filii duarum tribuum, & dimidiæ impendere Deo cultum non communicando filiis nouem tribuum, & dimidiæ, nec transiendo in terram eorum.

Quantum ad secunda autem esse non poterat, quia sacrificia, & oblationes non poterant fieri, nisi in loco Sanctuarij, ut patet Deuteronomio 12. & Leuiticus 17. cap. quantum ad has igitur necesse erat, ut communicarent illi filiis nouem tribuum, & dimidiæ, & in his poterant exprobare illi filiis duarum tribuum, & dimidiæ dicentes: Nihil est vobis filij Gad, & Ruben cum Deo Israël, quia Deus posuit inter nos, & vos terminum Iordanem flumen, & non permitterent eis facere sacrificia in Sanctuario in terra Chanaan, sed repellerent eos, tanquam alienigenas à sacrificiis. Alienigenis enim non licebit quidquam offerre ad immolandum, & si offerrent non erat recipiendum, ut patet Leuiticus 22. cap. Ad hoc ergo nihil erat conueniens nisi altare, quia cum à iure sacrificandi eos alienos efflarent, quod erat super altare, ipsum altare prohiberet testimonium eos non esse alienos: & quia erant dæo, quæ opponere poterant Israëlitæ filiis duarum tribuum, & dimidiæ, scilicet, quod non pertinebat Deus Israël ad illos, quia Iordanis erat medius inter utrosque, & quod

A
Cur
duas tri-
bus, &
dimid.
edifica-
uerunt
altare
ultra
lorda-
nem.

non licebat eis offerre ad sacrificandum, fecerunt duo, scilicet, fabricauerunt altare, per quod innuebant, quod eis erat potestas offerendi, quod designat altare. Secundum erat, quod illud citra Iordanem fecerunt ad Occidentalem partem Iordanis, ut demonstrarent non esse terminum Iordanem, sed ipsi haberent aliquid ultra Iordanem, scilicet, illud magnum altare in testimonium, quod pertinebant ipsi ad Deum Israël. Conueniens ergo fuit ponit altare in signum, & nihil aliud.

Infinita magnitudinis. Id est, valde magna quantitatis, & istud infinitum ex abuso loquendi vocatur, quamquam secundum quantitatem infinitum nullum sit.

Quare hoc altare adificatum ultra Iordanem fuit magna quantitatis.

Q V E S T I O IX.

QUARE R E T U R quare fuit istud altare valde magna quantitatis.

Respondetur, quod ad duo proficiebat, primo ad signandum id, quod postea responderunt duas tribus, & dimidia, scilicet, quod non erat istud altare factum ad offerendum ibi sacrificia, sed ad signandum aliquid: nam si ad offerendum sacrificia fuisset factum istud altare sufficiebat esse parua quantitatis. Nam sic erat de altari holocaustorum, quod erat in Sanctuario: illud enim erat ad offerendum omnia sacrificia totius Israëlis, quia non concedebatur esse aliud altare, vt patet Leuit. 17. & Deuteronom. 12. tamen paruum erat magnitudine, scilicet, quinque cubitorum longitudine, & totidem latitudine: & trium cubitorum altitudine, vt patet Exodi 27. cap. Cum autem istud altare fuisset in tanta magnitudine apparebat, quod non fuerat ad immolandum, sed ad signandum aliquid factum: quilibet enim tanta magnitudine motus exsistaret inutiliter fuisse factum si ad immolandum fieret. Ad signandum ergo quid insolita magnitudo mouebat: si autem fecissent altare paruum, non extimaret aliquis factum esse in testimonium alicuius rei, sed magis ad immolandum, quia talia erant alia altaria, in quibus gentes immolare consueuerant.

Secundum erat ad notificandum, quod istud altare non erat factum ab aliquo uno viro, sed à communitate magna, vel gente: & sicut multi erant ita aliquid magni, & memorabile fecissent: & istud allegare debebant filii duarum tribus & dimidiæ, scilicet, quod patres sui construxerant altare illud, & innuebant in hoc, quod altare illud esset tale: de quo pateret, quod à patribus illorum, scilicet, à tota gente factum esset: si autem fuisset paruum, non ita conuenienter signaretur fuisse illud factum à multitudine, vel gente.

CONTRARIO audiret filii Israël. Scilicet, viri nouem tribus & dimidiæ, qui vocantur filii Israël respectu viorum duarum tribus & dimidiæ, quasi ipsi soli sint filii Israël, hoc supra positum est.

Et ad eos certi nuncij derulissent. Audierunt primo Israëlitæ hoc quod facinus esse credebant, & turbati sunt nec crediderunt, sed miserunt nuncios non ad loquendū aliquid duabus tribubus & dimidiæ, sed ad sciendum, an factum esset altare, & isti de rei certitudine eis retulerunt.

Ædificasse filios Ruben Gad. Ipsi erant soli quadraginta millia virorum, qui veniebant de Silo, quæ est in terra Chanaan, antequam introirent in terram suam, non fuerunt cum eis viri earundem tribuum qui manserant in terra possessionis eorum, nec iuerant ad bellum, sed ipsi soli antequam introfissent in terram suam hoc ædificauerunt. Quod patet ex prædictis, scilicet, quod cum duas tribus & dimidia, accesserunt ad tumulos Iordanis fabricauerunt altare, ergo nondum intrauerant in terram suam.

Altare in terra Chanaan. Hic erant duo grauamina. Primum erat respectu Dei, scilicet, quod fabricarent altare aliquod duas tribus, & dimidia, cum Deus solum iuberet esse altare suum, quod erat in Sanctuario ad sacrificia, & sic in quaunque terra istud altare fabricarent erat Dei offensa. Secundum grauamen erat contra filios Israël, scilicet, quia fabricabant illud in terra ipsorum: sacrificare enim in aliquo altari extra Sanctuarium scelus erat, cum Deus vetuisset. Si autem

Rubenitæ, & Gaditæ sacrificia facturi essent in altari illo, quod struxerant, facerent scelus in terra nouem tribuum & dimidiæ, in quo grauarent nouem tribus infamantes terram earum, & dabant eis occasionem pœnae infligendæ illis, quia si negligenter resistere illis sceleratis permittentes vitia eorum Deus puniret nouem tribus & dimidiæ: & propter ista duo tribus nouem & dimidiæ auditio, quod constructum foret altare, armare se volebant ad pugnam contra duas tribus, & dimidiæ, vt patet infra.

Super tumulus Iordanis. Vocantur tumuli Iordanis, quia erant apud Iordanem. Poteſt autem intelligi, quod erat altare super illos tumulos, id est, in summitate eorum, scilicet, vt effet in loco excelsø, vt sic videri posset, sicut mos erat gentilibus ponere altaria sua in excelsis, & sic quoque Iudei faciebant tempore regum Iudei, & Israël: ſepe enim dicitur in tertio, & quarto Regum, quod populus adolebat in excelsis. Vel potest dici super tumulos, non quod effet altare super iplos tumulos, fed in aliqua parte vallis excelsiori quam effent tumuli, quia tumuli erant apud Iordanem, & ipſe labitur per maiorem vallis profunditatem, ideo cum incipitur descensus in magnam vallem, in qua est Iordanis sunt aliquæ partes excelsiores tumulis illis, & ipſe dicuntur esse super tumulos: sic dicitur Num. 26. quod computatio Israëlitarum facta est super Iordanem: & tamen illa fiebat in campeſtribus Moab quæ sunt apud Iordanem, vt patet eodem capit. sunt autem campeſtria illa celsiora alueo Iordanis.

Contra filios Israël. Contra potest dicere hic situm, vel aduersitatem. Primo modo est sensus, quod duas tribus & dimidiæ construxerunt altare contra filios Israël, id est, à fronte ipsorum, scilicet, in fine terræ suæ in parte Orientali, nam altare erat in terra Chanaan, vt patet infra, & supra declaratum est.

Alio modo contra filios Israël, id est, vt aduersetur eis. Et ista aduersitas posset duplice intelligi, quod vellent aduersari eis in cultu, scilicet, quod non intendebant colere Deum illum, quem colabant nouem tribus, & dimidiæ, sed alium Deum de gentilibus, cui sacrificare volebant super altare illud. Alio modo, quod vellent colere Deum illum, sed vellent facere alias ceremonias quam Deus iussisset, vt si diceretur, quod volebant sic colere Deum suum, sicut coluerant gentes Deos suos, & hoc verabat Deus Deuter. 12. cap. non solum, vt Iudei non facerent ceremonias illas, sed etiam vt non addiscerent illas, vt patet ibidem.

Aliter potest intelligi aduersitas, scilicet, quod duas tribus & dimidiæ, facerent altare contra Israël, id est, vellent repugnare illis, ideo vt non communicarent cum eis, nollent ire ad faciendum sacrificia in Sanctuario Domini in Silo, sed construxerunt sibi altare super tumulos Iordanis. Isto modo Ieroboam rex Israël fecit altaria, & vitulos ad adorandum, & posuit unum in Dan, & alterum in Bethel, vt patet 3. Regum 12. fuerat enim diuīsum regnum Israël, & sequebantur tribus decem regum Ieroboam, & duas tribus regem Roboam. Erat autem Sanctuarium Domini in Ierusalem in terra Israël, id est, timuit Ieroboam ne Israëlitæ euntis sœpe in Ierusalem conuerterentur ad regem Roboam, qui erat de vera stirpe regum: vnde fecit vitulos & altaria ponens in terra sua interdicens ascensum in Ierusalem ad sacrificandum, aut celebrandum festiuitates. Hoc modo introductus fuit cultus idolorum inter Israëlitas: non ex desiderio colendi illa, sed ex timore, & cupiditate. Omnes isti sensus possunt stare aliquatenus, sed primus est, quem intendit litera, scilicet, contra, id est, è contra, scilicet, à fronte filiorum Israël.

Conuenerunt omnes in Silo. Quando recesserunt duas tribus, & dimidiæ, à reliquis filiis Israël manebant ipsi in Silo, vt patet supra in litera: immediate tamen inde recesserunt in possessiones suas, quia iam finita fuerant omnia, quæ fieri debebant ibi, scilicet, diuīsio fortium, & distributio ciuitatum quadraginta octo per Leuitas, & assignatio urbium sex refugij, vt supra declaratum est: & sic quando venerunt nuncij, quod duas tribus, & dimidiæ construxerant altare, iam recesserant nouem tribus & dimidiæ de Silo, nunc autem conuenerunt illuc.

D

E
Cōtra
quid
singuli-
fices.

F

Duo
graua-
mina
infere-
bant
duas tri-
bus a-
liis no-
nū con-
ſtruēdo
altare
in ter-
ra eo-
rum.

Quare

A

D

Quare magis Iudei congregati sunt in Silo ad habendum consilium de bello quam in quoque alio loco.

Q V A E S T I O X.

QUARE RETVR, quare magis ascenderunt Israëlitæ in Silo quam in aliam vrbum.

Respondendum est, quod necesse erat, ut Israëlitæ saltem principes maximi, & rectores omnium populorum conuenirent in aliquam vrbum cum Iosue ad deliberandum, quid agendum esset contra duas tribus & dimidiæ, & fuit illis magis conueniens vrbs Silo, quam aliqua alia. In quo autem fuerit magis conueniens est dubium.

Dicet aliquis, quod fuit hoc, quia Iosue princeps totius populi erat in Silo, erat autem rationabile, ut totus populus conueniret ad locum, in quo erat princeps.

Sed obiicitur, quod non esset ibi Iosue, sed in Thamnathasare, quia ipse petierat in possessionem pro se vrbum Thamnathasare, & habitauit ibi, ut patet supra 19. cap.

Responderi potest, quod Thamnathasare erat tota destruēta, vnde Iosue dicitur eam construxisse quasi de nouo age-ret, ut patet supra 19. & dum ædificabat ibi mansionem, morabatur in vrbe Silo, in qua erat tabernaculum. Istud satis rationabiliter dictum est: sed melius est, quod conuenienter Israëlitæ in Silo, quia ibi erat tabernaculum Domini, & ibi intendebant consulere cum quid super hoc agendum foret, quia istud erat negocium arduum, & insolitum: in nullo autem loco melius Deus consuli poterat, quam vbi erat Sanctuarium, & sacerdotes, & vestes sacerdotales, in quibus declarabant veritates inquisitorum, scilicet, in rationali, & superhumerali, ut patet Exod. 28. cap. & ibi declaratum est: & non solum fecerunt nunc Israëlitæ istud, sed etiam quando alias res arduas faciebant ascendebant in Silo ad locum, siue ad consulendum Dominum, siue ad faciendum coram eo, quod facturi erant: sic patet tempore Iosue. Nam ad ponendum fortis super diuisione terræ conuenienter Israëlitæ in Silo, & fortis posuerunt coram Domino in Sanctuario, ut patet supra 18. mortuo quoq; Iosue cum accidisset magnum facinus de muliere Leuitæ occisa in Gabaa præ magnitudine libidinis, Israëlitæ pugnare volentes contra Gabaa congregati sunt in Masphat, quia ibi erat locus orationis, & ibi conseruuerunt Dominum, & deliberauerunt inter se, quid facere deberent, ut patet Iudic. 20. & 21. cap. Cum autem dicitur, quod filii Israel conuenierunt in Silo, non est intelligendum, quod ipse si per se conuenient, quasi ex vna sententia, sed cum peruenisset rumor ad Iosue, fecit vocari omnes principes, & rectores de terra nouem tribuum, & dimidiæ in Silo, ut ibi in communi deliberarent quid factio opus esset.

C Vt ascenderent, & dimicarent contra eos. Non est sensus, quod quando congregabantur Israëlitæ in Silo conueniebant ad pugnandum, quia hoc præsupponit deliberationem habitam super factio isto, & tamen non erat habita cum potius ad hoc conuenirent, ut super hoc deliberarent: sed dicitur, ut dimicarent, scilicet, quod ascenderunt in Silo, & ibi deliberauerunt, ut dimicarent.

Vel potest intelligi, ut iacet litera, scilicet, quod conueniebant, ut dimicarent, id est, antequam conuenirent sciebant, quod dimicandum erat, nec conueniebant ad deliberandum super hoc, sed potius ad deliberandum de modo. Et patet hoc, quia Israëlitæ non debebant deliberare super illud, quod lex fieri iubebat, quia necessitas erat illud fieri: consilium autem est de contingentibus, quæ consistunt videri, vel non. Lex tamen hoc iubebat, ut patet Deuteronom. 13. scilicet, quando in aliqua civitate audiretur publice colti idola, totus Israël conuenire debebat ad delendum cititatem illam, & occidendum omnia viuentia, quæ ibi erant, & cuncta cremandum: sic enim erat in duabus tribubus, & dimidia. Nam cum ædificasset altare, putauit reliquus Israël, quod idololatrare intendebant, ideo necessitas incumbebat eis pugnandi contra duas tribus, & dimidiæ: erat tamen habenda deliberatio de modo pugnæ, vel si præmittenda esset aliqua exhortatio, & sic factum est cum missi fuerunt illuc legati, ut patet infra. Vterque autem sensus satis stat.

Et interim. Hic ponitur tertium, scilicet, veritas redditur

Alph. Toft. super Iosue, Tom. 5. Pars II.

plana: nam missis legatis cognoverunt Israëlitæ veritatem rei per inquisitionem, & responsionem duarum tribuum & dimidiæ, ut patet infra.

Et interim miserunt ad illos. Id est, dum conueniret totus Israël in Silo misit Iosue legatos ad duas tribus, & dimidiæ, ut melius informarentur de veritate rei gestæ, & intentione per responsionem facientium, ut non viderentur frustra commississe bellum.

Ad illos. Id est, ad filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, qui fecerant hoc scelus.

In terram Galaad. Non solum miserunt ad terram Galaad, sed etiam ad terram omnium duarum tribuum, & dimidiæ, quia de omnibus illis fuerant viri aliqui in fabricatione altaris huius: non tamen habitabant omnes in terra Galaad, quia tribus Ruben nihil acceperat in terra Galaad, sed tribus Gad accepit medietatem montis Galaad: & dimidiæ tribus Manasse accepit aliam medietatem, ut patet Deuteronom. 3. & supra 13. cap. & non solum in terra Galaad habitabant Gaditæ & Manassitæ, sed etiam in multis aliis vrbbus, & regionibus, ut patet supra 13. cap. intelligitur tamen hic tota terra duarum tribuum, & dimidiæ nomine Galaad.

Phinees filium Eleazari sacerdotis. Iste fuit princeps inter legatos: iste namque proposuit nuncium, ut patet infra, & magis competebat isti quam aliis, quia iste erat de genere sacerdotum, futurusque erat sacerdos magnus, cum tecisset Deus cum eo pactum de summo sacerdotio pro eo, & semine suo, ut patet Numeri vigesimo quinto capit. & in facto duarum tribuum, & dimidiæ præiudicabatur directe cultui diuino: ideo nullus tantum zelare pro hoc debebat quantum Leuitæ & potissimum sacerdotes: maxime autem qui erat futurus sacerdos magnus. iste Phinees fuit, qui zelo Dei motus percussit Zambri principem tribus Simeonis, & scortum Madianitidem ambos vno iectu perfodiens in locis genitalibus, & tunc auersa est ira Dei ab Israel atque cessauit plaga; & factum est foedus Dei cum eo de æternitate sacerdotij, ut patet Numeri vigesimo quinto capitulo, vocatur filius Eleazari sacerdotis, id est, sacerdotis magni: accipiendo sacerdotem per excellentiam, & iste modus loquendi est valde frequentatus: ita vocatur Aaron sacerdos absolute Leuitici primo, & post mortem Aaron vocatur Eleazarus absolute sacerdos, ut patet Numeri vigesimo quinto, & vigesimo sexto, & vigesimo septimo cap. Ante mortem autem Aaron non sic vocabatur, quia non erat factus summus sacerdos.

Et decem principes cum eo. In hoc signatur, quod Eleazari filius Phinees erat principalis legatus, quia alij cum eo ibant. Et hoc propter duo.

Primo, quia ipse erat absolute æqualiter dignus, vel excellens cum quolibet aliorum, quia erat filius summi sacerdotis, & certissime erat habiturus summum sacerdotium cum Deus promisisset: summus tamen sacerdos erat honorabilissimus in toto populo, ut declaratum est Numer. 25.

Secundo dicebantur ire alij cum eo, quia ipse propositurus erat nuncium coram filiis duarum tribuum, & dimidiæ: & qui proponit principaliter legatus est, cum ad hoc legati sint.

Singulos de tribubus singulis. Scilicet, de decem tribubus decem viros legatos miserunt. Erant enim nouem tribus & dimidia in terra Chanaan, & de illa dimidia fuit missus princeps, sicut de aliis tribubus integris ne viderentur minoris dignitatis filij Manasse.

Quare missi sunt decem legati, & singuli de singulis tribubus.

Q V A E S T I O XI.

QUARE RET aliqnis, quare missi sunt decem legati, & singuli de singulis tribubus.

Respondendum est, quod de numero non potest dari ratio præcisa, quia potuerint dari plures, scilicet, viginti, vel triginta, aut in quocunq; alio numero, dum tamen non essent pauciores decem, & esset satis rationabile. Quod tamen mitterentur de omnibus tribubus, causa nota est, scilicet, ut magis sic timerent duas tribus, & dimidia. Intendebant enim nouem tribus, & dimidia, quod etiam si duæ tribus, & dimidia inchoassent facinus, timore belli, quod indicaretur eis

A a 2

defiſte-

E

F

A desisteret, & quia si omnes nouem tribus, & dimidia pugnarent contra duas, & dimidiā, non esset resistentia vlla voluerunt indicare, quod omnes nouem tribus, & dimidia cōquerebantur de hoc factō, & ad hoc miserunt decem principes singulos de singulis tribubus, vt quilibet repräsentaret, personam totius tribus suarū: & sic facilius mouerentur, quam si missi fuissent oratores de vnicā tribu, quia forte putaretur, quod illa solum de hoc conquererebatur, & tunc non tantum timerent duæ tribus & dimidia, & forte non desisterent.

Qui venerunt a filiis Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manasse. Forte principes de his duabus tribubus, & dimidiæ conuerterant ad aliquid alterum, & legati Israelitarum inuenientes eos simul proposuerunt nuncium suum. Vel forte principes duarūm tribuum, & dimidiæ scientes venisse in terram suam principum Israel legati conuenerunt ad audiendum quid intenderent.

In terram Galaad. Hic potest accipi terra Galaad proprie, scilicet, quod licet non morarentur omnes viri de duabus tribubus, & dimidiā in terra Galaad: tamen erant ibi congregati principes eorum, quando venerunt ad ipsos legati filiorum Israel. Vel potest accipi terra Galaad large pro tota terra duarum tribuum, & dimidiæ, vel pro quaunque parte illius.

Dixeruntque ad eos hec mandit omnis populus Domini. Id est, istud, quod sequitur mittit vobis ad dicendum totus populus Dei. Accipitur mandare pro mittere ad dicendum, & non pro iubere. Nam nihil imperarent nouem tribus & dimidiā duabus & dimidiæ, quia non habebant aliquam superioritatem super eas. Potissimum, quia in verbis oratorum non apparet aliquid pertinens ad imperium, sed ad denunciationem, scilicet, quod denunciabant eis Israelitæ scelus, quod fecerant. Simile est multotiens in scriptura. Sic patet Genes. 45. cap. cum dixit Ioseph ad fratres suos: *Festinate, & ascendite ad patrem meum, & dicetis ei: hæc mandat filius tuus Ioseph,* & tamen non mandaret aliquid filius patri. Et satis patet ibi, quod non sunt aliqua verba mandati. Sic etiam Numer. 20. dicitur, misit nuncios interea Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent: *hæc mandat tibi frater tuus Israel,* id est, mittit ad dicendum: nam ibi magis sunt verba supplicantis quam iubentis. Est tamen confuetudo apud quasdam gentes sic loqui, scilicet, vt dicant mandare pro ad dicendum mittere.

Omnis populus Domini. Vocantur Israelitæ populus Domini duplicitate. Vno modo, quia Deus illos specialiter elegerat de cunctis populis tanquam peculum, gentem sanctam, & populum acquisitionis, vt patet Exod. 19. & Deuter. 7. cap.

Alio modo sunt populus Domini, id est, specialiter collens Deum, quia cæteræ gentes declinauerant ad idola, soli autem Iudei Deum verum colebant. Sic patet Psalm. 75. scilicet. Notus in Iudea Deus, in Israel magnum nomen eius: & factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Et dicitur omnis populus ad signandum, quod omnes nouem tribus, & dimidia dolebant pro hac offensa Dei, & erant prompti illam vlcisci.

Quæ est ista transgressio? Ista non sunt verba querentis, sed conquerentis: nam non dubitabant nouem tribus, & dimidia esse hanc transgressionem: nam licet non esset tamen certissime illam extimabant esse transgressionem, quia non poterant opinari ad quid esset altare constructum, nisi ad sacrificandum: & istud erat transgressio, quia Deus vetuerat: conquerebantur tamen de isto factō, & dicebant: *Quæ est ista transgressio?* id est, cur fecistis tantam iniquitatem?

Cur reliquistis Dominum Deum Israel? Dicebantur relinquere Deum, qui incipientes obseruare mandata eius postea cesibant: & quia duæ tribus, & dimidia, toto tempore obseruauerunt mandata Moysi, & Iosue, in quo mandata Dei custodiebant, sicut dixit Iosue ad eas, vt patet supra, scilicet, fecistis omnia, quæ præcepit vobis Moyses, mihi quoque in omnibus obedistis custodientes imperium Domini Dei vestri: nunc autem inciperant agere contra mandata legis, ideo relinquebant Deum.

Ædificantes altare sacrilegum. Sacrilegium rei sacræ opponitur: vnde sacrilegium est delictum cum res sacra violatur, siue per furtum, siue homicidium, aut percussionem, vel fornicationem, & generaliter sacrilegium est, quando re sacra

abutimur, eam contra suam conditionem assumentes. Sic altare sacrilegum est, quando contra res sacras est. Instituerat enim Deus altare vnum esse solum, & hoc in Sanctuario, & quicunque alibi victimam immolare, ita esset sanguinis reus, ac si sanguinem effudisset, vt patet Leuitici decimo septimo capit. Et quia isti fecerant altare extra Sanctuarium, quod ad offerendum victimam videbatur: erat contra fas illud altare, scilicet, contra sacra à Deo instituta, ideoque sacrilegium erat: sic etiam sacrificia facta idolis sacrilegia appellantur, vt patet Numer. 25. cap. cum dicitur, quod Cozbi filia nobilissimi ducis Madian occisa est in die plagi pro sacrilegio Phegor, id est, pro sacrificio facto Phegor, id est, in monte Phegor, vel idolo dicto Beelphegor, scilicet, quia plaga venit propter sacrificium factum idolo.

Et à cultu illius recedentes. Recedebant duæ tribus, & dimidia à cultu Dei dupliciter.

Primo modo, quia præceptis eius non obediebant. Maximus enim cultus Dei est in obediendo, quia magis ipse acceptat obedientiam, quam omnes alias virtuosas operationes, vel actus latræ: & consequenter nulla operatio, ita repugnat Deo, sicut non obedire, quia optime operationi opponitur pessima operatio; & optimo habitui pessimus habitus, vt patet octauo Ethicor. in oppositione sex politiarum. Vtrunque horum patet, primo Regum decimo quinto capitulo, scilicet. Et ait Samuel: nunquid vult Deus holocausta, aut victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini? Melior est obedientia quam victima: & auscultare magis quam offerre adipem arictum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere.

Secundo modo recedebant isti à cultu Dei, id est, à ritu cultus Dei, quia non colebant Deum eo ritu, quo ipse iusserrat: præceperat quippe, quod immolaretur ei in vnicō altari, quod erat in Sanctuario: isti autem videbantur velle immolare in collibus, sicut gentes diis suis libamina offerebant.

An parum vobis est, quod peccatis in Beelphegor. Increpant duas tribus, & dimidiā per magnitudinem, & affuetationem scelerum, scilicet, quod istud scelus valde graue esset, quia affuetudo faciebat illud magnum: si enim nunc nouiter peccassent in idolatria istæ duæ tribus, & dimidia, magis ignoscendum foret, sed peccauerant ante hoc, & nunc etiam peccabant: ergo valde erant redargendi, & puniendi. Dicunt autem Israelitæ, quod peccauerunt duæ tribus, & dimidia in Beelphegor, non quidem quod solum duæ tribus, & dimidia in hoc peccauerint, quia fere de omnibus tribubus & familiis in hoc fuerunt peccantes: potissimum, quia tribus Simeon, quæ erat de nouem tribus, & dimidia, quæ faciebat hanc increpationem plus omnibus peccauerat: nam princeps de tribu illa, scilicet, Zambri in oculis omnium Israelitarum ingressus est ad scortum Madianitidem, & Phinees filius Eleazar eum cum scortu simul perfodit, vt patet Numer. 25. cap. nec etiam legati Israelitarum obiiciebant eis istud crimen, quasi ipsi soli peccauissent, sed quia ipsi cum cæteris peccauerunt, & aliis emendatis ipsi ad malum pristinum reuersi sunt. Quod notatur in verbis sequentibus, scilicet, & usque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis perseuerat. Dicitur autem, quod peccauerunt in Beelphegor, id est, adorando Beelphegor, & comedendo de cibis consecratis ei, vt patet Numeri vigesimo quinto, scilicet. Initatusque est Israel Beelphegor. Et vocatur iste Deus Beelphegor, quia erat in monte Phegor, qui est mons quidam, vel magis pars quædam montis Abarim, vt patet Numeri vigesimo tertio, scilicet, duxit eum super verticem montis Phegor. Vel vocatur idolum illud Phegor, sicut colligitur Numeri 25. scilicet, pro sacrilegio Phegor. Et vocatur Beelphegor, quia plurima idola denominantur ex ista additione Bæl. Causa huius declarata fuit Numeri vigesimo secundo capitulo. Quamuis tamen Phegor possit pro monte, & pro idolo accipi: Beelphegor tamen pro idolo solum accipitur.

Et usque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet. Ista litera potest dupliciter intelligi. Vno modo, quod sit hic sententia perfecta, & tunc non legetur ista litera per modum afferentis, sed per modum conquerentis, scilicet, an parum vobis est, quod peccatis in Beelphegor, id est, satis vobis esse debuisset, quod peccatis in idolo Beelphegor, quia adhuc maculam huiusmodi in vobis vultis conseruare, quasi dicat,

D

Dua
tribus,
&
di-
midia
à cultu
Dei
de
pla-
re-
debat.

E

F

Beel-
phegor
cur sic
voce-
sur.

*Quid
sit Deū
relin-
quere.*

*Quid
sacrile-
gium.*

A dicat, non debuissetis facere, ut permaneret vobis. Alio modo potest intelligi, quod non sit sententia perfecta, sed aliquid addendum sit, & tunc legitur tota litera ista assertiue, & adiungetur ab extra conqueſtio, scilicet, an parum vobis est, quod peccatis in Beelphégor, & ista macula permanet in vobis vsq; in hodiernum diem, id est, nondum penitus estis absoluti ab hoc peccato, quia adhuc Deus infligit vobis aliquas pœnas: quare vultis ergo alia peccata superaddere? Vterque sensus fatis stat. Secundum primum increpantur duæ tribus & dimidia, quod peccauerunt in Beelphégor, & puniæ sunt, tamen adhuc mansit in eis macula illa, id est, inclinatio ad colendum idola; & hoc erat nimis reprehensibile, quia quod aliquis semel peccet nō est tam vituperabile, quod autem maneat desiderium ad peccandum, & repeatat actum, vituperabile nimis est; & nunc accipitur proprie macula pro quadam infectione, vel deturpatione animæ per vitium. Et isto modo ponimus per quodlibet peccatum esse maculam in nobis, quæ est deturpatione imaginis Dei in nobis. In secundo sensu redarguntur de eodem: sed alio modo, scilicet, quod volebant peccatis veteribus alia peccata superaddere, & ad hoc commemorantur pœna, scilicet, quod peccauerunt in Beelphégor, & macula illius sceleris, id est, pœna infligenda pro illo scelere adhuc manet vsque hodie in præsenti, scilicet, quod nondum tota expressa est, sed aliquid manet infligendum: debuissetis ergo timere, ne maior pœna infligetur pro ista iteratione, & istud satis stat, quia licet Deus inflixerit plagam pro sacrilegio Phegor, tamen poterat adhuc manere aliquid expendendum de pœna: sic fuit in peccato adorationis vituli: nam Moyses occidit pro hoc scelere omnes quos pollutos vitio inuenierat, scilicet, viginti tria millia virorum, vt patet Exod. 32. tamen post hoc Deus dixit: Ego autem in die vltionis visitabo, & hoc peccatum eorum. Primus tamen sensus magis adaptatur literæ, quia nominauit maculam, quod magis ad vitium pertinet, quam ad pœnam. Etiam quia dixit quod permanebat in duabus tribus, & dimidia. Si tamen intelligeretur pro pœna, non solum maneret infligenda duabus tribus, & dimidiæ, sed etiam aliis quia omnes peccauerant. *Et multi de populo corruerunt.* Id est, & propter transgressionem factam adorando Beelphégor multi mortui sunt de Israelitis, quia iussit Deus suspendi peccatores in patibulis contra Solem, & facta est plaga Domini super populum, perieruntque viginti quatuor millia, vt patet Numer. 25. cap. ita, supple, pro illo scelere debueratis timere, quod multi perirent. *Et vos hodie reliquistis Dominum.* Hic arguunt legati, alio modo contra duas tribus & dimidiæ, scilicet, quod non debuissent hoc facere, quia scire poterant, quod ex peccato eorum sequeretur magna plaga in toto populo, non solum in ipsis qui peccauerant, sed etiam in omnibus aliis, qui non peccauerant: sic enim Deus interdum facit. Inducunt ad hoc exemplum de Achan, qui in anathemate Iericho solus peccauit, tamen non solus periit, quia orta est ira Domini contra populum, & multi perierunt. Debuissent ergo isti saltē propter malum, quod adueniret toti populo ex peccato ipsorum cessare. Etiam ex hoc poterant contra eos cæteræ tribus, tanquam contra hostes pugnare, non solum quia Deum offendebant pro quo tenebantur zelare, sed etiam quia ex actione eorum sequebatur totius populi dura calamitas. Et dicitur. *Vos hodie reliquistis Dominum.* Id est, nunc, vel in præsenti faciendo altare sacrilegum contra interdictum ipsius.

Et cras in vniuerso Israel ira eius desauiet. Id est, immediate, vel in breui veniet ira Dei super totum populum, scilicet, Deus non multum tardabit reddere vltionem pro hoc scelere. Et hoc in vniuerso Israel, id est, non solum vos puniemini pro scelere vestro, quia hoc tolerabilius erat, sed totus Israel, qui innoxius est ab hoc crimine puniatur. Quare autem Deus interdum puniat communites pro peccatis aliquorum singularium, quando punire negligunt non est difficultas. Sed quomodo communitas interdum puniatur pro peccato occulto aliquorum, quod punire ipsa non potest, nec prohibere potuit ne fieret, ita ut penitus ex hoc innoxia sit, videtur esse difficultas, & sic erat h. c., quia quando duæ tribus, & dimidia construebant altare, res hac latebat Israélitas, quia ignorauerunt quousque factum est: tamen timebant, quod etiam ira Dei super eos veniret. Quare autem

hoc interdum fiat, declaratum fuit late supra 7. cap. vbi dicebatur quomodo puniūt totus Israel pro peccato Achan, quod occultum erat.

Ira eius desauiet. Ira non est in Deo aliquis motus, qui sit appetitus vindictæ, quia in Deo nullus motus est, sed ista ad eum large referimus applicantes ei passiones nostras. Vocatur autem ira Dei, id est, vltio, vel pœna inflicta nobis ab eo pro sceleribus: actus namque iratorum est pœnas infligere, quia vindicta in pœnis exigitur, & quia cum quis nobis malum infligit eum nobis iratum scimus, Deum quoque nobis mala meritis pœnas infligentem iratum large appellamus: desauire iram est, quando ira fortis est, & graues pœnae in vindictam exiguntur, & quia timebant duras pœnalitates pro tanto facinore infligendas dicebant iram eius desauire. Sic dixit Moyses ad Aaron, quando Deus misit magnum incendium super populum, & combusit quatuordecim millia virorum, scilicet, iam egressa est ira à Domino, & ira desauit, vt patet Numer. 16. cap,

Quod si putatis immundam esse terram possessionis vestre transite ad terram, in qua est tabernaculum Domini. Hic tollunt legati Israëlitarum duabus tribubus, & dimidiæ locum respondendi. Poterant enim dicere duæ tribus, & dimidia, quod fecerant altare istud ad immolandum victimas, quia putabant terram suam esse immundam ad habitandum, & ad hoc respondent, quod nolint peccare ob hoc, sed magis transeant in terram nouem tribuum & dimidiæ, in qua erat tabernaculum, quam non iudicarent esse immundam.

Ista litera in superficie non videtur agere ad propositum, sed est reducenda sic, scilicet, duæ tribus, & dimidia, construxerant altare apud Iordanem ex parte Occidentali in terra Chanaan, vt patet supra, & dicere poterant, quod ipsi volebant colere Deum offerendo victimas, quia tamen erat eis longinquum de terra sua ire in urbem Silo, in qua erat tabernaculum Domini ad immolandum, voluerunt construere altare in terra sua, quia tamen putauerunt eam esse immundam ad construendum ibi altare Domini, construxerunt illud ex parte Iordanis in terra Chanaan, quæ non pertinebat ad eos. Ne tamen longe esset ab eis construxerunt illud in extremitate terra Chanaan, quæ erat coniuncta terra sua: & ista erat rationabilis multumque verisimilis æstimatione nouem tribuum, & dimidiæ, quæ non nouerat causam, quare duæ tribus, & dimidia construxerant altare. Et ad hoc applicatur valde remedium, quod dederunt legati, scilicet, trahite ad terram, in qua est tabernaculum Domini, quasi dicat, ibi eritis prope Sanctuarium, & non erit vobis graue illuc quoties volueritis ad hostias offerendas, nec oportebit, vt construatis altare in terra vestra, quam immundam æstimatis, nec in extremitate terra vestra, vt sit vobis propinquum, quia iam eritis propinquæ Sanctuario Domini habitantes inter nos. Putare autem terram esse immundam non erat respectu habitationis, scilicet, vt eam ad habitandum dicerent immundam, sed respectu cultus diuini, scilicet, quia existimarent, quod non erat munda ad hoc, quod construeretur ibi altare Domini, & istud superstiosum est, quia nullatenus magis erat terra Chanaan munda ad cultum Dei quam illa: in vtraque enim dij gentium colebantur principio, vitia quoq; & horrendæ turpitudines in ea facta fuerant, vt patet Leuit. 18. vbi computatis multis illicitis libidinibus, subdividit: omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerūt ante vos, & polluerunt eam. Sed quidam superstiosi sunt, qui putant loca quædam esse conuenientia ad colendum Deum, & alia non: sic patet de Balaam ariolo, & Balac rege Moabitum, qui inquirebant diuersa loca ad cōstruendum aras, & maledicendum inde Israelitis, vt patet Num. 23. cap. gentiles quoq; crediderunt quædam loca habere aliquid nūminis, & quadam religione pollere. Vnde ibi à naturali loci permoti, tanquam pro maxima veneratione Deum colebāt: in visceribus terra in obscuris, & tacitis terra latibilis, vbi omnia tacita erant ipsam taciturnitatem, & obscuritatem colebant Deum magnum, & primum omnium Demogorgon appellantes: sic quoque Seneca ait capita fontium veneramur. Et quamquam ista supersticio nulla foret, volebant nouem tribus, & dimidiæ satisfacere intentioni duarum tribuum, & dimidiæ transferendo ipsas ad terram Sanctuarij, vt ibi habitarent ne discederent à cultu Dei.

E

F

Inffis
Deo
peccato-
tore in
pati-
bulis
contra
Solem
suspedi.

C

D

A

Quidam Hebrei dicunt intelligi istam immunditiam terræ ex absentia Sanctuarij, scilicet, quod Sanctuarium, vel altare Domini sanctificat locum, in quo est: terra autem, in qua non est ex absentia illius immunda est, & quia in terra duarum tribuum & dimidiæ, non erat Sanctuarium Domini, poterant ipsæ estimare terram illam immundam. Huic concordat satis id, quod subiungunt legati, scilicet, transite in terram, in qua est tabernaculum Domini, scilicet, illa non est immunda, quia gloria Domini habitans in ea sanctificat illam, ideo transite ad habitandum in illa.

Sed non applicatur ad propositum quantum ad id, quod fecerant duæ tribus, & dimidia construendo altare, sed magis ad contrarium: si enim construxissent duæ tribus, & dimidia altare in terra sua, poterat adhuc stare ratio, scilicet, quod duæ tribus, & dimidia crederent terram suam esse immundam, quia non erat ibi gloria Domini in sanctuario, vel in altari aliquo, in quo sacrificia fierent, & ob hoc construxerunt altare ne esset immunda.

Sed non stat, quia non construxerunt altare in terra sua, sed in terra nouem tribuum, & dimidiæ, scilicet, ex parte Occidentali Iordanis: ideo redeundum est ad primam expositionem, quod tota applicatur literæ.

Quod si putatus immundam esse terram. Id est, quamquam terra possessionis vestrae non sit immunda, quia nullam habet immunditiam, ex qua iudicetur infecta, si tamen vos iudicatis eam esse immundam, transite ad terram habitationis nostræ, in qua est Sanctuarium.

Terram possessionis vestrae. Id est, terram, quæ fuit duorum regum Amorrhæorum, quæ vobis data est in possessionem, vt patet Numer. 32. & Deuteron. 3. & supra 13. cap.

Transite ad terram, in qua tabernaculum Domini est. Id est, ad aliquam partem terræ Chanaan, in qua sunt nouem tribus, & dimidia, & in qua est tabernaculum Domini, & hoc, scilicet, vt sitis propinquiores Sanctuario Domini, & possitis quandocunque volueritis hostias offerre, nec videatur vobis aliqua occasio ad construendum altare Domino.

Et habitate in ea inter nos. Id est, accipietis locum habitandi in terra nostra inter nos, & aliqui de nobis accipient terram vestram ad habitandum: non est enim intelligendum, quod Israelitæ dicerent, quod duæ tribus, & dimidia venirent ad habitandum in terra Chanaan, in qua ipsi habitabant, & inter eos manerent, & terra duarum tribuum maneret sine habitatore, quia hoc erat irrationalis. Tum quia duæ tribus, & dimidia non caperentur in terra Chanaan, quæ capta erat cum nouem tribibus, & dimidia: tum quia valde erat irrationalis, quod terra, quæ ex magno Dei beneficio accepta fuerat de manu hostium permitteretur nunc sine habitatore: tum quia stultum erat terram, tam fertilem dimitti sine incolatu: erat enim pascualis nimis potissime in terra Gallaad, & ob hoc duæ tribus, & dimidia petierunt eam à Moysi Numer. 32. sed intelligebatur, quod aliquæ de nouem tribibus, & dimidia transtirent ad habitandum ad terram illam, & dimitterent sortes suas in terra Chanaan, in quibus morari possent duæ tribus, & dimidia: istam enim mutationem non cogebantur facere Israelitæ, quia sortes assignata fuerant, iam singulis tribibus ex diuina auctoritate, scilicet, duabus tribibus, & dimidiæ dederat Moyses possessionem, vt patet Numer. 32. & Deuteron. 3. & supra 13. nouem autem tribibus & dimidiæ Iosue dederat possessionem vt patet à principio 15. capit. vsque ad 20. supra, & singulæ harum tribuum habebant solidam ius in portionibus suis. Poterat tamen quælibet tribus in fauorem alterius renunciare iuri, quod habebat in sorte sua, dum tamen haberet aliam sortem, & hoc potissime cum hoc agerent in fauorem cultus diuinii, scilicet, ne declinarent duæ tribus, & dimidia à Deo Israel faciendo altare contra præceptum illius.

Tantum ut à Deo, & à nostro consortio non recedatis. Tantum est hic coniunctio, siue dictio exclusiva: & est sensus: solum petimus à vobis, vt non recedatis à cultu Dei, nec à consortio nostro, & quæcunque volueritis faciemus, siue dando vobis locum habitandi in terra nostra, siue quæcunque aliud. Recedebant enim duæ tribus, & dimidia à Deo faciendo altare, quia Deus iussserat solum fieri sibi altare in Sanctuario, & ibi immolari viæ ianas: isti autem construxerunt extra: recedebant autem à consortio Israelitarum, & hoc multiplici-

ter, uno modo in cultu Dei, scil. quod non colerent Deum simul venientes ad idem Sanctuarium, & pro omnibus simul offerendo hostias: si autem immolare vellent in altari, quod construxerant, nunquam amplius irent in locum Sanctuarij ad immolandum Domino.

Aliter potest intelligi, scilicet, non recedatis à consortio nostro, id est, ab unitate populi, scilicet, nunc sumus unus populus, quia habemus unitatem legum, si autem vos incipitis colere Deum in altari, quod fabricastis viuetis sub aliis legibus, non obediendo legibus Moysi, ideo non poterimus esse unus populus: ad unitatem enim populi requiritur unitas legum & principatus, iuxta Aristot. 3. Politic.

Aliter potest etiam intelligi non recedatis à consortio nostro, id est, non efficiamini hostes nostri in constructo altari perseverando. Nam si ibi vellent immolare, recedebant à lege Moysi, & essent suspecti de idolatria, pro quo quasi contra idololatras erat procedendum contra eos, scilicet, vt totus Israel contra eos conueniret in pugnam, & deleret illos de terra, & omnia quæ ipsorum erant occidendo, & cremando, vt patet Deuter. 13. cap. & istud iam incipiebant facere Israelitæ, scilicet, quia cum audierunt certum esse, quod fuisset altare constructum conuenerunt omnes in Silo, vt irent ad dimicandum contra omnes filios duarum tribuum, & dimidiæ. Omnes istæ expositiones conuenientius sunt litteræ.

Ædificato altari. Id est, permanendo in altari ædificato: non erat enim iam reparabile, quod altare non fuisset ædificatum, quia impossibile est præterita non præterisse, vt patet 6. Ethic. quia iuxta Agathonem Philosophum: hoc solo priuatur Deus, quod non potest facere ingenita, quæ sunt iam facta. Ideo non precabantur oratores, quod non esset altare ædificatum, vel quod non ædificarent illud, quia iam ædificatum erat, sed orabant ne permanerent in hac intentione, scilicet, vt crederent sibi licitum esse immolare in altari illo.

Præter altare Domini Dei vestri. Quasi dicat, nefas est aliud altare construi ad immolandum præter altare Dei vestri, quia ipse iussit ne esset aliquod alterum altare, & qui in alio quoconque immolaret esset reus sanguinis quasi hominem occidisset, vt patet Leuit. 17. cap.

Considerandum, quod in Sanctuario Domini erant duo altaria, scilicet, altare holocaustorum, & altare thymiamatis. Primum erat de lignis Sethim opertum laminis æneis intus usque ad aliquam partem, & extra totaliter: eratque cubitorum quinque in latitudine, & totidem in longitudine. Super istud semper erat ignis qui nunquam extinguebatur, sed sacerdotes fouebant illum apponentes signa per singulos dies, vt patet Leuit. 6. In hoc autem cremabantur omnia sacrificia filiorum Israel, nec licebat in alio quoconq; altari immolari, vel cremari sacrificia: erat autem istud altare in atrio tabernaculi ante ostium tabernaculi, vt patet Exod. 27. & 29. c.

Secundum altare vocabatur altare thymiamatis, istud erat de lignis Sethim, & opertum totum tam in parietibus quam in superficie laminis aureis: eratque longitudo eius cubiti vnius, & latitudo cubiti alterius, & altitudo cubitorum duorum, de hoc Exod. 30. hoc autem erat intra tabernaculum apud sancta Sanctorum, in hoc enim nunquam fiebat aliquod sacrificium, sed omnia in altari holocaustorum, solum autem cremabatur thymima in hoc, id est, incensum compositum bis in die, in aurora, scilicet, & vespere, & ob hoc altare thymiamatis appellabatur. Hæc omnia patient Exod. 30. ob hoc quandoque absolute appellatur altare in scriptura intelligitur solum de altari holocaustorum, quia altare importat aliquid pertinens ad sacrificia, & quia unicum erat in quo fierent sacrificia vocatur altare in singulari nihil distinguendo: quasi nullum aliud esset. De hoc altari Deus iussuerat, quod esset unicum, scilicet, quod nullus constitueret altare ad immolandum, & cremandum viæmas præter illud, quod erat in Sanctuario, & in hoc peccauisse videbantur duæ tribus, & dimidia.

In Sanctuario Domini erat duo altaria.

F

Quare

A *Quare duæ tribus, & dimidia construebant altare in terra Chanaan, & non in terra sua.*

Q V A E S T I O XII.

QUARE ET aliquis circa supra posita, quia dicebatur, quod construxerunt duæ tribus, & dimidia altare in terra Chanaan, quare ibi illud construebant, quia videbatur rationabilius, q[uod] construerent illud in terra sua, & ibi esset signum filii suis, q[uod] ad eos pertinebat ius immolandi victimas.

Respondet, quod non conueniebat altare istud edificari ad partem Orientalem Iordanis in terra duarum tribuum, & dimidiæ, sed in terra Chanaan, quia ipsi volebant signare per hoc altare, quod habebant ius faciendi sacrificia, & pertinebant ad Deum Israel: erat namq[ue] Iordanis fluuius diuidens inter terram duarum tribuum & dimidiæ, & terram nouem tribuum, & dimidiæ, quæ est terra Chanaan: Sanctuarium autem in terra Chanaan erat, ideo post longinquæ tempora cum non esset memoria de factis præteritis, filij nouem tribuum, & dimidiæ, qui erant in terra Chanaan existimarent filios duarum tribuum, & dimidiæ, esse tanquam quendam gentem distinctam ab eis, & non pertinentem ad unitatem populi Dei, & cum irent ad sacrificandum in Sanctuarium dicentes eis Israelitæ, quod non pertinebat ad eos sacrificia facere, nec reciperentur, quia erant alienigenæ, addentes quod non erat eis pars in Deo Israel, id est, quod non habebant aliquid in Deo Israel, sc. quod non erat Deus specialis eorum, sicut Israelitarum: si autem fecissent duæ tribus, & dimidia altare in terra sua non proficeret ad tollendum ista obiecta, quia ex hoc non probabatur, quod communicabant in aliquo cum Israelitis quantum ad ius faciendi sacrificia, sed magis signaretur è contrario, quod ipsi erant tanquam quidam populus distinctus ab Israelitis, & haberent inter se altare, in quo immolarent in terra sua, nec pertinerent ad identitatem populi Israelitici, sc. quod non irent ad faciendum sacrificia in Sanctuarium. Cum autem maneret factum altare duarum tribuum, & dimidiæ in terra Chanaan, in qua erat Sanctuarium Domini, signabatur, quod ad eos pertinebat Deus Israel, & ius faciendi sacrificia, quod signatur per altare. Et hoc, quia erat altare illud in terra, in qua erat Sanctuarium Domini, & innuebatur eos pertinere ad Deum Israel, quia alias non permisissent Israelitæ illis, quod construerent altare in terra sua, unde credebant duæ tribus, & dimidia esse sufficiens testimonium in altari illo ad probandum, q[uod] ipsi pertinerent ad Deum Israel, vt patet infra ex verbis corū.

Item fuit necesse ponere altare in terra Chanaan, quia Israelitæ de nouem tribibus, & dimidia dicturi erant: Terminus posuit Deus inter nos, & vos Iordanem fluuium. Si autem altare fuisset constructum in terra duarum tribuum, & dimidiæ, staret obiectio illa, quia nihil haberent ex parte Iordanis Occidentali: cum vero haberent altare in terra Chanaan ex parte Occidentali Iordanis, & terram suam à parte Orientali eiusdem, non poterant dicere Israelitæ de nouem tribibus, & dimidia: terminum posuit Deus inter nos, & vos filij Ruben, & Gad Iordanem fluuium. Ad probandum ergo, quod intendebant necesse fuit, vt ponerent illud ex parte terra Chanaan.

Et si obiicias, quod cum istud altare esset in terra nouem tribuum, & dimidiæ non videretur pertinere ad duas tribus, & dimidiæ, nec perhiberet aliquid testimonium.

Respondendum est, quod Rubenitæ, & Gaditæ fabricarent in isto altari aliqua signa, per quæ pateret pertinere ad illos, & scriberent ibi indebetiliter causam huius altaris fabricati, ita vt omnes posterorum generationes cognoscerent ad quid fuisset constructum altare, & quamquam in terra sua duæ tribus, & dimidia istud facerent, non pateret probatio, quia nouem tribus, & dimidia non assentirent huic probatio, cum possent ipsi in terra sua fabricare quidquid vellet: si autem esset in terra Chanaan erat sufficiens probatio, quia non est verisimile, quod permisissent Israelitæ fabricari illud, nisi sic fuisset, vel si clandestine fuisset fabricatum ipsi illud delerent.

Nonne Achor filius Zare. Hic inducunt legati nouem tribuum, & dimidiæ exemplum, quod peccatum vnius potest nocere

communitati, scilicet, quod peccatum Achor nocuit toti Israël, quamquam unus solum fuit in scelere, à fortiori cù duæ tribus, & dimidia peccarent, puniret Deus totum Israël: & ob hoc valde cauendum fuisset istud scelus. Inducitur de Achor, qui peccauit in anathemate Iericho furas regulam auream, & pallium coccineum: nam propter ipsum 36. viri mortui sunt de Israël cum pugnare vellent contra urbem Hai, vt patet supra 7. c. Vocatur iste Achor: tamen nomen suum est Achan, vt patet præal.ca. & ibi declaratum est. Vocatur filius Zare, non quod fuerit filius Zare immediatus, sed quod erat de familia Zare, nam Zare erat filius Iude, & in Ægypto mortuus est: erat autem Achor de familia Zare: sunt enim quinque familias in tribu Iude, tres de filiis eius, & duæ de Nepotibus, vt patet Numer. 36. cap. quarum una est familia Zare. De hac fuit Achor, quod patet supra 7. cum dicitur, quod applicatis omnibus tribubus inuenta est tribus Iude, qua applicata per familias suas deprehensa fuit familia Zare deinde domus Zabdi, & ultimo usque ad virum Achor. Praterij mandatum Domini. Scilicet accipiendo de anathemate Iericho. Iosue tamen ex parte Dei iussiferat, ne quis caperet quipiam de rebus Iericho, vt patet supra 6. cap.

Et super omnem populum Israël ira eius incubuit. Id est quamquam unus fuit solum peccans: tamen Deus non fuit iratus ei solum, sed toti populo. Sed dicetur contra, quod non fuerit iratus, nisi paucis: fecit enim quod perirent 36. viri de Israël, quos occiderunt viri viribus Hay, vt patet supra 7.

Respondendum est, quod toti populo iratus erat, quia quamquam Deus non deleuit totum populum, tamen toti populo iratus erat: nam si non fuisset offesa Dei vindicata, totum populum traderet in manus hostium. Nam licet non perierint omnes, qui iuerunt ad bellum manibus virorum Hay: tamen omnes fugerunt à facie illorum: hoc autem erat poenale Iudeis, & proueniebat super eos ex ira Dei: sic patet supra 7. sc. Non poterit Israël stare ante hostes suos eosq[ue] fugiet, quia pollutus est anathemate, non erovlta vobiscum donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est. Et ille erat unus homo. Quasi dicat si ille erat unus homo, & propter peccatum eius ira Dei incubuit super totum Israël, quanto magis pro scelere vestro, qui estis duæ tribus, & dimidia incumbet ira Dei super totum Israël? Grauiter ergo offendistis Deum, & proximos vestros, sc. nouem tribus, & dimidiæ, quia propter vos veniet ira Dei super eos.

Atque utrimum solus periret in scelere suo. Id est utinam nullus periret propter scelus illud præter ipsum, sed perierunt 36. viri qui occubuerunt gladio virorum Hay, vt patet 7. & alij plurimi perituri erant, nisi scelus eius fuisset punitum. Etiam perierunt cum ipso omnes, qui erant de stirpe sua, scilicet filii, & filiae, vt patet præalleg.cap. nam Deus iussit illos comburi.

F *Responderunt filii Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse principibus legationu Israël: Fortissimus Dominus Deus, ipse nouit, & Israël simul intelliget: si prævaricationis animo, hoc altare construximus, non custodiatis nos sed puniat nos in presenti: & si ea mente fecimus, vt holocausta, & sacrificium, & pacificas victimas super eo imponeremus, ipse querat, & iudicet: & non ea magis cogitatione atque tractatu, vt diceremus: cras dicent filii vestri filii nostri: quid vobis, & Domino Deo Israël? Terminum posuit Dominus inter nos, & vos, o filii Ruben, & filii Gad, Iordanem fluuium, & id circa partem non habetis in Domino. Et per hanc occasionem auertent filii vestri filios nostros à timore Domini. Putauimus itaque melius, & diximus: extruamus nobis altare, non in holocausta neque ad victimas offerendas, sed in testimonium inter nos, & vos, & sobolem nostram, vestramque progeniem, vt seruamus Dominum, & iuris nostri sit offerre, & holocausta, & victimas, & pacificas hostias, & nequaquam dicant cras filii vestri filii nostri: non est vobis pars in Domino. Quod si voluerint dicere, respondebunt eis: ecce altare Domini, quod fecerunt patres nostri, non in holocausta, neque in sacrificium, sed in testimonium nostrum, ac veterum.*

A Absi à nobis hoc scelus, ut recedamus à Domino, & eum vestigia relinquamus extructo altari ad holocausta, & sacrificia, & victimas offerendas, prater altare Domini Dei nostri, quod extructum est ante tabernaculum eius.

Responderunt. Hic ponitur tertium, sc. clara veritas. A principio enim cum nouem tribus, & dimidia nondum cognovissent motuum duarum tribuum, & dimidiæ ad construendum altare, putauerunt esse idolatriam, & recessum à mandatis Dei, quia nesciebant quomodo in bonam partem interpretarentur, possea vero ex verbis duarum tribuum, & dimidiæ veritatem cognoverunt. Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse. Non responderunt omnes de tribu, sed aliqui principes assignati ad respondendum nomine omnium: nec tamen fuerunt isti multi, sc. vt de tribu Ruben unus responderet, & de tribu Gad alias, & reliquias de dimidia tribu Manasse, quia cum congregatae essent istæ tribus, quando legati nouem tribuum, & dimidiæ proposuerunt hæc, non poterat respondere, nisi unus: quia tamen ille de consensu, & auctoritate duarum tribuum, & dimidiæ locutus est, dicebantur istæ tribus respondere. Principibus legationis Israel. Id est principibus, qui portabant legationem Israel, sc. Eleazarо faceroti, & decem principibus reliquis, qui cum eo venerant, vt patet supra. Fortissimus Dominus Deus ipse nouit. Volebant se excusare due tribus, & dimidia de crimine idolatriæ, vel præuaricationis à lege, quod opponebant eis nouem tribus, & dimidia: & quia non poterant hoc manifestare per exteriore, cum bonitas, vel malitia huius actus dependeat ex solo fine, ad quem faciebant: inuocant in testem eum, qui vere cognoscit intimæ cordis, sc. Deum: ipse enim scrutatur renes, & corda, vt patet Psal. 7. & dicunt, quod Deus nouit, quod ipsi non construxerunt hoc altare animo præuaricandi à lege, & immolandi holocausta, sed vt esset in signum, vt infra patet. Ponuntur autem hic tria nomina pro Deo, unum tanquam substantiale, & duo tanquam attributa, scil. fortissimus Dominus, & Deus: ponitur fortissimus, quod non importat in Deo virtutem fortitudinis, vt nos accipimus, quia fortitudo est medietas circa timores, & audacias, scil. secundum quā timemus, quod timendum est, & confidimus in quibus est confidendum. Deus autem nihil timet, ideo non potest ibi esse fortitudo, sed accipitur fortitudo pro potentia, vel potestate ad agendum, ita vt nihil ei resistere queat, & hoc modo dicimus vulgariter de hominibus robustis, quod sunt fortes: tamen non lignamus ibi aliquem habitum moralem, & hoc modo Deus est fortissimus, quia quidquid vult potest: & nihil est, quod ei resistere queat. Tunc considerandum est, quod Deo conuenient multa nomina attributalia signantia perfectiones multas in Deo, & possumus de eo ista prædicare semper, scriptura tamen obseruat, vt ponat talia attributa

B Deus renes, & cor da seru tatur. De at tribu tis diu nis. C Nibil Deo est occul tum.

Dei nomina varia.

E F Quid præuaricari sit.

ad agendum, sed ad intelligendum, sc. q. Deus est efficacissimus intelligendo, quianihil cum latere potest: & quamquam ista acceptio non sit, ita proprie: tamen ista magis conuenit hic, sc. Deus, qui est potentissimus intelligendo, quia nihil ei absconditum manet, intelligit q. non præuaricati sumus in mente nostra: & isto modo accipitur Nu. 16. cum dicitur: Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis num uno peccante contra omnes ira tua desauiet? in quo Moyses inducebat, q. cum Deus cognosceret corda hominū, & ipse sciebat, quod unus peccauerat, non erat iustum, quod omnes puniret, quia hoc pertinet ad eos, qui non cognoscunt abscondita cordis: & peccante uno putant alios peccasse: vnde vocat Deum fortissimum spirituum vniuersæ carnis, id est efficacissimum cognitorem spirituū, qui sunt in carne, scil. spirituum humanorū. Vocatur hic Dominus, quia vniuersaliter ipse omnibus iure dominatur, & ob hoc super omnes potestatem puniendi habet: Deus autem secundum substantiam appellatur.

Sciendum, quod in Hebreo ponuntur hic tria nomina Dei, sc. El, Elohim, Adonai: ista tamen non sunt propria nomina Dei, sed attributalia, sicut istud nomen Dominus, vel sapiens, aut clemens in Latino: & hoc quia multoties dicuntur de hominibus. Omnes enim homines, qui domini sunt vocantur in Hebreo Adonai, & in plurali Adonin, vt patet Isa. 19. vbi dicit litera nostra, ponam, vel traditam Ægyptum in manum dominorum crudelium. Dicitur in Hebreo Adonin Caseth. Eodem modo Elohim conuenit interdum hominibus: cum autem quodlibet istorū per se ponitur litera nostra transfert Deum loco illius: cum autem ponuntur multa simul, vt hic ponit loco eorum quædam attributa, & loco unius nomen Dei signans substantiam, & maxime loco huīus nominis El, & Elohim ponuntur attributa: nec tamē sem per unum, sed aliquando unum, aliquando alia. Quod patet hic, quia El, & Elohim idem signant cū unum sit singulare, & aliud plurale, tamen loco primi posuit litera fortissimum, & loco secundi posuit Dominum, aliquando autem ponuntur ambo pro Domino: sic patet Exo. 34. vbi litera Hebraica El Elohim, Adonai, & litera nostra dicit, dominator Domine Deus, El tamen in Hebreo omnia hæc signat, & accipitur quoq; interdum pro ariete, vt patet Psal. 27. vbi litera nostra dicit: Afferte Domino filij Dei, afferte domino filios arietū, litera Hebraica ponit, Hclin. Sciendum vltius, q. litera Hebraica duplicat hic ista nomina Dei, scil. ponens bis El, Elohim Adonai, litera autem nostra solum semel posuit, quia putauit illud esse ex superabundantia, quia modus loquendi Hebraicus interdum decurtatus est, interdum verò nimis superabundat in verbis, si autem poneretur hic ista duplicatio importando aliquid, sicut aliquando importat aliquid mysterium trinitatis litera nostra diligenter scripsisset. Et Israel simul intelligit. Id est non solum Deus cognoscit hoc per certitudinem, sc. quod non animo præuaricandi altare istud construxerimus, sed etiam Israelite possunt hoc intelligere ex rationabilibus conjecturis, scil. quando audierint intentionem nostram intelligent, quod præuaricari noluerimus. Si præuaricatonis animo altare confirmauimus. Id est construximus. Dicitur animus præuaricādi, id est animus deiudiandi à lege. Præuaricari enim proprie aliquis dicitur, quando ab eo, quod pepigerat, recedit: & sic dicitur 4. Reg. 1. præuaricatus est Moab in Israel, id est recessit à pacto, quod posuerat cum Israel, scil. quod debebat quolibet anno dare certum tributū, & dare noluit: sic erat de duabus tribubus, & dimidia, si recederent à lege Dei, quia ipsæ promiserant obseruare legem, & posuerant maledictiones super infringentes, & benedictiones super obseruantes, vt patet Deu. 27. c. præuaricarentur ergo cum recederent. Poterant autem dupliciter Israelite præuaricari legem construendo altare. Vno modo si fabricarent altare ad colendum idola, quia non poterat esse maior transgressio, cum nullum sit vitium ita directe contra Deum. Secundo modo recederent si non fabricarent altare ad colendum idola, sed ad colendum verum Deum extra Sanctuarium: iusserat. n. Deus, q. in nullo alio altari fierent victimæ præterquam ad ostium tabernaculi: & si quis exterius incolasset esset reus sanguinis, quasi hominē occidisset, vt patet Le. 17. c. Non custodiāt nos. Scilicet à malis, quæ eueniē possunt, imprecantur super se malum. Et hoc quamq; non sit simpliciter licet, tamen ad certificandū, vt alij maiore fidē præbeant aliquando licet, & sic facie-

D

A
Licit
aliquā
do im-
precari
super se
mala
ad cer-
tifican-
dum.

Quid
vus al-
taris.

B.

Tri-
plex ge-
nus sa-
crificio-
rum.

C.

faciebant iste duæ tribus, & dimidia: nam legati Israelitarum non crederent simplicibus verbis ipsorum, ideo necesse erat, vt haberent aliquem modum contestandi efficacius, & iste apud communes est imprecatio malorum super scipsum, sic loquitur David Psal. 7. sc. si feci istud, si iniqüitas in manibus meis, decidam ab inimicis magis inanis: persequatur inimicus animam, comprehendat, & conculceret. Quamquam aliqui hoc legunt non imprecando, sed prædicendo: litera tamen non consentit. Sed puniat in præsenti. Scilicet inferat nobis pœnas, & hoc in præsenti, id est non expectet nos pro hoc ad aliquā pœnitentia, sed in præsenti, id est iñmediate puniat.

Sic eamente fecimus. Id est fecimus ad hunc finem, vel ex hac intentione. *Vt holocausta, & sacrificium.* Duplex erat præuaratio populi in hoc altari, scilicet. vt idola ibi colerentur, vel vt Deo ibi extra Sanctuarium exhiberetur cultus sacrificiorū. De prima præuaricatione non curant se excusare duæ tribus & dimidia, quia illa erat atrocior, & non erat, ita præsumendum, quod ad illam declinassent, sicut ad aliam, quæ facilius erat. Quod autem vellent altare habere apud terram suam ad faciendum ibi Deo sacrificia ne laborarent eundo ad Sanctuarium in urbem Silo satis erat verisimile: ideo hanc conati sunt elidere præsumptionem. *Holocausta sacrificium, & vi-
ctimas super eo imponeremus.* Id est in eo, proprius vsus altaris est, vt in eo victimæ immolentur, & clementur: & si ad hunc finem voluissent duæ tribus, & dimidia altare præuaricabantur, quia Deus iubebat non fieri sacrificia extra altare, quod erat ad ostium tabernaculi: ideo dicunt, quod nolabant in altari illo imponere sacrificia, & ponuntur hic tria nomina, scilicet sacrificium, holocaustum, & pacifica hostia: hoc autem, quia triplex est genus sacrificiorum, s. quædam vocantur holocausta, scilicet. quæ totaliter cremantur præter pellem, & cornua, sed cætera, sc. carnes ossa intestina caput, & pedes exuruntur. De ritu huius patet Leui. 1. Secundum sacrificiu vocatur pacificum, quia pro pace est, id est pro pace obtenta, vel obtinenda, sc. homines volunt interdum aliquod à Deo petere, & quia illud consequi non possunt, nisi Deus eis placatus fuerit (quod est habere pacem cum illis) faciunt sacrificium, vt Deus sit eis placatus, & rem illam tribuat: tunc vocatur sacrificium illud pacificum, vel hostia pacifica, aliquando homines aliquid acquisierunt petentes, quod non fuerant cōsecuti, nisi quia Deus eis placatus erat, & pro illo offerunt sacrificium, illud vocabitur pacificum, scilicet pro pace obtinenda: & habent duo nomina istæ hostiæ, quædam vocatur votiva, scilicet. quæ est pro pace obtinenda, alia vocatur ad gratiarum actiones. De ritu huius hostiæ patet Leu. 3. & 7. c. Tertium genus sacrificij, quod vocatur pro peccato, vel pro delicto, fit multis modis secundum varietatem personarum pro quibus offertur, & causarum offerendi, de his Leuiti. 4. & 5. & 6. patet, & ibi late dictum est: prima duo exprimuntur nominibus suis, tertium autem vocatur sacrificium absolute, quod satis intelligitur hic quid sit, quia alia duo expressa sunt: ita si exprimeretur pro peccato, & pacifica victimæ, & ponatur sacrificium cum eis intelligetur pro solo holocausto, quia non potest accipi pro aliquo alio, cum solum sint tres species sacrificiorum, alia autem sunt sacrificia præter ista genera, sed non sunt sacrificia proprie dicta. sc. vitula rufa immolatio, & combustio, & immolatio agni paschalis: utrumque enim vocatur sacrificium. De agno paschali patet Num. 9. de vitula rufa patet Num. 19. ca. an vero possint reduci ad aliquod genus sacrificij, & quod eorum magis reducatur declaratum est præal. c. cum tamen scriptura loquatur de sacrificiis, de his tribus solum intelligit. Et ob hoc isti expresserunt solum de his. *Ipsæ querat, & iudicet.* Id est Deus querat istud à nobis. Quærere non accipitur hic pro inquirere, quia Deus non inquirit hic aliquid de nobis cum ei cuncta cognita sint, sed dicitur querat, id est querat vltionem pro isto scelere, & iudicet, id est puniat. Non accipitur iudicare prout est actus indicantis, sc. ius dicere, sed iudicare, id est pœnas infligere, & hoc modo cum pœna aliqua magna alicui infligitur, dicitur quoniam iudicium est. *Et non ea magis cogitatione atq. tra-
ctatu.* Est sententia suspensiua, scilicet, Deus puniat, & querat si fecimus altare animo offrendi sacrificia, & non fecimus magis animo, & tractatu relinquendi in signum, & probationem futuris. Ponuntur hic cogitatio, & tractatus, quia cogitatio dicit solam conceptionem, tractatus dicit delibe-

rationem, & disceptationem ad sciendum an recte, vel secures se habeat. Est autem cogitatio apte tractatum, in quo innunt, quod non fecerunt illud altare ex aliquo motu subitaneo, & passionali, quia tunc poterat actus esse increpabilis, sed factus cum maturatione, & deliberatione. *Vt dicere-
mus.* Id est quia nos dicebamus inter nos ipsos, quando habebamus tractatum super construendo altare, scilicet, cras dicent filii vestri filii nostri, &c. quasi dicat, quia nos dicebamus hæc inter nos primo concipientes deinde deliberantes, scilicet, quod filii vestri possent filios nostros à Dei timore excludere, si non facremus hic altare, moti fuimus ad faciem illud. *Cras dicent.* Accipitur cras pro futuro tempore, & non pro sequenti die, nec etiam pro tempore in breui seculo, quia in ipso essent superstites plurimi eorum, qui erant, quando ista dicebantur, & illi manifestarent veritatem rei, nec esset locus huic exprobationi, quam ficerent filii nouem tribuum, & dimidiæ, sed intelligitur de temporibus multo post futuris: nam in illis posset hoc accidere, quia nullus de illis, qui nunc erant tunc esset superstites.

Fili vestri, filii nostri. Hoc dicerent filii nouem tribuum, & dimidiæ ad filios duarum tribuum, & dimidiæ tanquam nimis zelantes legem Dei.

Quid vobis, & Domino Deo Israel? Id est non habetis aliquam partem, vel aliquid speciale in Deo Israel, sc. vt velitis facere sacrificia, sicut nos facimus. Sed dicet aliquis quomodo procedet ista increpatio? Respondendum, quod filii nouem tribuum, & dimidiæ post multa tempora poterant intelligere, quod filii duarum tribuum, & dimidiæ essent de stirpe Gentilium: & ad hoc haberent aliquam præsumptionis coniecturam, scilicet, quia inter terram nouem tribuum, & dimidiæ, & terram duarum tribuum, & dimidiæ erat Iordanis fluvius, qui videbatur diuidere tanquam inter duas gentes, ideo non recipieren eos ad sacrificia dicentes, quod non erat eis pars cum filiis Israel.

*An filii noueni tribuum, ac dimidiæ recte dicere possent filii duarum tribuum, & dimidiæ quid vobis, & Deo Israel? Et quod spe-
cialitas Iudeorum respectu Dei, quantum
ad duo erat.*

Q V A E S T I O XIII.

QUARET aliquis, an filii nouem tribuum, & dimidiæ recte dicere possent filii duarum tribuum, & dimidiæ quid vobis, & Deo Israel? etiam præsupposito, quod essent de stirpe Gentilium, videtur enim quod non recte dicenter, quia Deus Iudeorum erat Deus verus, & in toto orbe unicus. Iudei quoque hoc cognoscebant, scilicet, quod præter Deum suum non esset aliud Deus, ergo non solum erat Deus eorum: sed etiam Deus gentilium: ergo aliqua pars erat gentilibus in Deo Israel.

Respondendum est, quod Deus Iudeorum erat Deus verus, & omnium gentium, accepit tamen specialiter Iudeos in populum, ita vt vocaretur specialiter Deus Iudeorum: sic patet Exod. 19. c. sc. si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum eritis mihi in peculium de cunctis populis terræ, mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Erat autem ista specialitas Iudeorum respectu Dei quantum ad duo, primo vt ipsi specialiter Deum colerent, quia ceteræ gentes Deum verum non colebant nec cognoscebant. Iudei autem utrumque habebant: sic patet Psalm. 74. Notus in Iudea Deus in Israël magnum nomen eius, & factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Et sicut cognoscebant, ita colebant, quia acceperant speciales ceremonias à Deo ad viuendum, & colendum eū, vt patet Deu. 4. c. gentiles autem non suscepserant à Deo aliquas ceremonias colendi eum, nec alias leges viuendi, sic patet Psal. 148. sc. non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis: in hoc autem vocabantur Iudei populus Domini, id est populus qui specialiter colebat Deum verum. Secundo modo consistebat ista specialitas quantum ad hoc, quod Deus specialius curaret de Iudeis, quam de aliis gentibus conferendo eis beneficia, & ab aduersitatibus eruendo. Et hoc signatur Exod. 19. sc. eritis mihi peculiū de cunctis populis terræ: mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi

E

F

A mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Et hoc apparabat in experientia, quia quando Iudæi non deferebant à lege Domini abundabant omnibus bonis, & nulla eos poterat inuenire aduersitas, vt patet Leui.26. & Deut. 7. & 28.ca. è contrario autem si præuaricarentur à lege Dei omnia aduersa eos affligebant, vt patet eisdem cap. Gentiles autem nullo istorum modorum, pertinebant ad Deum specialiter, ideo poterant dicere Iudæi gentilibus, non est vobis pars in Deo Israel: & consequenter si filii Ruben Gad, & dimidiæ tribus Manasse reputarentur tanquam Gentiles, poterant eis dicere Israelitæ de nouem tribibus, & dimidia: non est vobis pars in Deo Israel.

Et quando arguebatur, quod Deus Israel est verus Deus, & est Deus omnium, atque omnes tenentur eum colere. Respondendum est, quod filii nouem tribuum, & dimidiæ non negabant hoc, quia lex eorum dicebat, mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale: etiam satis sciebant, quod tenebantur gentiles colere Deum Israel, quia nullus alius erat Deus. Dicebant tamen, quod non erat eis pars in Deo Israel, id est in Deo secundum, quod pertinebat ad Israel: nam Deus pertinebat ad Israel speciali modo, vt declaratum est: & in nullo illorum modorum erat gentilibus pars in Deo. Et maxime intelligitur hic de primo modo, sc. quantum ad singularem cultum. Deus enim fecit Israel populum suum dando ei speciales cæremonias colendi Deum, & vivi uendi, quas nulli populo tradiderat, ideo quantum ad hanc partem non erat aliqua pars gentilibus in Deo Israel, quia illæ cæremoniae non erant date eis, & sic si gentiles vellent se intromittere colere Deum quantum ad illas cæremonias, poterant dicere Israelitæ, non est vobis pars in hoc, & iste est sensus verus, quia facere sacrificia est specialissima cæremonia Iudaici populi: filii autem Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manasse vellent facere sacrificia in Sanctuario Domini, sicut Israelitæ, & tunc dicentes Israelitæ non habetis ius ad faciendum hoc, quia non est vobis pars in Deo Israel, & hoc patet ex facto, & verbis duarum tribuum, & dimidiæ: nam construxerunt altare, quod ad faciendum sacrificia est, & dixerunt non struximus ad victimas pacificas, & holocausta, sed in testimonium inter nos, & vos, & sobolem nostram, vestramq; progeniem, quod seruamus Domino, & iuris nostri sit offerre holocausta, & victimas, & nequaquam dicant cras filii vestri filii nostris: non est vobis pars in Domino. Apparet ergo, quod isti timebant, quod Israelitæ postea dicentes, quod non erat eis pars in Domino, id est non habebant ius faciendi holocausta, & victimas pacificas, & si filii duarum tribuum, & dimidiæ essent de gentilibus, vere obiceretur contra eos, ideo patres eorum construxerunt altare, vt pateret semper, quod ipsi pertinebant ad cultum Dei cum aliis Israelitisi.

B C An Israelite bene agerent dicendo filiis duarum tribuum, & dimidiæ. Non est vobis pars in Deo Israel. Et quod lex Euangelica est universalis toti orbi. Iudei tamen circa gentiles duplicitate habere poterant.

Q V A E S T I O XIV.

Q VÆRETVR amplius dato, quod Israelitæ de nouem tribibus, & dimidiæ existimarent filios duarum tribuum, & dimidiæ esse de gentilibus: an bene agerent dicendo eis non est vobis pars in Deo Israel, etiam si verum esset, quod nullam partem habebant, vt declaratum est. Arguitur, quod non, quia sicut nunc Christiani tenentur quantum potuerint infideles ad fidem adducere, & peccant nimis quandocumque scienter, & ab intentione faciunt aliquid, per quod scandalizent infideles volentes conuerti, vel iam conuersos redire faciunt ad statum infidelitatis: ita Iudei, si cogarent aliquam Gentilem volentem colere Deum redire ad statum gentilicium, nimis peccabant, quia diminuerant cultum Dei: & tamen ipsi tenebantur non diminuere cultum Dei: sicut nunc nos tenemur, licet nos magis: quia lex Euangelica est universalis data toti orbi: lex autem mosaica erat data specialiter Iudeis, licet recipere omnes volentes conuerti, nullum tamen maius scandalum, & retractuum à cultu Dei esse poterat, quam quod Iudei dicentes gentilibus volentibus

D conuerti ad cæremonias Hebreorum: non est vobis pars in Deo Israel, ergo peccarent, quando ista dicerent. Item Deus nimis admonuerat, qd Iudei non affligerent animas adueniarum, id est conuersorum, qui dicuntur aduenæ, quia venerunt ad ritum Iudaicum, sed afflictio magna erat, quando expobarent eis dicentes: non est vobis pars in Deo Israel, ergo peccabant. Patet antecedens Exo.22. scilicet, Aduenam non contristabis, nec affliges eum: aduenæ enim ipsi fuisti in terra Ægypti. Item Deus admonuit, quod Israelitæ diligenter aduenas, & peregrinos, sc. qui conuertebantur ad cultum Dei, vt patet Deuteron.10. vbi dicitur, quod Deus amat peregrinum, & dat ei victimum, atq; vestitum, & sequitur ibidem, & vos ergo amate peregrinos, quia & vos ipsi fuisti aduenæ in terra Ægypti: sed in exprobatione ista non amabat illos Iudei, quin potius habebant eos exos, ergo peccabant.

Respondendum est, quod Iudei debebant amare gentiles conuersos, & volentes conuerti, & dare eis occasionem in quantum possent, vt conueterentur ad Deum, sicut nos facere debemus circa omnes infideles, quos ad hos motus viderimus pronus.

Considerandum tamen, quod Iudei se poterant habere duplicitate circa gentiles, scilicet, quia aut circa gentiles iam conuersos, aut circa conuerti volentes, vel dispositos aliquiliterad conuersionem.

E Differ-
tia in
ter ad-
uenas
peregr-
nos pro-
selytos,
licet i-
de sig-
nificet.
De primis dicendum est, quod iam erant Iudei quantum ad cæremonias, quia renunciantes ritui gentilico, circumcisivi fuerant, & conuersi ad cæremonias Iudeorum: quia tamen non erant Iudei ex genere, scriptura non vocabat eos Iudeos vel Israelitas, sed aduenas, vel peregrinos, aut alio modo proselytos. Aduenæ enim dicuntur ab adueniendo, id est, quod ad aliud venerunt, sc. quod cum primo fuissent in ritu gentilico venerunt ad ritum Iudaicum. Vocantur peregrini à peregrinando, id est peregre manendo, scilicet, quia manent extra terram suam, & cognitionem, & ritum Deorum suorum, in quo nati sunt. Proselyti autem idem signant, sed nomen istud ad Græcam originem pertinet. De ipsis dicendum est, quod Iudei non debebant facere differentiam in communicatione ad ipsos, & communicatione ad Iudeos ex genere, scilicet quorum proavi descendunt à Iacob: illi enim cum circumcisionem receperint obligabantur ad omnes cæremonias Iudeorum, ideo frequenter in Levitico, Exodo, Deuteronomio, & libro Numerorum, quando ponuntur leges cæremoniales dicitur: ista lex erit vobis, & aduenis, qui peregrinantur inter vos. Eodem modo quantum ad iudicialia erat eadem lex Iudeis ex genere, & peregrinis conuersis, quia per legem, qua unus absolvatur, vel condemnabatur, & aliis quoque. Sic patet Leui.24. & Deut.1. sc. Æquum iudicium erit apud vos, siue ciuis, siue peregrinus ille fuerit, de cæremoniis autem adhuc erat minus dubium, quia specialissima inter omnes cæremonias Iudaicas erat facere sacrificium in Sanctuario, scilicet offerendo ibi animal, quod per sacerdotes immolaretur: tamen ad huc pertinebat hoc ad peregrinos. Et patet hoc primo de sacrificiis propriis dictis, scilicet, holocausto, victima pacifica, & sacrificio pro peccato: nam ista, & libamenta sua eodem modo conueniebant conuersis gentilibus, sicut Iudeis, vt patet Leu.15.

Item patet hoc de sacrificiis, quæ non propriè vocantur sacrificia, sc. de vitula rufa, & de agno Paschali. De vitula rufa dicendum, quod ipsa immolabatur, vt cremaretur, & cineres eius proficerent ad emundationem immunditiarum totius populi, & tamen illi cineres, ita erant ad emundandum conuersos ad Iudaismum, sicut Iudeos ex genere, vt patet Num.19. cap. cum dicitur: Habebunt hoc filii Israel, & aduenæ, qui habitant inter eos, sanctum iure perpetuo. De agno Paschali, quod etiam large vocatur sacrificium, vt patet Numeri 9. cap. patet, quia non licet alicui nondum circumcisio comedere de agno illo, vt patet Exod.12. cum dicitur de Phase, sc. quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum eius, & tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ: nihil ergo de ceremonialibus erat, quod de gentilitate conuersis, & Iudeis cōmune non esset. Fallit hoc in quibusdam priuilegiis, quibus gaudebant Iudei ex genere quibus non gaudebant conuersi. Vnu est de anno remissione quan-

A nis quantum ad debita: erit enim generale inter Iudeos, q; si quis debitor esset ex mutuo, & ante annum septimum, qui vocatur annus remissionis non soluisset, postea non poterat ab eo quidquam peti, vt patet Deuter. 15. si tamen commodasset Iudeus alicui conuerso, poterat petere non obstante anno remissionis, vt patet ibidem: idem erat si conuersus mutuasset quidquam Iudeo. Alterum primitivum erat quantum ad annum remissionis propter seruitutes, scilicet, quod aliquis Iudeus venderet se in seruum alteri Iudeo liberabatur in anno septimo remissionis, ideo siue paucō tempore ante hoc fuisset facta venditio, siue multo, solum durabat usq; ad annum remissionis, quae fiebat de septem in septem annos, & hoc de Iudeo ad Iudeum, vt patet Exo. 21. & Leu. 25. & Deut. 15. si tamen aliquis conuersus venderetur in seruum alicui Iudeo ex genere, manebat seruu in eternum, vt patet Leuiti 25. & isti transmittebantur ad posteros iure hereditario: si autem Hebreus venderetur in seruum alicui conuerso non liberabatur in anno septimo remissionis, sicut de Iudeo ad Iudeum: sed in Jubileo qui erat annus quinquagesimus, vt patet Leuit. 25. cap.

B Item Iudei à Iudeis non poterant exigere usuram, sed mutabant nihil recipientes supra sortem: ab alienigenis autem scilicet à conuersis ad Iudaismum poterant recipere usuram, vt patet Leuiti 25. & Deuter. 23. cap. non feneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno: fratri autem tuo absque usuram, quo indiget commodabis. Item conuersi ad Iudaismum non accipiebant officia, vel dignitates inter Iudeos, sed satis Iudeis ex genere ista competebant, vt declaratum est Deuter. 23. in ceteris autem erat eadem communicatio Iudeorum ad conuersos, quae Iudeorum ad Iudeos. Vnde his non poterant vere dicere Israelites: Non est vobis pars in Deo Israel: quia ita erat eis pars, sicut Israelites, quia ipsi iam erant effecti quædam pars populi Dei, & obligati ad obseruandum omnia, quæ obseruabant Israelites: & ob hoc isti licebat introire in Sanctuarium, & comedere ibi de sacrificiis pacificis, sicut comedebant Israelites, vt patet Deut. 12. & 13. & 16.

C Alia erat communicatio Iudeorum ad gentiles non conuersos, & ista aut considerabatur respectu gentilium, qui erant in terra Chanaan, aut respectu aliorum Gentiliū: Gentiles enim qui erant in terra Chanaan, erant septem populi, scilicet Chananai, Amorrhæi, Gergesæi Heuæi Hethæi Iebusæi, Pherezæi, vt patet supra 3. & sequ. cap. & cum istis Iudei non debebant habere aliquam communicationem. Causa est quia quod interdum Iudei dulciter communicarent cum aliquibus Gentilibus, erat vt eos conuerterent ad cultum Dei sed de Chananæis nullus conuertendus erat ad cultum Iudaicum: nam dato, quod ipsi conuerti vellent, & hoc peterent, Iudei non debebant permittere, sed occidere omnes, quia Deus iussit, quod de his 7. populis nullum omnino vivere dimitterent masculum, aut feminam, vt patet Deutero. 20. & si aliquos dimitterent, peccabant, atque illi erant postea futuri eis hostes, & stimuli atque lanceæ in lateribus, & clavi in oculis, vt patet Numeri 33. & sequen. cap. & ob hoc, quia Iudei dimiserunt quosdam de Chananæis in terra sua facientes eos sibi tributarios, Angelus Domini increpuit valde omnes Israelitas, vt patet Iudicum 2. cap. Ad hos ergo nulla communicatio dulcis habenda erat, sed tractandi erant tanquam hostes. Contingebat tamen, quod interdum Iudei non potentes contra Chananæos, dabant eis inducias, & transibant multa tempora sub pace. Sed adhuc tunc non debebant Iudei communicare cum Chananæis, ne peruerterentur ab eis ad idolatriam, ideo iussum est ne darent eis filias suas in uxores, nec filias eorum acciperent, vt patet Exod. 34. & Deutero. 7. causa ponitur, quia viri Iudei per uxores gentiles, vel econtrario traherentur ad cultum idolorum, & filii nati ex hoc matrimonio ad Gentilium declinarent ritum: etiam non debebant comedere cum gentilibus, ne interdum inuitarent eos ad comedendum de cibis consecratis demonibus, & alias communicationes vitare debebant, quia ex his sequerentur cibi, & potus, & contingebat Iudeos comedere de consecratis. De hoc Exod. 34. cap.

D Alia erat communicatio ad gentiles, qui non erant de terra Chanaan, & de his non est idem dicendum, quod de Chananæis, quia Iudei non debebant occidere illos, nisi cum ex ali-

qua causa haberent iustum bellum contra eos, & si occident eos peccarent. De his poterant conuerti ad Iudaismum quocunque vellent, & circa istos erat communicatio aliqua Iudeorum: cum enim lex ponat multos connuersos, de gentilitate ad Iudaismum necesse est, vt dicamus de omnibus gentibus potuisse, & debuisse recipi conuersos, de quibus non reperitur prohibitum: sed in nulla gente reperitur prohibiti, nisi in Chananæis: ergo omnes alij populi poterant recipi ad ritum Iudaicum.

E Obiiciet aliquis, quod quædam alij gentes præter Chananæos non recipiebantur, vt patet de Amonitis, & Moabitis, qui in æternum non permittebantur intrare in ecclesiam Dei, & de Idumæis, & Ægyptiis, qui non permittebantur introire usque ad tertiam generationem in ecclesiam Domini, vt patet Deut. 23. cap. Respondendum est, quod de istis gentibus, & de omnibus aliis permittebantur conuerti quicunque vellent ad ritum Iudaicum, immo gaudebant Israelitæ, quando conuertebantur. Patet de Ægyptiis: nam vulgus promiscuum infinitæ multitudinis ascendit ex Ægypto cum Israclitis, vt patet Exod. 12. c. & hos non repulerunt Iudei. Itē de Moabitis patet, quia licet dicatur, quod non introirent in ecclesiam domini in eternum, tamen Ruth Moabitæ conuersa est cum nuru sua Noëmi ad cultum Iudaicum dicens: populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus, Ruth. 1. c. Et Iudei congratulabantur ei, quando conuersa fuit, vt patet de Booz, qui dixit ei: Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti, & sub cuius confugiliis alas, vt patet Ruth. 2. c. Cum autem obiicitur, quod non intrabant Moabitæ, & Ammonitæ in ecclesiam Dei in eternum, & Ægypti, & Idumæi usque in tertiam generationem. Respondendum est, quod non est intelligendum de controvensione ad Iudaismum, sed de acceptance vxoris de genere Hebræorum, sc. quamquam conuerterentur ad Iudaismum ipsi, nec filii eorum capere non possent uxores de genere Israelitarum: conuersi autem de Ægyptiis, & Idumæis non poterant accipere uxores Hebræas usque ad tertiam generationem. De conuersione autem ad Iudaismum non potest intelligi: nam esset litera intelligibilis, vt declaratum est Deuter. 23. c. poterant ergo de istis gentibus, & quibuscumque aliis conuerti ad Iudaismum quicunque vellent præterquam de Chananæis, de quibus nullus recipi poterat, sed occisi debebent. Fallit hoc in Raab Ierichontina, & cognitione eius: nam ista fuit recepta ad Iudaismū, & in matrimonium à principe quodam tribus Iudei, sc. à Salmon, vt patet Matth. 1. de quo supra 6. Causa huius est, quia spondiderant ei istud exploratorescum abscondisset eos, ne caperent Ierichontini, vt patet supra 2. c. De istis gentilibus dicendum est, quod Iudei licebat communicatio ad illos non simpliciter, sed ad aliquas necessitates, permittebatur. n. Iudei, qui erant in terram gentilium ad negotiationes exercendas non principaliter propter lucrum, sed ad sustentationem terræ sua, quia non habebant ipsi in terra sua omnia, quibus egebant. Quod colligitur Num. 9. vbi ponuntur duas causas, propter quas aliqui excusabantur à celebratione Phase in tempore suo. Prima erat si essent immundi. Secunda si essent in itinere, s. si longe recessissent de terra Chanaan, ita quia non posse redire ad terram suam tempore festiuitatis huius, sed tunc necesse erat, vt communicarent cum gentilibus, & sicut licebat Iudei ire in terram gentilium ad negotiationem, vt emerent necessaria terræ sua, ita permittebant gentiles de regnis quae erant in circuitu venire in terram suam apportantes aliqua venalia. Sic patet Neemias 13. vbi dicitur de Tyriis, quod veniebant in Ierusalem inferentes onera. Neemias tamen in crepuit factum eorum, quia die sabbati faciebant prophane-tes sabbathum, sed aliis diebus bene permittebant. Ad hos ergo gentiles communicatio erat Iudei ex necessitate: sed præter hanc non debebant eis communicare in cibo, & potu, & aliis magnis, & assiduis communicationibus, quia erat periculum cum Iudei essent valde proni ad idolatriam poterat faciliter ab eis conuerti ad malum. Etiam quia si manducarent cum eis poterant comedere de consecratis demonibus, quod non licebat Iudei, vt patet Exo. 34. c. si tamen essent aliqui de his gentilibus, quos Iudei viderent pronus ad cultum Dei, poterant, & debebant cum eis dulciter conuarsi, vt conuerterent eos ad Deum. Sed adhuc non communiant

D

E

F

Dic
causa
propter
qua
liquex
causa
bantur
à cele
bratiōe
Phase
tempo
re suo.

A

nicant Iudei cum istis gentilibus conuertendis, sicut cū conuersis, quia isti non obligabantur adhuc ad aliquas cæremo-
nias Iudaicas: immo multæ erant, quas si isti obseruare vel-
lent, non permetterentur, vt si vellent celebrare Phase come-
dentes de agno Paschali non permetterentur, etiam si dice-
rent se velle conuerti ad ritum Iudaicum quoque circum-
ciderentur, vt patet Exodi duodecimo, scilicet, quod si quis
peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & ce-
lebrare Phase, circuncidetur prius omne masculum eius, &
sic rite celebrabit. Si quis quoque de gentilibus vellet expia-
ri à maculis suis per cineres vitulæ rufæ non permetteretur
quousq; circumcidetur, quia solis Iudæis, & conuersis, qui
vocantur peregrini permisus erat iste ritus, vt patet Numer.
19. cap. De sacrificiis quoque idem est, scil. quod nulli gentili-
quantumcunq; desideranti cultum Iudaicum permittere-
tur dare aliquod animal ad sacrificium, & si darent non reci-
peretur quoque circumcidetur: sic patet Leuit. 23. c. scil.
de manu alienigenæ non offeretis panes Domino Deo ve-
stro, nec si quicquam aliud dare voluerit, quia polluta sunt
omnia: si tamen esset circumcisus licebat ei facere sacrificiū,
& oblationes, quia isti iam vocarentur aduenæ, vel peregrini,
vt patet Num. 15. nec erat aliqua cæremonia Iudaica, quæ nō
liceret circumcisio, & nulla licebat non circumcisio: immo cir-
cumcisii ad omnes legales obseruationes obligabantur, vt pa-
tet ad Gal. 5. ca. sc. ego Paulus testificor omni homini circum-
cidenti se, quod debitor sit vniuersæ legis faciende: ita est de
baptismo, quod accipientes cum obligantur ad omnes ritus
Euangelice legis, & status Christianorum. De istis gentilibus
verū est, qnōd non erat ei pars in Deo Israel, id est adhuc nō
pertinebant ad Deum, donec circumcidetur, & si ipsi co-
narentur facere cæremonia Iudæorū celebrantes Phase, vel
facientes sacrificia non erant permittendi, & debebat eis dici,
non est vobis pars in Deo Israel, id est ad hoc, quod facere
vultis nondum habetis partem in Deo Israel quoque cir-
cumcidamini, & si Iudæi permetterent gentilibus sub spe co-
uersionis antequam circumcidetur introire in Sanctuarium,
vel offerre victimas, peccabant grauiter: sic patet Eze.
44. c. cum dicitur: Sufficient vobis omnia scelera vestra do-
mus Israel: eo quod inducit filios alienos incircicifos cor-
de, & in circumcisos carne, vt sint in Sanctuario meo, & pol-
luant domum meam, & ob hoc Iudæi accusauerunt Paulum,
quod introduxisset viros Gentiles in templum Domini:
& facta est contra eum magna commotio, vt patet Actu.
21. & ibi se excusauit Paulus. Item non licebat, quod gentili-
bus his, qui conuerti volebant si nondum circumcisii erant
darentur vxores de Hebrais mulieribus, & filiæ eorum non
erant accipiendæ in vxorem, quia adhuc huiusmodi erant
vere gentiles: si tamen darent pecunias ad expensas Sanctua-
rij reciperentur: etiam si essent istæ pecuniae pro expensis sa-
crificiorum: sic patet de Seleuco rege Syriæ, qui præbebat de
arca sua pecunias pro expensis omnium sacrificiorum tem-
pli, vt patet 2. Macha. 3. tamen iste Seleucus gentilis erat. Ex
prædictis ergo patet in quo communicandum erat Iudæis
cum gentilibus, & conuersis, & in quo non licebat.

Ad argumenta respondendum. Ad primum, quando di-
citur, quod Iudæi tenebantur non scandalizare conuersos
ad cultum Dei, vel volentes conuerti, concedendum est, &
cum dicitur, quod nullum maius scandalum esse poterat, quam
vt dicerent illis non est vobis pars in Deo Israel: responde-
tur, quod conuersis dici non poterat: quia ipsi habebant po-
tentatem ad faciendum in cæremoniis legis quidquid facere
poterant Iudei ex genere: immo obligati erant ad omnia,
ad quæ Iudæi ex genere, vt declaratum est: sed poterat dici
istud nondum conuersis ad Iudaismum per circumcisionem,
quamquam conuerti velint. Et quando dicitur, quod erat
magnum scandalum dici isti, quia per hoc recederent con-
uersi ad statum pristinum gentilicium.

Respondendum est, quod si in verbis istis intelligeretur,
quod nullo modo volentes conuerti ad Iudaismum haberet
partem in Deo Israel, sc. quod non pertineret ad illos Deus,
nec pertinere posset, erat scandalum: tamen solum intellige-
batur de cæremoniis sacrificiorum, & quibusdam specialibus
pertinentibus ad ritum Iudaicum, scil. quod non esset genti-
libus pars in Deo Israel, id est, quando non erant circumcisi
nondum pertinebat eis aliquid de Deo Israel, sc. ex professio-

nec cultus illius, propter quod haberent ius ad faciendum sa-
crificia: istud tamen nunquam erat dicendum volentibus
conuerti, nisi cū conarentur facere cæremonia aliquas qua
pertinerent ad Iudeos factos, id est gentiles conuersos, in hoc
casu applicandum est ad quæstionem, scil. quod Israëlitis de
nouem tribus, & dimidia licebat dicere filiis Ruben, &
Gad, & dimidia tribus Manasse, quod non erat eis pars in
Deo Israel, sc. si existimarentur esse gentiles non conuersi ad
Iudaismum, & vellent facere sacrificia cum Israëlitis & introi-
re in Sanctuarium: hoc enim non liceret eis, & ob hoc vo-
lebant duas tribus, & dimidia facere altare, vt iuri sui appare-
ret esse facere sacrificia. Ad aliud argumentum cum dicitur,
quod Iudei amare debebant aduenas concedendum est: &
cum dicitur, quod non dicebantur hæc aduenis, quia ipsi
pars erat in Deo Israel, sed dicebantur gentilibus nondum
conuersis, si pretenderent sibi esse aliquod ius ad quasdam
cæremonia, & hoc modo esset de filiis duarum tribuum, &
dimidia, sc. quod existimarentur à posteris de genere Gentilium,
& tunc posset eis dici. Etiam quia propter distinctionē
terræ, sc. quia erat Iordanis interpositus inter utrosque puta-
rentur ad alterum genus pertinere. *Terminum posuit Dominus*
Deus intervos, & nos o filij Ruben, & Gad Iordanem flum. Hic
ponitur inductiū ad faciendum errare filios duarum tri-
buum, & dimidia probando, quod ad Deum non pertinet: &
hoc inducitur, quia non erant unicus populus cum Israëlitis:
pertinebat enim ad Israëlitas facere sacrificia, & omnes
ceremonias legis Domini, quia ipsi habebant legem, & apud
eos erat Sanctuarium, & altare Domini, omnis ergo gens, quæ
esset eadem cum Iudeis haberet iura ista faciendi, sed duas
tribus, & dimidia erant alius populus, quod probant filij nouem
tribuum, & dimidia, quia erat terminus positus inter
terram duarum tribuum, & dimidia, & terram nouem tri-
buum, & dimidia, scil. Iordanis flum: ergo non erat idem
populus, & consequenter non habebant partem in Deo Is-
raël ad immolandum, & faciendum alias cæremonia.

*An conuenienter probetur filios duarum tribuum, & dimidia
esse alterius populi, quia esset terminus positus
inter utrorumque terram.*

Q V A E S T I O X V .

QVÆRETVR an conuenienter probetur, quod filij
dearum tribuum, & dimidia essent alius populus, quia
erat terminus positus inter utrorumque terram, scilicet, co-
rum, & terram nouem tribuum, & dimidia.

Respondetur, q̄ probatio non erat sufficiens, quia tunc
necessæ erat, quod essent duæ gentes duæ tribus, & dimidia,
& nouem tribus, & dimidia, sed falsum est. Item non solum
non erat sufficiens, sed etiam non erat conueniens, quia cum
terra ista Chanaan non esset magna nimis, & tribus 12, si sim-
ilis sortes acciperent, magna terra indigebant, data fuit qui-
busdam posseditio ad Orientem Iordanis, & aliis ad Occiden-
tem: sed duæ tribus, & dimidia dixerunt, quod filij nouem
tribuum, & dimidia poterant hoc obiicere filiis eoru, quod
non pertinebant ad Deum, quia erat positus Iordanis, vt ter-
minus medius, quia isti erant, sicut qui faciunt aliquid, & vo-
lentes tollere omnem calumniam non solum respondent ad
ea, quæ sunt vere inconuenientia, sed etiam ad ea, quæ viden-
tur quibusdam, aut videri possunt, licet non sint vere incon-
uenientia. Ita cum viri duarum tribuum, & dimidia suspic-
arentur aliquod malum posse eueniire filiis suis, si filij Israëli-
tarum eis obiicerent, quod non erant de populo Israel, quia
Iordanis erat positus tanquam terminus medius inter eos,
posuerunt ad hoc aliquod responsuum, scil. fabricantes alta-
re intra terram Chanaan, per quod pateret eos habere ius sa-
crificandi in terra Chanaan, & pertinere ad Deum, qui cole-
batur in terra Chanaan. Erat autem aliquis color dicendi hoc
filiis nouem tribuum, & dimidia. Primo propter diuersam
terram habitationis: nam nouem tribus, & dimidia habita-
bant in terra Chanaan, duæ autem tribus, & dimidia mora-
bantur extra terram Chanaan, quia habitabant ad Orientalem
plagam Iordanis, vt patet supra 1. & 13. Iordanis tamen
est terminus Orientalis terræ Chanaan, vt patet Numer. 34.
cap. terra tamen Chanaan erat per se vna regio, cuius termini

induct
uit ad
facien
dum er
rare si
lios dua
runtri
buū, &
dimidia.

E

C.

F

A descibuntur per se præalle. c. quasi illa sola esset promissa Iudeis. Secundo habebant colorem ex interpositione Jordani: nam magna flumina, vel montes videntur posita ad distinctionem regnum, & prouinciarum quasi naturaliter, & Deus inter duas tribus, & dimidiæ, & nouem tribus, & dimidiæ posuit Jordanem diuidentem, quem non posuit inter nouem tribus, & dimidiæ ad alterutrum: ergo videbatur, quod Deus voluisset duas tribus, & dimidiæ nō pertinere ad ipsum distinguedo eas à terra nouem tribuum, & dimidiæ.

Quomodo filij nouem tribuum, & dimidiæ poterant dicere duabus tribibus, & dimidiæ, quod non pertinebant ad Deum Israel.

Q V A E S T I O XVI.

B **Q**UARETVR amplius quomodo poterant filij nouem tribū, & dimidiæ dicere filios duarum tribuum, & dimidiæ non pertinere ad Deum Israel, & ad quid erat hic opus testimonio, cum vocarent eos filios Ruben, & Gad: nam ipsi videbantur ponere contradictorium in adiecio: ex hoc enim quod vocabant eos filios Ruben, & Gad innuebant, quod pertinebat Deus Israel ad eos: si enim nouem tribus, & dimidiæ aliquando ex diuturnitate temporis existimatæ de duabus tribibus & dimidiæ, quod non erant filii Ruben, & Gad, dimidiæ Manasse, sed veniebant de stirpe Gentilium, possent aliqualiter obiicere eis, quod non habebant partem in Deo Israel, sed vocando eos filios Ruben, & Gad non videtur quomodo, quia manifestum erat Ruben, & Gad esse capita duarum tribuum Israel.

C Aliquis respondebit, quod nouem tribus, & dimidiæ cognoscerent temper quod filii Ruben, & Gad essent de stirpe filiorum Israel, & tamen dicerent eis, quod non erat illis pars in Deo Israel, quia Deus voluit, quod non pertinerent ad ipsum, sed sola nouem tribus, & dimidiæ essent suæ, & ad hoc distinxit filios Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manasse loca à nouem tribibus & dimidiæ ponens in medio Jordanem fluuium distinguente. Ista responsio satis erat conueniens, & tollebat omnia inconvenientia, atque consonat satis ei probatio adiuncta, scilicet terminum posuit Deus inter nos, & vos id est quamquam omnes nos, & vos de eadem stirpe sumus, tamen intentio Dei fuit, vt vos non pertineretis ad eum exhibendo cultum, quem nos exhibemus, & ob hoc ipse posuit inter nos, & vos Jordanem fluuium.

Sed non consonat, vt quidam volunt, huic expositioni remedium, quod dabant duæ tribus, & dimidiæ pro filiis suis fabricantes altare, per quod solum volebant probare, quod ab antiquo patres eorum coluerant Deum in terra Chanaan, & non erant de stirpe Gentilium, sed hoc concedebant nouem tribus & dimidiæ, sed dicebant quod intentio Dei fuerat, quod non pertinerent duæ tribus, & dimidiæ ad ipsum: ergo non intendebant duæ tribus & dimidiæ, quod hoc filiis eorum obiectendum erat: nam alioquin aliud remedium ad respondendum posuissent, sed ipsa dixerunt quod obiiceretur filiis eorum, quod non erat eis pars in Deo Israel, ergo non intellegebant, quod opponeretur in hac signatione, sed innuunt, quod nouæ tribus, & dimidiæ negarent filios Ruben, & Gad, & dimidiæ Manasse pertinere ad Deum, id est non esse de Israëlitis, sed de Gentilibus, ideo quod non pertinebat ad eos offerre holocausta, & victimas, & tunc applicatur remedium datum ad probandum, quod habeant partem in Deo, scilicet quia habebant altare in testimonium, quod patres eorum coluisserent Deum, & construxissent altare illud in terra Chanaan. Si tamen venissent de stirpe Gentilium patres eorum non coluisserent Deum verum, nec haberent aliquod testimonium ad probandum, quod posteritas eorum pertinebat ad Deum. Secundum expositionem, quam isti dant, quæ videtur satis consonare toti literæ, dicendum est, quod nouem tribus, & dimidiæ non cognoscerent filios Ruben, & Gad pertinere ad stirpem Israëlitarum, vel saltem, quod fingebant se nescire. Sed hoc non stat, quia manifestum est, quod Ruben, & Gad erant duo filii Iacob. Etiam quod Deus introduxit eos cum cæteris Israëlitis in terram promissam educens de Ægypto.

D Sed forte dicetur, quod quamquam manifestum esset duas tribus & dimidiæ esse de stirpe Israëlitarum, tamen ignoratur an isti populi essent de stirpe Ruben, & Gad, & Manasse, sed forte putarent, quod de aliis gentibus aliqui habitarerent in terra illa. Sed etiam hoc non stat, quia litera præsupponit, quod nouem tribus, & dimidiæ vocarent istos filios Gad, & Ruben, ergo cognoscebant eos pertinere ad Israëlitas. Item quia sciebant nouem tribus, & dimidiæ, quod terra regum Amorrahorum, quæ erat apud Jordanem, fuerat tradita in possessionem filiis Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, ut patet Numeri trigesimo secundo, & Deut. 3. cap. & cum habitarent ibi isti populi tatis cognoscerent, quod erant de stirpe Ruben, & Gad. Nam si illi populi perirent bello, vel inde in aliam terram transiissent, notum esset, quia talis mutatione non poterat esse abscondita.

E Item non stat quia filij nouem tribuum, & dimidiæ abiicerent filios duarum tribuum, & dimidiæ non cognoscentes eos, & quasi putantes esse de stirpe Gentilium: nam etiam si hoc putassent non abiicerent eos: nam istos constabat esse circumcisos, & obseruare omnia præcepta legis, ergo vocarentur secundum Iudeos conuersi ad Iudaïsmum: sed istis licebant omnes cæmonies quæ licebant Iudeis ex genere in sacrificiis, & cæteris, ut supra declaratum est, ideo non poterant eos abiicere cum lex daret eis ius ista faciendi: ideo nequaquam stat ista secunda expositio. Sed redeundum ad primam, scilicet quod filij nouem tribuum, & dimidiæ cognoscerent filios Ruben & Gad, & dimidiæ tribus Manasse esse de stirpe Israel, & scirent quod ipsi obseruarent omnes cæmonias; tamen crederent non licere illis facere sacrificia in sanctuario in terra Chanaan, & hoc quia cum viderent terram duarum tribuum, & dimidiæ diuisam à terra sua per Jordanem fluuium, & termini terra suæ per se computabantur tanquam esset alia regio, ut patet Num. 34. c. arbitrii possent quod Deus voluisset, ut illæ duæ tribus & dimidiæ non pertinerent ad eum, nec exercerentur in cultu eius, & ob hoc diuisisset eas à reliquis tribibus; potens inter eas, & reliquias Jordanem fluuium diuidentem. Cum autem arguebatur, quod non applicabatur remedium quod dederant duæ tribus, & dimidiæ, scilicet quod altare factum in terra Chanaan à patribus horum quibus obiiceretur, quod non pertinerent ad Deum, probaret eos pertinere ad Deum. Respondendum est, quod valde applicatur: nam est sensus non quod patres illorum coluerint in altari illo, vel quod coluerint in terra Chanaan in altari sanctuarij, sed quod à principio patres eorum fecerant istud altare, ut esset in testimonium quod conuenerant ab initio omnes tribus inter se, quod duæ tribus & dimidiæ pertinenterent ad Deum Israel quamquam morarentur ultra Jordanem: & ob hoc factum est altare in terra Chanaan ad remembrancem huius facti in perpetuum. Et credendum est quod in altari illo scriptum fuerit quod erat in testimonium quod duæ tribus & dimidiæ pertinenterent ad Deum Israel: & isto modo tota litera applicatur, & non manent aliqua inconvenientia. Et sic tunc respondendum cum dicebatur, quomodo dubitare possent nouem tribus, & dimidiæ an pertinerent duæ tribus, & dimidiæ ad Deum Israel, cum vocarent eas filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse? Et dicendum quod non dubitabatur de istis an pertinenterent ad Deum Israel, id est an essent de stirpe Israëlitarum, quæ pertinebat ad Deum Israel: sed erat dubium an Deus, qui separauit duas tribus, & dimidiæ à cæteris interiecio Jordane, voluerit quod non pertinerent istæ duæ tribus & dimidiæ ad cultum eius, sicut pertinebant reliquæ; & ob hoc diuiserit ab aliis, *Idcirco partem non habetis in Domino*. Id est quia Deus voluit vos diuidere à nobis ponendo Jordanem tanquam terminum medium signauit, quod volebat, ut vos non haberetis partem in ipso, id est ut non coleretis eum in cæmoniis sacrificiis, & aliis legalibus sicut nos colimus, ideo non habetis ius aliquid ad faciendum sacrificia nobiscum in sanctuario Domini. Scendum quod licet ista ratio haberet quendam colorem, tamen nequaquam stat: nam Deus admonebat nimis Israëlitas, ut colerent eum promittens multa bona si colerent, ut patet Ex. 19. & Leui. 26. & Deu. 28. cap. quomodo ergo repelleret duas tribus, & dimidiæ à cultu suo, cum ipse vellent colere Deum? Item Deus fecerat signa multa in Ægypto educendo istas tribus duas & dimidiæ cum cæteris de manu Pharaonis, &

A paut atq; duxit per desertum quadraginta annis, deditq; eis in possessionem terram duorum Regum Amorrhæorum de letis penitus Amorrhæis: quomodo ergo permitteret, vt tantata diligentia periret superuacue nunc abiiciens à cultu suo illas tribus: Item non stat, quia Deus recipiebat Gentiles de omnibus gentibus conuersos ad se, quomodo ergo obiiceret eos, quos à principio habuerat, cique adhærere volebant? Item non stat, quia tunc Deus compelleret, vel maxime induceret aliquos ad peccandum: nam si ipse à cultu suo abiceret duas tribus, & dimidiæ, faceret illas conuerti ad idolatriam, & in hoc peccarent, & perirent, cuius Deus erat causa compulsiua. Non stat ergo nullatenus, quod Dens voluisset, vt duæ tribus, & dimidiæ non pertinerent ad cultum eius & ob hoc separasset eas à ceteris interiecto Iordan. Voluerunt tamen duæ tribus, & dimidiæ tollere omnem occasionem posteris suis declinandi ad malum: quamquam enim ista obiectio nulla esset, quia tamen quendam colorem habebat, ipsi quoq; erant rudes non valde diuidicantes de rebus. Amplius etiam ad malum erant valde inclinati, ita vt facili incentiuo in illud laberentur. Conueniens ergo fuit, quod eis auferretur ista occasio per fabricationem altaris in testimonium. Et per hanc occasionem. Vocauerunt istam obiectiōnem occasionem, quia non erat causa, sed aliquale motiuum faltem coloratum, quod vocatur occasio. Auertent filij vestri filios vestros à timore Dei. Cum enim filij nouem tribuum, & dimidiæ dicentes exprobando, quod non habebant partem in Deo, sc. ad offerendum victimas in altari eius in Sanctuario, ipsi increpiti, & dolentes conuerterentur ad alterum de duobus malis, sc. quia aut fabricarent altaria in terra sua, in quibus Deum colerent, ne venirent in Sanctuarium in terram Chanaan, aut declinarent ad idola non curantes de Deo Israel, pro cuius cultu subsannabantur: vtrumquē autem erat recedere à timore Dei, quia Deus vetuerat coli idola. Etiam vetuerat immolationem fieri præterquam ad ostium tabernaculi in altari, quod ibi erat, vocatur autem hic timor Dei, id est cultus Dei, vel timor pro timore casto, quo quis timerit offendere alium, quia nequaquam vellet cum offendere etiam si nō consideret malum aliquod sibi esse inferendum.

Putauimus itaque melius. Id est esse melius, sc. apud nos istud considerauimus. Et diximus. Id est in commune proposuimus, & deliberauimus, scilicet, quod primo viri de duabus tribus, & dimidia considerauerunt hoc inconueniens, & inquisierunt quomodo posset ei consuli, & post dixerunt, id est proposuerunt inter se, & communis sententia dissinitum est, vt fieret altare.

Eblatio prævaricatio legis. Struanus nobis altare. Id est componamus, vel faciamus. Quare autem magis altare quam aliquid aliud ad probationem huiusmodi fabricauerint supra declaratum est. Non in holocausta aut victimas offerendas. In hoc tollunt prævaricationem legis: si enim fecissent ad offerendum ibi sacrificia prævaricabantur, cum solum lex iussisset immolari intra atrium Sanctuarium. Dictum est in holocausta, & victimas, quia nomine holocaustorum intelligitur unum genus sacrificiorum, s. quæ totaliter cremabantur: & dicitur ab holon, quod est totum, & cauma, quod est incensum, quasi totum incendendo cæmonias facientes: nomine victimarum comprehenduntur duo genera sacrificiorum, scilicet hostiæ pacificæ, & pro peccato, de quibus supra dictum est, & patet Leu. 3. & 4. & 5. & 7. ad hoc enim altare solum est, quia nulla operatio fit in altari præter sacrificia.

Sed in testimonium inter nos & vos. Scilicet ad testificandū, quod nos pertineamus ad Deum, & sit iuris nostri offerre sacrificia in Sanctuario. Est autem testimonium non, quod ista nobis conueniant, quia altare non poterat signare aliquod tale ius, sed est sensus, quod altare istud signat, quod concordatum fuit inter nos à principio, quod pertineret ad nos ius faciendo sacrificia, sicut & vobis. Inter nos, & vos, & sobolem vestram, nostramque progeniem. Dicitur inter nos, & vos, quia quādiu nos vixerimus, & vos, qui impræsentiarum estis cum istud altare fuit fabricatum, erit testimonium inter nos, & vos, quod nos pertinemus ad Deum Israel. Etiam erit testimonium inter nostram progeniem, & vestram, quia postquam nos decesserimus manente posteritate vtrorumque non poterunt filij vestri obiicere filii nostri, quod non pertinent ad Deum Israel. Ut seruamus Dominum. Poteſt poni hic (vt) pro quod,

& tunc est sensus, quod erat istud altare signum, quod duæ tribus, & dimidiæ seruirent domino, id est pertinerent ad eū exercendo se in cæmoniis eius, quod erat seruire illi. Si autem vt teneatur propriè, & signet causam finalē est sensus, quod istud altare ponebatur in signum, quod duæ tribus, & dimidiæ pertinebant ad Deum, & hoc, vt seruirent domino, scilicet ad hunc finem, quasi dicat, si non poneretur istud signum rememoratum possent filii nouem tribuum, & dimidiæ obiicere filii duarum, & dimidiæ, quod non erat eis pars in Israël: & hoc modo auerterent eos à cultu Dei. Cum verò esset istud signum positum, non esset aliquod retractuum, quod duæ tribus, & dimidiæ à cultu Dei discederent: ideo manerent semper in cultu Dei. Et iuris fit nostri offerre. Id est erit istud altare in signum, quod nos habemus ius ad offerendum victimas, sc. quod inter nos dissinitum fuerit, quod competebat nobis ius offerendi victimas, sicut vobis. De hoc expressum est, quia hoc est, de quo solum dubitabatur, & in quo filii nouem tribuum, & dimidiæ possent arguere contra duas tribus, & dimidiæ. Ad nihil enim aliud ibant viri de duabus tribubus, & dimidiæ in locum Sanctuarium nisi ad sacrificia, & oblationes, quia reliquas cæmonias legales in terra sua obseruabant Offerre holocausta, & victimas, & pacificas hostias. Ponuntur hic tria ad signandum tria genera sacrificiorum, & exprimuntur nominibus propriis præter sacrificium pro peccato, quod vocatur hinc victimæ absolute. Est tamen victimæ nomen generale ad omnia sacrificia. Nam holocausta victimæ sunt: hostias quoque pacificas interdum victimas pacificas appellamus, sacrificium autem pro peccato vocatur absolute victimæ, quia expressio holocausto, & hostia pacifica fatis patet non manere aliud sacrificium præter illud, quod est pro peccato, & illud comprehendit nomine victimæ absolute sumptæ: sic enim isti vocauerunt hostiam pro peccato sacrificium absolute non determinando genus sacrificij ex causa hic assignata. Et nequaquam dicant filij vestri cras filii nostri. Quasi dicat posito altari in signum rememoratum non poterunt filii nouem tribuum, & dimidiæ dicere filii duarum tribuum, & dimidiæ, quod non habent partem in Deo, quia altare redarguet eos, & dicitur cras, id est in tempore futuro: nam de die crastina intelligi non poterat, quia tunc non erat dubium, sed pro futuris generationibus. Etiam quia dicitur nequaquam dicant filij vestri filii nostri: sed manifestum est, quod filii istorum non possent hanc habere contentionē die sequenti, sed postmortem patrum: nam viuentibus patribus vtrorumque quæstio ista non pertinebat ad filios, sed ad patres ipsorum. Non est vobis pars in Domino, id est, non habetis ius aliquid faciendi cæmonias cultus diuini, sc. in sacrificiis, & hoc quia Deus non vult, quod vos pertineatis ad ipsum cum segregauerit vos à terra nostra interposito Iordan inter nos, & vos. Quod si voluerint dicere. Id est factō isto altari non habebunt aliquam occasionem, vel colorem filij vestri ad dicendum, quod non pertineant filii nostri ad Deum, si tamen dicere hoc voluerint habebunt filii nostri quid respondeant, & aliter non habebunt quid respondeant. Respondebunt eis, ecce altare quod fecerunt patres nostri. Istud altare est testimonium, quod nos pertineamus ad Deum, quia patres nostri fecerunt illud, & non ad offerendum aliqua sacrificia in eo, sed vt esset testimonium, quod nos habemus partem in Deo Israel, & iuris nostri est offerre sacrificia: nam ad nihil aliud fuit fabricatum, nisi in signum, quod nos ad Deum pertineamus. Non in holocausta, nec in sacrificium. Id est non fuit factum ad immolandum in eo quidquam quod est actus proprius altaris, siue id, ad quod factum est altare. Accipiuntur hic omnia sacrificia per ista duo nomina, quia per holocausta intelliguntur sacrificia primi generis, per sacrificia autem absolute dicta intelliguntur hic hostiæ pacificæ, & victimæ pro peccato. Sed in testimonium vestrum ac nostrum. Id est in testimonium inter nos, & vos, & non ponitur hic nostrum, & vestrum in accusatiōne, sed in genitivo, & pluraliter à nominativo ego, & nominativo tu: & non à nostro nostra nostrum, & vestre vestrum. Erat autem istud testimonium efficax & certum, quia in ipso altari scriptum foret hoc, & tenebat, maximè quia non erat altare in terra duarum tribuum & dimidiæ, pro quibus erat istud testimonium, sed in terra nouem tribuum, & dimidiæ contra quas erat. Si enim esset in terra duarum tribuum, & dimidiæ

Tria si
canta,
trage
nera &
crisico
rum.

E

F

A dimidię nullius valoris esset, quia dicerent filij nouem tribuum & dimidię, quod viri duarum tribuum, & dimidię fabricas- sent istud altare ad libitum suum ad signandum quodcunq; vellent: nouem tamē tribus & dimidia non diffinierant hoc nec consenserant altare fieri, cum autem altare esset in terra Chanaan nihil poterant nouem tribus, & dimidia obiicere contra illud, sc. quod constructū fuisse in fraudem aliquam, quia constabat, quod nouem tribus, & dimidia illud fabricari fecerunt aut illi fabricato auctoritatem dederunt: alioquin enim diruissent illud, cum factum reperirent, sed non destruxerunt, ergo consentiebant in eo, quod signabat istud altare. *Absit à nobis hoc scelus.* Cum abstulerint occasionem errandi aliorum circa fabricationem altaris subditur, quod isti non fecerint ad praeuaricandum, & istud est quod inducere intendebant, & dicunt. *Absit hoc scelus.* Id est nullo modo nos tale scelus faceremus.

B *Vt recedamus à Deo.* Ponitur (vt) pro quod, & non importat habitudinem causæ finalis, id est, absit quod nos recedemus à Deo, scilicet ab illius cultu: nam faciendo altare alterum ad immolandum in ipso non colimus eum, sed magis cultui eius repugnamus. *Et eius vestigia relinquamus.* Aliquis dicitur vestigia alterius delinquere, quando non operatur sicut alius operatur, cuius tenetur sequi doctrinam, & derelinquunt si aliquando prosecuti sunt illam, & nunc non prosequuntur. Vel large accipiendo derelinquent eam quamquam nunquam operari cœperint, si operari tenebantur, & non operantur: in Deo autem non est huiusmodi, quia Deus non habuit aliquos actus, quorum nos possimus esse imitatores, sed dicuntur isti dereliquisse vestigia Domini, id est, viam per quam tendebatur in Deum, quia non est alia via eundi in ipsum, nisi per legem ab eo datam. Vt lex vocatur vestigia Domini, quia est via data à Deo, quam nos sequi debemus vestigiis nostris. *Extructo altari ad holocausta,* id est, si struxissemus altare ad holocausta deseruissimus legem Domini, quia ipse nolebat esse aliud altare, præter illud, quod erat in atrio sanctuarij, sed hoc absit à nobis. *Ad holocausta, & sacrificia, & victimas offerendas.*

C Ponuntur tria genera sacrificiorum, quia ista sola erant, de quorum carnibus cremabatur super altare: alia autē duo genera sacrificiorum largè dictorum, scilic. agnus paschalis, & vitula rufa non pertinebant ad altare, quia non cremabantur agnus paschalis, nec aliqua pars carnium eius super altare, sed totus comedebatur. Vitula quoque rufa non immolabatur super altare, sed extra castra, nihil ex ea inferebatur in sanctuarium super altare, nec de sanguine ad expiandum, nec de adipibus ad cremandum, sed tota cremabatur extra castra, vt patet Num. 19. cap. tria autem genera sacrificiorum pertinebant ad altare, quia de quolibet eorum aliquid crembatur super altare, vel totum, vt patet de holocausto Leu. 1. de hostia pacifica Leu. 3. de victima pro peccato Leu. 4. & 6. ponuntur autem hic tria nomina pro his sacrificiis. Holocaustum nomine suo appellatur: sacrificia, & victimæ pro hostia pro peccato, & pacifica accipiuntur. Sed potest accipi sacrificium pro qualibet earum, quia est nomen generale. Etiam victimæ pro vtroque; sed sacrificium accipitur pro hostia pro peccato. Sic accipitur supra, scilic. Si ea mente fecimus, vt holocausta, & sacrificium & pacificas victimas super eo imponeremus: ibi enim duorum sacrificiorum nomina clare ponuntur, & necesse est accipi sacrificium pro hostia pro peccato: ita hic accipietur, & victimæ dicetur hostia pacifica. *Præter altare Domini Dei nostri.* Quasi dicat scelus est fabricari aliquod altare ad offerendum sacrificia præter altare Dei, quia Deus iusserat, vt quicunque alibi quam in altari illo immolasset, haberetur reus sanguinis quasi hominem occidisset. Istud est altare holocaustorum: & fit mentio de vnico altari quasi vnicum sit, quia licet essent duo altaria, scilic. altare holocaustorum, & altare thymiamatum, quia tamen solum altare holocaustorum erat ad faciendum sacrificium, vt declaratum est supra, non fiebat mentio de alio sacrificio quasi non esset. *Quod extructum est ante tabernaculum eius.* Id est quod situm est ante ostium tabernaculi. Non accipitur extructum, id est fabricatum, vel fundatum: quia non erat fixum istud altare, sed mobile, quia de lignis erat factum, & opertum laminis æncis, vt patet Exod. 27. & portatur ad humeros viorum in via per totū desertum. Caathitæ enim & Leuitæ illud

D portabant, vt patet Num. 4. & 7. cap. sed dicitur structum, id est situm, quia quandomque sanctuarium Domini in aliquo loco figeretur erecto tabernaculo apud ostium illius posnebatur altare, sc. ad latus meridianum, vt patet Leu. 1. & per totum Leuiticum. Et quia domus aliqua non habet propriante, & retro, dextrum, & sinistrum sicut animal, accipiuntur ista secundum habitudinem ad mundum. In mundo enim pars Orientalis est anterior & Occidentalis est posterior, quia sicut motus animalis est ad partem anteriorem, & vocamus illud in animali anterius, versus quod mouetur: ita cum in mundo motus omnis videatur à parte Orientali, quia ab illa est motus planetarum, & omnium astrorum, & ipsius primi mobilis recipientis omnia Orientem anteriorem partem appellamus in orbe: & sic in rebus, quæ non habent ante, & retro propriæ dictæ accipiuntur ista secundum comparationem, quam habent ad orbem, sc. quod partes illæ, quæ sunt contra Orientem sunt anteriores, & quæ contra Occidentem sunt posteriores, sed in sanctuario ostium tabernaculi erat contra Orientem, vt patet Exod. 26. cum poneretur sancta sanctorum in Occidente, & altare erat apud sanctuarij ostium, vt patet Exo. 27. & Leu. 1. & 17. ergo erat ante tabernaculum. Aliter potest accipi ante tabernaculum, quia in domibus & aliis ædificiis non accipitur propriæ ante & retro, sed illa pars, in qua est ostium vocatur anterior, & oppositæ sunt posteriores: sed ostium tabernaculi erat, apud quod erat altare holocaustorum, ergo ante tabernaculum erat: non erat autem istud altare intra tabernaculum, quia ibi non poterat stare; quia omnia cremarentur, & inficerentur fumo illius, cum esset tabernaculum solum altitudinis cubitorum decem, vt patet Exo. 26. in altari autem erat semper magnus ignis, quia inter dum cremabatur vnum taurus integer, vel multa corpora animalium, & magnus fumus inde exhalabat: erat tamen sanctuarium opertum cortinis valde pulchris, quæ fumo inficerentur, vel exurerentur calore: alia rationes ad hoc positæ sunt Exod. 27. cap. erat ergo altare istud in atrio tabernaculi, vbi nullum erat oportentum, ideo siue ignis, siue fumus nihil poterant impeditre de bono statu, aut pulchritudine, nec nocebant aliud quippiam: erat autem altare istud ad ventum, & imbris, sed non extinguebatur inquam ignis, quia ille erat datus de ccelo, licet conseruaretur in lignis: unde etiam si flumina laberentur per ignem illum non extinguiscent. De hoc magis dictum est Leu. 6. cap.

E *Quibus auditis Phinees sacerdos, & principes legationis Israël, qui erant cum eo placati sunt, & verba filiorum Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, liberissime suscepérunt.* Dixitque Phinees filius Eleazar sacerdos ad eos. Nunc scimus, quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis à præuaricatione hac, & liberasti filios Israël de manu Domini. Reuersusque est cū principibus à filiis Ruben, & Gad de terra Galaad finiū Chanaan ad filios Israël, & retulit eis. Placuitque sermo cunctis audientibus. Et laudauerunt Deum filij Israël, & nequaquam ultra dixerunt, vt ascenderent contra eos, atque pugnarent, & delerent terram possessionis eorum. Vocauerunt filij Ruben, & filij Gad altare, quod extruxerant, testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus.

F *Quibus auditis.* Hic ponitur gaudium Oratorum Israël, & ipsorum Israëlitarum de bona responsione duarum tribuum, & dimidia. *Quibus auditis.* Id est, quia Oratores Israëlitarum viderunt, quod duas tribus, & dimidia rationabiliter loquebantur, & zelabant cultum Dei gauissi sunt valde. *Phinees sacerdos.* Scilicet filius Eleazar sacerdotis magnus erat enim iste princeps aliorum legatorum, vt supra probatum est: & vocatur hic sacerdos non per excellentiam, quia nondum erat sacerdos magnus, quia pater eius Eleazarus viuebat, sed vocatur sacerdos, quia erat de stirpe sacerdotum.

G *Et principes legationis Israël.* Id est principes qui portabant legationem: isti erant viri decem principes assumpti de nouem tribubus, & dimidia, & missi ad hanc legationem, vt parat supra. *Qui erant cum eo.* Scilicet quia erat Phinees princi-

A palis legatus, & alij dicebantur venisse cum eo: quasi ipse solus esset legatus, & alij omnes venissent ad sociandum eum. *Placati sunt.* Scilicet, quia ante hoc erant concitati animo, ex detestatione sceleris, quod credebant peccauisse duas tribus, & dimidiā. Etiam erant concitati in iram, scilicet cum voluntate pugnandi: ad hoc enim totus Israel conuenerat in Silo, vt dicimarent contra eas, vt patet supra in litera.

Et verba filiorum Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse. Id est verba principis respondentis loco istarum duarum tribū, & dimidiā: vnum enim nomine omnium respondit.

Veritas intellectus applanatur. Libentissime suscepserunt. Hoc propter duo. Primo quia loquebantur valde rationabiliter, & veritas applaudet intellectui valde, cum veritas sit perfectio intellectus, sicut bonum est perfectio voluntatis iuxta Arist. 2. Metaph. Secundo gaudi sunt, quia per hoc sciuerunt se liberatos à malo, quod formidabant: putabant enim quod duas tribus, & dimidiā vere perpetraffsent nefas, & ob hoc timebāt futuram cladem super totum Israel, sicut propter peccatum Achan solius Deus contra totum populum fuit iratus, vt patet inductus est, & qui acognoscēbant nunc scelus nullum intercidisse, sciebant pariter p̄cnam nullam ob hoc esse futuram: reuelatio autem duri timoris delectatio magna est.

B *Dixitque Phinees.* Iste solus loquebatur inter legatos Israelitarum, quia erat principalis, alij autem erant cum eo, vt patet supra. *Fili⁹ Eleazari sacerdotis.* Scilicet sacerdotis magni: hic enim ponitur sacerdos per excellentiam: erat enim Eleazarus princeps sacerdotū qui successit patri suo Aaron in summo sacerdotio, vt patet Num. 20. cap.

C *Nunc scimus.* Id est, nūc ex verbis vestris cognouimus, quasi dicat ante hoc putauimus vos grauiter deliquisse: nūc autem cognoscimus, quod recte egeritis. *Quod vobis cum sit Deus.* Id est quod Deus mouit vos ad hoc, vel quod sit vobis, id est, quod diligit vos, & habet sub protectione sua speciali. *Qnoniam alieni estis à praevaricatione hac.* Id est, nequaquam incidistis in hanc iniqitatem, in quam nos existimabamus vos cecidisse. Praevaricatio est fractio pacti, vel cuiuscunque promissæ: si autem duas tribus, & dimidiā fabricassent altare ad immolandum ibi, recedebant à lege Dei, quam obseruare promiserant, ideo praevaricabantur. *Et liberafis filios Israel de manu Dei.* Id est de manu Dei volentis percutere, vel qui percussurus foret, si ista iniqitas fuisset patrata, dicuntur liberasse filios Israel, id est nouem tribus, & dimidiā: scilicet illæ nihil peccauerant; si tamen peccauerant duas tribus, & dimidiā, non solū puniret Deus eas, sed etiam nouem & dimidiā: q̄ timebant isti legati: ideo supra dixerunt: *Et vos hodie reliquistis Dominum,* & cras in vniuerso Israel ira eius defauiet. Et probabant quia Achan filius Zare vnicus fuit in peccato suo, eo tamen peccato Deus fuit toti Israel iratus, & percussit multos, scilicet triginta sex, vt patet supra 7. à fortiori autem peccantibus duabus tribubus, & dimidiā, magis irascetur Deus toti Israeli, cum ergo non peccauerunt isti dicuntur liberauisse filios Israel de manu Dei, scilicet, qui percussurus esset eos si peccauissent isti.

Galaad dupliziter accipiatur.

Reuersusque est cum principibus. Scilicet Phinees reuersus est cum principibus. Fit autem de ipso expresse mentio, quasi ipse solus esset princeps, alii autem essent comitantes. Vocantur autem hic principes, s. decem viri missi de singulis tribubus. *A fili⁹ Ruben, & Gad.* sc. expleta legatione sua, & subtinctur hic filii dimidiā tribus Manasse non ex industria, quasi ad aliquid signandum, sed quia nominatis duabus tribubus intelligatur quoque ista dimidiā, cum s̄pē nominetur hic. *De terra Galaad.* Poteſt accipi terra Galaad proprie, vel large. Propriè enim signat terram solam, quæ est in circuitu montis Galaad quæ est in forte Gad, & dimidiā tribus Manasse. Accipiendo large potest intelligi pro quaenunque parte terræ duarum tribubus, & dimidiā. Sed primo modo melius est, sc. quod principes duarum tribubus, & dimidiā tunc essent in terra Galaad, & ibi locuti fuerint eis legati Israelitarum. *Finium Chanaan.* Id est, quæ est in finibus terræ Chanaan, scilicet, quod terra Galaad coniungitur terræ Chanaan: est enim terra Chanaan, in qua erant tribus nouem, & dimidiā, & hæc terminabatur Iordane à patte Orientali, vt patet Num. 34. ca. terra autem Galaad coniungebatur Iordanis, & ibi comunicabant terra Galaad, & Chanaan. *Ad filios Israel.* Id est ad nouem tribus, & dimidiā. Iſi vocantur Israelitæ, tanquam

D ipsi soli essent Israelitæ, sc. quod duas tribus, & dimidiā non essent de Israelitis, erant tamen: sed nouem tribus, & dimidiā, quia erant maior pars, acceperunt nomen quasi pro se solum. *Et retulit eis.* Erant enim filii Israel congregati in Silo, vbi conuenerant, vt dicimarent contra duas tribus & dimidiā, ibi; præstolabantur responsa per legatos, vt scirent an pugnare deberent contra duas tribus, & dimidiā, vel non:

postea autem recesserunt inde in possessiones suas: ibi autem retulit Phinees Israelitis cuncta, quæ responderant duas tribus, & dimidiā. *Placuitque sermo cunctis audientibus.* Id est omnibus Israelitis, qui congregati erant, & audierunt verbum istud. Causa autem quare placuerunt est, quæ assignata fuit supra in ambasatoribus. *Et laudauerunt Deum Israel,* scil. quia fecerat, vt duas tribus, & dimidiā non incidenter in tam graue scelus. Etiam quia liberauit eos de malo, quod eis infligendum erat, si dnæ tribus, & dimidiā peccassent, sc. quia super omnes ira Dei excandesceret. Item quia fecit, quod non pugnarent contra duas tribus, & dimidiā ad delendum illas: si enim verè patrauissent scelus, necesse erat, vt nouem tribus, & dimidiā pugnarent contra duas & dimidiā, tanquam contra idolatras ad delendum eas penitus, redigendo, scilicet prorsus terram earum in solitudinem, vt patet Deut. 13. cap. *Et nequaquam ultra dixerunt, vt ascenderent contra eos, atque pugnarent.* Id est ante hoc deliberauerant Israelitæ pugnare contra duas tribus, & dimidiā, & solum expectabant responsum per Legatos. Cum autem cognoverunt hoc, non dixerunt, quod ascenderent ad pugnandum cōtra illas, quia iam nulla causa erat nouem tribus, & dimidiā, quare pugnarent contra duas & dimidiā. Etiam non destruxerunt altare videntes, quod rationabile fuisse motiuum institutum. *Et delerent terram possessionis eorum.* Hoc dicitur, quia non solum nouem tribus, & dimidiā pugnaturæ erant contra duas, & dimidiā, sed etiam destruere debebant totam terram, in qua morabantur, quia istud scelus erat puniendum, sicut idolatria. Cum autem in aliqua vrbe publicè constaret esse idolatras, alia vebes conuenire debebant contravrbem illam, & occidere omnes tam masculos quā foemellas repertos ibi usque ad pecora, & iumenta cunctaque viuentia, & post tota supellex, quæ in vrbe esset, congreganda erat in platea vrbis illius, & cremanda: totaque ipsa ciuitas cremanda erat, & postea diruenda, vt maneret tumulus sempiternus, vt patet Deut. 13. c. ita autem fieri debebat contra omnes vrbes duas tribus, & dimidiā & sic deleretur tota terra possessionis illarum, id est, omnes vrbes: loca tamen agrorum & vinearum & aliarum plantationum non erant cremanda, sed sola humana habitatio. *Vocauerunt filij Ruben, & filij Gad.* Ponitur altaris nomen in correspondentia ad id, pro quo ponebatur, & dicitur de duabus tribubus, subintelligitur autem de media tribu, quia etiam media tribus fuit in constructione altaris, & in nominatione illius, sed subintelligitur nomine aliarum duarum tribubus, scriptura noluit idem s̄pē repetere. *Altare quod extruxerunt.* Id est quod fabricauerunt. Iſtud altare semper postea mansit, quia erat factum ex bono motiuo ad laudem Dei, ideo nouem tribus, & dimidiā non deleuerunt illud. *Testimonium nostrum.* Id est testimonium inductum in fauorem nostrum, scilicet quod fuit positum, vt pateret duas tribus, & dimidiā partē habere in Deo Israel, & iuris earum esse offerre victimas. *Quod Deus ipse sit Deus.* Id est altare istud est positum ad testificandum, quod Deus sit Deus, non est sic intelligendum, quia manifestum est Deum esse Deum, nec ad hoc indigemus aliquo testimonio, sed est sensus, quod Deus ipse, sit Deus, id est quod Deus ipse, qui est in terra Chanaan, & ibi colitur in sanctuario, sit Deus, id est sit Deus noster, & tunc reddit istud dictum in id, quod iupra ponebant isti, scilicet, quod faciebant altare, vt maneret in testimonium, quod Deus Israel ad eos pertinebat,

E & non possent dicere filij nouem tribus, & dimidiā: Non est vobis pars in Deo Israel, nec habetis ius sacrificandi.

(.)

A

C A P V T XXIII.

Voluto autem multo tempore postquam pacem dederat Dominus Israeli, subiectis in gyro nationibus uniuersis, & Iosue iam longeuo, & persenilis atatis: vocauit Iosue omnem Israelem, maioresque natu, & principes ac duces ac magistros, dixitque ad eos. Ego senui, & progressioris atatis sum: vosque cernitis omnia, quae fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro vobis ipse pugnauerit: & nunc quia vobis sorte diuisit omnem terram, ab Orientali parte Iordanis usque ad mare magnum, multaque adhuc supersunt nationes: Dominus Deus vester disperdet eas, & auferet a facie vestra, & possidebitis terram, sicut vobis pollicitus est. Tantum confortamini, & estote solliciti, ut custodiatis cuncta, que scripta sunt in volumine legis Moysi, & non declinetis ab eis, neque ad dexteram, neque ad sinistram, ne postquam intraueritis ad gentes, quae inter vos futurae sunt, iuretis in nomine deorum earum, & seruiatis eis, & adoretis illos. sed adhaereatis Domino Deo vestro: quod fecistis usque in diem hanc. Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas & robustissimas, & nullus vobis resistere poterit. Unus est vobis persecutur hostium mille viros: quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est. Hoc tantum diligentissime praecavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum.

interiectis multis temporibus. Et respondendum, quod fuerint interiectis multis diebus: sic enim litera signat, scilicet euoluto multo tempore postquam Deus dederat pacem Israeli, & Iosue longeuo, & persenilis atatis. Tempora autem media non habent aliquam historiam, quia non fuit tempus bellorum: ideo non accedit aliquid quod esset narratione dignum, & sic factum est usque ad tempus mortis Iosue: nam postquam cessauit Iosue semel a bellis ante diuisionem terrae nunquam rediit ad bella, sed fuit totum tempus pacis usque ad mortem eius: post mortem autem illius facta sunt bella Israelitarum contra Chananeos aliquando ad capienda loca, & interdum ad eruendum se de potestate eorum, de quibus patet ex discursu libri Iudicium. Fuerunt autem post bella, & diuisionem terrae in vita Iosue duo notabilia solum, scilicet duas admonitiones eius, quas fecit ad totum Israe: ideo istae duas solum ponuntur usque ad finem libri.

Circa primum. Euoluto autem multo tempore. In hoc continuatur istud ad praecedentia, scilicet quod istud, quod habetur hic, non contigit immediate, sed multis temporibus intermedii post praedicta: & causa est, quia istam commonitionem fecit Iosue iam factus nimis senex, & putans tunc se moriturum: accedit tamen, quod non immediate moreretur: ideo iterum ad tempus mortis sue congregauit Israelem, & fecit aliam admonitionem, quae patet capitulo sequenti. Et quia tempore quo praedicta fuerunt, non erat Iosue adhuc nimis senex, expectauit quousque esset in senio cum putaret se esse vicinum morti, & interim multa tempora euoluta sunt.

Postquam Dominus dederat pacem Israeli. Dicitur Deus dedisse pacem, quod diuideretur terra. Fuit autem ista pax inducta duplice: uno modo per cessationem Iudeorum a bellis contra Chananeos: alio modo per cessationem Chananeorum ab impugnatione Iudeorum. Prima fuit cessatione Chananeorum: nam a principio Chananai inseuti sunt Iudeos tanquam deleturi illos, vel expulsuri de terra: cum autem videbunt se inferiores illis viribus, scilicet in bello quinq; regum contra Gabaon, quando venit Iosue in adiutorium Gabaonitarum, & occidit quinque reges latentes in spelunca, de quo supra 10. & iterum congregati plurimi de regibus Chananeorum ad aquas Meron deuicti sunt a Iudeis, non ausi fuerunt ultra bellare in campo, sed Iudei incepserunt pugnare contra quilibet ciuitates, & reges earum manentes in praesidiis suis, & ibi se utrunque tutantes, de quo supra 11. Tunc autem si Iudei desissent pugnare contra Chananeos, ipsi quoque desistissent pugnare contra Israe. Primo igitur data est pax ex parte Chananeorum, non quidem per interpositionem aliquorum foederum, sed per cessationem bellorum. Secundo fuit data pax ex cessatione Iudeorum a bellis: cum enim introierunt in terram Chanaan, semper pugnauerunt usquequo acquisierunt maximam partem terrae Chanaan, scilicet quasi septem annis postintroitum in terram ipsam: tunc enim Deus iussit, quod cessarent, quia non erat eis opportunitum plus tunc obtinere de regionibus Chananorū, & tunc fuit totalis pax non quidem per concordiam, tanquam inter amicos, sed per timorem pugnandi, nam Chananai libentissimè pugnassent etiam in aeternum, si quomodolibet sciarent se profecturos contra Israe, sed arbitrantes oppositum siluerunt a bellis. Et dicitur eis dedisse istam pacem, quia ipse fecit Chananeos inferiores viribus Israe, ita ut timerent eos nequaquam congrederentur audientes. Sic enim dixerat, quod mitteret terrorem suum in omnes populos Chananeorum, ut patet Exod. 23. c. Etiam dedit pacem quantum ad partem Iudeorum, quia credendum est, quod ipse praeciperit Iosue, ut cessaret a bellis, alioquin non videtur cur cessaret cum pugnasset fere septem annis, ut declaratum est supra 14. c.

Subiectis in gyro. Id est in circuitu Iudeorum. Nationibus uniuersis. Solum intelligitur de nationibus Chananorū, qui erant septem populi, scilicet Amorhai, Chananai, &c. ut patet sequens capitulo, nam contra ceteras nationes non pugnauerunt, quia Deus non erat datus aliquid Israe, de nationibus illis, cum non promisisset, nec habebant iustam causam pugnandi Israe contra aliquam aliam gentem. Dicuntur autem nationes subiectæ, quia Israe subiecerunt aliquos de omnibus septem populis, vel gentibus Chanaan, & illæ vocantur nationes septem. Dicitur autem in circuitu vestro, id est in terra vestra: nam non erant gentes istæ in circuitu,

Attention ad leges observationem per bonorum promissionem.

E

B

VOLVTO. Descripta in superioribus dispositione duabus tempore belli, hic consequenter describitur dispositio eius tempore pacis; & nihil aliud continetur in capitulo hoc & sequenti nisi admonitiones quædam ad recte vivendum. Primo autem ponitur hic admonitio facta tempore ducis adhuc viuentis. Secundò ponitur dispositio facta, & admonitio tempore ducis morti appropinquantis capitulo sequenti: intentio autem Iosue in hoc capitulo est premonere Israeletas ad cultum Dei solicite, & hoc per beneficia iam suscepta, & suscipienda; & agit duo. Primo inducit istam attentionem ad legis obseruationem per bonorum promissionem, secundò inducit illud per malorum comminationem infra. Quod si volueritis.

An quæ habentur hic sint recto ordine se habentia ad superiora.

Q V E S T I O I.

VARET aliquis circa istam literam, an ea, quæ habentur hic sint recto ordine se habentia ad superiora, vel sit aliqua anticipatio, vel recapitulatio.

Respondendum, quod rectus ordo est: prius enim facta sunt quæ habentur in capitulo praecedenti quam ea, quæ habentur hic: nam illud, quod supra dicebatur de constructione altaris factum est immediate, ut data pace diuisa est terra. Nam duæ tribus, & dimidia manserunt in terra Chanaan toto tempore, quo pugnatum est contra Chananeos, & postea dum diuisa est terra omnibus tribubus, quibus completis vocauit Iosue illas, & dedit licentiam redeundi in terram suam, & tunc fabricauerunt altare in terra Chanaan priusquam rediissent in possessionem suam, ut patet praecedenti capitulo. Quod autem dicitur hic fuit postquam data est pax Israeletis cum Chananais, & omnibus gentibus in circuitu, ut patet in litera: ergo fuit post ea, quæ posita fuerunt praecedenti capitulo.

An hec facta fuerint immediate post praecedentia.

Q V E S T I O II.

AMPLIVS queretur, an fuerint quæ habentur hic immediate post ea, quæ continentur praecedenti capitulo vel

Alphon Tost. Super Iosue, Tom. 5. Par. II.

Bb 3

ita

A ita quod Israelitæ essent vndique circumsepti à populis Chananæorum, sed quandam partem terræ obtinuerant Israelitæ, aliam autem adhuc possidebant Chananei, & inter Iudeos aduc erant aliqui de Chananeis, quos delere non potuerunt, vt patet supra 16. & 17. & Iudicum 1. quia tamen erant Chananei aliqui ad aliqua latera terræ obtentæ à Iudeis dicebantur nationes esse in circuitu Iudeorum: est tamen modus loquendi largus. Cum autem dicitur, quod subiectæ erant eis omnes nationes, sc. Chananaeum, non est intelligendum vniuersaliter. Falsum enim esset, nam manebant adhuc multæ gentes, de quibus supra c. 13. & hic etiam innuitur, sc. quod morabantur adhuc de Chananeis multi inter Israelitas. Potest tamen intelligi dupliciter ista subiectio. Vno modo per destructionem, sc. quod Israelite pugnauerunt contra omnes Chananeorum populos, & occisis illis acceperunt terram: tunc autem esset tota terra in circuitu subdita propriæ gentes autem vel nationes non erant propriæ subditæ, quia non manebant: large tamen dicentur subditæ, quia iam non repugnabant. Sed non stat iste modus, quia postquam cessauit terra à bellis adhuc manebant multi populi, & regiones Chananeorum non subiectæ Iudeis, vt patet supra II. vbi dicitur, quod cessauit terra à bellis, & postea 13. c. ponuntur multæ gentes, quæ nondum subiectæ erant. Alius modus subiiciendi erat propriæ, sc. quod Iudei pugnassent contra Chananeos, & cù possent eos delere, non deleuerunt relinquentes eos sibi tributarios. Sic patet sup. 16. de Chananeis habitantib. in Gazer, qui facti sunt tributarij: id est patet de multis urbibus in dimidia sorte Manasse, quæ sub tributo seruierunt, vt patet supra decimo septimo capite.

Sed dicendum, quod isto modo adhuc Israelitæ non subiecerant sibi omnes gentes Chananaeum, quia impositio tributi est, quando Israelitæ poterant delere aliquam gentem, & non delebant, & ob hoc recipiebant tributa: tempore tamen Iosue non fuerunt sic subiectæ omnes gentes Chananaeum: nam post mortem Iosue fuerunt gentes multæ, de quibus dicitur Iudicum secundo, quod Iosue non potuit delere illas.

Item non stat, quod Iudei imposuissent tributum gentibus illis, sed magis ipsi soluebant tributum, & premebantur à Chananeis, vt patet Iudi. 3. & 4.

Item cum dicitur, quod aliqua loca subiectæ fuerunt in tributum Iudeis in sorte Ephraim, & Manasse, vt patet supra 16. & 17. sed magis post mortem illius, quia ibi dicitur, quod à principio non præualuerunt Israelitæ contra gentes istas, & ob hoc manserunt in terra: postea autem cum confortatus fuit, & multiplicatus Israel fecit illas tributarias, & hoc videatur, fuisse post mortem Iosue, vt colligitur Iud. i. c. Non est ergo verum aliquo modo, quod omnes gentes Chananaeum fuerint subiectæ Iudeis tempore Iosue, sed scriptura accipit vniuersalem propositionem pro multis, sc. quia maior pars gentis Chananaeum subdita fuit Israelitis, dicuntur omnes nationes subiectæ. Istæ autem gentes, quæ subiectæ fuerunt impropriæ subiectæ sunt, sc. per mortem: nam per compositionem nulla subdita fuit. Potest tamen alio modo accipi litera ista, ita vt non sit necessaria aliqua determinatio vniuersalitatis, sc. quod omnes nationes in circuitu erant subiectæ Iudeis, id est, non audientes pugnare contra eos, licet non essent subiectæ eis ad tributa soluenda. Et iste modus est magis conueniens, quam aliquis superior, quia tunc verum est vniuersaliter, quod omnes nationes in circuitu erant subdita Iudeis, id est nulla tam de Chananeis, quam de aliis gentibus audebat repugnare Iudeis.

Et Iosue iam longæuo. Id est erat Iosue iam ætatis longæ: dicitur enim longæus, id est longi æui. Vocavit enim totum Israel, quando erat longæus, quia intendebat commoneare totum populum ad Dei cultum, & hoc voluit facere ad mortem suam. Et quia cum esset iam longæus arbitrabatur se esse in limine mortis vocari fecit Israel. Toto autem tempore præcedenti, quia existimabat adhuc sibi superesse vitam, non fecit vocari Israel, quia utilius esse credidit admonere illos ad mortem suam, quam multo tempore prius: eo quod magis retinerent hoc Iudei postea in memoria. Ea quippe, quæ quis agit in limine mortis, magis apud posteros in memoria tenentur, quam ea, quæ fiunt, dum quis de morte suspectus non est, & hoc, quia creditur facere quis

D ex maiori affectione quæcumque agit morti coniunctus, quam quæ alias agit, cum ista sunt ad aliorum utilitatem. Etiam fecit hoc Iosue, quia mos erat sanctis patribus apud mortem suam admonere eos, quos diligebant. Sic enim Jacob patriarcha morti propinquus vocari fecit Ios. ph., & filios duos eius, & benedixit illis Genesim quadragesimo octauo, & post hoc cum esset verè propinquus morti conuocari fecit omnes filios suos, & locutus fuit eis de futuris, benedicens singulis eorum, Genesim quadragesimo nono, Moyses quoque famulus ad mortem deueniens congregato toto Israele proposuit eis totum Deuteronomium, declarans legem, & eo finito ascendit in montem Abarim, vt moreretur, vt patet Deuteronomij primo & vltimo.

Nec solum proposuit Deuteronomium, qui erat ex necessitate declarandæ legis eis proponendus: sed etiam quasi recedens ab eis contestatus fuit illis, quod colerent Deum inuocans ccelum & terram super illos, quod mala ipsis ventura essent non obseruantibus legem: declarans hæc in canto Deuteronomio trigesimo secundo, & præter hoc inuocans omnes posuit benedictiones omnium tribuum, vt patet Deuteronomij trigesimo tertio capite, hanc consuetudinem obseruare voluit Iosue admonendo Israelitas ad cultum Dei. Eratque nimis necessaria, quia nunc Israelitæ quasi noui in terra Chanaan poterant ex communicatione Gentilium depravari, & conuerti ad idola, nisi solicite cauerent.

E Hanc quoque consuetudinem tenuerunt patres posteriores: nam Samuel propheta & princeps in toto Israele, cum esset nimis senex, conuocauit totum Israe, & declarauit eis peccata sua eligendo, siue petendo regem admonens, vt postea sequerentur Deum, vt patet primo Regum decimo secundo capite.

F Et personilis etatis. Hoc ponitur ad signandum valde magnam senectutem: erat enim Iosue senex, & prouecta ætatis, quando incepit diuidere terram, vt patet supra decimo tertio, erat tamen valde senior nunc, quando admonuit Israe, eo quod ab illo tempore usque nunc multa tempora evoluta erant, vt patet in principio literæ, scilicet euoluto multo tempore postquam Dominus dederat pacem: tempus tamen, in quo Deus dedit pacem, erat tempus, quo coepit terra diuidi, vt colligitur supra decimo quarto capite, & dicitur personilis, id est valde senilis, quia ista præpositio, per, vel præ, dicit complementum, vel augmentum: vt factus, & perfectus, senilis, & personilis, sonans, & personans, clarus, & præclarus.

G Vocavit Iosue omnem Israe. Non intelligitur simpliciter quod omnes viri de Ilrael conuenient ad Iosue, quia non possent eum audire omnes. Etiam non erat contingens aut possibile quod omnes conuenirent: necesse enim erat quod aliqui vacarent aliis officiis saltu ducendo cibos eis, qui ad Iosue admonitionem conuenerant: sic fuit cum Moyses ante mortem suam vocavit totum populum, vt audiret verba Deuteronomij, qui nouiter proponebatur: tamen ibi non fuerunt omnes, quia portantes aquas, & ligna pro necessitate castrorum non erant ibi. Sic patet Deuteronomij vigesimo nono capite, cum dicitur: Vos estis hic omnes, &c. & cum computauerit eos subditur: exceptis lignorum castoribus, & his, qui comportant aquas: sed conuicit totus Israe: quia de quolibet loco Israe conueniebant aliqui viri, & illi retulerunt postea ceteris admonitionem Iosue. Aliquis forte dicet, quod soli principes Israe conuenerunt ad audiendum hoc: sed eis conuenientibus dicitur conuenisse totus populus, quia continent totum populum eminenter. Sed non stat: quia litera dicit conuenisse totum Israe, & deinde dicit conuenisse principes & duces: si tamen intelligerentur principes nomine totius populi non fieret repetitio: ideo dicendum est quod præter principes conuenerit totus Israe eo modo, quo dictum est: posset tamen stare ille sensus, si non ponantur sequentia tanquam copulatiuè addita, sed vt exponens & expositum: & sic aliquando ponitur, & expositiuè, & non copulatiuè.

H Maiores natu. Dupliciter vocantur aliqui maiores natu, sc. quia antiquiores sunt, vel quia de præclariori prosapia. Primo modo dicuntur maiores natu, i. maiores ex natuitate, q; magis de tempore transiit ex natuitate eorum. Secundo modo

maio-

A iores natu, id est, maiores natalibus, s. in prosapia. Primo modo accipiuntur hic, scilicet seniores: & iste est communis modus accipendi in litera nostra. Fuerunt autem vocati specialiter seniores, quia isti prudentiores sunt: sic dixit Salomon: In antiquis est sapientia, id est, prudentia: nam prudentia experientia magna indiget, quia est de agilibus humanis, quæ non comprehenduntur phantasia aut intellectu; experientia autem non sit in paruo tempore, cum exigat multos actus, & circa multa obiecta actionis. Iuuenes autem paucum tempus habuerunt, ideo non contingit eis prudentia. Sic ait Aristot. 6. Ethic. non contingit iuuenes esse prudentes, aut sapientes, sed facile est esse Mathematicos: sic etiam dicit 1. Ethic. quod iuuenis non est conueniens auditor moralis philosophie: inexpertus enim est quilibet autem bene indicat de his, quæ cognoscit: seniores autem isti tanquam prudentiores ceteris possent magis cognoscere veritatem verborum Iosue, & proponere illa postea in populis suis. Non vocantur autem seniores illi, qui erant simpliciter maximi secundum ætatem in toto populo, quia forte non proficeret istos illuc conuenire, quia sicut aliquis propter esse nimis iuuenem inexpertus est, ita qui valde senes sunt deficiente temperie cerebri incipiunt variare: ita ut aliqui qui ad valde magnam ætatem perueniunt ad nihil omnino cognoscere eos deuenire contingat. Sicut factum est de quodam viro valde literato temporibus suis, qui pleraque voluminum, tam historiarum quam sapientialium confecit; ad tantam tamen ex bonitate complexionis longanimitatem deductus est, vt nec literas nosceret, nec sciret se esse, qui prius libros condiderat; hoc autem in territorio Numantino factum est. Sed erant isti viri senes valde prudentes, & magna auctoritatis in toto populo, secundum ætatem quoque maturi, vt nihil ex leuitate iuuenili agere crederentur, quæ si contingent alicui in iuuentute, vere senex vocabitur: sic patet Sapientia 4. senectus venerabilis non diurna, nec annorum numero computata: cani sunt sensus hominum & senectus vita immaculata. Et principes. Ipsi sunt, qui erant principes secundum originem, scilicet, quod illi, qui veniebant in tribubus singulis per lineam primogenitorum, erant principes tribuum suarum: horum autem erat impossibile plures esse in aliqua tribu, sed in qualibet tribu erat unus. Vnde sicut erant duodecim tribus, ita erant duodecim principes in toto Israel: & sic quando Moyses iussu Domini computauit totum Israel in monte Sinai, posuit primo duodecim principes tribuum, vt patet Numeri 1. & in castrametando eosdem duodecim principes assignauit Numeri. 2. & cum Sanctuarium dedicatum fuit, ponuntur duodecim principes tribuum offerentes per singulos dies, scilicet, per duodecim, vt patet Numeri. 7. cap. & semper manebant sic principes. Erant autem isti generosiores in toto populo, quia veniebant à capitibus tribuum per lineas primogenitorum. Erant etiam alii principes familiarum, quia sub qualibet tribu erant aliqua familiæ, quæ erant cognationes magis speciales, de quibus patet Numeri. 26. vbi ponuntur omnes familiae tribuum, & singulæ harum habebant principes suos, qui veniebant à capitibus istarum familiarum per lineam primogenitorum semper deriuando, & eodem modo in qualibet familia erat unus princeps, isti autem tanquam capita populi vocati sunt specialiter. Et duces. Proprie duces dicuntur esse capitanei bellorum: hic autem non accipitur sic, quia non erant tunc aliqua bella, quorum ponerentur duces: sed vocantur duces principes, qui non sunt ex origine, sicut principes tribuum, & familiarum, sed erant propositi à populo ad aliquid agendum, & isti sunt iudices, qui præficiuntur, & habent iurisdictionem in populo ad derimendas causas, & ad poenas, & præmia: & isti sunt duces, id est, directores, qui dirigunt omnia negotia distribuentes iustum in singulis. Vnde quasi regulæ sunt, per quos cognoscitur in actionibus quid paruum distortum, aut rectum sit, ideo cum homines ad iudicium veniunt quasi ad regulam actiones suas deducunt: sic ait Arist. 5. Ethicor.

Et magistratus. Istud est nomen generale ad omnia officia, & præposituras quascunque, sive ad iudices, sive principes, sive duces, aut qualitercunque, vt tamen includantur omnes habentes aliquam præposituram inter Israelitas dictum est de magistratibus.

D *Dixit ergo ad eos, ego senui.* Hic ponit causam dictorum suorum, quasi dicat, ideo dico vobis hæc adm. onens ne recedatis à Deo vestro, quia senui. Si autem essem iuuenis non dicerem, quia adhuc superesset mihi vita, & ego videns opera vestra non permetterem vos declinare ad idola; sed nunc s. nisi valde, & arbitror exitum meum appropinquare, ideo non poteris vobiscum esse ad directionem vestram admoneo, ne deseratis Deum vestrum.

Et progressior etatis sum. Istud ponitur ad signandum magnam senectutem: idem autem est progressior ætas, & proœcta, vel prouæctior: & dicitur progressior à progrediendo, scilicet, quando aliquis multum progressus est in diebus suis. Et ob hoc supple suspicor, quod festinet recessus meus de hoc habitaculo carnis.

Vosque cernitis omnia que fecerit Dominus Deus vester. In hoc incepit inducere, quod intendit, scilicet, admonet Israëlitas, vt colant Deum non recedentes à lege eius, & inducit ex datis beneficiis, scilicet, quia Deus multa eis bona contulerat, propter quæ non debebant deserere cultum eius, & ad hoc dicit: Vos cernitis cuncta quæ fecerit, quasi dicat, ipse benefecit vobis, & ista beneficia non sunt abscondita, quia vos omnes nostis quid fecerit; & ob hoc magis moueri debebant, quia beneficia manifesta magis immutant quam beneficia, quæ aliqualiter iub dubio manent, an sint.

Considerandum autem, quod ista inducere ad colendum Deum non est efficax simpliciter, immo secundum se non est conueniens, sed conuenit secundum subiectam materiam: cultus namque, ad quem Iosue hic admonebat est soli Deo debitus, eo quod Deus est: & cum constitueret Deum esse aliquem, dato quod nobis nunquam benefecisset, sed non cuisset, tenebamur cum colere, & quamquam aliquis tanta bona nobis contulisset quanta Deus impendit si possibile vllatenus foret, non deberemus ei cultum aliquem exhibere: solum ergo exigebatur ad hoc directe, quod Iosue declarasset, quod Deus eorum erat verus Deus, & non sicut dij Gentium, qui simulachra sunt: & tunc non adiungens aliqua collata ab eo beneficia sufficenter induxerat Deum esse colendum. Probari autem, quod Deus Hebræorum esset verus Deus poterat faciliter per multa magnalia, quæ egreditur, quæ non potuerunt facere dij Gentium, & ista erat inducere conueniens simpliciter ad hoc, quod intendebatur: induxit tamen hoc per beneficia præstata, quia ista erat conueniens inducere secundum subiectam materiam. Iudei enim non multum afficerentur in Deum, quia Deus erat: Nam hoc pertinet ad considerantes differentiam perfectiōnis entium, & altissimum gradum entitatis, de quo ad Iudeos nihil pertinebat, quia rudes erant, beneficia autem collata erant aliqua sensibilia bona, & delectabilia, ideo per hæc magis afficerentur ad illum. Admonuit ergo Iosue non per illa, per quæ simpliciter admonitio fieri debebat, sed per id, quod quantum ad istos conueniebat: sicut nos non incipimus cognoscere ab his, quæ sunt simpliciter cognoscibilia primo, quæ vocantur primo nota naturæ, sed ab his, quæ sunt primo nota nobis, vt ait Aristot. 1. Physic. Alio modo potest dici, quod Iosue non posuit istam admonitionem tanquam per collata bona totaliter induceret, quod Iudei debebant Deum colere, vel non recedere à lege eius, sed posuit ad magis inducendum, scilicet, quod Iudei debebant colere Deum suum, quia verus Deus erat, & tamen adhuc debebant magis affici ad ipsum, quia multa eis contulerat: & hoc verum est, quia nos tenemur ad diligendum Deum, & colendum ipsum, quia Deus est, siue nobis contulerit bona aliqua, siue nulla: magis tamen tenemur cum nobis aliquid contulerit, quam si nihil, & quanto plura contulerit, tanto plus diligere tenebimur: sic declarauit Christus Luc. 7. proponens parabolam de duobus debitoribus ad unum fœnitatem utroq; dimisso debito quis magis teneretur diligere, & responsum est, quod ille, cui plus donata sunt, quod Christus laudauit, dicens. Recte iudicasti, & subintulit de Magdalena: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Cunctis per circuitum nationibus. Potest referri hoc ad nationes, quarum terram ceperant, vel ad illas, quæ adhuc manebant.

Primo modo est sensus, quod Deus illas nationes delebat in conspectu Iudeorum tradens in manu ipsorum, cum

D

E

Si quis sancta beneficia canobis consulit, et vt Deum, non tamen debet, vt Deo col.

F

A Iudæi fragiles essent, & nationes robustæ, & tunc dicitur cunctis nationibus per circuitum, id est, in circuitu loci huius, in quo sumus, scilicet, in tota terra quam accepit Israel.

Secundo modo est sensus, quod Deus fecit multa nationibus, quæ erant in circuitu, quia multæ de illis, licet non erant delectæ, tamen conuenerant in bellum iam contra Israëlitæ ad aquas Meron, & ibi perierunt reges plurimi earum, & exercitus magni: postea autem confugerunt in vrbes suas, & Israëlitæ non pugnauerunt contra omnes, sed solum contra quosdam de regibus: magna autem terra derelicta fuit, contra quam non pugnauerunt existente Iosue, scilicet, contra gentes illas, de quibus supra 13. cap. & sic fecit Deus omnibus illis multa mala, sicut nationibus, quæ perierant.

Vel potest intelligi, quod fecit Deus eis malum, scilicet, quod incussum eis terorem magnum prius enim audebant contra Israëlitæ, & credebat se posse illos expellere de terra, vel delere. Deus autem incussum eis tantum timorem, vt nequaquam auderent pugnare contra Iudæos, nec expectarent in campo, sed fugientes tuebantur se intra vrbiū suarum præsidia.

Quomodo pro nobis ipse pugnauerit. Scilicet, non fuit pugna vestra, sed pugna Dei, quia ipse agebat totam stragam contra hostes vestros, & vos nihil faciebatis.

B *Quomodo Deus pro Israëlitis pugnabat.* Eiusmodi fuit modus pugnandi fuit triplex.

Q V A E S T I O III.

C VÆRET aliquis qualiter Deus pugnabat pro Israel. Respondetur, quod pugnabat Deus pro Israel, & modum pugnæ experti sunt Ægyptij, quando ingressi mare rubrum videntes moue: i fluetus super eos, dixerunt. Fugiamus Israelem, quia Deus pugnat pro eis contra nos, vt patet Exod. 14. cap. & postea Moyses cantans ob hanc victoriam ait: Dominus quasi vir pugnator, Exod. 15. cap.

Sciendum autem, quod modus pugnandi Dei pro Israëlitis fuit triplex.

Primus fuit quando pugnabat pro eis, & ipse totaliter agebat pugnam Iudæis non pugnantibus: & iste modus fuit in mari rubro, cum persequerentur Ægyptij Hebræos ad interitum, respexit Deus castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecitque exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum, vt patet Exod. decimo quarto, ibi autem nihil faciebant Israëlitæ, quia erant ex alia parte maris respicientes, quid Deus ageret contra Ægyptios: sic enim dixerat prius Moyses: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, id est, non mouebimini.

Sic quoque fuit bellum Dei contra Amorrhæos in torrentibus Arnon: nam cum ingressuri essent Israëlitæ in terram duorum Amorrhæorum Regum apud torrentem Arnon, erat via stricta inter duos scopulos cauernosos, latuerantque ibi Amorrhæi plurimi, vt inde sagittis, & iaculis atque lapidibus occiderent Israëlitæ, plurimosq; ipsorum incautos occidere poterant & nullum transire permitterent, Deus autem fecit scopulos inclinari super torrentem, & suffocati sunt ibi omnes Amorrhæi latentes, & rursus erecti sunt ad pristinum statum, vt transire possent Israëlitæ, vt patet Numer. 21. cap. Hic autem nihil faciebant Iudæi, immo nec cognoscabant viros sibi instare hostes, sed Deus pugnauit. Et quia sic in mari rubro solus ipse pugnauerat, scriptura comparauit ista duo facta ponens ea in libro bellorum Dei. Sic patet præallegato capitulo, cum dicitur, vnde dicitur in libro bellorum Domini, sicut fecit in mari rubro, ita faciet in torrentibus Arnon: scopuli torrentium inclinati sunt, vt requiescerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitum, sic quoque factum est tempore regis Ezechiae, cum angulus Dei per noctem occidit in castris Ægyptiorum centum octoginta quinque millia, 4. Regum 19. & alia similia, vt 2. Paralip. 20. cap.

Secundus modus, quo Deus pugnabat pro Israëlitis erat, quando ipse alio id manifeste per se agebat, & aliquid Israëlitæ adiuti à Deo. Iste modus est minor primo, quia hic est aliqua actio humana, sic fuit in bello Iosue contra Iericho,

D quia Israëlitæ lullantibus urbem per septem dies muri ciuitatis à fundamentis corruerunt, quod Deus solus fecit: Ista autem ingressi urbem desolati sunt eam, vt patet supra sexto: sic quoque fuit in bello Iosue contra quinque reges pugnantes contra Gabaon. Nam Deus fecit stare solem spatio diei vii. Ius quoque vlciferetur se Iosue de hostibus: dimisit quoq; prius lapides magnos grandinis in descensu Bethonis usque ad urbem Azecha, perieruntque plures, quam ceciderant gladio, vt patet supra decimo. Simile fuit tempore Gedconis, quando iuit ipse cum trecentis viris nocte habentibus trecentas lagenas fractas, & lampades atque bucinas, terueruntque totum exercitum alienigenarum, & Deus misit turbationem in eos, ita vt putarent quod pugnabant contra Iudæos, & pugnabant singuli contra coniunctos sibi, ceciditque sic innumerabilis multitudo, vt patet Iudic. 7. cap. multa autem similia sunt.

Tertius modus, pugnandi Dei pro Iudæis est, quando ipse manifeste nihil agebat, sed adiuuabat eos ad pugnandum, ita quod aliter pugnare non potuissent: & hoc erat duplitter. Vno modo diminuendo vires aduersariorum, vel immitiendo terrorem in eos. Alio modo dando animositatem, vel vires Iudæis ad pugnandum. De primo patet Exod. 23. & Deuteronom. 7. scilicet, terrorem meum mittam in præcursum tuum, occidamq; omnem populum, ad quem ingredieris, cunctorumque inimicorum tuorum coram te, terga vertam. De secundo patet Deuteronom. octauo, scilicet, ne forte dicas in corde tuo fortitudo mea, & robur manus meæ hec mihi omnia praefliterunt, sed recorderis Domini Dei tuum, quod ipse tibi vires præbuerit, vt completeret paucum suum: cum autem dicit hic Iosue, quod Deus pugnauit pro eis intelligitur de secundo & tertio modo pugnandi, quia de primo modo, nullum exemplum fuit tempore eius, sed tempore Moysi, vt patet ex processu totius istius libri.

E Et nunc quia vobis sorte diuisit omnem terram. Id est, etiam certis, quia, id est, quod Deus diuisit vobis omnem terram sorte, scilicet, fecit quod diuidetur: nam Iosue & alij viri diuiseores hoc fecerant, vt patet supra 19. hoc est, referendo istam literam ad precedentem: sed non debet sic legi, sed magis quod incipiat hic clausula: & est sensus quod Iosue supra inducebat Israëlitas per beneficia collata, nunc vero inducit per beneficia, quæ conferenda sunt. Est autem hoc, quod Deus fecerat totam terram Chanaan diuidi Israëlitis in sortes, sed non fuerat tota tradita: hic autem dicitur, quod tota tradatur. In quo sciendum, quod sicut declaratum fuit supra 13. Iosue bis diuisit terram: primo enim data pace cum hostibus, & cœstantibus omnibus bellis, terram captam diuisit inter tribus Israel: postea autem dixit ei Deus: multa terra derelicta est, quæ nondum capta fuit, sed hanc quoque diuide cum reliqua, quæ capta est, quia ego dabo eam Israëlitis: & tunc diuidit Iosue totam terram Chanaan tam captam, quam nondum captam, & ista est diuisio, quæ habetur supra a. capitulo decimo quinto, usque ad vigesimum, & quia Israëlitæ poterant conqueri, quod Deus diuiserat eis terram illam, & non tradebat, quod erat superuacuum, immo labor in diuidendo, & describendo fuit penitus inanis. Respondet Iosue, quod quamquam Deus nondum tradidisset, tamen traditurus erat, & certissime traderet.

F Ab orientali parte Iordanis usque ad mare magnum. Hic ponuntur duo termini, scilicet, orientalis, & occidentalis. Est Iordanis in oriente, vt patet Numer. 34. cap. mare magnum autem est in occidente terræ illius, vt patet ibidem, & Deut. 11. atque supra 1. vocatur autem mare magnum, scilicet, mediterraneum, quod erat magnum respectu aliorum marium terræ Chanaan: erant, quippe ibi duo maria parua, quæ vocantur lacus, vel stagna, scilicet, mare Genesareth, siue Galilæa, & mare Sodomorum, quod vocatur mare salissimum, vel solitudinis, vt declaratum est late de eis, supra 12. capitulo, istud tamen non vocatur mare magnum simpliciter, sed illud est mare Oceanum, istud mare est terminus totius terræ Chanaan, & totius Asiae, nam per illud omnes tres mundi portiones aliqualiter distinguuntur.

Non est autem intelligendum, quod solum esset facta diuisio ab Oriente in Occidentem, quia etiam erat facta à Meridie in Aquilonem, cum nihil relictum fuisset indiuisum in tota terra Chanaan, sed dictum est ab Oriente in Occidentem

A dentem ad signandum maiorem extensionem terræ Chanaan: longior enim est ab Oriente in Occidentem, quam à Meridie in Aquilonem.

Item dictum est, quia maior difficultas erat diuidi terram ad partem occidentalem, quam à Meridianam in Aquilonem, quia Philisthiim, & aliae gentes robustissimæ morabantur ad partem Occidentalem, quæ nondum fuerant captæ: ad partem autem Meridianam, & Aquilonarem nihil fere manebat non subiectum in potestatem Hebræorum.

Multæ adhuc supersunt nationes. Id est, multæ nationes supersunt, quæ nondum fuerunt vobis subiectæ: sed subiiciuntur: istæ nationes enumerantur, supra 13. & Iud. 3. cap.

Quare autem istæ nationes non fuerint mox traditæ in potestatem Hebræorum, sicut traditæ sunt aliae, quas ceperunt, causæ tres sunt, de quibus satis dictum est, supra 13. cap.

Quid disperdere. Dominus Deus vester disperdet eas. Id est, delebit, disperdere est totaliter destruere: sic Deus facturus erat de gentibus illis, multæ quippe postea subiectæ sunt Iudæis tempore Iudicium, & tempore Regum, vt David, & Salomonis, cuius tempore tota terra subiecta fuit Israelitis, vt patet 2. Paralip. octauo capitulo.

B Quomodo autem tota terra subiecta fuit, vel Deus omnes gentes disperderit à facie Israelitarum, cum videantur quædam gentes nunquam fuisse subiectæ Iudæis, vt appareat de Tyris, & Sidoniis, & Philisthinis declaratum fuit supra 13. capitulo.

Et auferet à facie vestra. Id est, auferet coram vobis, scilicet, ne maneat in terra.

Hoc dupliciter, scilicet, vel eas delendo, sicut aliquæ gentes fuerunt, quas Israelitæ penitus disperderunt.

Vel eas vobis subiiciendo in tributarias, sicut fuit de quibusdam aliis, de quibus 2. Paralipom. 8. capitulo, & quamquam iste secundus modus non sit ita proprius, tamen satis stat, quia quando gentes non erant subiectæ Iudæis resistebant eis in faciem, & stabant, coram facie ipsorum, cum vero fuerunt subiectæ illis iam non erant coram facie ipsorum, quia non resistebant illis.

Et possidebitis terram. Id est, possidebitis totam reliquam terram Chanaan, & hoc quia quandam partem terræ postea cuperunt ad habitandum, & aliam subiicerunt sibi, non ad habitandum, sed vt haberent habitatores terra illius in tributarios.

C Sicut pollicitus est. Hoc promiserat primo Israelitis cum dixit eis quantam terram dare deberet, & semper promitterebat saltem terram septem populorum Chanaonorum. Iosue quoque promisit, quod residuum terram adhuc daret Israelitis, vt patet supra 13. scilicet. Ego sum, qui delebo eos à facie filiorum Israel.

Tantum confortamini. Tantum, est hic dictio exclusiva, scilicet, non sitis solliciti circa acquisitionem terræ, quæ super est, vel circa aliquid alterum, sed solum estote solliciti ad custodiendum mandatum Dei, quasi dicat, quantum ad cetera Deus est sollicitus vestri, & dabit omnia, quæ promisit, confortamini, id est, estote forti animo. Et pertinet hoc ad eleuationem cordis in aliquid arduum, quod est per modum spei, obseruatio legis erat tanquam aliquid magnum: cum autem Israelitæ firmiter proponerent obseruare legem, exponebant se ad tolerandos labores, qui essent in tolerando legem & conseruando, ideo confortabantur, & sic est, cum quis aliquid arduum, & durum opus aggreditur, dicitur confortari, quia cor debile ista refugit, quieti & molliciei se applicans.

Estante solliciti, vt custodiatis cuncta. Magna debet esse sollicitudo nostra, ne Deum offendamus. Et quia offendimus eum, quando contra legem illius agimus, debemus esse solliciti circa legem Dei, vt nihil illius, aut transgrediamur, aut omittamus, sic enim de viro quem scriptura beatum vocat, dicitur, scilicet. Sed in lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte, & Deuteronomio iussit Deus vt Iudæi semper meditarentur in mandatis eius, scilicet, Erruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi in corde tuo, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.

Cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi. Hoc videtur intelligi de Deuteronomio, qui vocatur volumen legis Moy-

D si, vt patet Deuteronomio 31. cap. & 17. cap. & istud est, quod mandatum est legi coram toto populo, scilicet, in quoibet anno remissionis, qui fiebat de septennio in septennium debebat coram toto Israel legi, vt patet Deuteronomio 31. capitulo, quasi contineretur hic tota lex, & nihil aliud obseruandum foret, & verum est quod quasi omnia præcepta, quæ pertinebant ad plebem continebantur in Deuteronomio.

Non tamen solum est intelligendum de libro Deuteronomij, sed de omnibus libris Moysi, qui vocantur lex, quia quidquid in illis continetur debebat obseruari, etiam si non esset in Deuteronomio, alioquin daretur, quod præcepta, quæ erant in aliis libris non obligabant Iudeos, quod falsum est: aliqua tamen præcepta erant in aliis libris, quæ non erant in Deuteronomio, vt patet de præceptis purificationis ab immundiciis, & de multis sacrificiis, & de matrimoniis contrahendis, vel non contrahendis, de quibus nihil in Deuteronomio, & habentur in Leuitico quasi per totum. Et ad hoc conuenientius dicendum est, quod accipiatur volume legis Moysi pro omnibus libris eius, & quidquid ibi est obseruandum est, istud autem non est unum volume, nec una lex nisi large, nam tota lex, quæ continentur in Exodus, Leuitico, & Numeris dicitur esse una lex, & vocatur lex simpliciter, vel lex Dei. Quod autem continetur in Deuteronomio vocatur alia lex, sic patet Deuteronomio 29. scilicet. Haec sunt verba fœderis, quæ præcepit Dominus Moysi ut feriret cum filiis Israel in terra Moab præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Horeb. Aliquando tamen accipitur tota, vt una lex, & sic est hic, & communiter accipiuntur omnes libri pro una lege, & vocabitur unum volume.

E Et non declinetis ab eis, nec ad dextram, nec ad sinistram. Id est, nullo modo declinetis ab eis. Et quia iter omne rectum est inter dextrum, & sinistrum tanquam medium: ad dextrum autem, vel sinistrum est declinatio, nec alia præter has est declinatio: designatur omnis declinatio nomine harum duarum. Est autem lex tanquam medium virtutis: in actionibus enim & passionibus si quis declinet ad magis, scilicet, super abundantiam, peccat: si autem declinet ad defectum eodem modo peccat: in solo medio consistit recte agere, vt patet secundo Ethicorum, quia in medietate est virtus, quæ est medij conlectatrix. Et causa huius est, quia bonitas in virtute accipitur secundum rectitudinem rationis, quæ secundum debitas circumstantias dirigit faciens esse opus in medio, & qualitercumque ab illa rectitudine deviatur non manet bonum virtutis: ita cum lex sit regula rationis, excessus ad illam, vel defectus est deviatio à rectitudine rationis, & consequenter est peccare, ideo nec ad dextram, nec ad sinistram declinandum est: tantum enim Deus voluit Iudeos teneri ad obseruandum legem secundum tenorem, quod etiam addere aliquid ad legem, vt opus esset maius non permittere, vt pote si Deus iubeat offerri agnum anniculum non permetteretur, quod offerretur vitulus, quamquam esset solennior oblatione.

F Item si iuberetur, quod offerrentur duo arietes non permetteretur, quod offerrentur quinque, & sic de aliis, vt patet Deuteronomio 12. cap. scilicet, quod præcipio tibi hoc tantum factio Domino, nec addas quidquam nec minus nunc autem non est nobis sic in novo testamento, quia si facimus ultra ea, quæ præcepta sunt, vocantur opera supererogationis: sicut sunt omnia euangelica consilia, & pro his retribuetur nobis, sicut signauit Christus in parabola de Samaritano, qui dedit stabulario duos denarios, dicens, curam habe illius, & quidquid supererogaueris, ego veniens reddam tibi Luc. 12. capitulo.

Ne possumus intraveritis ad gentes, quæ inter vos futura sunt. Iudei accepturi erant maiorem terram, sicut Deus pollicitus fuerat eis, & tunc intrarent ad gentes, id est, magis introirent inter gentes, & communicare poterant cum illis, quia manus erant gentes inter eos, scilicet, quod subderent eas sibi in tributarias, eratque periculum communicationis: ideo admonet, ne tunc adhærent diis earum.

Iuretis in nomine deorum earum. Id est, cauete, ne iuretis in nomine deorum istarum gentium: volebat Deus penitus interdicere Iudeis omnem cultum deorum gentilium, & quia iurare in nomine alicuius est exhibere ei quendam cultum,

nolebat,

A nolebat, quod iurarent in nomine idolorum, quamq; enim iurare nobis Christus prohibuerit, dicēs: Sit sermo vester est non non, vt patet Matth. 5. tamen in iuramento per Deum quidam cultus ei exhibetur, scilicet, quod est quādam protestatio Deitatis, nam cum quis per Deum iurat, inducit Deum tanquam testem fidelem dīcti sui, & propter eum fallere non vult, quod ad magnam reuerentiam pertinet: ideo hoc fieri debet per aliquem excellentissimum, sic dicit Apostolus ad Hebr. 6. scilicet, homines per maiorem suum iurant, & omnis controversia illorum ad confirmationem finis est iuramentum.

Nimia
iuratio
vix
periu-
rio ca-
ret.

B Quod autem iuramentum prohibeat non est, quia secundum se malum sit, sed quia est periculosem sāpe iurare nimia enim iuratio vix periurio caret. Vir enim multum iurans replebitur iniquitate, & non recedet de domo eius plaga. Etiam, quia sāpe iurando nomen Domini frustra assumitur, quod culpae grauis est: cum tamen aliquis debuerit iurare melius est, vt iuret per Deum, quam per idola: sic iubebatur Iudeis Deuter. 6. scilicet, Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, atque per nomen illius iurabis: idem patet Deuteronom. 10. iuramentum tamen per nomen alicuius idoli erat valde detestabile apud Iudeos, ita vt haberetur suspectus de idolatria, & quasi coniunctus, qui in nomine idoli alicuius iuraret, & ob hoc districte Deus inhibuit talia iuramenta, vt patet Exodi vigesimo tertio capitulo, scilicet, omnia, quæ dixi custodiō, & per nomen exterorum deorum non iurabit, nec audietur ex ore vestro.

De iuramento autem factō à Iudeis per legem suam an sit licitum, & de iuramento factō pro Talmud, & si iuret Iudeus per Christum, an peccet, & de iuramento factō per Alchoranum, vel per crux Mahometi à Christiano, vel Saraceno, aut Iudeo, & quis horum grauius peccet, & de inducētibus ad iurandum, & de multis aliis pertinentibus ad iuramentum late declaratum est Exod. 23. cap.

C Et seruatiōis eis. Id est, cauete, ne seruatiōis diis gentium, scilicet, exhibendo eis cultum ambulando in præceptis, vel cæremoniis eorum: habebant enim dij gentium ritus sacrificiorum, & non idem ritus omnium deorum, sed varia erant sacrificia, & alij modi obseruationum, de quibus tractat Ouidius per totum in libro de fastis, vbi ponit omnia festa deorum Romanorum in sex mensibus, & ritus sacrificiorum suorum, & causas. Aliquid quoque tangit Augustin. de his in 2. & 6. & 7. de ciuitate Dei.

Et adoretis illos. Scilicet, inclinando vos coram illis, sine aliqua alia cæremonia cultus, & hoc etiam non licebat.

Quid adha-
rere
Deo.

C Sed adhaeratis Domino Deo vestro. Adhærere Deo est per amorem illi inhārere, & velle ei seruire, atque præcepta illius sequi. Et magis hoc dicitur, quando quis alterius voluntatem ad omnem euentum sequi vult ita si nos penitus propōnimus Dei præcepta sequi quidquid nobis adueniat, dicimus adhærere Deo.

Quod fecisti usque in diem hanc. Laudat eos, quia virtus laudata crescit, etiam demonstrat ex hoc facile esse Dei legem sequi: nam cum usque nunc ab introitu in terram Chanaan obseruassent legem Dei, poterant, & ulterius eam obseruare: causato enim habitu facile est operari, quia signum aggerat habitus est delectationem fieri in opere, vt patet 2. Ethic.

Et tunc auferet Dominus in conspectu vestro gentes magnas. Id est, vobis videntibus tollet gentes omnes Chananæorum: ipse quippe pugnabit pro vobis, vt patet supra.

Vel potest dici de conspectu vestro, sicut supra dicebatur, scilicet, Dominus Deus vester disperdet eas, & auferet à facie vestra. Et est sensus, non solite mīni circa expulsionem harum gentium de locis suis, sed solum nitimini, vt custodiatis mandata Dei, quia tunc ipse expellat gentes has vobis non aduentib; nec adhuc operam dantibus, si autem non sollicitamini in lege Dei, etiam si nimis intendatis, vt has gentes expellatis de terra non valebitis.

Gentes magnas, & robustissimas. Omnes gentes Chananæorum erant robusta ad bellum, & maioris numeri, quam Israēlītae. Robur gentis huius signatur Amos 2. cap. Ego autem exterminavi Amorrhaūm à facie eorum, cuius altitudo cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi querus. Has autem gentes robustissimas Deus faciebat inualidas, quia

D immitebat timorem in eas, ita vt non possent consiliere coram facie Hebraeorum, vt patet Exod. 23. & Deuteronomij septimo capitulo.

Et nullus vobis resistere poterit. Id est, etiam si multi conueniant aduersus vos, omnes conuertentur in fugam, sicut factum est ad aquas Meron, vbi Iosue pugnauit fere contra omnes reges Chananæorum populorum, & faciliter stravit eos, vt patet supra II. cap. erat autem bellum hoc Domini, & non agebatur res in robore Iudeorum.

Vnus enim ē vobis persecutur hostium mille viros. Ponitur facilitas pugnandi, & expellendi gentem hanc de terra, quia vnu de Iudeis posset pugnare contra mille: immo nullo pugnante Deus pugnaret pro eis delens aduersarios eorum, sicut factum est cum angelus Domini per noctem occidit in castris Assyriorum centum octoginta millia virorum, vt patet 4. Reg. 19. Et iterum tempore regis Iosaphat Iudeis nihil agentibus hostes non cognoscentes seipso pugnauerunt vicious, & occisa est infinita multitudo Ammonitarum, Moabitarum, & Idumæorum, ita vt nullus euaderet, Iudeis carentibus laudes Deo suo, 2. Paralip. 20. cap.

E Dixit autem Iosue, quod vnu persequeretur mille, non quod fuerit aliquod bellum Iudeorum contra Chananæos, in quo præualeret vnu contra mille, sed ponitur ad signandum facilitatem: ideo cum sāpe scriptura intendat signare hoc in aliis locis, interdum ponit plures, & interdum pauciores. Sic patet Leuitic. 26. cum dicitur: Persequentur quinque de vñtris centum alienos, centum ex vobis decem milia. Aliquando autem ponuntur plures, quam hic, scilicet, quod vnu fugaret quinque millia, vt patet Deuter. 32. cap. scilicet, quomodo persequebatur vnu mille, & duo fugarent decem millia.

Quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit. Hic declaratur hoc. Dixerat enim quod vnu persequeretur mille viros, quod videbatur impossibile, ideo declarat quonodo fieri possit, scilicet, quia Deus pugnaret pro Israelitis, & sic manifestum est, quod non solum vnu pugnare posset contra mille, sed etiam nullo pugnante centum millia vincerentur, sicut fuit in occidente Assyriorum per noctem, de qua supra dictum est. Et dicitur, quod Deus pugnabit pro Israelitis. Tres enim modi pugnandi erant, quibus Deus pugnauerat pro Israelitis: duo autem istorum fuerunt, quos frequentauit ad expulsionem, & deletionem Chananæorum, vt supra in littera declaratum fuit.

F Sicut pollicitus est. Id est, Deus promisit Israelitis, quod pugnaret pro eis: semel enim promisit hoc Deus Israelitis apud mare rubrum, cum ait Moses: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, Exod. 14. sed hoc solum intelligitur de deletione Ægyptiorum facta in mari rubro: postea tamen promisit hoc Moysi, vt patet Exod. 23. capitulo, scilicet, Terrorem meum mittam in præcursum tui, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris, cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam: iterum autem promisit hoc Iosue, vt patet supra decimo tertio, scilicet, ego sum, qui delebo eos à facie filiorum Israel, id est, non delebitis vos, sed ego sum, qui faciam.

Hoc tantum diligenter preceuete, vt diligatis Dominum Deum vestrum. Scilicet, ex parte vestra non requiritur, quod aliquid alterum faciatis, nisi quod diligatis Deum, quia ipse tunc faciet cetera subiiciens vobis gentem Chananæorum robustissimam.

Sub isto præcepto dilectionis includuntur omnia alia, quia intelligitur, quod diligenter ex toto corde, & viribus, vt patet Deuter. 6. & tunc quidquid Deus iuberet facerent. Sic dixit Christus Matth. 22. quod in duabus mandatis, scilicet, de dilectione Dei, & proximi pendet vniuersa lex, & prophetæ: non tamen penderet, si quis faceret istud mandatum, & complendo illud non complerentur cetera: non possunt autem compleri cetera, nisi intelligantur per istud, ideo necesse est subintelligi.

Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare: iam tunc scitote, quod Dominus Deus vester non eas delectat ante faciem vestram,

sed

A sed sint vobis in foueam ac laqueum & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat aque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis En ego hodie ingredior viam uniuersæ terræ, & toto animo cognoscetis, quod de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiterum vobis esse pollicitur est, unum non præterierit incassum. Sicut ergo impleuit opere, quod promisit, & prospera cuncta venerunt, sic adducet super vos quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis, eo quod præterieritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobis, & seruieritis diu alienis, & adoraueritis eos; cito velociter consurget in vos furor Domini, & auferemini ab hac terra optima, quam tradidit vobis.

Quod si volueritis. Hic ponitur secundum, in quo inducuntur Iudæi ad colendum Deum per timorem, scilicet, quod sicut multa bona promissa erant, si eum colerent: ita multa mala certissime euenirent, si non colerent, quæ exprimuntur hic. Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos sunt erroribus adhaerere.

B Precipuum malum Iudeorum per communicationem gentium erat, credere gentium simulachra esse Deos.

Q V A S T I O IV.

MALVM, quod Iudæis prouenturum erat, occasio nem habiturum erat à communicatione cum gentibus, & ob hoc nimis vetuerat communicationem: nunc autem dicit, quod si voluerint vitare communicationem gentium, consequenter mala: & quia per communicationem sequentur virtua gentium dicitur. Si volueritis adhaerere erroribus. Omnia virtua possunt signari nomine erroris, quia omnis malus est ignorans Ethic. 3. magis tamen signantur proprie virtua, quorum actus sunt in intellectu quantum ad actus illicitos, licet actus imperiti sunt in voluntate: sicut de quibusdam virtutibus eodem modo est: actus enim fiduci non est actus voluntatis, sed intellectus, licet voluntas iubeat, vt assentiam captiuando intellectum nostrum in obsequium Christi, è cōtrario infidelitatis actus est in intellectu & quia omnes superstitiones pertinent ad infidelitatem, vocabuntur errores magis, quam virtua, quia in intellectu sunt, & non in voluntate: quæ enim sunt in voluntate virtua sunt, quia ipsa bonum vult: qui vero in intellectu vocantur errores, quia intellectus verum inquirit, & quia principale malum Iudæorum per communicationem Gentium erat credere simulachra gentium esse Deos, & cultum factum illis aliquid proficere, & cætera, quæ Gentiles astruebant, in quibus fundabatur totus status gentium quantum ad ritus suos, & omnia ista quæ sunt in intellectu pertinentia ad infidelitatem, superstitiones sunt, vocantur errores: his enim Iudæi adhaerebant per communicationem gentium, & principaliter cœdebant in ista. Nam in ultima alia, vt in libidines fœdas, & alia horrenda sine cuiusvis gentis communicatione incidence poterant.

Et cum his miscere connubia. Hic ponuntur alia mala quæ virtua sunt: ista enim sequuntur post errores: nam cum Iudæi per communicationem Gentilium incidebant in superstitiones eorum facilius incidebant in omnia virtua, quæ pertinent ad actiones; unum autem malum erat in matrimonio illicito contrahendo. Nam Deus vetuerat accipere filias Gentilium in uxores à Iudæis, & dare eas in uxores gentilibus: quia utroque modo sequebatur inconueniens, scilicet, quod filii, vel filiae Iudæorum conuerterentur ad idola. De hoc Exod. 34. & Deuteronomij septimo: Iudæi tamen incipientes communicare Chananæis dabant eis filias suas in uxores, & accipiebant vicissim. Sequebatur aliud inconueniens, scilicet, quod per istam contractionem fœderum causatur amicitia ex propinquitate, & magna communicatio, & ex hoc homines frequenter in coniunctis participant, & quia Gentiles manducabant de cibis consecratis dæmonibus, in-

uitarent Iudæos ad illos, quod videbatur pertinere ad genus quoddam idolatriæ, saltem secundum opinionem Iudæorum, & hoc erat in eis tanquam idolis thura apponenter. De hoc Exod. 34.

Atque amicitias copulare. Scilicet, dando eis securitatem de non delendo eos, & communicando illis tanquam amicis, ex hoc enim erant proni ad idolatriam. Duo enim mala faciebant Iudæi, si contraherent amicitias cum Chananæis. Primum erant, quod faciebant contra legem Dei, scilicet, quod iussiferat Deus Deuter. 20. cap. quod de septem populis Chananæorum nullum omnino dimitterent sub aliquo pacto pacis amicitia seruitutis, aut tributi: sed omnes occiderent in ore gladij.

Secundum malum erat, quia per hoc ipsi efficiebantur idololatriæ. Nam Iudæi faciles erant ad idolatriam: si autem non communicarent cum Gentilibus non haberent aliquam occasionem ad idolatriam: contrafacta autem amicitia, siue ex frequentia communicationis, siue ex amicitia quæ nimis persuasiva est, mutarentur corda Iudæorū ad idolatriam: sic enim Israélitæ faciliter ad idolatriam conuersi sunt, & adorauerunt Deum Beelphgor illecti libidine mulierum terræ Moab, & Madian, vt patet Numeri vigesimo quinto capitulo.

Iam nunc scitote, quod Dominus Deus reſter non eas deleat ante facies vestras. Id est, si peccaueritis facientes hac non sitis quasi de pena incerti, sed ex nunc cognoscite, quod Deus faciet permanere gentes istas ante faciem vestram, scilicet, quod etiam si nolitis manebunt, & hoc ad offendendum vos: sic patet Iudicum secundo capitulo, vbi angelus increpuit Israélitas dicens, quod pepigerant fœdus cum gentibus, & non subuerterant altaria carum, & sequitur: Cur hoc fecistis? quamobrem nolui eas delere à facie vestra, vt habecatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam, & iterum dicitur: quia irritum fecit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, ego non delebo gentes, quas dimisit Iosue, & mortuus est: dimisit ergo Dominus Deus omnes nationes, & cito tradere noluit, nec tradidit in manibus Iosue.

Sed sint vobis in laqueum. Laqueus deceptionem signat, sic fuit de gentibus relictis, quod illæ fuerunt in laqueum, id est, communicatio eorum erat fallax, & adducens Israélitas ad cultum idolorum, & hoc tangitur Iosue secundo, scilicet. Vt dij eorum sint vobis in ruinam.

Et offendiculum. Proprie offendiculum est aliquid ante oculos nostros positum, & ante pedes, quod non videntes, scilicet, non aduententes impingimus, & cadimus: & sic erant gentes, quia Iudæi offendebant in eis, scilicet, quia iter eorum erat in Deum rectum per doctrinam legis, sed communicatio gentilium erat eis offendiculum faciens cadere deuando à lege Dei, sicut lapis ante pedes positus gressus præpedit, & peruerit: & tamen secundum literam debet istud offendiculum ponи ex latere, scilicet, quod non tantum videri potest & facilius cadere facit.

Sed adhuc melius accipitur hic offendiculum pro aliquo instrumento percussio, vt telo, vel lancea, scilicet, erunt tanquam tela, vel lanceæ in latere vestro, & patet quia Numeri 33. capitulo, ponitur dictum istud sub aliis verbis, scilicet: si autem nolueritis interficere habitatores terræ, qui remanferint, erunt vobis quasi clavi in oculis, & lanceæ in lateribus, pro quibus ponuntur hic alia duo, scilicet, offendiculum ex latere, & sudes in oculis. Vocantur autem lanceæ offendicula, quia offendunt nos percutiendo, & lændo.

Et sudes in oculis. Id est, eruent oculos vestros, vel frangent. In litera ista notantur duo mala, quæ Iudæis inferrent Gentiles, scilicet, quod primo deciperent eos per communicationem deducendo ad idolatriam & secundo hostiliter occiderent Iudæos dati tanquam instrumenta diuinæ iustitiae, quorum primum signatur per laqueum: secundum autem per offendiculum in latere, & sudes in oculis. Erat enim Dei usum iudicium, vt sicut Iudæi habebant ad peccata, & idolatriam suasores, ita haberent eos eorundem vitiorum postea hostiles punitores. Nam cum Iudæi vacarent idolatria concitatbat Deus contra eos aliquos Gentiles, qui premebant eos nimis, vt patet ex processu totius libri Iudicium:

Offen
diculū
quod
alio no
mine
scanda
lū di
citur
quid
sit.

F

isti

A

isti tamen Gentiles fuerant causa perditionis eorum deducendo Iudeos ad idolatriam.

Sic autem in inferno est ut illum habeat aliquis dæmonem tortorem, quem ad peccata habuit incentorem, vt, sicut per quæ quis peccat, per hæc torqueatur ut patet Sap. II. ita à quo, quis peccante inducitur, ab eodem puniatur: & hoc signatur Iudicium secundo capitulo, scilicet, ut habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam. Ruina, quam faciunt dij est laqueus, scilicet, quod Iudei colerent deos Gentilium & per hos haberent occasionem cadendi. Hostilitas Gentilium signatur per offendicula in lateribus, & fides in oculis, quæ ponuntur hic.

Donec vos auferat atque disperdat. Id est, si recesseritis à lege Dei faciendo, quæ dicta sunt tamdiu Gentes erunt vobis fides in oculis, & offendicula in lateribus, id est, tamdiu vos affligerent quousq; vos auferant de terra, in qua moramini: nam aliquando Iudeis peccantibus premebant eos gentes magna seruitute accipientes aliqua loca de terra eorum: sic fecerunt aliquando Philisthiim accipientes loca Iudeorum: sed cum Iudei rursus pœnitentes corde conuertebantur reddebantur eis loca, quæ primo possederant, & exibantur de iugum gentium: sic patet primo Regum octauo, scilicet, facta est itaque manus Domini super Philisthaeos cunctis diebus Samuelis, & redditæ sunt urbes, quas tulerant Philisthaei ab Israël ab Acharon usque Geth, & terminos suos. Dicitur autem disperdat, id est, deleat, id est, si manscritis in peccatis, non solum gentes auferent vobis terram, sed etiam disperderent vos, scilicet, totaliter delentes de superficie terræ, quia etiam si confugeritis ad alias gentes, ibi peribitis, sic siebat in Iudeis, quando erant valde mali. Ducebant enim in captiuitatem in terram longinquam, & quantum ad hoc afferbatur eis terra sua. Etiam disperdebantur in terra hostium, si forte non desinebant adhuc in terra hostium peccare. Sic patet Leuit. 26. capitulo, scilicet, & qui remanerint in vobis, dabo paucem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebis eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium, cadent nullo sequente, & corrident singuli super fratres suos quasi bella fugientes, nemo vestrum audebit inimicis resistere, peribitis inter gentes, & hostilis vos terra consumer. Cum autem conuertebantur Iudei ad Deum in tota contritione cordis sui in terra hostili miserabatur eorum, & faciebat redire in terram suam.

De terra hac optima. Id est, auferet vos de terra nullum de vobis relinquens in ea. Vocabat eam optimam in laudem Dei, qui eam dederat. Etiam facit ad magis suadendum, nam quanto terra ista melior esset, tanto Iudeis esset amarius eam perdere: & consequenter enixius laborare debebant, ut in ea manerent, quod non poterant facere nisi obseruantes legem Dei, ideo sollicite se habere debebant, ut eam obseruerent.

C

En ego hodie ingredi ar viam vniuersæ carnis. Id est, ego hodie moriar, id est, cito. Nolebat enim dicere Iosue quod eadem die moriturus esset, sed quod in breui, hoc autem, quia erat iam per senilis etatis, ut patet in litera, verisimiliter existimat breuiter moriturum, & sic apparet quod supra dicebatur, scilicet, quod ideo distulit Iosue facere hanc admonitionem usque ad tempus hoc, quia volebat eam facere cum esset propinquus morti ex ratione supra assignata, & dicitur, ego ingredior viam vniuersæ carnis quasi dicat Deus promisit aliqua facere, quæ nondum completa sunt, quia tempus eorum nondum venit, ideo ego non video illa, quia hodie ingredior viam vniuersæ carnis, id est, hodie, vel breuiter moriturus sum, vos autem illa videbitis.

Ingredi viam vniuersæ carnis est mori, & hoc, quia vniuersa caro moritur, & iste modus est multum frequentatus in scriptura. Via enim vniuersæ carnis, vel mors est, quod apud omnia animalia communis est, & quia in omnibus generale est mori, & gigni ex propagatione seminis potissime in animalibus perfectis, vocatur via vniuersæ carnis mors, & coitus. De morte patet hic, de coitu patet Genes. 19. scilicet, dixit maior ad minorem, pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos iuxta modum vniuersæ carnis.

Vel vocatur via vniuersæ terræ mors, quia omnes viuentes in terra istam viam habent.

Et toto animo cognoscetis. Id est, valde clare, quando aliqua veritas est non multum patens, aut negocium est ambiguum, si quis cognoscit veritatem illam, non plene cognoscit, nec contentatur intellectus, & tunc non dicimus cognoscere secundum totum intellectum, sed sed secundum aliquid, quia vix intellectus noster assentit ei: eum autem veritas est valde manifesta, intellectus ei penitus assentit, & tunc secundum se totum assentire videtur, & quia promissio Dei valde manifeste compleri debebat, ita ut de veritate nihil ei deficeret, Iudei, qui viderent completionem, toto animo cognoscerent.

Quod omnibus verbis, que Deus se vobis prestaturum esse pollicitus est. Scilicet, de promissione facta de tradendo vobis terram, promisit Deus, quod traderet terram Chananæorum totam in manus Iudeorum, sed non simul in anno uno, sed paulatim atque per partes donec augerentur, & possent eam possidere replete illam, Exod. vigesimo tertio, & Deuter. septimo capitulo, & quia nondum aduenti fuerant Iudei ad tantum numerum, non tradiderat Deus illis terram totam Chanaan.

Vnum non preterierit incassum. Id est, nullum verbum de diuina promissione fuit incassum, id est, in vanum, quasi dicat, nunc non videtis hoc, quia veritas rei dependet a futuro, videntibus autem postea.

Sciendum quod diuina promissio ex parte habuerat tempus suum, & ex parte expectabat futurum, quantum vero ad tempus quod præterierat, nihil deciderat de verbis Dei, quia promiserat quod introduceret Israëlitas in terram Chanaan, quod iam fecerat per signa magna atque portenta, & fortitudinem bellorum ut patet ex processu libri huius, decideratque in potestate Israëlitarum terram multam, quæ ad eorum sufficeret possessionem: solum autem restabat, quod totam terram traderet in manus eorum, sed huius nondum tempus aduenierat, quia non promiserat Deus simpliciter, quod traderet totam terram Chanaan in manus Iudeorum, sed quod traderet eam paulatim atque per partes, ut patet Exod. 23. & quia tota non debebat esse tradita quousque Iudei essent valde augmentati, quod nondum erat, dependebat adhuc veritas promissionis huius ex futuro.

Sicut ergo opere complexit, quod promisit. Scilicet, nondum totum sed id, quod usque ad tempus istud compleri debebat: nam quod expectabat ex futuro complementum, non poterat dici completum, nec defecisse, sed adueniente tempore, in quo promissio erat complenda.

Et prospera cuncta venerunt. Id est, omnia prospera quæ Deus promisit venerunt non deficiente aliquo verbo eius.

Vel aliter omnia prospera venerunt, quasi dicat, omnia, quæ usque nunc venerunt, prospera fuerunt, quia legem Dei custodisis: ita è contrario intelligite, quod si legem Dei non custodieritis: euenerint cuncta vobis aduersa, & iste est sensus literæ.

Sed adducet super vos, quidquid malum cōminatus est. Deus enim proponebat coram Israhelis duo, scilicet, bonum, & malum, benedictionem, & maledictionem, ut patet Deuteronom. II. & quot benedictiones sunt, tot contrariae maledictiones ponuntur: immo scriptura plures enarrat maledictiones, quam benedictiones, ut patet Leuit. 26. & Deuteronom. 7. & magis 28. capitulo.

Donec vos auferat. Id est, omnes maledictiones, quas comminatus est, inferet quousque vos auferat de terra, quasi esset ista ultima maledictio. Multæ enim, & horrendæ maledictiones sunt, quas poterant tolerare Iudei antequam de terra sua excluderentur, quarum quædam erant consumentes, & alias non, de quibus Deuter. 28. & tamen non pœnitentibus ex omnibus præcedentibus ultima erat exclusio de terra: & in terra hostili consumptio. Sic patet Leuit. 26. scilicet, peribitis inter gentes, & hostilis vos terra consumet. De decem tribubus cunctibus in dispersionem, sic factum est, quia cum multoties peccassent, & Deus eas monitus suis, & pœnis plurimis reducere conaretur ad rectum, recusabant, ideo tradidit eas Deus in manus regis Assyriorum, qui transduxerit eas in terram Medorum, nunquam reddituras in terram suam. De hoc 4. Regum 17. capitulo: sic quoq; de duabus residuis tribubus Iuda, & Benjamin factum est. Primo enim cum crebro propter peccata castigatae, nec tamen emendatae ad

peiora

D

E

F

A peiora declinarent, traditæ in manus Chaldaeorum in Babylonem ductæ sunt post redditum autem ad malum rursus declinantes, cum occiso Salvatore maximum perpetrassent nefas, in æternam captiuitatem venundatae sunt. Alio modo potest accipi auferri, & disperdi de terra id est mori, & non manere in terra: & sic dicitur aliquis auferri de facie terre id est non manere super terram.

De terra optima, quam tradidit. Id est, sicut ipse placatus vobis tradidit hanc terram optimam: ita offensus vobis cander auferet.

Eo quod præterierit pactum Domini Dei vestri. Id est recessis à lege Dei, grauius erat, quod recederent Iudei à pacto, quā recedere à lege solum: nam infringere pactum duplum dicit iniuitatem, legis autem fractio vniuersa est iniuitas. Pactum quippe initum cum Deo habebat vigorem ex duobus: primo ex pactione, vel compositione scilicet, quod iudei cōposuerunt cum Deo, vt ipse esset Deo, vt ipse esset Deus eorum faciendo eis bona, & ipsi essent populus eius specialiter cum colendo. Exo. 19. c. cum autem recedebat ab illo pacto, infringebant veritatem, quam seruare promiserant, ideo, etiam si fuisset facta ista promissio alicui viro simplici, & non Deo, peccabant grauiter.

Secundo habet efficaciam pactum istud ex mādato, quia postquam iudei consenserunt, quod obseruarēt, Deus quasi ex iurisdictione sua iussit, vt seruarentur p̄cepta eius: & illa quantum ad primum vocantur pactum solum: quantum ad secundum autem vocantur lex: ipsa autem lex absolute solū importat potestatem condentis, & non aliquam pactionem: ideo, qui infringit legem solum agit contra auctoritatem iubentis, & non contra veritatem promissam, cum nihil promissum sit. Grauiter ergo deliquerunt iudei, qui fregerunt pactum illius.

Quod pepigit vobis. Deus enim pepigit cum Israelitis, vt colerent eum, & ambularent in p̄ceptis eius Israelitæ autē pepigerunt cum Deo, quod esset Deus eorum specialiter faciendo eius bonum, ita vt vtrique parti hic aliquid conueniens esset in fauorem illius solum introductum est, & hoc, est proprium pactum tanquam inter partes conuentum. De hoc pacto Exod. 19. confirmatio huius pacti habetur Exod. 24. cap.

Et seruierit dii alienis. In hoc est potissima transgressio iudeorum scilicet, quod ad Deos alienos declinabant: nam si solum infringerent aliquam legem eius, sive decalogi, sive cærimoniale, sive iudiciale, dum tamen non colerent Deos alienos erat ista transgressio aliqualiter tolerabilis, & Deus non disperdebat iudeos de terra: cum tamen de cultu Dei sui deuabant, non erat tolerabile malum, & tunc Deus infligebat omnia mala iudeis.

Causa huius est, quia nullum erat delictum ita repugnans directe Deo, sicut idolatria, quia cætera erant contra Deum, vt contra legislatorem solum: peccatum autem idolatriæ est contra Deum, vt contra legislatorem, & quod est amplius est contra eum tanquam contra personam priuatam, quia honor, vel dedecus ex hoc actu nulli directe veniebat, nisi Deo, de quo magis dictum est Exod. 23. c.

Item erat error iste grauior, quia erat incorrigibilior scilicet, quia perdebantur omnia fundamenta bona actionis, sicut enim est in speculatiis, quod cum quis errat circa conclusiones retinens sibi veritatem principiorum, adhuc potest per seipsum reducere se ad veritatem conclusionem ex virtute principiorum: si tamen aliquis errat circa principia speculatiua, non est aliquid per quod se reducat in veritatem ipsorum, quia super principia non sunt alia principia cum ipsa sint simpliciter prima: ita in agibilibus, si quis habeat rectam estimationem de principio actionis, quod est finis etiam si errat circa aliquam particularem electionem ex rectitudine finis, poterit reduci ad rectitudinem electionis: si tamen errat circa finem agibilium impossibile est, quod aliqua actio dirigatur. De hoc Aristot. septimo Ethicorum.

Ita in lege Moysi, vel quacunque lege Dei principium actionis est, quod debeamus Deo obedire, & in ipsum tendere, vnde ipse Deus actionum finis est cætera autem electiones particulares, quæ diriguntur ab aliis legibus. Dei, sive cærimonialibus sive iudicialibus decalogi sunt, vt conclu-

clutiones, & vt ad finem, ideo si quis erret circa aliquam harum, vel quamcumque dum tamen teneat rectitudinem finis, per seipsum redibit ad cognitionem aut rectam operationem in particularibus agibilibus, vt pote aliquis furatus est rem alterius quod est contra decalogum: vel non obseruauit aliquā cærimoniam purificationis, quod est cærimoniale, aut egit contra aliquod de iudicalibus, si tenet rectitudinem principij moralis finis scilicet, quod Deo obediendum est, & in eum tendendum est per ipsum redibit ad rectitudinem electionum particularium ex virtute principij, dicens: Deo obediendum est, & ei inhærendum, sed ipse iussit non furtum fieri, & iussit obseruari cærimoniam talem, vel talem purificationis, ergo praecego, cum furor, & cum non obseruo cærimoniam purificationis, & sic de cæteris particularibus electionibus, quæ sunt tanquam conclusiones.

Si autem aliquis erret circa finem actionis id est principiū morale, impossibile est, quod à seipso conuertatur ad aliquā actionem bonam, cum semel depravatus fuerit, vt pote aliquis iudicabat non esse Deo obediendum, nec inhærendum sed cuicunque vellemus, iste est error finis: tunc cum iste fornicatus fuerit, aut furetur, vel peruerat cærimonias nō habebit aliquid, per quod se ad bonum reducat, quia cum iudicet non esse Deo obediendum, nec ei inhærendum, non curabit, quod Deus vetuerit fornicationem furtum, & similia.

Sic autem de seruiente diis alienis: quandiu enim aliquis iudeus coluerit Deum iudicans eum saltem esse colendum, etiam si declinet ad aliquid malū, poterit se reducere ad bonum, quia cum viderit ea, quæ agit repugnare cultui diuino, quem ipse colendum iudicat arguet seipsum, & redibit aliquando ad rectitudinem.

Si autem aliquis iudeorum coleret Deos alienos iudicans eos esse Deos, & esse colendos, errat in fine ideo impossibile erit, quod dirigat aliquam actionem ex seipso: nam si tunc fornicatus fuerit, aut furetur non recedet ab hoc, quia quamquam hoc à Deo hebreorum inhibita sciat, quia tamē non iudicat eum esse colendum, sed Deos alienos non curabit an iussit, vel vetuerit, est igitur idolatria vitium possum, & periculosisimum scilicet, quia directius est contra Deum, quam alia vitia: & quia destruit principium omnis actionis, quo depravato impossibile est quicquam benefieri. De hoc ergo magis Deus, quam de cæteris vitiis conuerebatur.

Et adoraueritis eos. Adoratio importat cærimoniam incurationis coram illis, vel genuflexionis, & similiū, quæ in sola corporis habitudine consistunt. Seruire autem importat obsequium in sacrificando, & obtemperando legibus aliis ipsorum.

Cito atque velociter consurget in vos furor domini. Id est si feceritis abominationes has colendo Deos alienos, Deus petet vindictam huius rei, & in exigendo non morabitur, sed cito petet, & ponuntur duo scilicet cito, & velociter, quia cito importat breuitatem temporis, & velociter importat festinationem motus, & est sensus, quod cum isti peccaverint, non differetur pena ad magnum tempus, sed cito id est immediate inferetur, & cum ceperit infligi, non multum durabit inflictio, quasi Deus det unam particulam penæ nunc, & post tempus aliam particulam, sed totam penam inferet si in mal ad velociter consumendum.

Et auferemini de terra hac optima. Id est ducentini captiui scilicet, quia quando iudei deuenient in peccata maxima inflictis cæteris penis inducebatur captiuitas: sic patet in processu penarum, quem Deus fecit contra decem tribus, quæ vocantur Israel, quia ultima inficta penalitas fuit, quod ducerentur captiui in terram Medorum, vt patet 4. Regum 17. Sic quoque contra duas tribus scilicet Iudam, & Benjamin idem fuit processus, quia post multas inflictas in terra sua calamitates, tradidit eas in æternam captiuitatem, cum venditi sint per Romanos, & dispersi per varias partes orbis, iste quoque ordo ponitur in maledictionibus, quas Deus cōminabatur iudeis scilicet, quod ultima ponitur semper captiuitatio ducento in terram alienam ad pereundum ibi, sic patet Leuit. 26. vbi post omnes penas ponitur captiuitatio, & in fine huius dicitur: peribitis inter gentes, & hostilis vos terra

A consumet, & Deu. 28. vbi ponitur catalogus maledictionum post omnes positas dicitur de dispersione Iudeorum per omnes populos a capite terrae usque ad extremitatem, & in fine huius subditur: reducet te dominus classibus in Aegyptum per viam, de qua dixit tibi, ut eam amplius non videres, ibi venderis inimicis tuis in seruos, & ancillas, & non erit, qui emat. Vel potest intelligi, Auferemini de terra scilicet, quod occidemini in terra hac, & iam ablati eritis de illa, cum non manseritis in superficie illius.

C A P V T X X I V .

Congregauitque Iosue omnes tribus Israel in Sichem, & vocauit maiores natu, ac principes, & iudices, & magistros: steteruntque in conspectu Domini; & ad populum sic locutus est.

Hec dicit Dominus Deus Israel. Tras Gen. ii fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor: seruieruntque deis alienis: tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamia finibus, & adduxi eum in terram Chanaan: multipli- cauique simeon eius, & dedi ei Isaac: illique rursum de-

di Jacob, & Esau. E quibus Esau dedi montem Seir ad Gen. 21 possidendum: Jacob vero, & filii eius descenderunt in

Exod. 14. Aegyptum Misique Moysen, & Aaron, & percussi AE

gyptum multis signis atque portentis, eduxique vos, & patres vestros de Aegypto, & venistis ad mare. Perse- cutique sunt Aegypti patres vestros cum curribus, & equitatu usque ad mare rubrum. Clamauerunt autem ad dominum filii Israel: qui posuit tenebras inter vos, & Aegyptios, & adduxit super eos mare, & operuit eos. Videruntque oculi vestricuncta, que in Aegypto fecerim; & habitastis in solitudine multo tempore, & introduxi vos in terram Amorrhæi, qui habitabat trans Iordanem. Cumque pugnaretis contra vos, tradi- di eos in manus vestras, & possedistis terram eorum, atque interfecistis eos.

Congregauit. Inducta est in precedentibus admonitionis ducis tempore pacis, hic autem replicatur admonitio tempore mortis.

Et diuiditur in duo: primo obligatio ad colendum Deum ponitur: secundo mors ducis adiungitur ibi. *Et post haec mor- tuus est Iosue.*

C Prima diuiditur in quinque partes: primo dictæ obligationis causam recitat: secundo consensum populi ad colendum Deum enunciat: tertio difficultatem iudeorum ad colendum Deum explicat, quarto consensum repetitum populi ex quadam professione confirmat: quinto ad hunc consensum, signum applicat secunda ibi. *Nunc ergo timete. Tertia ibi. Dixitque Iosue ad populum non poteritis. Quarta ibi.*

Et Iosue ad populum testes inquit. Quinta ibi. Et lapis iste.

Quare hanc fecerit admonitionem Iosue Israëlitus vniuersis.

Q V A S T I O I .

Q VARET aliquis circa primum, quare Iosue fecit istam admonitionem, cum supra fecisset aliam, quæ sufficere videbatur.

Respondendum est, quod Iosue voluit admonere totum Israel instantे morte sua, quia mors Sanctorum Patrum erat tali tempore admonere suos ut præced. capitulo declaratum fuit: Iosue autem cum congregauit populum in præcedenti admonitione, putauit se cito moriturum, ut patet ex verbis eius, cum dixit: en ego hodie ingrediar viam vniuersæ carnis, id est ego hodie moriar, vel in breui. Accidit autem, quod præter eximationem Iosue vixit vltiori tempore. Transiuntibus autem medijs temporibus peruenit Iosue rursus

D ad statum, in quo moriturum se credit in breui, & sic factum est, ideo ut admonitio esset apud mortem suam, congregauit iterum totum Israel, & protulit, quæ habentur hic. Causa autem quare admonitiones istæ efficacius quantum ad salutem admonitorum fiunt apud mortem admonitoris sit, quia omnia, quæ tunc dicuntur, efficacius in memoria nantent, & celebriora sunt. Causa huius supra præced. capit. declarata est.

Congregauitque Iosue omnes tribus Israel. Id est fecit congregari vocans eos per nuncios, vel edicta affixa in terra earum. Erat enim Iosue princeps Israëlitarum, & ad mandatum illius congregabantur, vel recedebat, & in omnibus aliis obediabant, sicut dixerant duæ tribus & dimidia scilicet omnia, quæ præcepisti nobis, faciemus, & quounque miseris, ibimus: sicut obediimus in cunctis Moysi, ita obediemus tibi, qui contra dixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus tuis, quæ præcepisti ei, moriatur sup. i. cap. Et dicitur omnes tribus Israel, non quod congregauit omnes viros omnium tribuum, quia hoc erat difficultissimum, nec poterant omnes conuenire ad audiendum, ut praæced. c. declaratum est, sed congregauit omnes tribus id est de omnibus tribubus aliquos scilicet qualibet tribu fecit aliquos conuenire: omnes namque principes tribuum, & familiarum conuenerunt, & præter hoc conuenerunt alij viri honorabiles de qualibet tribu nomine totius tribus, & sic videbantur congregatae omnes tribus: scriptura enim non obseruat virtutem signi huius distributionis, scilicet omnis, sed ut plurimum ponit (omnes) pro multis: non enim sunt multæ distributiones in sacra scriptura. In Sichem.

Quomodo Iosue in Sichem Israëlitas congregauerit.

Q V A S T I O II .

Q VARET aliquis quomodo congregauerit Iosue Israëlitas in Sichem: nam habitatio eius erat in Thannathare: illa enim urbem petuit in possessionem ab Israëlitis, & data est, ut supra 19. cap. & in ista urbe sepultus fuit, ut patet infra in litera. Respondebit aliquis quod factum est hoc in Sichem, quia Iosue volebat Israëlitas contestari coram Domino: & in Sichem erat sanctuarium Dei, quod patet quia immediate subditur, quod conuocauit principes, & locutus est eis in conspectu Dei: ergo ibi erat sanctuarium. Item patet hoc, quia facta ista contestatione dicitur infra quod Iosue tulit lapidem pergrandem, quando ista locuti sunt ipse, & Israëlitæ; & posuit cum sub arbore, quæ erat in sanctuarium Domini: ergo erat sanctuarium in loco ubi facta est ista contestatio in Sichem. Et sic conuocauit ad locum illum, ut honestius fierent hæc, & populus magis obseruare curaret ea, quæ promisisset coram Domino. Sed dicetur contra hoc, quod non fuerit sanctuarium Domini in Sichem, quia sanctuarium positum est in urbe Silo, ut patet supra 18. cap. Et si aliquis dicat, quod forte fuit mutatum, & mansit postea in Sichem, & nunc apud mortem Iosue erat sanctuarium in Silo. Dicetur quod non potest stare: nam sanctuarium postquam locatum fuit a principio in urbe Silo nunquam inde motum fuit ad aliam urbem, vsquequo tempore sacerdotis magni Eli fuit arca Domini ducta in terram Philistinorum: viuente namque sacerdote isto, erat sanctuarium Domini in Silo, ut patet 1. Regum 1. & 2. cap. & usque ad 5. nec in aliquo loco scripture mentio fit, quod fuit mutatum sanctuarium de urbe Sichem in Silo: aut de Silo in Sichem. Tenendum autem modum istum expositionis, scilicet quod erant coram Domino Iosue, & principes quando loquebatur illis, id est quod erant coram Deo specialiter, dicendum est quod in Sichem erat sanctuarium Domini, scilicet quod urbs Sichem, & Silo sit eadem: tunc non est aliqua difficultas. Vel quamquam non esset eadem ciuitas, poterat dici quod erat aliquod altare in Sichem in quo Deo immolabatur, & coram illo congregati fuerunt Israëlitæ cum Iosue: ibi autem dicebantur esse coram Domino, quia Deus in altari specialiter est, cum ibi specialis cultus exhibetur ei, & sic quandounque aliquid offereatur coram altari holocaustorum dicebatur coram Domino auferri tanquam in altari esset Deus, ut patet ex processu Leuitici in multis

Iosue
maxi
me e-
rat cu-
stos lo-
gus.

A multis locis. Istud secundum satis est difficile, quia Deus iusserat, ut vnicum esset altare, scilicet holocaustorum in sanctuario. Iosue autem erat maxime custos legis, cum hic & praecedenti capit. ad nihil aliud populum admoneret: ideo non est credendum, quod permisisset fieri aliquod altare in Sichem, si non erat ibi sanctuarium Domini: potissimum quia est nulla alia causa pugnare volebat ipse, & totus Israel contra duas tribus, & dimidiam, nisi quia fabricauerunt altare, quod putauit Iosue esse ad offerendas victimas: & pugnassent quidem contra illas, tanquam contra idololatras, nisi constitisset quod solum factum erat ad testimonium inter duas tribus, & dimidiam, & reliquum Israel, ut patet supra 22. cap. Ideo dicendum quod exsistebant Israelite in Sichem coram Domino uno de duobus modis, scilicet quia velerat eadem ciuitas Sichem, & Silo: tunc essent congregati coram Domino, id est coram sanctuario. Vel dicebantur congregati coram Domino, id est quia censebatur Deus esse coram illis, eo quod Deus inuocabatur ibi a Iosue tanquam auditor verborum, quem dicebantur, & receptor promissionum acquirebatur quoddam ius ei, cui siebant. Volebat enim Iosue inducere populum, ut induxit, ad promittendum quod Deum colerent: & quia per istam promissionem acquirebatur quoddam ius ei, cui siebant promissio, sicut in stipulationibus acquiritur ius stipulato, & ibi semper ille, cui acquiritur ius est presens stipulationi ad recipiendum illam, vel aliquis nomine eius, per quem possit sibi acquiri: ita in ista promissione, quem siebant inductus est Deus tanquam presentis, & stipulationem acceptans. Etiam est alius modus loquendi, quo ea, quae publice fiunt, coram Deo fieri dicuntur: & quia ista admonitio erat coram toto populo, nec poterat esse magis publica, dicebatur esse coram Domino. Quid autem horum verius sit, infra declarabitur. Nunc autem respondendum quod si assuratur esse eandem urbem Silo & Sichem, Iosue fecit congregari illuc totum Israel, ut ista admonitio conuenientius ibi fieret coram Deo in sanctuario, vel apud illud quam alibi. Si autem dicatur, quod non erat eadē vrbs. Respondendum quod Iosue erat princeps totius Israel: ideo quamquam possessionē suam specialiter in vrbe Thannath sive haberet, tamen poterat manere in quacunque parte totius Israel vellet: potissimum quia ipse aliquando deberet diuagari ad negotia aliqua populorum, quem non possent expediti, nisi esset in populis illis: tunc autem apud mortem suam contigit, ut maneret in vrbe Sichem, & ibi fecit congregari totum populum.

De ur-
be Si-
chem.

In Sichem. Ista ciuitas pertinebat ad tribum Ephraim, ut patet supra 20. & 21. & non fuit data ei sorte, sed specialiter data fuit filiis Ioseph. Nam Jacob reliquit filios suos successores in bonis terra Chanaan, quem Deus datus erat ei ex promissione, & fuit institutio ex aequali, sed præter hoc fecit quedam legata dans Ioseph filio suo quandam partem in terra Chanaan extra fratres suos, ut patet Genesis 48. cap. & ista pars secundum quosdam est tota ciuitas Sichem: secundum alios est pars agri, quem emit ab Emor, de quo infra declarabitur. Ista ciuitas Sichem fuit separata tanquam una de urbibus refugij, ut patet supra 20. cap. Fuit quoque data in possessionem Leuitis Caathitis, ut patet supra 21. cap. apud istam urbem primo habitauit Jacob cum filiis suis cum primo venit de Mesopotamia, & emit ibi agrum ab Emor regre Sichem, ut patet Gen. 33. cap. istam urbem deleuerunt postea filii Jacob fallentes Sichimitas per circumcisionem, & postea die tertio, quando grauissimus vulnerum dolor incumbit, occidentes eos inermes, & in lecto iacentes, ut patet Genesis 34. cap. Ad istam ciuitatem conuenit totus Israel ad eligendum regem post mortem Salomonis, & iussit illuc Roboam filius Salomonis facta est divisione regum 3. Regum 12. cap. Hoc autem erat, quia ciuitas ista erat tanquam metropolis, & excellentior in tota tribu Ephraim.

Et vocavit maiores natu. Dicitur de ipsis, quia quamquam vocauerit Iosue populum, & principaliter, ipsis venturi erant tanquam capita populi: tamen non fuerunt ipsis vocati, sicut populus, quia populus vocatus fuit a Iosue non exprimendo aliquam personam, scilicet quod mittebat Iosue ad tribum Iudea Ephraim, Zabulon, & sic de ceteris, quod venient ad congregationem, quem siebant in Sichem, & tunc quilibet tribus delinabat aliquos nomine totius quamque m-

omnibus illuc ire volentibus facultas erat: principes autem, & iudices, & magistri vocati sunt specialiter, scilicet expressis nominibus, & non comprehendebantur appellatione populi: sic fiebat tempore Moysi, scilicet quod cum celebrabatur concilium, aliqui vocabantur nomine expresso, alij autem appellatione totius populi. Sic patet Num. 16. cap. cum dicitur de ducentis quinquaginta proceribus Synagogæ, qui consurrexerunt in seditione Core contra Moysen & Aaron, quod illi tempore consilij per nomina vocabantur. Dicuntur hic maiores natu, id est maiores generatione, scilicet nobilitate: vel maiores ætate, qui magis ab antiquo nati sunt: & isto secundo modo accipitur hic, scilicet quod vocati fuerint seniores, & hoc quia isti prudentiores. De senibus autem vocati fuerint, præced. cap. magis declaratum est. Ac principes. Id est principes duodecim tribuum & omnium familiarum: isti enim erant in toto populo excellentiores ex nobilitate generis, quia descendebant per lineam primogenitarum à capite tribus, vel familiarum, & ex hoc patet quod non vocantur supra maiores natu, id est nobilitate, quia tunc non non exprimerentur principes, cum isti sint, qui directius comprehenduntur sub denominatione, quia sunt excellentissimi in natalibus: sed vocantur maiores natu, id est seniores. Et iudices. Scilicet omnes iudices populi.

Mai-
ores na-
tu dicū
tur du-
pliciter

An iudices, de quibus hic dicitur, fuerint decani, quinquagenarij, centuriones, & tribuni instituti consilio Iethro.

E

Q V A E S T I O III.

Q UÆRET aliquis an fuerint isti decani centuriones quinquagenarij, & tribuni qui instituti sunt consilio Iethro Exod. 18. vel fuerint 70. seniores instituti a Deo ad petitionem Moysi Num. 11. cap. vel fuerint utriusque. Respondendum est, quod omnes indices populi vocati sunt, siue fuerint per Iethro ordinati, siue alias, dum tamen tempore illo starent. Sed ista questione presupponit dubium de ordinatione iudicium constitutorum in deserto an manserint. Et respondendum quod decani, centuriones, quinquagenarij, & tribuni non manserunt post introitum in terram Chanaan, quia nec congruebat principatus ille manentibus Iudeis in terra Chanaan. De hoc magis declaratum fuit Num. 11. cap. De senioribus 70. ordinatis in deserto tempore Moysi dicendum quod manserunt, ut præallegato cap. declaratum fuit: & isti vocati fuerunt in hac congregatione. Præter hos erant alii iudices minores dispositi per singula loca terræ Chanaan 70. autem seniores erant iudices maximi pertinetes ad domum iudicij, ad quos devoluebantur causæ ab aliis iudicibus, & ipsi quoque in causis magnis iudicabant: ipsi quoque Christum condemnauerunt ad mortem, ut patet ex declarationis Num. 11. cap. In cap. præcedenti ponebantur omnes, qui ponuntur hic vocati, & vbi ponuntur hic iudices, ponuntur ibi duces: quod ad idem pertinet, quia iudices sunt duces non quidem bellorum, sed omnium actionum humanarum: ipsi enim sunt distributui iustitiae, ut patet 3. Polit. & ad eos recurrent litigantes tanquam ad regulam, vel mensuram, ut certificantur de operationibus, quem deuident a iusto, & quem sint in medio, ut patet 5. Ethic. Ac magistros. Magistratus est nomen cuiuscunque dignitatis, vel officij habentis aliquam operationem, ut iudicare, vel curiam alicuius rei agere. Sicut dicitur magister militum, & sic in alijs. Et sic dicitur aliquis gerere magistratum quandocunque aliquod officium, vel honorem administrativum habeat: sic dicitur de Boetio, quod gerebat magistratum, id est consulatum, ut patet de consola. lib. 3. prosa 4. scilicet. Tu quoque num tandem tot periles adiici potuisti, ut cum decorato gerere magistratum putares cum in eo mentem nequissimi incurram, delatorisque respiceres. Ponitur autem istud nomen ad signandum omnes constitutos in honoribus, & dignitatibus, atque officiis, qui a Iosue vocati sunt.

F

A

Quare specialiter Iosue vocauerit seniores principes.

Q V A E S T I O I I I I .

VA R E T aliquis quare vocauerit Iosue specialiter seniores principes, iudices, & magistrorum. Respondendum quod duplex fuit causa. Prima quia isti erant excellentes in toto populo, cum ergo vocaretur populus, debuerunt isti magis vocari, quia etiam si populus non vocaretur deberent isti vocari: & nominatim quidem, quia in hoc exhibebatur eis quidam honor, quem præ ceteris merebatur. Etiam quia consuetudo fuerat tempore Moysi, vt isti per nomina vocarentur. Secunda causa fuit & principalior, quia Iosue admonebat hic totum populum, vt coleret Deum: & quia totus populus regebat per hos viros, scilicet per seniores tanquam consulentes: per principes tanquam per excellentes, quos ceteri sequerentur per iudices tanquam per habentes iurisdictionem ad coercendum: per magistratus quantum ad officia sua dirigendo, & iubendo subditis, debuerunt isti principaliter vocari. Et hoc propter hoc quod si isti persuaderentur ad hoc, & appeterent facere istud ceteros traherent ad illud. Et hoc duplicitate, scilicet ex exemplo, quia

B alij minores videntes id, quod ipsi faciebant exemplo eorum operarentur. Secundo modo ex potestate, & iurisdictione, quia dato quod minores vellent declinare à cultu, isti non permitterent compescentes eos per iurisdictionem, & terrenam potestatem, & sic istis persuasis ad cultum Dei erat persuasus totus Israel. *Steteruntque in conspectu Domini.* Ista litera videtur signare, quod erant Israelite cù Iosue intra sanctuarium, scilicet intra atrium sanctuarium ad osium tabernaculi, vel apud altare: ubi propriè dicitur aliquis esse coram Domino: nam in toto Leuitico dicitur aliquis offerre coram Domino suam oblationem, quia presentat eam coram altari holocaustorum, vel coram ostio tabernaculi. Nam in altari erat Deus specialiter cum ibi specialis cultus ei impederetur, scilicet quia ibi solum siebat sacrificia. In tabernaculo quoque censebatur esse Deus specialissime, & potissimum in parte eius secretiori, scilicet in sancto sanctorum. Nam ibi loquebatur angelus inter duo Cherubim, qui vocatur Deus, vt patet Ezech. 25. & 29. & Num. 7. c. Cum autem aliquis ad ostium tabernaculi erat, dicebatur esse specialiter coram Deo. Si vero ponatur quod erat in Sichem sanctuarium Domini planum erat, quod congregati sunt coram Domino, & hoc quia volebat Iosue eos inducere ad colendum Deum per exhortationem. Et quia ista honestius, & efficacius fierent coram Deo, quia magis Israelite timerent, & inducerentur ex reverentia loci in quo erant, congregauit Iosue illos coram Domino: sic enim omnia alia, quæ pertinebant ad aliquod podium negotiorum siebant coram Domino. Sicut cum fortis positæ sunt super diuisione fortium conuenerunt Israelite in Silo, & posse fuerunt fortis coram Domino, vt patet supra 18. cap. Etiam quando Israelite, scilicet nouem tribus, & dimidiam conuenerunt, vt pugnarent contra duas tribus, & dimidiæ, quia videbantur declinasse ad idola faciendo altare, congregati sunt in Silo, vt patet supra 22. quia ibi erat sanctuarium. Sed hoc modo dicendum est, quod urbs Silo, & Sichem sunt eadem urbs, & cum fuerit positum sanctuarium in urbe Silo erit in urbe Sichem: sed hic nominatur alio nomine, quia saepè hoc sit in sacra scriptura tam in nominibus virorum, quam urbium, scilicet quod aliquis vir multa nomina habeat, & aliqua ciuitas. Sic declaratum est supra 21. ca. Alio modo potest intelligi, scilicet quod steterunt coram Domino id est Iosue congregauit totum populum, qui conuenerat, & principes, & locutus fuit eis publice, quod dicebatur esse coram Domino. Quamquam enim quidquid fiat, coram Domino fiat, quia nihil ei absconditum est; tamen quædam ex modo loquendi dicimus ei abscondita, & alia manifesta: nec solum hoc ex modo vulgari, sed etiam ex modo sacra scriptura. Sic patet Psal. 16. scilicet De absconditis tuis impletus est venter eorum, & ad peccata refertur. Hoc modo necesse est quædam dici esse manifesta Deo, quia opposita sunt nata fieri circa idem: & ita dicentur fieri coram Deo, sic erat de his, quæ siebant publicissime, maxime cum Iosue inuocaret Deum tanquam acceptantem promissionem Israel.

Vterque modus applicari potest: sed primus magis, cum dicatur quod steterunt coram Domino, & postea dicitur quod locutus fuit ad eos. Sed non stat aliquis coram Domino, nisi sit aliquod signum sensibile, in quo Deus specialiter esse iudicetur, & coram illo existentes dicamus esse coram Domino, & illum sensum litera videtur velle, si possemus dicere quod Sichem, & Silo idem sint, de quo infra declarabitur.

Et ad populum locutus est. Scilicet ista verba admonitionis, quæ sequuntur: hic accipitur populus large pro omnibus nobilibus, & ignobilibus: supra enim distinguebantur principes & iudices, magistri & maiores natu à tribubus, per quas intelligebatur populus; hic autem oēs tam populares quam principes intelliguntur nomine populi, quia locutio ista nō solum fuit facta ad populares, sed etiam ad principes: immo magis ad principes, quia in istis erat admonitio efficacior, vt supra declaratum est.

Hec dicit Dominus Deus Isræl. Id est ista, quæ ego dico vobis, dico ex parte Dei Israël.

An Deus iussit Iosue loqui ista ad Isræl, quæ locutus est extremo suo tempore.

Q V A E S T I O V.

C **V**A R E T aliquis an Deus iussit Iosue, quod loqueretur ista ad Israël. Respondetur quod hic videtur duplex ambiguitas. Prima si est verisimile, quod Deus locutus fuerit ista Iosue, iubens, vt diceret illa Israëlitæ. Secunda si est necesse ad veritatem literæ quod Deus locutus fuerit Iosue. Ad primum respondendum, quod satis facile erat quod Deus ista diceret Iosue, & satis verisimile, quia multoties Deus illi apparuit, & locutus est, vt appareat ex processu libri huius: ideo quod istud sicut cetera dixerit non erat aliquid nouum, nec vero dissimile. Et satis conueniebat, quod Deus ei diceret, quod sicut Deus in lege per Moysen saepè admonuit Iudeos, ita volebat per Iosue, qui erat successor eius admonere, vt non recederent à cultu eius: potissimum cum sciret, quod post mortem Iosue declinaturi essent ad idola: volebat autem eos fieri inexcusabiles, quod magis siebat per admonitionem, quam si non admonerentur, & satis apparet hoc ex verbis Iosue, quia omnia hæc loquuntur in persona Dei: non loqueretur tamen sic, nisi Deus dixisset. Secunda ambiguitas erat, an sit necesse dici quod Iosue habuerit verba ista ex revelatione Dei, & mandato, vt loqueretur populo. Respondendum quod quamquam afferendum est, quod Deus locutus fuerit ista Iosue, tamen etiam si non fuisset locutus, stabat hoc in litera, cum dicitur: *Hec dicit Dominus Deus Isræl, nam ista omnia, quæ Iosue hic recitauit erant in sacra scriptura ante hoc, sicut magis patebit prosequendo singula, & erant tanquam à Deo dicta, vel facta:* quodocunque autem aliqua sunt in scriptura ex parte Dei, quæ ad nos diriguntur, quilibet potest in persona Dei loqui ad nos proferendo illa. Et quamquam Deus non fuerit ei quicquam locutus non fallitur dicendo, hæc dicit Deus vobis: sic prædicatores faciunt: & sic poterat dici, quod ex narratis in sacra scriptura Iosue poterat colligere istam admonitionem ad proponendum coram toto Israël, etiam si Deus nihil loqueretur Iosue. Aliter etiam dici potest, quod etiam si nihil fuisset in sacra scriptura, dum tamen constaret hæc esse vera, poterat Iosue facere admonitionem hanc transferens se in personam Dei, & loquens pro eo omnia, quæ allegare poterat contra Israëlitas ad innundum obligationem, quæ erat in eis ad colendum eum, & iste est modus oratorum, qui representantes personas aliorum proponunt loco eorum quidquid ipsi proponere possent, dicentes illos hoc dicere: & etiam isti non falluntur: primus tamen modus fuit in Iosue, scilicet quod Deus ei dixit, quod loqueretur hæc Israëlitæ.

Trans flumen habitauerunt patres vestri. Intendit hic Iosue loco Dei indicare obligationem, quam Iudei habebant ad colendum eum: & ad hoc enarrat beneficia præstata illis: enarrat autem multa, quæ usque ad tempus illud fuerunt præstata, & quamquam non enarrantur omnia, tamen principia tanguntur.

Scien-

D

*Quid
populus
hic.*

E

F

Cultus
nō de-
bet Deo
exhibe-
ri prop-
ter be-
neficia

A Sciendum autem circa hoc, quod iste modus probandi obligationem non erat simpliciter conueniens: nam quamquam Iudei multa beneficia suscepissent, non tenebantur ex hoc impendere diuinum cultum; nam si propter magna beneficia impenderetur diuinus cultus alicui homini, exhiberetur cultus iste quamquam non tantus, ut Deo: cultus autem exhibetur Deo, quia Deus est, & non propter beneficia. Vnde dato quod nulla beneficia nobis praestitisset si possibile foret, adhuc nos tenebamur cum colere, quia Deus est, & super omnia diligere, quia summum bonum est; & dato quod praestitisset nobis haec beneficia, quae praestitit, & adhuc maiora, si tamen Deus non esset non teneremur eum diligere super omnia, nec colere, vt colimus, immo si coleremus peccarem mortaliter: sicut autem est obligatio causata ad colendum, ita deberet esse probatio, scilicet, quod si cut Deum obligamur colere solum, quia Deus est: ita ad inducendum, quod eum colere debeamus, oportet solum, ut probetur quod Deus verus est: probatio autem beneficiorum est impertinens: inducebat tamen Iosue beneficia praestita ad vnum de duobus.

B Primum erat propter materiam subiectam, scilicet propter illos, quibus siebat admonitio: nam licet simpliciter non faciant istam probationem obligationis ad cultum, tamen faciunt respectu Iudeorum, qui magis putabant se esse obligatos, eo quod receperant beneficia quam ex hoc quod Deus erat verus Deus: probatio tamen semper debet fieri ex illis, quae apparent respondenti, siue illa sint simpliciter probatiua, siue non: alioquin si quis probet ex his, quae sint simpliciter probatiua, & illa non videantur respondenti nihil proficiet: sic patet in processu nostro, & naturae; quia cognitio naturae est ex simpliciter notis ad minus nota simpliciter: cognitio autem nostra est ex magis notis nobis ad minus nota nobis: & tamen magis nota nobis non sunt nota simpliciter, ut patet primo Phyllico. si quis autem conaretur erudire nos inducens semper ex magis notis simpliciter, non possemus intelligere: sed intelligimus, quando fit ex magis notis nobis.

C Alio modo potest intelligi quod Iosue non induxit hic de beneficiis a Deo praestitis tanquam per haec probare intenderet quod obligabantur Deum colere, sed induxit ad probandum, quod tenebantur magis, scilicet quamquam simpliciter obligatio erat, quia Deus erat Deus, tamen magis nunc tenebantur eum colere, quam si nulla beneficia receperint. Vel ponitur hoc ad inclinandum affectum, scilicet, quia licet cognoscerent Israelite se obligatos ad colendum Deum verum, tamen non inclinarentur ad colendum, nisi aliquod bonum ab illo reciperent, sicut virtuosis sumus honorem debitum, si tamen nullum ab eis bonum suscepimus quoismodo non inclinamur ad eos honorandum: inducuntur autem multa beneficia, per quae Iudei inclinati deberent praeter obligationem, quam natura littere habebant: vt Iosue isto modo, quia etiam Deus quod loquebatur Israelite isto modo vsus est: cum enim a principio inducere voluit Iudeos ad recipiendum legem illius non dixit, quod debebant ei obedire, quia Deus erat, sed dixit quod fecerat eis multa beneficia, & ampliora faceret si recipieren verbum eius, ut patet Exod.19.ca. scilicet vos ipsi vidistis, quae fecerim Aegyptiis, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi: si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta: Deus autem istum modum secutus est, quia sciebat, quod Iudei, qui rudes erant, & circa sola sensibilia affecti, non poterant alio modo persuaderi. Incipit autem Iosue enarrare beneficia praestita a Deo, & enarrat prima, quae collata fuerint genti huic. Incepit enim populus Iudaicus distingui aliquo modo ab aliis gentibus tempore Abraham: ante ipsum enim nihil distinctionis habuerunt: in ipso autem fuit distinctionis, quia Deus elegit eum, & semen suum populum sibi, & accepit eum de medio gentium faciens, ut eum coleret specialiter, atque diligeret: incepit quoque in eo promissiones: nam ante cum non fuerunt alii patriarchae quibus Deus quicquam promitteret de terra Chanaan, vel de Messia futuro: sic innuit Apostolus ad Galat.3.c. scilicet Abraham factae sunt promissiones,

D & semini eius q.d.ei primo factae sunt promissiones, & super hoc ut sicut ad Deum specialius ipse, & semen suum pertinebant quam ceterae gentes, ita speciale signaculum circumcisionis ei tradidit, in quo distingueretur a gentibus, de quo Gen.17. & ad Rom.4.ca. & quia inter haec beneficia exordium fuit, quod Deus segregaret Abraham de gentilitate, scilicet ne esset in terra, in qua coleret idola, vel ne maneret in cultu illo, recitatur hic primo ista segregatio.

Trans fluuium habitauerunt patres vestri. Hic vocatur fluuius Euphrates, & vocatur per excellentiam fluuius, quia erat valde magnus: sic signatur Gen.15.scil. Semini tuo dabo terram hanc a fluuiu Aegypti, usque ad flumen magnum Euphratem. Est autem iste fluuius unus de quatuor fluminibus paradisi, ut patet Gen.2.c. qui cum lapsus de altitudine paradisi varia terrarum spatia permeat, subterraneo gurgite lapsus, tandem in Armenia ipse, & fluuius Tigris alias de quatuor fluminibus paradisi de precipicio montium ex eodem fonte nascuntur. De hoc Boetius de consula. lib.5. metro 1. quod incipit.

Rupis Achimenie scopulis ubi versa sequentum

Pectoribus sigit spicula pugna fugax

Euphrates, & Tigris uno se fonte resoluunt

Et mox abiunctis dissciantur aquis.

E De isto fluui loquitur scriptura absolute non nominando illius nomen: non solum quia erat magnum, quia alia flumina sunt in orbe eaque magna, aut maiora, sed quia erat in terra illa, de qua semper loquitur sacra scriptura, & in qua erant qui loquebantur haec: fluit enim Euphrates in terminis terrae Chanaan, quae erat data Iudeis. Ipse enim diuidit terrae eorum a reliquis terris a parte aquilonari, ut patet Gene.15. scilicet Semini tuo dabo terram hanc a flumine Aegypti usque ad flumen magnum Euphratem. Ponitur etiam iterum in terminis Exod.23.ca. scilicet ponam terminos tuos a mari Rubro usque ad mare Palestinarum, & a deserto usque ad fluuium, scilicet Euphratem. Et Deuter.11. ponitur iterum, scilicet. Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit: a deserto, & Libano, & flumine magno Euphrate, usque ad mare occidentale erunt termini vestri. Et non solum Iudei sed etiam omnes gentes, quae moratur circa Euphratem, vocant illum absolute flumen; sic patet 1.Esdra 4.ca. in accusacione, quam scripserunt principes Samaritanorum contra Iudeos venientes de captiuitate Babylonica, & construentes templum, & muros urbis, s. serui tui, qui sunt trans flumen salutem dicunt. Et iterum ibidem: Nunc iauimus nos regi quoniam si ciuitas illa edificata fuerit, & muri eius instaurati possessionem trans fluuium non habebis. Dicitur autem quod habitauerunt trans flumen, id est ultra flumen Euphratem, scilicet ad partem aquilonarem fluminis: nam Iudei quoque dicuntur esse trans flumen, ut patet in exemplis allegatis, scilicet non habebis possessionem trans flumen. Quod intelligitur de Ierusalem, & terra illius: ista autem est ad meridianam partem fluminis Euphratis, sed ad omnem partem dicitur esse trans flumen. Sic dicitur de Iordanem: nam aliquando dicitur trans Iordanem, quod est ad orientalem plagam eius, ut patet supra 1.& 12.& 13. & aliquando trans Iordanem quod est ad occidentalem plagam illius, ut patet supra 5. & Num.32.ca. Dupliciter autem potest intelligi quod habitauerunt trans flumen patres Iudeorum, s. in terra Chaldaeorum, quae est trans flumen, vel in terra Mesopotamia siue Haran, quae est trans flumen, vel in flumine: hoc appareat, quia Iudei sunt de progenie Chaldaeorum, & postea venerunt in Charran siue Haran deinde in terrae Chanaan, ut patet Judith 5.vbi describitur origo Iudeorum. Fuit autem modus, quod Thare habuit tres filios, scilicet Abraham, Aran, & Nachor, quos genuit in terra Chaldaeorum in ciuitate Ur: ibi autem mortuus est Aran antequam exiret inde Thare ad terram aliam: postea vero Thare cum duobus filiis suis, scilicet Nachor, & Abraham, & uxoris eorum, & nepote suo Loth filio Aran egressus est de terra Chaldaeorum, ut venirent in terram Chanaan ad habitandum, & cum peruenissent in Mesopotamiam siue in urbem Haran, quae erat in itinere manserunt in ea, & post aliquot annos mortuus fuit ibi Thare, ut patet Genesis 11.cap. postea autem apparuit Deus Abraham, dicens ei: Egregere de terra tua, & vade in terram, quam monstrauero tibi: duxitque illum in terram Chanaan,

F
Iudeo-
rum pa-
tres
trans
flumen
habi-
ta sedu-
pliciter
intelli-
gitur.

Origo
Iudeo-
rum.

A vt patet Gen. 12. cap. & postea incepserunt Iudei esse populus, & quia in ista segregatione fuit Abraham ab idololatria semotus, fuit ei collatum magnum beneficium; quod patet, quia non solum in Chaldaea viri de progenie Abrahæ celebant idola, sed etiam in Mesopotamia coluerunt, vt hic dicitur: mansit autem Nachor frater Abrahæ in terra hac veniente Abraham in terram Chanaan, & postea cognatio eius semper ibi fuit: nam Abraham, quando voluit accipere vxorem filio suo Isaac, misit seruum suum Eliezer in Mesopotamiam ad cognitionem fratris sui Nachor, vt patet Gen. 24. c. & Jacob illuc quoque iuit, & accepit uxores quatuor, vt patet Gen. 28. & 29. ca. potest autem accipi trans flumen pro traque harum terrarum: nam cum in terra Chaldaeorum erat Abrahæ cum cognitione sua dicebatur esse trans flumen, quia est terra illa magis aquilonaris quam Euphrates, & verum est quod habitauerunt ibi patres Hebreorum, & coluerunt deos alienos.

Secundo modo etiam est verum, quod habitauerunt trans flumen, scilicet in Haran, vel Mesopotamia: est enim ciuitas quædam dicta Haran, quæ aliquando vocatur Mesopotamia. Est autem eadem, quod patet, quia dicitur Gene. 27. quod iret Jacob in Mesopotamiam, & postea Genes. 29. dicitur quod venit in Haran, & appetit melius, quia numeri vi gesimotertio capitulo dicitur quod rex Moabitarum adduxit Balaam ariolum de Haran, & Deuteronom. vigesimotertio dicitur, quod fuit adductus de Mesopotamia, ergo idem erat locus: in ista quoque vrbe cum maneret Thare & Abrahæ filius eius, adorabat cognatio Abrahæ idola. Habitauerunt patres vestri ab initio. Possunt vocari patres dupliciter. Vno modo propriæ, scilicet pro omnibus qui sunt in linea ascendentium & descendentium. Alio modo pro omnibus superioribus in cognitione, etiam si non sint in linea ascendentium & descendentium, sed collaterales ipsorum. Primo modo Abraham dicitur pater Hebreorum, & Thare, & Reu, & Sarug, aliique superiores, de quibus Gen. 11. ca. Secundo modo accipiendo, Abraham & Thare, & Nachor, & Aran erant patres Hebreorum, quia erant collaterales patri suo Abrahæ: tamen non erans in linea ascendentium & descendentium. Primo modo non potest intelligi de habitatione in Haran, vel Mesopotamia, sed de habitatione in terra Chaldaeorum: quia licet in Mesopotamia habitauerint patres Hebreorum, scilicet Thare, & Abraham; tamen non coluerunt ibi deos alienos, quia Abraham non coluit deos: quamquam ergo Thare ibi coleret idola, non dicerentur patres Hebreorum colere idola ibi, quia unicus pater eorum colebat illa: si autem accipiatur pro terra Chaldaeorum, statbit, quia ibi fuerunt omnes patres Hebreorum, scilicet computando ab Abraham, & supra regrediendo in Noe, scilicet Thare, Nachor, Reu, Sarug, & ceteri, de quibus Gen. 11. De istis verum est quod coluerunt ibi deos alienos, quia quando isti erant, iam inoleuerat idolorum magnus cultus in orbe. Secundo modo accipi possunt patres Hebreorum pro maioribus eorum, licet non essent patres ipsorum, scilicet pro cognatis proauorum suorum, & sic omnes fratres Abrahæ vocantur patres Iudeorum, & tunc stat vterque sensus, scilicet quod patres Hebreorum habitauerunt trans flumen, id est in terra Chaldaeorum, quia ibi moratus est prius Thare cum filiis suis antequam veniret in Mesopotamiam, & ibi coluerunt deos alienos. Etiam stat secundus modus, scilicet quod habitauerunt trans flumen, id est in Mesopotamia patres Hebreorum, id est Thare, & duo filii sui, & adorauerunt deos alienos, quia Thare, & Nachor celebant illos, licet non coleret Abraham, & illi duo vocantur patres Hebreorum. Ab initio. Istud potest dupliciter intelligi, sicut prædicta dupliciter intelligebantur: si enim intelligatur de habitatione in terram Chaldaeorum est sensus quod à principio habitauerunt patres Iudeorum trans flumen, id est ab initio nativitatis. Nam repetendo originem Iudeorum, etiam ab exordio reperiatur tota habitasse in terra Chaldaeorum, post diluvium enim omnes gentes deriuatae sunt per Noe, & filios eius, & deriuati sunt Iudei per lineam Sem, à quo linea usque ad Abraham computatur Genes. 11. cap. Isti autem habitauerunt in terra Chaldaeorum ab initio, id est ab ipso primo huius stirpis, id est Sem: nam post diluvium recesserunt homines de parte orientali, & venerunt ad terram Sennaar,

D
Babylō
est ca
put ter
ra Chal
daorū.

in qua ædificauerunt turrem, & urbem Babylonem: erat autem ibi tūc Noe, quia hoc fuit paucum tempore post diluvium. Et cum post diuisam linguam gentes fuissent diuisæ per orbem, posteritas Sem mansit apud Babylonem. Est autem Babylon caput terræ Chaldaeorum: ideo à principio originis manserunt patres Hebreorum in terra Chaldaeorum. Si autem accipiatur secundo modo est sensus, quod manserunt in Mesopotamia, quæ est trans flumen ab initio, id est ab initio distinctionis. Nam antequam veniret Thare in Mesopotamiam erant patres Hebreorum, tamen non erant distincti ab aliis populis: incœperunt autem diuidi, cum Deus distinxit illos faciens venire Thare cum domo sua in Mesopotamiam: & quamquam Deus non iussisset Thare quod veniret de Chaldaea illuc, tamen mouit eum ad veniendum, vt cū eo veniret Abraham filius eius, & ab illo tempore cœpit esse distinctionis gentis Hebreorum ab aliis populis: nam Abrahæ Hebreus vocatus est, vt patet Gen. 14. c. tunc autem principium alicuius gentis est, quando ipsa distinctionis incipit ab aliis. Proprius autem sensus literæ est quod patres Iudeorum vocentur hic nō solum progenitores, sed etiam omnes maiores, vt cognati progenitorum: & sic dicitur quod Aran, & Nachor erant patres Iudeorum, quia erant fratres Abrahæ, & hoc patet in litera, scilicet. Trans flumen habitauerunt patres vestri ab initio Thare pater Abraham, & Nachor: sed constat quod Nachor nihil attinet ad lineam Iudeorum: solum autem erat frater Abrahæ, qui erat pater Iudeorum: & dicuntur ab initio ibi habitasse, id est ab initio distinctionis gentis huius, scilicet quod tunc Deus incipiebat facere gentem istam distinctam ab aliis gentibus. Dicitur autem trans flumen, id est in Mesopotamia, & non solum dicuntur habitasse trans flumen; immo dici potest quod in fluvio habitauerunt: nam ciuitas ista, quæ vocatur Haran in qua habitauit Thare cum posteritate sua, erat in medio fluminis Euphratis, s. quod erat diuisus flumen in duas partes, & in quodam loco medio tanquam in insula ciuitas cōstructa erat, & ob hoc vocatur in Hebreo Haran Naharaym, id est Haran posita in medio fluminorum, & sic nos nomine Græco utentes eam Mesopotamiam dicimus. Vbi enim dicit litera Hebreæ Haran solum, litera nostra transtulit Haran vel Charran: cū autem dicitur in Hebreo Haran Naharaym, id est Aran fluminorum, vt patet Gen. 24. litera nostra ponit Mesopotamiam: sic etiam de aliis locis. Interpretatur autem Mesopotamia in medio aquarium, vel media inter aquas: quia tamen illa ciuitas erat ad vnam partem flumij saltem dicebatur esse trans flumen. Thare pater Abraham, & Nachor. Isti duo ponuntur, quia accipiuntur patres large pro maioribus, sive sint in linea recta progenitorum sive sint collaterales; Nachor enim non erat pater Iudeorum.

Vnde
Mesopo
tamia
dicta
est.

Quare hic non nominantur Abraham, & Aran, qui erant filii duo Thare.

Q V A E S T I O VI.

Q VÆRET aliquis quare non fuerunt hic nominati Abraham, & Aran, qui erant alij duo filii Thare. Respōdendum est, quod non ponitur hic Aran pater Hebreorum, quia solum ponuntur illi, qui fuerunt à principio distinctionis: ista autem distinctionis facta fuit cum Thare recessit de terra Chaldaeorum ad veniendum in terram Chanaan, & quia antequam illuc veniret, mortuus est Aran in terra nativitatis suæ in Vr Chaldaeorum, priusquam moreretur Thare, vt patet Gen. 11. Abraham autem non nominatur hic tanquam pater in recto, eo quod de istis ponatur immediate quod adorauerunt deos alienos: Abraham tamen non adorauit: & quia de patribus Iudeorum Deus enunciare volebat quod adorauerant deos alienos, non fuit nominatus Abraham, s. in recto. Nachor tamen ponitur in recto, quia de ipso, & de Thare verum est, quod celebant idola, sic quoque posteritas Nachor coluit idola: nā Rachel furata est idola patris sui Laban, qui erat de stirpe Nachor, vt patet Gen. 31. ca. de quo conquestrus est Laban, vt patet eod. cap.

Serueruntque diis alienis. Scilicet in terra Mesopotamie seruerūt diis alienis Thare, & posteri eius: ob hoc autem Deus iussit Abrahæ, vt post mortem patris sui Thare recedere tde

Meso-

A Mesopotamia, scilicet ne ibi cum cognatione sua peruertere
retur ipse, vel filii illius. Sed contra hoc videtur quod habe-
tur Iudith 5. ex verbis Achior, scilicet, quod populus Iudeo-
rum erat de Chaldaeis: hic primum in Mesopotamia habita-
uit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui e-
runt in terra Chaldaeorum: deserentes itaque ceremonias
patrum suorum, quae in multitudine deorum erant, vnum
Deum colere cœperunt, qui praecipit eis, ut exirent inde, &
habitarent in Charra. Responderi potest dupliciter. Vno
modo quod Achior, qui erat dux Ammonitarum non fuit
locutus hic secundum veritatem rei, sed secundum opinio-
nem vulgatam de Iudeis apud alias gentes: opinabantur e-
nim quod Thare, & filii sui vocati fuissent à Deo cum essent
in terra Chaldaeorū, & iussum esset eis, quod venirent in ter-
ram aliam, & videbantur ad hoc habere aliquam rationem,
quia Thare cum tota domo sua venit; tamen secundum ve-
ritatem non recessit Thare de terra Chaldaeorum, ut non a-
doraret deos patrum suorum, sed ibat in terram Chanaan,
quia commodius sibi in terra illa futurum esse putabat: cum
autem venisset in Haram mansit ibi & mortuus est: nō tamē
veniebat, vt non coleret deos patrum suorum, quia tunc nō
coluisset deos postea, sed dicitur hic quod coluit. Etiam pa-
tet de stirpe sua: nam Nachor filius eius, & tota posteritas illius
coluerunt deos in Mesopotamia, vt patet de Laban, qui
erat nepos Nachor colebatque idola, & postea cum faceret
paectum cum Iacob inuocauit Deum Nachor: Iacob autem
vocauit Deum patris sui Isaac, vt patet Gen. 31. cap. ergo non
colebant ambo eundem Deum: consequenter autem Nachor
idolatra fuerat, & tota illius posteritas: si tamen venis-
sent in Haram de terra Chaldaeorum, ne compellerentur col-
ere idola nō colerent postea ea ibi. Aliter responderi potest,
quod locutus fuerit vera Achior, & tamen referenda sunt omnia
ad solum Abraham, qui erat pater Hebreorum, scili-
cet quod iste venerit de terra Chaldaeorum, quia ibi proge-
nitores sui Chaldaei colebant multos deos, & compellebat ad
hoc omnes, qui in terra illa erant: Deus quoque apparuit ei
in terra illa dicens quod recederet de terra illa, & veniret in
Haram: & quia Abraham erat filius Thare, & quasi in fami-
lia illius, non poterat recedere, vel saltem non conuenienter
nisi pater recederet, ideo posuit Deus in corde ipsi Thare, vt
inde recederet, scilicet de Chaldae in terram Chanaan, &
sic factum est: & sic stabit totum dictum Achior verum se-
cundum literam suam.

*Hic o-
do nu-
meran-
tur be-
neficia
presti-
ta He-
breis.*
C *Tulit ergo Abraham patrem vestrum de Mesopotamiae finibus.* Istud est primum beneficium, scilicet distinctionis Hebraici
populi à ceteris gentibus, quae incœpta fuit in exitu Thare
cum domo sua de terra Chaldaeorum, tamen fuit consum-
mata, cum Abraham inde iussu Dei recessit in terram Chanaan: nam cognatio Abrahæ, scilicet Nachor cum posterita-
te sua adorabat idola: si autem mansisset Abraham in Meso-
potamia forte ipse, vel cognatio eius de clinarent ad idola: &
quia Hebrei erant populus Dei per hoc, quod ipsi colebant
Deum specialiter, & Deus faciebat eis specialia beneficia, pri-
mum ad hoc necessarium erat, quod segregarentur Iudei ab
idolatria. *Et dicitur quod tulit eum de finibus Mesopotamiae,* quia mansit Abrahæ ibi toto tempore, quo vixit Thare, quo
mortuo apparuit ei Deus dicens egredere de terra &c. Gen.
12. c. & dicitur de finibus Mesopotamiae, id est de Mesopotamia. Est Mesopotamia nomen Græcum, scilicet in medio a-
quarum, quia ciuitas ista est in medio duarum partiū flumi-
nis Euphratis: & in Hebreo appellatur Haram fluuiorum, id est Haram sita inter fluuios. Et non intelligitur de finibus Mesopotamiae, quasi non habitauerit Abraham in Mesopotamia sed apud eam, habitauit namque in ea: sed idem est de Mesopotamia, vel de finibus Mesopotamiae.

Et conductit eum in terram Chanaan. Scilicet quod Deus ius-
sit ei, vt iret in terram Chanaan promittens ei ea, quae habé-
tur hic: Abraham autem obediens verbo Domini iuit. Valde
autem meruit Abraham, quia credidit: nam eorum, quae
Deus dicebat nihil constabat ei, sed propter auctoritatē Dei,
dicenti assensit, & laudatus est atque vocatus pater omnium
credentium, vt patet ad Rom. 4. c. laudat quoque eum de fide Apost. ad Hebr. 11. scilicet fide qui vocatur Abraham obe-
diuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem,
& exiit nesciens quo iret, sed demoratus est in terra promis-

sionis tanquam in aliena in casulis habitando cum Isaac, &
Jacob cohæredibus reprobationis eiusdem.

Multiplicauitque semen eius. Istud est aliud beneficium pre-
statum Israelitis a Deo, scilicet in multiplicatione prolis. Erat
namque magnum bonum apud antiquos ista multiplicatio:
vnde quando unus benedicebat alteri imprecabatur ei multipli-
cationē posteritatis: sic faciebant frates Rebeccæ, quā-
do ipsa recedebat de Mesopotamia: cognati enim impreca-
bantur prospera, dicentes: soror nostra es, crescas in millia,
& possideas semen tuum portas inimicorum suorum Gene.
24. c. Mulieres quoque cum abundabant in prole erant be-
nictæ. Sic patet de Lia, quae cum genuisset filium sextum,
scilicet ancilla eius vocavit eum Aser, id est beatitudinē, di-
cens: Hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent
omnes generationes, Gen. 30. ca. Nec solum hoc erat ex opi-
nione gentium, sed Deus in hac parte assentiebat illi opinio-
ni benedicens eo modo, vt patet Gen. 22. c. vbi cum Abrahæ
rem maximam in honorem Dei fecisset, scilicet filium suum
immolare volens, ait Deus: per memet ipsum iuraui, dicit
Dominus, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo
vnigenito propter me: benedic tibi, & multiplicabo se-
men tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam quae est in litto-
re maris. Magnum ergo beneficium erat cum a suscipienti-
bus magnum reputaretur, & Deus illud tanquam magnum
impenderet. Ista multiplicatio seminis non apparuit dum
mansit Abraham, & posteritas eius in terra Chanaan: nam
licet computando omnes Ismaelitas, qui tunc erant, & o-
mnes natos de filiis Cethuræ, & Idumæos magna esset multipli-
catione, & hi omnes venerunt de stirpe Abrahæ, tamen isti
non reputantur in semine Abrahæ, sed dictum est: In Isaac
vocabitur tibi semen Gen. 21. & ad Rom. 9. ca. etiam non co-
putantur in semine descendentes vniuersaliter de Isaac: nam
Idumæi ab illo venerunt: & isti non pertinent ad cohæredes
reprobationis, sed solus Iacob de Isaac. Nam, vt patet Malach.
1. Deus dilexit Iacob, & odio habuit Esau, scilicet nolendo in
eo completere benedictiones, & promissiones factas Abrahæ,
& semini eius, cōputando ergo solum eos, qui pertinent ad
reprobationem factam Abrahæ patiēt erant, cum manaret in
terra Chanaan: nam cum descendenter in Ægyptum erant
animæ 70. vt patet Gen. 46. ca. fuit tamen multiplicatio ma-
xima facta in Ægypto: nam cum inde exirent Israelites erant
sexcenta millia peditum armatorum, & amplius, vt declara-
tum est Exo. 12. & ibi patet in litera.

Et dedi ei Isaac. Hic est mutatio ordinis: nam manifestum
est quod prius Deus dedit Abrahæ filium nomine Isaac, &
illi filium nomine Iacob, quam fieret multiplicatio aliqua;
cum isti fuerint primi filii, sed mutatur ordo sicut saepe fit in
scripturis.

*Quare Isaac & Jacob hic per se computantur. Et quod im-
possibile est naturaliter sine mensu-
ro gignere.*

Q V A S T I O VII.

Q VÆRIT aliquis cum Isaac, & Iacob, qui hic ponuntur
pertineant ad multiplicationem istam Israelitarum, de
qua hic: quare per se computantur: potissimum cum notum sit
istos esse primos in multiplicatione ista.

Respondendum est quod scriptura intendit hic enarrare
beneficia impensa Iudeis, ideo describit omnia illa, in quibus
patet beneficia collata: multiplicatio enim prolis fuit quadam
beneficium impensum: sed præter hoc multiplicatio
miraculosa est alterum beneficium: sic autem fuit in istis duo-
bus, scilicet Isaac & Iacob, ideo debuerunt per se nominari
tanquam distinctum beneficium. De Isaac patet, quia natus
est de Sarra, quae erat iam senilis aetatis, scilicet nonaginta
annorum, & quod difficilius est, desierant ei fieri muliebria,
vt patet Gen. 18. cum autem aliqua mulier desinit habere mu-
liebria, scilicet humorem menstrualem fluentem per mensum
curricula, impossibile est naturaliter, quod gignat, quia defi-
cit in ea principium materiale, ex quo formatur fetus: &
puellæ antequam incipiunt habere muliebria impossibile
est, quod concipiunt: scriptura namque ponit hunc conce-
ptu fuisse miraculosum, quia desierant Sarre fieri muliebria:

A

308

quod non congrue poneretur, si contingenter nō habentem humorem menstrualem concipere: nihil enim amplius est mulierem non patientem menstrua, siue propter magnam, siue paruam etatem cognosci, quam effundere semen in vase vitreo, vel in quoconque receptaculo, in quo generatio impossibilis sit, sic enim ponit Apostolus conceptum istum miraculosum, & Abrahā meruisse, quia credidit quod fieri posset pater multarum gentium, vt patet ad Rom. 4. scilicet qui contra spem in spem credidit ut fieret pater multarum gentium, & non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum iam emortuum, cum fere centum esset annorum: nec considerauit emortuam vuluam Sarra. Etiam laudatur Sarra, quia credidit ad Hebr. 11. cap. De Iacob quoque fuit quidam modus miraculosus: nam Rebecca sterilis erat, & 20. annis stetit non habens liberos; postea vero orante Iсаac cōcepit gemellos, & collidebantur in vtero eius, quæ cū quæsiuisset à Domino quid hoc esset, responsum est, quod duo populi in vtero eius erant: & postea in exitu ab vtero isti duo paruuli pugnabant, & unus tenuit plantam alterius, scilicet Iacob plantā Iсау Gen. 25. aliquid ergo mirabile fuit in conceptione, & natuitate horum duorum, & ob hoc inter collata beneficia scriptura hoc enarravit.

B

Cum Deus dederit Abrahā alios filios præter Iсаac, & alium filium Iсаac præter Iacob, quare non computantur hic.

Quæstio VIII.

C

VÆRET aliquis cum Deus dederit Abrahā alios filios præter Iсаac, & dedit Iсаac alium filium præter Iacob, quare non computantur hic? Respondendum causam esse duplicem. Prima est, quia cum hic computentur beneficia specialia debent illa poni, quæ ad miraculum pertinent: cætera enim de communibus beneficiis sunt: potissimum quia multiplicatio posita est tanquam unum beneficium: hic autem superadditur, quod datus fuerit Iсаac Abrahā, & Iacob ipsi Iсаac, ergo ad aliquid pertinent præter multiplicacionem: & hoc est, quia in conceptionibus horum fuit miraculum aliquid, scilicet in conceptione Iсаac, quod mater esset sterilis, & inueterata, desierantque ei fieri muliebria: in secundo autem fuit miraculum, quia erat mater sterilis Gene. 25. cap. de ceteris autem filiis horum non fuit sic, quia Abraham genuit Ismaelem, sed in hoc non fuit aliquid miraculum, quia Abraham erat tunc potens generare, & Agar mater Ismahelis non erat sterilis, nec vetusta, habuitque Abraham alios filios postea mortua Sarra, scilicet ex Cethura, vt patet Gen. 25. & fuerunt filii sex, in quibus non fuit aliquid miraculum concipiendo, quia licet Abraham esset valde senex, erat tamen adhuc potens generare, Cethura autem, erat puella, eratque potens faciliter concipere. Alia causa est ad hoc quia Deus volebat enarrare Iudeis beneficia eis praestita, ipsi autem erant de semine Abrahā: & in eis completæ sunt promissiones factæ Abrahā, alij autem erāt filii Abrahā, qui non computantur in semine eius, sicut Ismahel, vt patet Gen. 21. cum doluisset Abraham pro filio suo Ismaele, ait Deus: in Iсаac vocabitur tibi semen, id est non pertinet Ismahel ad semen tuum, sed Iсаac: sic quoque factū est de sex filiis, quos genuit ex Cethura: illi enim non pertinent ad semen Abrahā, sed solus Iсаac, ideo nō curauit scriptura enarrare de his, quia multiplicatio in his non erat aliquid beneficium praestitum genti Hebræorum: sic quoque fuit de Iсаac, cui dicitur datus Iacob: nā licet genererit Iсаac Iacob, & Iсау, & uno concubitu, vt patet ad Rom. 9. tamen nō pertinebat Iсау ad semen Abrahā, scil. q̄ tum ad re-promissiones, quia Deus nō erat completurus quæ promiserat in eo, sed in Iacob, & filiis eius. Sic patet Malach. 1. antequam quicquam boni aut male egissent Iacob dilexi Iсау autem odio habui, idem ad Ro. 9. Ista secunda ratio magis congruit quā prima, quia si propter miraculosam conceptionem ponerentur hic Iсаac, & Iacob conformiter poneretur Iсау, quia ipse quoque miraculosè genitus est, cum ex unico coitu ambo geniti fuerint, vt patet ad Ro. 9. c. & ambo simul nati sunt, & collidebantur in vtero, vt patet Gen. 25. c. sed nō ponitur propter secundam rationem, scilicet quia non pertinet ad stirpem Iudeorum.

Hoc enim volunt qui non attendunt ad literam; sed manifestum est quod ponatur hic Iсау sicut Iacob, ideo stat ista quæstio de filiis Abrahā, qui non ponuntur hic præter Iсаac, & de illis quamquam vtraque ratio teneat, magis tamen tenet prima scilicet quia nihil miraculosum in eorum nativitate vel conceptione sit actum. Iсау autem computatur, quia licet non computetur in semine, tamen miraculosè genitus est, & ista conceptione fuit propter merita patrum Iudeorum, scilicet propter Iсаac: nam erat sterilis Rebecca, & per annos viginti non conceperat: postea autem orante pro ea Iсаac, vt conciperet, concepit, vt patet Gen. 25. c. E quibus. Id est de istis duobus gemellis.

Iсау dedit montem Seir ad possidendum. Deus dedit Iсау, & posteris eius ad possidendum terram, quæ ex nomine suo vocata est. Ipse quoque tria habet nomina, scilicet Edom, Iсау, Seir, vt ait Hieronym. in prologo super Abdiam, & colligitur Genes. 25. vocatus fuit enim Iсау tanquam nomine suo proprio, vocatus est autem Edom, id est rubeus, scil. quia desiderauit lenticulam rufam, quam comedebat Iacob, dixitq; ei: Da mihi de coctione hac rufa, & subditur Gen. 25. quam obrem vocatum est nomen eius Edom, erat etiam Iсау pilosus totus in modum pellis, ideo vocatus est Seir, quia Seir signat pellem villosam: sic patet Gen. 15. & litera Hebraica. Ita terra data in possessionem Iсау, & posteris eius vocatur interdum mons Iсау, vt patet Abdæ vnicō c. interdum autem terra Edom, vt patet Nume. 20. cap. & 21. aliquando vocatur mons Seir, vt patet Deuteronom. 2. c. scilicet circuiuimus montem Seir longo tempore. Dicitur autē terra Iсау mons Seir, quia erat terra montuosa, & sic possessio filiorū Ephraim vocatur semper mons Ephraim, vt patet supra 17. & 19. & 20. quia erat in montibus pro maiori parte. Deus autem dedit filiis Iсау montem Seir, quia ipse adiuvuit eos ad delendū gentes, quæ habitabant in terra ista, vt ipse solus cum posteritate sua habitaret in ea: sic patet Deuteronom. 2. cap. scilicet. Seir prius habitauerunt Horræ, quibus expulsis atque deletis, habitauerunt filii Iсау, & quia hanc terram Deus eis dederat, noluit quod caperetur ab aliis gentibus. Vnde quando transferunt Israelitæ apud terram Edom venientes de Ægypto iussit Deus quod non pugnarent contra Idumæos, quia nō erat eis datum quidquam de terra illorum, sic patet Deuteronom. 2. cap. scilicet transibitis hodie per terminos filiorum Iсау, qui habitant in Seir, & timebunt vos, videte diligenter ne moueamini contra eos, nec enim dabo vobis de terra eorum quantum potest vnius pedis calcare vestigium. Enarrat autem hic istud beneficium præstitum Iсау, quia fuit ei datum ex merito Abrahā, & Iсаac, qui erant progenitores Iudeorum, Iсау enim nihil merebatur ideo debebant Israelitæ reddere gratias pro hoc beneficio quasi si eis collatum fuisset.

Iacob vero & filii eius descenderunt in Ægyptum. Hic incipit in speciali describi de beneficiis collatis ad Israelitas, quia omnes filii Iacob pertinuerunt ad semen Abrahā quantum ad impletionem promissionum, & omnes acceperunt possessionem in terra Chanaan, vt patet supra à cap. 15. usque ad 20. Dicitur autem quod descenderunt Iacob & eius filii in Ægyptum, scilicet vigente fame valida, quæ omnes prouincias oppresserat: istud autem fuit principium ad hoc quod beneficia magna conferrentur Israelitis, scilicet in liberazione de Ægypto, & in portatione per desertū, & introductione in terram Chanaan: si autē mansissent semper in terra Chanaan, sicut eorum progenitores, scilicet Abrahā & Iсаac non potuissent ista conferri eis. De eorum descensu patet Gene. 46. & 47. cap.

Misericordia Moysen & Aaron. Istud est alterum beneficium in liberatione eorum de terra Ægypti in multis signis, atque portentis. De medio autem tempore subtinetur: fuerunt enim Israelitæ in Ægypto in magna prosperitate, & rerum affluentia quandiu vixit Ioseph, & toto tempore, quo reges Ægypti cognoverunt beneficia præstata per Ioseph: surrexit autem postea rex alias, qui non cognoscebat Ioseph, oppressitque Iudeos in duris operibus lutis, & lateris occidendo etiam filios eorum in flumine, vt patet Exod. 1. cap. postea autem misit Deus Moysen ponens signa, quæ facere debebat in Ægypto, vt patet Exod. 3. & 4. nam locutus fuit ei in rubo: misit autem Deus Aaron non principaliter, sed in coadiuto-

D
De: e.
mina-
tio que-
stionz.

E
Iсау
triā ha-
bit no
mina,
scilicet
Edom
Seir &
Iсау.

F

rem

A rem Moysi. Dixerat enim Moyses quod non erat eloquens, ideo quod mitteret Deus alium, Exod. 4. cui respodit Deus: Aaron frater tuus Leuites scio, quod eloquens sit, & postea sequitur: Ipse erit os tuum, & loquetur pro te ad populum tu autem eris ei in eis quae ad Deum pertinent, & Exod. 7. ca. dicitur: Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus. Vnde postea ingrediebatur Aaron cum Moysi, & loquebatur coram Pharaone, ut patet Exod. 5. cap.

Et percussi Aegyptum multis signis atque portentis. Istud est aliud beneficium, scilicet percussio opprimentium, ut Iudei liberi dimitterentur: non enim dimisissent Aegypti Iudeos abire, nisi in magnitudine signorum. Et dicitur quod percussit Aegyptum, quia ista percussio erat generalis, scilicet quod qualibet plaga missa super Aegyptios erat vniuersalis, sive sanguis, sive rana, sive grandines, & mors prater terram, in qua manebant Iudei, ut patet Exod. 7. & usque ad 10. inclusu: ponuntur autem signa & portenta, quia signa sunt parua, & portenta sunt magna. Vel signa dicuntur a signando solum, & portenta nocebant: erant enim in illis, quae Deus fecit quedam, quae non infligebant aliquod malum Aegyptiis, sed solum erant probativa, quod Deus Israeliteum esset Deus, sicut conuersio virginis in Draconem, & est contrario: & factio Ciniphicum, ut quidam volunt, sed sufficit primum. Et ista vocabantur signa & non portenta. Alia autem erant, quae infligebant malum Aegyptiis, & insuper signabat Deum Israel esse Deum, sic erant omnes plagae & mors primogenitorum, & tenebrae palpabiles, & ceterae decem plagae: erant enim tales, quae conuincebant Aegyptios Deum Israeliteum esse Deum cum dij ipsorum non possent aliquid horum facere, sed dixerunt malefici Aegyptiorum digitus Dei est hic, Exod. 8. ca. Etiam ista infligebant magnam paenitatem Aegyptiis: ideo vocantur portenta, quae aliquo modo sunt signa, sed important quandam terribilitatem secum, & ista est propria differentia signorum, & portentorum, vel ostentorum hic.

Eduxi vos, & patres vestros de Aegypto. Istud est alterum beneficium, scilicet liberando Israeliteis de Aegypto: fuerunt enim liberati de maxima seruitute, quae vocatur fornax ferrea Aegypti, ut patet Deut. 5. Tantum enim comprimebantur in terra hac quod dicebantur habere catenas in ceruicibus comprimentes eos ad terram, ut patet Leuit. 26. c. f. Ego Dominus, qui eduxi vos de terra Aegyptiorum, ne seruiretis ei, & confregi catenas ceruicem vestrarum, ut incederetis erecti. Dicitur autem eduxi vos, quia aliqui erat tempore huius admonitionis Iosue ad populum, qui egressi fuerant de Aegypto. Et dicit aliquis hoc esse de Caleb & Iosue, qui non condemnati sunt sententia illa, quae lata est in Cadesbarne, ut patet Num. 14. & 26. c. Sed dicendum quod de egredientibus de Aegypto non solum introierant in terram Chanaan isti duo, sed etiam fortassis plures quam centum millia viri: nam sententia lata in Cadesbarne non fuit contra omnes Israeliteis, sed solum contra numeratos ab anno 20. & supra ut patet Nume. 14. valde multi tamen erant, qui non condemnati sunt, quia non erant numerati, ut nulla de sceminiis hac sententia comprehensa est: Leuitae quoq; nulli comprehensi sunt, quia non erant computati ab anno 20. & supra, sed ab uno mense, & supra, ut patet Num. 3. vel ab anno 25. ut patet Num. 8. vel ab anno 30. ut patet Num. 4. Item valde multi de tribibus duodecim non comprehensi sunt, scilicet omnes qui erant minores ann. 20. & nondum fuerant numerati. De his manifestum est, quod multi essent, & omnes hi poterant introire in terram Chanaan non obstante sententia, quia non erat contra eos: & de his essent multi tempore admonitionis huius, quam faciebat Iosue. Dicitur etiam a patres vestros, quia patres istorum fuerant educti de Aegypto, sed mortui sunt in solitudine. Nam omnes computati in Sinai mortui sunt in deserto Num. 14. & Deuter. 2. cap. sed isti erant plures quam sexcenta millia virorum, ut patet Num. 1. cap. Etiam alii de patribus horum mortui fuerunt postea in deserto, licet non ex sententia illa; sicut illi, qui mortui sunt propter sacrilegium Phegor, de quo Num. 25. scilicet. Mortui sunt vigintiquatuor millia, ex aliis quoque causis mortui sunt. Etiam in terra Chanaan mortui fuerant plurimi antequam fieret ista admonitio, de qua hic agitur. Omnes autem hi

eduicti fuerant de Aegypto. *Et venisti ad mare.* Scilicet ad mare Rubrum. Enarratur hoc specialiter ad signandum valde magnum beneficium, quod fuit in liberatione Israelitearum transiendo per mare Rubrum, & occidendo ibi Aegyptios hostes eorum: cum enim fuit mors primogenitorum media nocte timentes Aegyptij quod omnes perituri essent, surrexerunt media nocte compellentes recedere Israeliteis, cum autem recessissent, & conuerterentur Aegyptij ad seipso dixerunt: quid facere voluimus, ut dimitteremus Hebreos, ne seruirent nobis? tunc Pharaon cum exercitu magno, & curribus persecutus fuit Hebreos inuenitque eos apud mare Rubrum. De hoc Exod. 12. iuncto 14. c.

Persecutique sunt Aegypti patres vestros. Non solum patres istorum, sed etiam istos, quia isti aut multi de eis educti fuerant de Aegypto, ut patet supra scilicet eduxi vos, & patres vestros de Aegypto. Hic tamen solum dicitur de patribus istorum, quia in exitu de Aegypto omnes de his, qui exierunt, & nunc supererant erant parui prater Iosue, & Caleb, qui erant iam viri, persecutio autem fit ad viros, quia ista est opus bellicum, quod contra viros est, & non contra parvulos, unde non proprius dicitur, quod Aegyptij persequerantur istos in exitu de Aegypto, sed patres eorum. *Cum curribus, & equitatu.* Currus est genus armature, de quo supra II. declaratum est: erant enim isti currus habentes 4. equos, & rotæ falcatae erant id est habentes gladios in modum falcium ad scindendum vindique, & impetu suo omnia laniantes. De his autem assumptis Pharaon currus ducentos electos, & quidquid currum in Aegypto fuit, ut pugnaret contra Hebreos. Putabat enim Pharaon, quod non possent euadere pugnando, quia erant inexperti ad pugnam, & potissimum erant habentes corda seruilia: semper enim fuerant sub potestate Aegyptiorum, ideo non haberet animositatem ad postea pugnandum contra illos, & sic futurum esset, nisi Deus pugnasset pro eis: nam mox ut viderunt exercitum Aegyptiorum contra se, dixerunt ad Moysen: quare eduxisti nos de Aegypto: nunquid deerant sepulchra in Aegypto? Ecce enim iam ceperant desperare, sed consulatus est eos Moyses, dicens: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacitibus: Exod. 14. ca. & sic factum est. Dicitur etiam venisse Pharaon cum magno equitatu id est cum multitudine equitum. *Usque ad mare rubrum.* Erant enim Israelite circa littus maris rubri cum primo viderunt venientes Aegyptios: considerant autem castra Aegyptiorum in Phiairoth contra Beelsophon. Venerunt autem usque ad mare rubrum, sed non permisisti sunt accedere ad Israeliteis: nubes enim quae praecedebat castra Israelitearum r. liquit anteriores, & stetit in parte posteriori castrorum mouente illam angelo, & fuit tenebrosa ex parte Aegyptiorum, & illuminans noctem ex parte Israelitearum, ita ut toto noctis tempore ad se inuicem accederent non valerent Exod. 14. cap. *Clamauerunt autem ad Dominum filii Israel.* Scilicet ut liberaret eos, quamquam ut appareat Exo. 14. magis fuit iste clamor desperationis & murmuracionis quam orationis: dixerunt enim ad Moysen: forsitan non erant sepulchra in Aegypto: ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine: quid facere voluisti, ut educeres nos de Aegypto? *Qui posuit tenebras inter vos & Aegyptios.* Illa non fuit aliqua tenebra, vel condensatio aeris nouiter facta, aut impressio metheo. quam Aristo. caliginem vocat, sed fuit nubes, quae praecedebat exercitum Israelitearum, nam Angelus, quae praecedebat in nube illa in fronte exercitus mouit nubem illam ad partem posteriorem, & fuit inter castra Israelitearum & Aegyptios, & ex parte Israelitearum erat nubes lucida, ita ut videretur quomodo procederet: ex parte autem Aegyptiorum erat nubes nimis tenebrosa, ita ut non possent videre Israeliteis, nec accesserunt ad eos toto tempore noctis, ut patet Exod. 14. hoc autem erat, quia illa nubes vocabatur nubes & ignis: nam interdum appellatur columna ignis, & nubis ut patet praelleg. cap. quia per noctem apparebat, ut ignis, & per diem ut columnam alba & densa, ut patet Numer. 9. erat tamen eadem columnam, & illa apparuit tanquam ignis ex parte Israelitearum, & sic illuminabat eos ad procedendum, apparebat autem tanquam nubes ex parte Aegyptiorum, & quia erat densa ex parte illorum non poterant videre fulgorem igneum, qui ex parte Israelitearum mittebatur. Erat quoque tenebra illa terribilis, quia erat densa nimis, cum ipsa nubes esset densa, ita ut

Quid
currus
Aegy-
ptiorum

E

C non

F

non

Iosue. Cap. XXIV.

309

D

A

B

C

D

E

F

G

H

I

J

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

W

X

Y

Z

A non auderent iuxta eam accedere Aegyptij. Quomodo autem Israelitae potuerunt procedere columna subsequente eos, cum semper præcedere consuetus est qualiter via distinguatur declaratum fuit Exodi 14. ibi etiam, & in 40. cap. multa de motu, & natura & quibusdam conditionibus huius nubis. Et eduxit super illas mare, & operuit eos. Aegyptij non potuerunt tota nocte illa horrenda accedere ad Israelitas impidente caligine nubis, quia tamen illa caligo non erat aliquid diffusum per aerem, sed erat nubes dirigens Israelitas, & ipsi tota nocte illa moti sunt ad transiendum mare rubrum diuisum, mouebatur paulisper nubes illa caliginosa cum eis, ita ut Aegyptij manentes post nubem possent quoque paulisper morueri, nunquam tamen accedentes ad nubem, ut intrarent in mare post Israelitas. Si autem fuisset caligo diffusa per totum aetem, postquam esse coepisset non mouerentur Aegyptij de locis suis praetimore horrendæ tenebræ: etiam quia non videnter quo irent, sicut factum est in plaga magnarum tenebrarum in Aegypto, in qua per tres dies nemo de Aegyptii motus est de loco suo, nec vidit proximum suum, ut patet Exod. 10. cap. hoc autem non expediebat ad id, quod Deus intendebat. Volebat enim, quod Aegyptij intrarent in mare post Hebreos, & ibi operirentur a fluctibus maris: si autem fuisset tenebra manens, Aegyptij non fuissent moti de locis suis ad intrandum mare, nec fluctibus operiri possebant, ideo cōueniens erat quod sola nubes, quæ erat inter Iudeos, & Aegyptios esset tenebrosa prohibens Aegyptios accedere ad caltra Israel, reliquus autem aer esset illuminatus quantum noctis conditio permittebat, alioquin non vidissent Aegyptij viam maris, quam transituri erant. Viderunt tamen, & introierunt ambulantes per illud tota nocte, sicut Israelites usque ad vigiliam matutinam, & tunc conuertit Deus fluctus maris super Aegyptios, ut patet Exod. 14. cap. in vigilia autem matutina, cum iam dilucesceret, viderunt Aegyptij, quod Deus pugnabat contra eos per columnam ignis & nubis, & dixerunt: fugiamus Israelem, Deus pugnat pro eis contra nos, & tunc subuertit dominus rotas curruum & ferebantur in profundum, ut præalleg. cap. Viderunt oculi vestri cuncta, quæ in Aegypto fecerim. Scilicet omnes plagas, quas intulerim Aegyptius propter vos. Et in hoc nimis persuaderet eis ad colendum ipsum: sic enim suadebat Exod. 19. quando voluit eos inclinare ad hoc, quod susciperent legem illius, dicens: Vos vidistis quæ fecerim Aegyptius, & quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. Dicitur oculi vestri viderunt referendo ad eos, qui exierunt de Aegypto, quia multi de his, qui nunc erant fuerunt educiti de Aegypto, ut supra declaratum fuit, & isti viderunt plagas, quas Deus intulerat Aegyptius. Et habitatis in solitudine multo tempore. Scilicet quadraginta annis. Hic subcentur beneficia collata in deferto scilicet quomodo per istos quadraginta annos dederit Deus Israelitis panem de celo, quem ante eos nullus inquam manducauerat, & vestes eorum non fuerunt vetustate attrita, & calceamenta non fuerunt dirupta, Deuteronom. 8. & 26. etiam eis sape dedit aquas miraculose cum non haberent illas, ut in Meru conuertens amaras aquas in dulorem Exod. 15. in Raphidim educens illas de petra, Exod. 17. & in Cadesbarne educens illas de petra similiter, Numer. 20. cap. multa quoque alia mirabilia pro eis fecit, de quibus in processu Exodi, & Numer. Et introduxi vos in terram Amorhei. Hic ponitur beneficium de introductione in terram promissionis, & accipitur hic Amorrhæus large pro omnibus septem populis Chanaan, quia non solum fuerunt Israelitæ introducti in terram populi Amorrhæi specialiter, sed etiam Iebusæorum, Chanaæorum, Henuæorum, & cæterorum, cum dicatur immediate quod contra omnes pugnauerint. Sed sicut istud nomen Chanaæus aliquando accipitur pro quodam populo speciali de septem populis, & aliquando pro omnibus populis, ita & istud nomen Amorrhæus. Quod autem accipiatur pro Amorrhæis specialiter patet in computatione septem populorum terra Chanaan, in quibus computantur Amorrhæi, similiter quoque vocamus Sehon & Og habitantes ad orientalem partem Jordanis esse duos reges Amorrhæos, ut patet supra 2. cap. Quod accipiatur generaliter, patet Deuteronom. 1. scilicet sufficit vobis, quod mansisti in monte hoc: venite ad montem Amorrhæi id est ad terram Chanaan, quæ vocatur

D mons, quia est montuosa. Sic patet Gen. 15. scilicet nondum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum usque in præsens tempus, ubi Deus pcpigit pactum cum Abraham de dādo semini eius terram Chanaan. Et quia diceret aliquis quare non dabat ei immediate? Respondet: nondum sunt completae iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus id est gentes istæ sunt de terra ista expellendæ propter peccatum, & nondum sunt peccata eorum consummata, non dabitur terra, sed manifestum est, quod non intelligitur de solidis peccatis Amorrhæorum, quia etiam aliae gentes peccabant: nam propter ipsorum peccata non erant delenda omnes gentes Chanaæorum. Hoc patet magis Amos 2. c. scil. Ego exterminavi à facie eorum Amorrhæorum, cuius altitudo cedrorum, & tamen ibi non solum dicitur pro Amorrhæo, quia omnes septem gentes expulsæ sunt.

E Dicet autem quis, quod etiam si voluerimus accipere Amorrhæum pro quodam populo speciali non poterimus, quia Amorrhæus habitabat ad partem orientalem Jordanis scilicet Og rex, & Sehon, ut patet supra 2. hic tamen accipitur pro parte occidentali, ergo accipietur generaliter Amorrhæus pro omnibus septem populis.

F Respondendum est non tenere istam rationem, quia non solum habitabant Amorrhæi ad partem orientalem sed etiam ad occidentalem. De orientali patet in duobus prædictis regibus: de parte occidentali patet supra 5. scilicet. Postquam audiuerunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Jordanem ad occidentalem plagam, & cuncti reges Chanaan, ubi accipiuntur reges Amorrhæi specialiter pro populo Amorrhæorum, cum distinguantur ibi reges Amorrhæorum ab alijs regibus Chanaan. Et patet magis, quia deletis duobus regibus Amorrhæis, qui erant in parte orientali scilicet Og & Sehon adhuc manebant reges Amorrhæi. Nam rex Iabin conuocauit reges de Iebusæis, Chanaæis, Amorrhæis &c. contra Iosue, ut patet supra 11. cap. & ibi ponuntur Amorrhæi tanquam populus dislinctus ab aliis, & sic satis poterat accipi Amorrhæus ad occidentalem plagam Jordanis pro aliquo populo speciali: tamen non accipitur hic sic, ut declaratum est. Hæc autem tenent intelligendo de introductione Israelitarum ad terram Amorrhæorum trans Jordanem, quam obtinuit Iosue, ut aliqui intelligunt: sed non intelligitur de hoc, sed potius de terra duorum regum Amorrhæorum, qui habitabant ad orientem Jordanis scilicet Sehon, & Og, quod patet ex ordine literæ: nam prius ponitur hic de introductione ad terram Amorhei quam de insurrectione regis Balaæ contra Israelitas, sed prior fuit illa insurreccio & maledicendi voluntas.

Item quia post hoc dicitur de transitu Jordanis, sed transitus Jordanis est introduc̄tio in terram Amorrhæorum secundum intentionem horum, ergo debet intelligi de populo Amorrhæo scilicet qui erat subditus duobus regibus Sehon, & Og, & tunc stat ordo literæ, quia prius introierunt Israelites in terram duorum regum Amorrhæorum quam Balaam conaretur maledicere Iudeis, cum de captione terra Amorrhæorum agatur Num. 21. & de insurrectione Moabitarum contra Israel, & de voluntate maledicendi Balaæ dicitur Num. 22. & usque ad 25. cap. Qui habitabant trans Jordanem. Scilicet ad partem orientalem Jordanis: erat enim nunc Iosue cum Israelitis in parte occidenti Jordanis, ideo vocabat trans Jordanem id quod erat ad orientalem plagam Jordanis: nam de se non diceret, quod erat trans Jordanem: illi autem, qui essent in parte orientali Jordanis dicebant eos, qui erant in parte occidentali esse trans Jordanem, ut patet Num. 32. c. cum filij Ruben, & Gad accipientes possessionem in parte orientali dixerunt, nihilque querimus trans Jordanem, quia iam habemus possessionem nostram in orientali plaga eius. Cumque pugnarent contra vos. Quilibet eorum exiuit obuiam in pugnam contra Israel: nam Israelites miserunt nuncios ad regem Sehon, ut concederet eis transiit per terram suam, qui non acquieuit, sed exiuit obuiam eis in pugnam in Iessa, ut patet Deut. 2. vel in Bala Num. 21. cap. rex autem Og exiuit pugnaturus in Edrai, ut patet Num. 21. cap. deleuerunt autem eos Israelites usque ad intermissionem, ut patet præallegatis cap. Tradidit eos in manus vestras. Scilicet ut preualeret: contra eos: facili enim bello, & uno quasi impetu quemlibet eorum cum populo suo deleuerunt. Et posseditis terram illorū.

Quia

D
Isra
nō legi
tar in
libris
Moysi.

A Quia tota terra duorum regum Amorrhæorum cecidit in partem filiorum Israel, & postea fuit diuisa duabus tribus & dimidiæ, vt patet sup. 13. cap. quod factum est Moysè viuēte, & ipse diuisi terram istam, vt patet Deuteronom. 3. & Num. 32. cap. Atque interfecisti illos. Vtrumque regem horum Israëlitæ occiderunt in bello, vt patet Num. 21. & sup. 2. & hoc faciebant, quia erant de Chananaïs, de quibus nullum omnino viuentem dimittere debebant, vt patet Deut. 20. cap. hic autem est ordo mutatus, quia prius Israëlitæ occiderūt duos reges Amorrhæorum, & populum eorum quam possiderent terram. Sic interdum mutatur ordo in poetis, vt patet in 2. Heneidos.

Moriamur mediaque in armariam.

Primum tamen erat ruere in media arma, quam mori.

Nu. 22

Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab & pugnauit contra Israëlem. Misitque & vocauit Balaam filium Beor, vt malediceret vobis, & ego nolui audire eum, sed ē contrario per illum benedixi vobis, & liberaui vos de manu eius. Transiitque Iordanem, & venisti ad Iericho. Pugnaueruntque contra vos viri ciuitatis eius, Amorrhæus, & Pherezeus, & Chinnæus, & Hethæus, & Gergesæus, & Henæus, & Iebusæus, & tradidi illos in manus vestras. Misique ante vos crabiones, & eieci eos de locis suis, duos reges Amorrhæorum, non in gladio, nec in arcu tuo. Dedique vobis terram, in qua non laborastis, & urbes quas nō edificastis, vt habitaretis in eis: vineas, & oliueta, quae non plâtastis. Nunc ergo timete dominum & seruite ei perfecto corde atque verissimo, & auferte Deos, quibus seruerunt patres vestri in Mesopotamia, & in Aegypto, ac seruite Domino Sin autem malum vobis videtur ut domino seruiatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui seruire potissimum debeatis, utrum dīs, quibus seruerunt patres vestri in Mesopotamia, an dīs Amorrhæorum, in quorum terra habitat: ego autem & dominus mea seruiemus Domino. Responditque populus, & ait: Absit à nobis, vt relinquamus Dominum, & seruiamus dīs alienis. Dominus Deus noster ipse eduxit nos & patres nostros de terra Aegypti, & de domo seruitutis: fecitque videntibus nobis signa ingentia, & custodiuit nos in omni via, per quam ambulauimus, & in cunctis populis, per quos transiuiimus, & eiecit uniuersas gentes, & Amorrhæum habitatorem terræ, quam nos intrauimus. Seruiemus igitur Domino, quia ipse est Deus noster.

Inf. 20.

i. Reg. 7
lob. 14.

Surrexit autem Balac filius Sephor. Istud est alterum beneficium collatum Israëlitæ scilicet quod liberati fuerint à maledictione Balaam: ipse enim solebat maledicere, & benedicere, & nimis appendebatur maledictio, & benedictio illius, ita vt rex Moab diceret: Noui quod cui tu benedixeris, sit benedictus, & maledictus in quem maledicta congresseris: Num. 22. cap. Deus autem fecit, quod Balaam non potuerit maledicere Israëlitæ, & dicitur de rege Moab, quod surrexit cōtra Israël scilicet timuit nimis Israëlitæ, & putauit q̄ cum essent in terminis terræ eius, ita cum delere vellent, & accipere terram illius, sicut fecerant de terra duorum regum Amorrhæorum, & ob hoc parauit se contra Israëlitæ. Et quia credidit se viribus imparem aduocauit ariolum scil. Balaam, vt sic malefica arte eneruaret vires Iudaëorum, & præualeret contra eos in pugnam, sic patet Nume. 22. cap. cum dixit rex Moab ad Balaam: Veni & maledic populo huic, quia fortior me est, si quomodo possim pugnans abigere eum. Et pugnauit contra Israël. Istud bellū non legitur in aliquo de libris Moysi, in quibus ponuntur alia bella, quæ egerunt Israëlitæ contra gentes tempore Moysi, & quæ sustinuerunt ab illis, ex quo aliquiliter appareret non fuisse tale bellum.

Bellum
Moabi
tarum
contra

Item apparet hoc Num. 22. cap. vbi dicitur, quod vidit rex Moab omnia, quæ fecerāt Israëlitæ Amorrhæo, & quod Moab tē timuissent nimis non potentes ferre impetum eorum,

misit ad vocandum Balaam ariolum, vt malediceret Israëlitæ: si tamen pugnaturus foret non mitteret pro ariolo confugiens ad maleficorum artes.

Item Moabitæ videbant Israëlitæ maiores se viribus, vt patet Num. 22. cap. quomodo ergo pugnare auderent: Israëlitæ auem non pugnarent, nisi Moabitæ prius mouerent bellum: nam Deus interdixerat eis pugnā contra Moabitæ, vt patet Deut. 2. cap.

Item si Moabitæ mouissent bellum contra Israëlitæ, defendenter se saltem Israëlitæ, & defendendo occiderent plurimos de Moabitæ, potissimum quando essent concitatæ viri in iram bellorum: nemo enim eos continere posset, sed constat quod nocuerant illis, ergo non fuit bellum initum. Dicitur tamen hic, quod fuit bellum factum, quia Moabitæ paraue- runt se ad bellum cōtra Israëlitæ, licet postea terrore depre- si non pugnauerint, & hoc erat pugnare. Sic accipitur infra de viris viris Iericho, quod pugnauerunt contra Israëlitæ, constat tamen, quod nemo de vrbe Iericho pugnauit contra Israëlitæ, quia vrbs clausa erat, & nemo audiebat ingredi, aut exire metu filiorum Israel, vt patet supra 6. & tunc cum per septem dies Israëlitæ lustrassem vrbem nullo alio facto ceciderunt muri. Dicuntur tamen pugnauisse, quia cōtra Israëlitæ armati erant. Vel dicuntur pugnauisse Moabitæ nō armis, sed fraude cum foeminas miserunt ad castra Israël, quarum illecebris Israëlitæ permolliti ad sacrificia sacrilega perducti sunt, & occisa sunt de populo 24. millia virorum, vt patet Num. 25. cap. in quo vt hostes erant Moabitæ: sic etiam dicitur ibidem de Madianitis, qui huius fraudis fuerunt cōparticipes & ministri scilicet hostes vos sentiant Madianitæ, quia hostiliter egerunt contra vos, & iste sensus est conuenientior.

Misitque & vocauit Balaam filium Beor. Voluerat rex Moab pugnare contraria Israëlitæ, quia suspicabatur, quod ita vellent delere eum cum populo suo, sicut duos reges Amorrhæos, quia arbitratus est populum illum esse fortiorum se, non cōfusus potentia sua misit ad vocandum Balaam, vt iste malediceret Israël. Habitabat autem iste Balaam in terra Mesopotamiae scilicet in Haram super flumen Eufratem, vt patet Num. 23. cap. & ibi declaratum est, & illuc iuerunt principes de Moabitæ, & Madianitis ad accipendum Balaam, vt viret in terram Moab. Ut malediceret vobis. Existimat rex Moab, quod cum Balaam malediceret Israëlitæ debilitarentur vires eorum, & sic posset ipse contra eos pugnans superare eos, sic patet Num. 22. c. scilicet Veni & maledic populo huic, quia fortior me est: si quomodo possim percutere eum & efficere de terra mea: mittebat autem nuncios ad vocandum eum, quia condebat benedictiones & maledictiones illius esse magnæ efficacie, vt patet prealleg. cap. scilicet noui quod benedictus sit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congeseris. De maledictione autem Balaam quomodo crederetur efficax, & si quid efficere poterat secundum rem, declaratum est Nam. 22. & 23. Et ego nolui audire eum. Scilicet nolui exaudire Balaam ariolum: desiderabat enim nimis maledicere Israëlitæ, vt honoraretur a rege Moab, vt colligitur Num. 22. & usque ad 25. cap. & cum sapienter conaretur ad hoc, scilicet quod ter posuit aras Deus ter impediuit eum ponens verba benedictionis in ore eius: Num. 23. cap. Sed ē contrario per illum benedixi vobis. Id est denunciaui de vobis bona. Pater hoc Num. 23. & 24. vbi in tribus vicibus cum iret Balaam ad querendum auguria, & veniens responsus eslet regi Balac, incipiebat benedicere Israëlitæ exaudiendo de illis bona, & ob hoc cōquererebatur rex Moab, quod cum vocasset Balaam ad maledicendum Israëlitæ benedicebat eis. Vnde dixit nec benedicas illis nec maledicas Numer. 23. cap. hoc autem erat, quia Deus mouebat violenter linguam Balaam, & cum ipse vellet formare verba maledictionis formabat verba benedictionis. Alij modi erant ad hoc faciendum. De his declaratū est Num. 22. cap.

Et liberavi vos de manu eius. Potest intelligi de Balac rege Moab scil. qui pugnare volebat contra Israël, & Deus liberauit Israëlitæ de manu illius. Vel intelligitur & melius de Balaam ariolo scil. quod liberati sunt Israëlitæ de manu illius, quia ille credebatur habere virtutem benedicendi, & maledicendi, Deus autem non permisit q̄ posset maledicere Israëlitæ, & istud est liberare, sed non est propria liberatio, cū non habe-

E

F

A haberet vere Balaam efficaciam benedicendi aut maledicendi, nisi forte in quantum opere dæmonum subservientium posset aliquid nocumentum inferre, sed istud nunquam est, nisi ex diuina permissione, & sic ista benedictio & maledictio à Deo sunt, & nequaquam à Balaam. *Transitusque Iordanem.* Istud est alterum beneficium, & ista sunt beneficia collata in duatu Iosue post mortem Moysi, & nominatur specialiter transitus Iordanis, quia ibi fuit magnum miraculum factum pro Israëlitis, scilicet quod diuinus fuerit Iordanis, vt patet supra tertio capit. Etiam narratur, quia ex hoc consecutum fuit magnum bonum, scilicet quod timuerunt omnes Chanaenæ reges, & clanguit cor eorum non remanente spiritu ad tristitum Iudeorum, vt patet supra quinto, & ex hoc nō ausi sunt tantum progredi in pugnam contra Israëlitas quantum alias progressuri forent.

B *Et venisti ad Iericho.* Dicitur de ista vrbe, quod in captione eius fuit factum speciale miraculum, scilicet Israëlitis lustribus vrbem diebus septem die ultimo corruperunt muri à fundamentis, & intrauerunt omnes Israëlitæ in vrbem ad desolandum eam fuit autem ista vrbis prima, ad quam in tota terra Chanaan accesserunt Israëlitæ, vt patet ex processu libri huius supra quinto & sexto, & ob hoc antequam accederent Israëlitæ ad Iordanem misit Iosue exploratores in vrbē Iericho, vt patet supra secundo capit. antequam ad nullam miserat: est enim hæc ciuitas circa Iordanem, vt patet in computatione vrbium fortis Beniamin, cum enim incipiunt computari à Iordane nulla computatur ante Iericho, vt patet supra decimoctavo capitulo.

C *Et pugnauerunt contra vos viri ciuitatis eius.* Non est sensus proprius, quod viri de vrbē Iericho pugnauerint, quia nullus de eis egressus est de vrbē ad pugnandum, nec de mēnibus vrbis saltem ad Iudeos tela misserunt, eo quod Israëlitæ non accesserunt ad mēnia vel muros vrbis, sed in circuitu eius lustrantes, cum arca gradiebantur expectantes, quod Deus iusserat, scilicet quod muri caderent: dicuntur tamen viri vrbis huius pugnasse, quia erant parati ad pugnandum super muros vrbis. Etiam si accesserint Israëlitæ ad expugnandum aliquam partem vrbis, pugnassent contra illos de mēnibus, sed non accesserunt. *Amorrhaeus, & Pherezæus.* Hic ponuntur nomina septem populorum, qui pertinebant ad terram Chanaan, inter quos est Gergeseus, qui rarissime ponitur: vnde aliqui communiter dicunt, quod non nominatur in alijs locis, cum populis istis, quia erat populus parvus, qui cito victus est. Vel ante aduentum Israelitarum de terra Chanaan recessit. Sed patet falsum esse, quia hic ponitur quod pugnauerit contra Israëlitas, communiter tamen non nominatur, quia scriptura non curat enarrare omnes istos septem populos, sed interdum tres, vel quatuor ipsorum cum sepe enarrentur, & sufficiens est saltem duos de ipsis nominari.

Quomodo in Iericho erant omnes isti septem populi, cum non essent plures in terra Chanaan.

Q V A E S T I O I X.

Q V A E R E T aliquis quomodo in vrbē Iericho erant omnes isti septem populi, quia non erant plures in tota terra Chanaan.

Respondet Nicolaus, quod ista ciuitas erat prima in terra Chanaan, ideo ad eam conuenerant viri de omnibus septem populis, vt defenserent eam, & sic non daretur locus Israëlitis accipiendi, & possidendi quicquam in terra Chanaan.

Magis tamen dicendum est, quod isti hic nominati sunt viri totius terræ Chanaan: sunt enim nomina septem populorum, & cum dicitur pugnauerunt contra vos viri ciuitatis ipsius non intelligitur de Iericho, sed accipitur ciuitas pro tota terra Chanaan: sic aliquando tota terra Chanaan vocatur locus quasi esset unus locus, vt patet Num. 10. cum dixit Moyses ad Iethro sacerdotum suum: proficisci mus ad locū, quē Dominus Deus datus est nobis id est ad terrā promissionis. Et tunc dicendum, quod viri istius ciuitatis erāt Amorrhaeus Pherezæus &c. id est omnes isti septem populi erāt in terra Chanaan, & patet quod accipiatur pro terra tota, & nō pro ciuitate Iericho, quia dicitur immediate: tradidi illos in

Cap. XXIV.

D manus vestras misique ante vos crabrones, & cieci eos de locis suis: si tamen essent isti Amorrhaei Pherezæi &c. in vrbē Iericho, non diceretur, quod eieci essent de locis suis, sed de loco suo, ideo pro tota terra necessario accipitur, & tunc etiam stat litera à principio. s. pugnauerunt contra vos viri ciuitatis, quia licet non pugnauerunt viri vrbis Iericho contra Israëlitas pugnauerunt viri alterius terræ Chanaan: multa namque bella facta sunt in terra Chanaan contra Iudeos cū fere septem annis manserint in bellis, vt patet ex declaratis supra c. 14. & in his multoties mouerunt bellum viri isti contra Israëlitas, & multoties Israëlitæ contra eos. *Et tradidi illos in manus vestras.* s. maiorem partem harum gentium tradiderat Deus in manus Israelitarum, & deleuerant illos. Alij autem tradendi quoq; erant illis, vt Deus promiserat sup. 13. & preceding. cap. *Misique ante vos crabrones.* Iste sunt muscae natæ de fine equino, & promiserat Deus, quod mitteret eas, vt patet Exod. 23. & mittam prius crabrones, qui effugabunt Heuæum, & Chanaenæum &c.

Quid crabro mes ibi erant.
Dicunt Hebrei, quod erant muscae supernaturaliter factæ, & venenosæ, quæ Iudeos adiuuabant contra hostes scilicet veneno suo occidendo illos. Vel forte impetum faciendo in oculos eorum non permittendo videre, vt sic facilius occiderentur ab Israëlitis.

Plurimi autem de expositoribus volunt hic intelligi sub metaphora scilicet quod Deus immisit terrorum validum in hostes Iudeorum, & aculei timoris pungebant corda eorum facientes eos fugere à facie H. bræorum, sicut crabrones fugere facerent, & hoc verum est, quia Exod. 23. c. dicitur: *Terrorum meum immittam in præcursum tui, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris, cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam.*

Sed dicendum, quod isti crabrones fuerunt aliqua volatilia causata à Deo ad pœnam Chanaenæorum habentia vim pestiferam ad occidendum, & veniebant cum magno impetu ad oculos Chanaenæorum, atque illos in fugam conuertebant, & cum aliqui eorum fugerent laterent Iudeos isti crabrones occidebant eos, & erant isti ultra timorem, quod patet quia Exo. 23. cum positum fuerit de timore, quem Deus misurus erat super Chanaenæos adiunctum est de crabronibus. s. & mittam crabrones prius, qui fugabunt Chanaenæum &c. si tamen ponerentur crabrones metaphoricè pro aculeis timoris non adderentur ad timorem. Quod autem esset aliquid viuens crabro potens nocere patet Deu. 7. cum dicitur: insuper & crabones mittet dominus Deus tuus in eos donec delectat omnes atq; disperdat qui te fugerunt atque latere potuerunt: si tamen esset timor crabrones isti, non diceretur, quod crabones occiderent Chanaenæos latentes. Venerunt etiam isti crabrones ante introitum Iudeorum in terram & occiderunt multos de Chanaenæis: sic patet Sap. 12. c. s. sed his tanquam hominibus pepercisti: misisti antecessores exercitus tui vespas, vt eos paulatim exterminarēt. Et hoc non potest intelligi sub aliqua metaphora, quia in eadem litera subditur causa de ipsis scilicet q; non misit Deus eas tanquam alio modo non posset exterminare gentes illas, sed quia volebat paulatim punire gentem sic dans aliquem locum pœnitentiæ si forte conuerterentur, & illud signatur Exo. 23. c. cum dicitur: emittam prius crabrones, qui fugabunt &c. id est antequam introirent Israëlitæ in terram illam venerunt crabrones in gentem illam facientes in ea magnam stragem, & postea tempore Israelitarum adhuc manserunt, vt cum aliqui de Chanaenæis, quos Deus volebat perire bello fugerent de manibus Israelitarum crabrones persequerentur eos, & occiderent, etiam si laterent in occultissimis terræ cauernis, vt patet Deu. 7. s. insuper mittā crabrones in eos donec delectant omnes atque disperdant, qui te latere potuerint. Et de his loquitur hic Iosue computans tanquam beneficiū à Deo datū cum nimis adiuerint exercitum Israel contra hostes. Et eieci eos de locis suis. Scilicet istos septem populos, qui fugiebant à facie crabronum persequētiū, & latebāt in cauernis terræ, sed adhuc ibi inueniebant eos crabrones atque occidebant, vt patet Deut. 7. Vel intelligitur de pugna Israelitarum contra eos scilicet quod Deus iusserat terrorum validum in Chanaenæos, ita vt non possent sustinere à facie filiorum Israel, sed fugabantur de locis, & cedebant loca Israëlitis.

F *Duos reges Amorrhaeorum.* Non solum dedit Deus in manus

Israe-

A Israelitarum duos reges Amorrhæos, sed & multos alios: nam Iosue occidit 31. reges ut patet supra 12. preter eos, quos occiderat Moyses, sed intelligitur solum de duobus regibus Schon, & Og, & ponitur de his specialiter, quia fuerūt tempore Moysei deleti. Etiam quia terra eorum erat semota à reliqua terra, quam acceperunt Israelitæ: nam illa est ad partem orientalem Jordanis, ut patet sup. 1. reliqua autem terra Israhitarum est ad partem occidentalem. Etiam terra duorum regum Amorrhæorum non est in terra Chanaan, ut patet ex declaratis sup. 14. terra autem nouem tribuum, & dimidia erat in terra Chananæorum, & refertur istud ad verbum supra positum, scil. cieci de locis suis duos reges Amorrhæos. *Ad possidendum.* Id est, ut tu possideres terram istorum regum Amorrhæorum. *Non in gladio & arcu tuo.* Id est, tu possedisti gentes istas, sed non in potestate gladij tui & arcus. Non est sensus quod Israelitæ non pugnauerint contra gentes istas: pugnauerunt enim & deleuerunt eas, ut patet Num. 21. & Deut. 2. & 3. sed est sensus, quod non faciebant hoc, quia erant fortiores viribus, aut plures numero Chananæi, sed magis è contrario: erant enim Chananæi robustiores & plures, ut patet Deut. 7. unde Israelitæ timuerunt nimis dicentes, quod non possent pugnare contra gentem illam, & desperantes murmurauerunt contra Dominum, ut patet Nu. 13. & 14. cap. & ob hoc Deus hortabatur, ut non timerent considerantes multitudinem gentium, & robur, sed magis considerarent Dei magnitudinem, ut signa quæ fecerat in Ægypto Deut. 7. admonuit etiam, ut quando gentes superauissent non gloriarentur quasi ipsi fecissent hoc, sed Deo referent gratias, ut patet Deut. 8. ca. scil. ne dixeris in corde tuo fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt, sed recorderis domini Dei tui, quod ipse tibi vires præbuerit, ut impleret pactum suum. *Dedit, vobis terræ, in qua non laborastis.* Scilicet, fundando in ea sedes à principio, quoniam aliæ gentes fuerunt accolæ eius. Vel intelligitur nō laborastis, scil. in capiendo eam, scil. quia quanquam Israelitæ ferè septem annis manserint in pugnando, hoc nihil fuit in comparatione laboris quem passi fuissent si proprijs viribus erupturi fuissent terram de manibus Chananæorum, quia nunq̄ eruere potuissent etiā si multis seculis laborarēt, sed versa vice cito Israelitæ à Chananæis delendi forent.

B *Et vrbes, quas non adiicasti.* Nomine vrbium intelliguntur in sacra scriptura omnia loca habentia muros, & portas etiā si parua loca sint, ut villæ, & castra, vel quæcunq; arces. Nec distinguuntur vrbes villæ, & castra sicut nunc nos distinguimus: vrbes autem terræ Chanaan non construxerunt Israelitæ, sed antiqui accolæ terræ Chanaan, scil. Chananæi: à principio enim divisionis linguarum habitauerunt Chananæi in terra illa, ut patet Gen. cap. 10. In hoc exaggerat Deus beneficium suum, scil. quod non duxerat Israelitas in terrâ aliquam, quam deberent nouiter populare constructores sedes, quin potius vrbes habitacula vineæ, & agri, & omnia præexistebant, quæ ad humanas necessitates conueniebant.

C *Et vineas & oliuetæ, que non plantasti.* Per ista intelliguntur omnia alia genera arborum: nam abundabat in arboribus terra illa, ut laudatur Deut. 11. cap. ponuntur alio duo Deut. 6. scil. domus plene multarum opum, & cisternæ, quas Israelitæ non foderunt, & generaliter omnia bona, quæ homines abundantissimi possent acceperunt Israelitæ, cum deleuerunt Chananæos, & habitauerunt in vrbibus eorum. *Nunc ergo timete Dominum.* Hic ponitur secundum, in quo consensum populi ad colendum Deum Iosue denunciat, & infert ex propositis: nunc ergo timete Dominum, id est, videtis quanta fecerit vobis Deus vester, nunc ergo timete eum, id est, ponite cor vestrum, ut ambuletis in timore eius, quia pro tantis suscepitis ad cultum sollicitum ei impendendum tenemini. Accipitur autem hic timor Dei pro timore reuerentiali, scilicet, quod timeant cum offendere cauentes solicite, ne in aliquo offendant, & iste timor est sanctus, quæ Deus in nobis vult.

Et seruite ei perfecto corde. Id est, ambulate in cultu eius, scil. compleentes omnia præcepta, & cæmonias. Et dicitur in corde perfecto, id est puro, scilicet, non habentes aliquem errorem, vel superstitionem falsæ opinionis in cordibus vestris. Vel dicitur in corde perfecto, id est totali, scilicet, ex toto corde vestro adhærete Deo vestro, & non adhæreatis

D partim Deo, & partim idolis, sicut erat de Samaritanis, quos transtulit rex Assyriæ de terra Medorum, & posuit in terra decem tribuum, qui Deum cœli timebant, & nihilominus idolis sacrificabant quarto Regum decimo-septimo capitulo, talis autem modus colendi Deum nullus est: ideo Elias propheta increpuit valde Israelitas de decem tribubus, qui partim sequebatur Deum Israel, & partim colebant Baalim, dicens: quousque claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus sequimini eum, si autem Baalim, sequimini illum tertio Regum decimo-octavo capit. Hebrei exponunt in corde perfecto, id est, simplici, scilicet, non curando multa perscrutari de Deo, sed assentiendo omnibus, quæ de illo dicuntur, & sic exponunt quod habetur Deuter. decimo-octavo capit. scilicet, perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo, id est eris simplex vel insipiens cum Deo, scilicet, non curando de altissimis, & hoc quia ibi dicitur de augurijs, & alijs modis maleficiorum, quibus conantur homines superstitionis inquire occultas veritates: & de hoc dicunt, quod debet homo esse perfectus apud Deum, id est, insipiens non curans inuestigare aliquid horum, sed præcedens sensus est melior.

E *Atque verissimo.* Id est, non habeatis aliquam duplē intentionem prætententes, quod colatis eum, & colatis idola, sed toto ei peccatore adhærete.

Auferete Deos, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia. Id est, non colatis Deos, quos coluerunt patres vestri.

F *An essent aliqua idola inter Iudeos tunc, quando Iosue hoc dixit. Et quare dixit Iosue auferete Deos, quos coluerunt patres vestri in Mesopotamia, & non Deos, quos coluerunt gentes istæ.*

Q V A S T I O X.

I N hoc videtur quod aliqua idola erant inter Iudeos cum Iosue admonuerit, ut auferrent illos Deos, quos coluerant patres eorum. Poterat forte esse quod aliquis ex Israelitis accepisset aliqua idola de vrbibus, quando capiebantur ab Israelitis, quia ibi erant idola multa, & posset custodiare ea penes se, de quibus dicit Iosue, quod abijcant ea à se.

Aliqui dicunt, quod forte quidam de Israelitis adduxerant secum aliqua idola de Ægypto, & ista auferenda erant. Sed dicendum est, quod cum Iosue ista dicebat, non erant aliqua publicè in Israel, quia sic siue essent aliqua personæ priuatæ, siue aliqua tribus deletæ fuissent. Quod patet cum pro sola constructione altaris duarum tribuum & dimidia fecit Iosue conuenire cæteras tribus, ut irent in pugnâ contra illas, ut patet sup. 22. cap. quantumagis fieret pugna pro manifesta idolatria, cum nulla esset maior peruerlio: ut declaratum fuit præced. cap.

Item dicitur infra in litera, quod tempore Iosue, & seniorum, qui vixerūt longo tempore post Iosue nō declinauerūt Israelitæ ad idola: idem patet Iud. 2. c. sed idolorū manifestus cultus erat maxima declinatio, ergo non colebantur tunc,

Item non dicitur conuenienter, quod Israelitæ haberent abscondita aliqua idola, quia nemo auderet hoc facere: vide runt enim qd cum Acha filius Zare in anathemate Iericho furatus fuit regulâ auréam, & pallium coccineum, Deus iratus percussit populū, & ad extremū ipse Acha cum omnibus, quæ ad eum pertinebant perire, ut patet sup. 7. & nō erat ibi idolatria, quantumagis iraferretur Deus si quis idola furatus absconderet?

Item dato quod aliquis peruersitate colendi idolum, aut cupiditate furaretur, & absconderet aliqua idola: tamē videtur quod Deus nō tolerasset hoc: nam cum nō tolerauit delictum Achani qd erat vnius viri, & occultū atq; non directe in ipsum, scil. quia nō erat idolatria, quanto minus tolleraret idolatriam? Sed in toto tempore bellorum prosperauit actus Iudeorum: non videtur ergo quod aliquis haberet aliqua idola, quæ accepisset in ciuitatibus Chananæorum, quando diripiabantur ab Israelitis.

G De idolis autem adductis de Ægypto eisdem rationes militant, & adhuc efficacius, quia non videtur verisimile quomodo tanto tempore potuissent celari idola: nō enim Deus tolerasset tantum nefas, & tam diuturnum, cum alia minora peccata acriter puniret.

Consen
sum po
puli ad
colen
dum
Deum
Iosue
enun
ciat.

A

Item quidquid fuerit de idolis, scil. an Israelitæ haberent aliqua idola abscondita vel non: non potest intelligi litera de illis, nec aliquo modo Iosue intellexit de illis, quia tunc Iosue dixisset auferte Deos, quibus seruierunt gentes istæ; sed dixit auferte Deos, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, ergo non potest intelligi, quod admonebantur Israelitæ dimittere aliqua idola, quæ tunc haberent aut habere præsumerentur.

Sed est sensus auferte Deos, quos coluerunt patres vestri, id est, auferte de cordibus vestris, scil. quanquam realiter nō habeatis aliquos Deos forte habetis eos in mente cum proposito colendi, hos autem auferte de cordibus vestris. Sed dicet aliquis quare dixit Iosue auferte deos, quos coluerunt patres vestri in Mesopotamia, & non dixit: Deos, quos coluerunt gentes istæ: nam magis videtur quod haberent inclinationem & opportunitatem ad colendum Deos illarum gentium, quam Deos Mesopotamia, quia isti Hebræi, qui erant tempore Iosue, nunquam steterant in Mesopotamia, quando patres eorum colebant ibi idola, nec viderunt ea ad hoc, quod scirent, qui dij essent quos colere deberent, vel quos ritus requirent illi dij: in terra autē Chananæorum erant nūc Israelitæ, & videbant deos eorum, & sciebant quos ritus obseruarent Chananæi colendo: ideo magis inclinarentur ad colendū deos Chananæorū: sic enim patet, quia Deus semper magis vetuit coli deos Chananæorū, & Ägypti quā aliarum gentiū tanquā Israelitæ magis inclinarentur ad eos colendū. De hoc Leu. 18. c. dicitur: Iuxta consuetudinē terræ Ägypti, in qua habitatis non facietis, iuxta morē regionis Chanaan, ad quam ego introducerus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorū ambulabitis. Sic etiā Deut. 12. c. specialiter vetantur ritus deorum Chanaan, cum dicitur: Quando disperdiderit Deus tuus gentes ad quas ingredieris possidendas, caue ne imiteris eas, cum fuerint te introeunte subuersæ, & requiras cæremonias earum dicens, sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita ego colam: non similiter facies domino Deo tuo. Tamen manifestū est, quod non solū non debebant Israelitæ facere cæremonias deorū Chanaan Deo suo, sed etiam nec cæremonias deorum aliarum gentium. Sic etiā Deut. 29. specialiter admonentur Israelitæ, ne colerent aliquos deos de illis, quos habebant gentes, per quas transierunt venientes de Ägypto in terram Chanaan.

Responso ad
quaesiū

C

Respondendum quod Israelitæ habebant maiorem opportunitatē ad colendum deos Chananæorū, quia erant in terra eorum, & sciebant cæremonias, quas faciebant Chananæi. Etiam ad colendū deos Ägyptiorū, quia cum in Ägypto mansissent Israelitæ magno tempore sciebant ritus deorum Ägyptiorū, & etiam coluerunt eos aliquando, vt patet hic, scil. auferte deos, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, & Ägypto. Habant tamē maiorē affectionem Israelitæ ad deos Mesopotamia, & Ägypti quā ad deos Chananæorum & aliarum gentiū: non quidem, quia erant istarū terrarum dij, sed quia patres eorum coluerant eos, vt dictum est; afficiuntur autē homines nimis ad ea, quæ fuerunt progenitorū suorum propter amorem, & honorē eorum, ita vt interdum quidam scientes inquis legibus se regulari, eas tamen tolerant, quia maiores eorū sub eis vixerunt, sicut nunc ex maxima parte Iudeis accidit. Quia ergo ex affectione progenitorum Israelitæ nimis inclinarentur ad colendū deos Mesopotamia, & Ägypti abundantius quam deos aliarum gentium: specialiter locutus est Iosue de dijs istis, quod abicerent eos à cordibus suis. Quomodo patres Israelitarum coluerint deos in terra Mesopotamia, patet sup. scil, trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio Thare pater Abraham, & Nachor, seruieruntq; dijs alienis. Et in Ägypto. Id est, auferte deos, quos coluerunt patres vestri in Ägypto. Agitur de Ägypto specialiter, quia Israelitæ specialiter ad istos deos inclinarentur. Et hoc propter duo: primo ex affectione parentum: nam progenitores eorū in Ägypto coluerunt deos terræ illius, vt patet hic, & ista fuit causa, quare Deus permisit affligi nimis Israelitas ab Ägyptijs, vt declaratū est Exo. 1. c. De hac idololatria sub nomine fornicationis dicitur Ezech. 23. c. immundicijs eorum polluta est, insuper & fornicationes suas, quas habuerat in Ägypto non reliquit: nam & illi dormierunt cum ea in adolescentia eius, & illi confregerunt vbera pubertatis eius, & effuderunt fornicationē suam super

Propter
duo Is-
raelitæ
efficie-
bantur
ad deos
Ägy-
ptior.

eam. Secundo Israelitæ efficiebantur ad deos Ägypti, quia manserant in Ägypto magno tempore, & cognoscabant ritus colendi deos Ägyptiorū magis quam aliarum gentium. Vnde graue fuit eis relinquere consuetudinem quam habebant in Ägypto, quanquā Deus sāpe admoneret ne ad idola declinarent, & ob hoc quando prius Israelitæ in deserto idola coluerunt fecerunt sibi bouem Deum, quia in Ägypto maximus Deus erat quidam bos nomine Apis, quem quolibet anno Ägyptij vident eumq; ambulantem solemnia celebrantes, de quo satis declaratum est Exo. 2. & 32. Et ista est causa quare quando vetatur idololatria, fit mentio multoties de terra Ägypti, vt patet hic & Leu. 18. & Deut. 29. Ac seruite Deo. scil. abicite de cordibus vestris omnem desiderium colendi idola, & seruite Deo vero qui est Deus & nemo aliis, & hoc custodiendo cæremonias & leges eius. Sin autem malum robus videtur, vt seruiatis Deo. Id est, si cultus Dei veri videtur vobis malus, vel contra rationem, sicut cultus idolorum pro maiori parte erat valde immundus, & iniquitate plenus, vt patet in ritu sacrificiorum Berecynthia matris deorum, quos describit Aug. 2. de ciu. Dei, & per Ouidium in libris Fastorum, ponuntur omnes cæremonia, quæ siebant in cultu idolorum secundum morem Romanum. Vel si leges date à Deo erant iniquæ ita vt graue, & iniurium foret illis cogi, sicut est de legibus quarundam politiarum. Sed neutrū horum erat: non primum quia Deus non diligit aliquam immundiciam, sed execratur omnes immundicias, quas obseruabant cultores idolorum, vt patet Leu. 18. & Deut. 12. Etiam iniquitatē fugit, vt patet Psal. 5. Quoniam Deus nolens iniquitatem tu es, & odisti omnes qui operantur iniquitatem. Secundū non est, quia leges à Deo datae erant valde iusta, & rationabiles, ita vt Iudei laudarēt ab omnibus gentibus, quia leges tam recte datas habebant, vt patet Deut. 4. cap. scil. est sapientia vestra, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersi præcepta hæc dicant: en populus sapiens, & intelligens. Et Moyses in laudē eorum dicit ibidem, quæ est enim alia gens sic inclyta, quæ habeat cæremonias iusta, iudicia, & vniuersam legem quam ego proponam coram oculis tuis?

Aliter potest intelligi litera, scil. si malum videtur, scilicet malum poenæ, q. d. licet non videatur malum culpæ obseruare legem Dei, tamen sorte est malum poenæ, scil. quod obseruando eam subsequebatur super obseruantes aliqua damnatio, vel erat ipsa lex in se grauis, & ob hoc magis vellent declinare ad cæremonias idolorū: sic enim quidam Iudei tempore Ieremia restiterunt ei in Ägypto, dicentes quod nolabant colere Deum, sed idola, quia quando colebant Deum inueniebant eos aduersitates, & cum colerent idola replebantur bonis; Iere. 44. c. cum dicitur sermonē, quem locutus es ad in nominē domini nō audiemus, sed faciemus omnne, quod egredietur de ore nostro, vt sacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & patres nostri, & reges nostri in plateis Ierusalē, & saturati sumus panibus & bene nobis erat, malumq; non vidimus: ex eo autem quo cessauimus sacrificare reginæ cœli, & libare ei, indigemus omnibus, & in gladio, & fame consumpti sumus, sed hoc nō poterant nunc dicere Israelitæ, quia è contrario erat: nam Deus promittebat obseruantibus legem bona multa: non obseruantibus autē mala multa comminatur, & ea infligebat: Leu. 26. & Deut. 28. ideo non poterat malum videri Israelitis, quod obseruarent legem Dei: nam & si vellent declinare ad cultum idolorum non prodesset eis, quia idola nihil efficiunt, cum nihil sint. De hoc 1. Reg. 12. dixit Saul: Nolite declinare post vanam, quæ non proderunt vobis, nec eruent vos, quia vanam sunt. Optio vobis datur. Id est, conceditur vobis electio, scil. an velitis colere Deum, vel idola.

An verè daretur hic Iudeis electio, scilicet, quod colerent Deum verum, vel deos Amorrheorum, & an Iosue posset facere hoc.

Q V A E S T I O XI.

Q V A E R E T aliquis an verè daretur hic Israelitis electio, an colere vellent Deum, vel idola.

Respondendum quod non, quia colere Deum est de lege naturæ, & colere idola est contra rationē naturalem, ideo in talibus nō est dispensatio, sed obligatio simpliciter determinata ad obserandum cultum Dei. Item dato quod esset hoc

quantum

D

E

F

A quantum ad cæmonias colendi Deum, quæ non sunt de iure naturæ, sed solum per legis rationem, non poterat dari Israelitis optio, an vellent colere Deum sic vel non quia ipsi se obligauerant ad hanc legem, vt patet Exod. 19. ideo non erat eis liberum aliud facere. Item dato quod Israelitis dari posset optio in his, tamen non poterat Iosue dare ista optionem, quia dispensare in lege, vel commutare eam pertinet ad legis conditorem: Iosue autem nō erat legislator, nec potestatem habens à legis conditore ad dissoluendum legem, sed magis ipse erat subiectus legi, ideo nō poterat dare optionem Iudeis ad faciendum hæc.

Sed dicendum magis, quod si aliqui de Iudeis propter hæc verba quasi credentes datam sibi licentiâ ad colendum idola illa colarent, quod Iosue puniret eos obruendo lapidibus, sicut iubetur Deut. 17. vel si aliqua ciuitas aut tribus de Israel hoc attētaret subijceret Iosue eos anathemati secundū legem pœnarum, de quibus Deut. 13. sic enim aggressus est facere contra duas tribus, & dimidiam, quando construxerunt altare sup. 22. & fecisset, nisi reperisset illas à culpa imminentes.

Sed tunc dicetur: quare ergo dicebat Iosue, quod dabatur optio Israelitis? nam videbatur in hoc peccare.

B Respondendum est, quod iste est modus exhortationis ad efficaciter obseruandum legem Dei, scil. quia sciebat Iosue, quod nemo de Israelitis diceret, quod bonum erat reliquo cultu Dei transire ad idolatriam, ideo concluderet Iosue, ergo colamus efficaciter Deum, sicut si quis hortaretur alios ad custodiā aliquarum legum, diceret: vultis quod obseruemus leges vel quod penitus sine lege viuamus? & quia nullus diceret bonum esse penitus sine lege viuere, concluderet admonens, ergo obseruemus efficaciter legem. *Eligite hodie quod placet.* Intelligendo, vt sup. dictum est, scil. quod non dabatur optio Israelitis secundum veritatem, sed ista erant ad admonitionem. *Cui potissimum seruire debeatis.* Id est, cui magis velitis seruire obseruando legem, & ritus cultus eius: non sit hic comparatio Dei ad idola sed idolorum inter se, & quantum ad hoc optio esset Iudeis, scil. quia quamquam esset interdictum Iudeis colere idola, tamen si fas esset, optio erat an colere vellent deos Mesopotamiae, vel Amorrhæorum, quia non erat maior ratio de his quā de illis. *Vtrum dijs quibus seruerunt patres vestri in Mesopotamia.* Ponitur hic electio inter deos Mesopotamiae, & Amorrhæorum, scil. si deberent Iudei colere aliqua idola, & ponitur potius de his quā de dijs aliarum gentium, quia ad hos magis afficerentur Israelites quam ad deos aliarum gentium, scil. ad deos Mesopotamiae propter progenitores suos, quorū mores potius imitari vellent quam aliarum gentium: ad deos autem Chananiorū, quia morabantur in terra eorum, & sciebant ritus eorum, inducerenturq; ad hoc ex cōmunicatione cum Chananis: vnde ob hoc Deus vetuit nuptias inter Israelitas, & Chananos Exod. 34. & Deut. 7. fuerunt autem patres Israelitarū in Mesopotamia, scil. ab initio populi iudaici, quando egressi sunt de terra Chaldaeorum: nam Thare egressus est cum filiis suis de Hur Chaldaeorum, vt veniret in terrā Chanaan, accidit autem, vt maneret in Haram, quæ vocatur Mesopotamia. De hoc Gen. 11. ibi autem coluit Thare deos & filius Nachor totaq; cognatio illius, quæ mansit in ipso loco, sic dicitur sup. trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, & seruerunt dijs alienis: mortuo autem Thare Abraham recessit de Mesopotamia veniens in terram Chanaan Gen. 11. & 12. *An dijs Amorrhæorum in quorum terra habitatis.* Id est, eligite an deos Amorrhæorum, vel Mesopotamiae colatis: non dat eis electionem inter Deum, & idola, sed inter deos diuersos gentium.

Sed adhuc ista electio non stat, quia electio est quando vtraq; pars licet, hic autem neutra licebat. Est tamen electio, quia nihil melius dijs Mesopotamiae seruire quam dijs aliarū gentium, vel è contrario. Vocantur hic Amorrhæi largè: non prout Amorrhæus est unus de septem populis Chananiorum, sed prout signat omnes septem populos: nam nō solum habitabant in terra Amorrhæi populi, sed etiā in terra reliquorum 6. populorum: sic etiam accipitur infra in litera, cum dicitur: eiecit vniuersas gentes, Amorrhæum habitatorem terræ, quam nos intrauimus: tamen non excluserant de terra Hebrei Amorrhæos, sed etiam de omnibus

alijs 6. populis. *Ego autem & domus mea seruiemus Domino.* Id est, licet omnes vos declinetis ad idola, tamē ego & domus mea, id est qui pertinent ad familiam meam, & cognitionem seruiemus Deo, non deserendo legem eius, in quo demonstrat apud se magnæ auctoritatis esse legem Dei, cum etiam propter totum populum Israel non derelinquit eam.

D *Respondit̄, populus & ait.* Erat populus congregatus audiendo admonitionem istam Iosue, & omnes responderunt hæc: nam principes duces, & magistros, & maiores natu congregauerat Iosue, vt patet supra in litera.

Absit à nobis, vt derelinquamus dominum, & seruiamus dijs alienis. Quasi dicat nefas est, quod desereremus legem Dei, & coleremus deos alienos, ideo absit à nobis, vt tale faciamus, scil. nunquam faciemus. *Dominus Deus noster ipse eduxisset nos.* Reddunt rationem Israelites quare colere debeant Deum, & arguunt ex beneficijs receptis, scil. quia eduxit eos de terra Ægypti, tenetur enim naturaliter quilibet bene passus pro beneficio, & quia beneficium collatum Israelites erat maximum, scil. libertas collata, potissimè cum liberarentur de grauissima seruitute, ideo id, ad quod tenebantur Iudei erat maximum, scil. vt colerent Deum toto corde, & totis viribus. Sciendum tamen quod iste cultus, quem Israelites Deo impendebant, non debebat esse, quia eripuerat eos de Ægypto, sed quia Deus erat: nam etiam si nullum bonum eis specialiter impendisset, tenebantur colere eum, quia Deus erat, & tenebantur nullius alium Deum colere, & dato quod beneficium liberationis de Ægypto contulisset alius, qui non esset Deus, & alia quam plurima beneficia: non tenerentur Israelites illum colere: immo non deberent, alioquin peccarent, quia soli Deo latra debetur: Israelites tamen, qui erant rudes magis respiciebant ad ea, quæ erant sensibilia, scilicet, ad suscepta beneficia.

E Poteſt autem aliter intelligi, scil. quod Israelites non parent se obligatos ad colendum Deum, quia eduxerat eos de Ægypto, sed ad sic colendum se obligatos credebant ex beneficio: est enim obligatio ad colendum Deum naturaliter, ad quam non pertinet beneficium aliquod nobis à Deo specialiter collatum: sed hæc obligatio nihil speciale determinat, sed solum quod nullum alium præter Deum colamus, & quod ei in corde nostro adhæreamus: sed quod exterius ei hunc cultum, vel illū impendamus, obligatio nulla est. Hæc causa est ex alijs causis, scil. ex legislatione & susceptione legis huius, & collatis beneficijs, & quia Deus valde benefeciat Israelites liberando eos de Ægypto, non solū putabant se Israelites obligatos ad colendum Deum, sed etiam ad impendenda ei omnia obsequia, quæ in lege expressa erant. Hoc autem appetat, quia quando Deus voluit dare legem Israelites, in qua positurus erat præcepta colendi eum, persuasit eis quod recipieren t eam, non expressit, quod ipse erat Deus ideo deberent accipere legem illius, sed commemorauit beneficia dicens: vos ipsi vidistis quid fecerim Ægyptijs, & quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpsierim mihi, &c. Exod. decimonono, quasi Israelites non accepti essent à Deo illum speciale modum viuendi, quia Deus erat, sed quia eis benefeciat. Et quia ad talia secundum naturam non erat obligatio, poterant cadere sub voto sic enim Jacob voulit, quod acciperet Deum in Deum suum, si daret ei panem ad comedendum, & vestem ad induendum, & prosperitatem in via Genes. vigesimo octavo, scilicet, quod acciperet eum in Deum quantum ad quandam speciale modum colendi, quod patet ibi, quia dicitur: omnium quæ dederis mihi decimas reddam tibi. Reddere autem decimas est quidam modus specialis cultus, ad quem non est obligatio secundum naturam.

F *Et patres nostros de terra Ægypti.* Scilicet, non solum eduxit nos, sed etiam patres nostros, multi autem erant tempore, quo ista dicebantur, qui exierant de Ægypto: nam de illis, qui erant à viginti annis, & supra soli Iosue, & Caleb euaserant maledictionem, vt patet Numeri decimoquarto, & vigesimo sexto, exceptis etiam Leuitis super quos non erat ista sententia. De his tamen, qui nondum habebant annum vigesimum plurimi de Ægypto exierunt, & introierunt in terram Chanaan, & horum erant nunc multi coram Iosue, quando ista dicebantur. De patribus autem suis, quod eduerint de terra Hebrei Amorrhæos, sed etiam de omnibus

A

fuorum mortui sunt in deserto, & alij introierunt in terram Chanaan.

De domo seruitutis. Scilicet, Aegyptus erat dominus seruitutis, quia dum ibi manserunt Iudei fuerunt in seruitute, nec solum seruitute, sed grauissima, ita vocaretur fornax ferrea Aegypti, Deut. quinto, & ergastulum, ut patet Exodi sexto. Ponunt autem Israelitae istud beneficium, quando enarrant beneficia Dei tanquam præcipuum, quia verè ipsum fuit maximum omnium beneficiorum collatorum Hebreis, eo quod erat conferre libertatem, quæ est de bonis maximum, & quia libertas erat de maxima seruitute, & quia erat beneficium vniuersale, scilicet, toti populo collatum, cum nullus fuerit in Aegypto, ad quem pars huius beneficij non peruerterit. Etiam quia per multa miracula ista libertas procurata est.

Fecitque videntibus nobis signa ingentia. Id est, mirabilia magna, scilicet ad liberationem nostram. Ista fuerunt facta in Aegypto, quia ibi inflixit Deus plagas decem Aegyptijs antequam dimitterent Hebraeos de terra sua, de quibus Exodi à capitulo septimo usque ad duodecimum. Etiam fuerunt facta signa magna post exitum de Aegypto, scilicet, in apertione maris rubri, Exodi decimoquarto fuit quoque postea miraculum mutationis aquarum in Marath, Exodi decimoquinto, & deinde in datione mannae, & coturnicum, Exodi decimosexto: saep quoque aquam Hebreis Deus de petra dedidit, ut in Raphidim Exodi decimo septimo, & in Cadesbarne Numeri vigesimo: multa quoque alia signa faciebat per desertum de quibus in libro Exodi & Numeri ad introitum quoque in terram Chanaan Deus fecit signa magna, ut in apertione Iordanis supra tertio & quarto, & postea pugnante Iosue misit Deus lapides grandinis super hostes de cœlo, & occisi sunt plurimi: eodem quoque die petente Iosue Deus fecit stare solem spatio vnius diei: Iosue decimo capitulo. Hæc omnia viderunt plurimi de Hebreis, qui tunc aderant cum loqueretur Iosue. Dixerunt ista facta esse videntibus eis, scilicet, quia in hoc Deus illis magnum conferebat beneficium, quia propter eos ista siebant.

Vel dicitur hoc infirmitudinem credulitatis, quia cum diceretur, quod Deus fecisset signa magna propter patres corum, debebant Iudei magnas gratias agere Deo. Aliquis tamen forte non crederet, vel non firmiter assentiret facta esse mirabilia, ideo minus referrent gratias Deo. Ad signandum ergo, quod nimis tenebantur tanquam pro certissimo beneficio, dicunt quod eis videntibus facta sunt mirabilia.

Et custodiuimus nos in omni via per quam ambulauimus. Id est, in toto itinere ex Aegypto usque ad terram Chanaan. Nam medio tempore varias partes solitudinem perambulauerunt, & inciderunt in varia pericula, nisi eos Deus liberaasset: sic dicitur Deuteronom. 2. cap. Deus nouit iter tuum quomodo transieris solitudinem hanc magnam per quadraginta annos habitans tecum dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit.

Et in cunctis populis, per quos transiuiimus. Id est, apud quos transiuiimus: non enim transierunt Israelitæ ambulantes per desertum per populos multos: transiuerunt tamen apud populos multos, & non minora pericula patiebantur ab illis, apud quos transibant quām ab eis, per quos transibant: transierunt enim primo apud Amalechitas, scilicet, quando transeuntes mare rubrum venerunt post in Raphidim, & ibi appropinquabant ad terram Amalec, ut declaratū est Num. 14. tunc exeuntes Amalechitæ, quasi ex insidijs percusserunt posteriorem partem castrorum: Exodi 17. cap. Et postea pugnauit ibi Iosue contra eos. Iterum autem anno secundo ab exitu de Aegypto transierunt apud terram Amalec, cum steterunt Israelitæ in Cadesbarne, & ibi pugnauerunt Amalechitæ cōtra eos, & Chananæi, atque occiderunt multos Numeri 14. cap. deinde anno quadragesimo ab exitu de Aegypto transierunt apud terram Edom, & non permiserunt Idumæi Israelitas transire per terram suam Numeri 20. cap. postea eodem anno transierunt apud terram Chananæi regis Arad, & pugnauerunt Chananæi contra Israel, atque ceperunt prædam: sed post Israelitæ voto se obligantes deleuerunt vrbes eorum: Numeri 21. cap. postea transierunt Israelitæ per terram duorum regum Amorrhæorum Schon, &

Og, & pugnantes acceperunt terram eorum deletis habitatoribus: Numeri 21. & Deuteronom. 2. & 3. in omnibus his populis, per quos transierunt adiuvuit Deus Israelitas: transierunt quoque eodem anno per terram Madian, non quidem, ut per illam esset iter rectum Iudeorum ad terram Chanaan, sed quia quidam de exercitu missi fuerunt illuc, & pugnantes deleuerunt Madianitas Num. 31. cap.

Et eiecit vniuersas gentes. Scilicet, gentes Chananæorum, in quorum terram introiunimus, non quidem, quod iam vniuersi Chananæi de terra eieci forent, quia nunquam eieci fuerunt, etiā temporibus sequentibus cum Philistini semper manserunt, & Chananæi Tyrij, & Sidonij erant tempore, quo Christus prædicabat: nam ad eum de finibus Tyri, & Sidonis mulier Chananæa egressa est Matth. 15. cap. nunc autem multæ gentes adhuc supererant, ut patet sup. 13. & Iudicum 3. cap. dicitur: Hæ sunt gentes, quas dereliquit dominus, scilicet, quinque Satrapas Philistinorum, omnemque Chananæum atque Sidonium, & Heuenum, qui habitabant in monte Libano: sed dicuntur omnes gentes eiecta, quia maxima pars eiecta erat, & de reliquis confidebant Israelitæ tanquam iam eieci forent: eo quod Deus promiserat, quod ejusceret eos supra decimotertio capit. scilicet. Ego sum, qui delebo eos à facie Israhel.

Amorrhæum habitatorem terræ, quam nos introiuiimus. Illud ponitur hic, tanquam expositiū præcedentis, scilicet, eicit Deus coram nobis vniuersas gentes, scilicet. Amorrhæum. Accipitur hic Amorrhæus largè, non prout est unus de septem populis Chanaan, sed pro omnibus septem, quia non solum exclusæ sunt gentes Amorrhæorum, sed etiam Huanorum, Hethæorum, Iebusaorum, & terræ istorum captæ sunt, nam Ierusalem erat Iebusaorum supra decimoquinto capit. Ceperunt tamen illam Israelitæ: Iudicum primo cap. Gabaon autem Heuaorum erat, ut patet supra 11. ceperunt tamen eam Hebrei, ut patet ibidem, & supra 9. capitul. sic enim Amorrhæi accipiuntur largè pro omnibus septem populis interdum, ut patet Genes. 15. cap. scilicet: nondum enim impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad presentis tempus, & vocantur Amorrhæi omnes populi Chananæorum, de quorum terra ibi Deus loquebatur Abraham: sic etiam habetur Amos 2. scilicet, ego exterminaui à facie eorum Amorrhæum, cuius altitudo cedrorum altitudo eius, & fortis ipse, ut quercus, & ibidem iterum: eduxi vos in desertum quadraginta annis, ut possideatis terram Amorrhæi: non solum tamen intelligebatur hoc de populo Amorrhæorum, sed de omnibus septem populis. Vocatur hic Amorrhæus habitator terræ, ad quam introierunt Israelitæ, quam solam terram habitatam ab illis septem populis acceperunt.

Seruiemus ergo domino. Concludunt Israelitæ ex præpositis, quod ipsi debeant colere, & colent Deum verum, quia nimis benefecit eis, & vocant eum dominum specialiter, & sine connotatione, quia ipse erat verus Deus, & dominus super omnes.

Quia ipse est dominus Deus noster. Scilicet, debitores sumus, ut colamus dominum, quia ipse est dominus, scilicet, potestatem exercens super omnes, propter quod timendus est: est etiam Deus per naturam, propter quod omnes eum colere tenentur saltem aliquo cultu generali: est etiam noster, scilicet, quia nobis specialia beneficia contulit, accepitque nos in populum peculiarem sibi, & nos eum accepimus in Deum: Exodi decimonono capit. & ob hoc eum specialiter colere debemus.

Dixit q̄ Iosue ad populum: Non poteritis seruire Dominum: Deus enim Sanctus, & fortis amulator est, nec ignorat sceleribus vestris atque peccatis, si dimiseritis dominum, & seruieritis diis alienis, conuertet se, & affliget vos, atque subuertet postquam vobis præstite rit bona. *Dixit q̄ populus ad Iosue: Nequaquam ita ut loqueris erit, sed Domino seruiemus.* *Et Iosue ad populum, testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis omnium, ut seruatis ei.* *Responderunt q̄ testes.* *Nunc ergo, ait, auferte eos alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel.* *Dixit que populus ad Iosue: Domino Deo nostro seruemus,*

D

E

F

Populi
per
quos, &
apud
quos Is-
raelitæ
tenden-
tes in
Chanaan
transi-
runt.

& obedi- n-

A & obedientes erimus praeceptis eius. Percusit ergo Iosue in die illo fædus, & proposuit populo præcepta atque iudicia in Sichem. Scripsit quoque omnia verba hec in volumine legis Domini, & tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini, & dixit ad omnem populum: En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audieritis omnia verba Domini, quæ locutus est vobis, ne forte postea negare velitis, & mentiri Domino Deo vestro. Dimisitque populum singulos in possessionem suam.

Iosue
difficul-
tatem
colendi
domini
expli-
cat.

Dixitque Iosue ad populum. Hic ponitur tertium, in quo Iosue difficultatem colendi Deum explicat, scil. quod quamquam Iudei nunc profecti essent, quod Deum solum colere vellent, tamen non possent.

B Non poteritis seruire Domino. Scilicet, continuare ad obseruandum legem eius, quia dura vobis videtur.

Et derelinquetis eam. Non dicitur hic non poteritis, id est, non erit vobis possibile, quia lex data à Deo non erat impossibilis, sed multum rationabilis, & Moyses dicit illam fuisse leuem ad obseruandum, & quod non possent Israelitæ caluminari de eius difficultate, vt patet Deuter. 30. cap. sed dicit eam impossibilem, quia videretur grauis Israclitis.

Quomodo Israelite non poterant seruire Deo. Et quare non possent.

Q V E S T I O XII.

S Ed dicet aliquis quomodo dicit Iosue, quod Israelitæ non possent seruire domino, cum ipse supra dixerit, quod etiam si totus Israel vellet colere Deos Mesopotamiæ, vel Amorrhæorum, ipse & domus sua colerent Deum? nam si ceteris erat impossibilis cultus Dei, & ei quoque fieret impossibilis.

Respondendum, quod non erat impossibilitas, sed difficultas, & Iosue, quia ad Deum afficiebatur subire istam difficultatem, immo non videretur ei difficilis obseruatio: ceteris autem videretur difficilis, & fugerent eam. Proueniebat forte ista difficultas propter assuetudinem ad peccandum: nam assueto ad aliquod genus peccati, difficillimum est derelinquere illud, eo quod transiuit in naturam. Nam consuetudo est altera natura, vt patet 7. Ethicorum, & sicut à naturalibus vix quis recedit, ita ab assuetis, sic dicitur Ierem. 13. si potest murare æthiops pellem suam, & pardus varietas suas, sic & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Vel poterat hoc esse propter penas grauissimas Dei, quas pro peccatis infligebat, scil. si Israclitæ manerent in cultu Dei, & aliquando peccarent Deus puniret eos grauiter, & ipsi non possent tolerare penas illas, & sic recederent à cultu Dei ad viuendum sub alijs legibus, scil. idolorum, sed etiam hoc nihil proficiebat, quia cum Israelitæ obligati essent ad manendum in lege Dei, etiam si nollent manere, sed transirent ad cultum aliorum Deorum, vt non punirentur, cum peccarent semper punirentur, quia non erat eis liberum renunciare, vel relinquere obseruantiam legis Dei: secus autem in gentilibus, quia antequam conuerterentur ad ritum Iudaicum liberum erat eis conuerti, vel non conuerti: & dato, quod agerent contra legem datam Iudeis non punirentur, si tamen semel conuerterentur, & non obseruarent legem paniebantur, & iam non erat eis liberum diuertere ad cultum aliorum Deorum.

C Deus enim Sanctus. Hic dat Iosue causam quare non possent Israelitæ seruire Deo, scilicet, quia mores eorum repugnabant conditionibus voluntatis Dei: nam Israelitæ erant detiti vitijs, & immunditijs: Deus autem omnia hæc detestabatur, & puniebat, quia Deus nolens iniquitatem est, vt patet Psalmo 5. & ipse detestatur immunditias. Vnde admotuimus Israclitas, ne facerent immunditias, quas gentes faciebant: de quibus habetur Leu. 18. quia sic euineret eos terra, sicut euomuerat accolas terræ illius: & ad hoc dicitur hic: Deus est Sanctus, id est mundus, ob hoc vult omnem puritatem, & munditiam in cultoribus suis, vt patet Leu. 11. & 20. & Matth. 5. scil. Sancti estote, quia ego Sanctus sum, sed Israelite non erant mundi à vitijs, ideo non possent tolerare mores Dei.

Et fortis æmulator est. Ista possunt ponni hic, tanquam duo, scilicet, Deus est fortis, & Deus est æmulator. Vel quod ponantur tanquam vnum, scil. Deus est æmulator fortis, id est nimis æmulsans. Primo modo accipiendo per se fortis: est sensus, quod Deus fortis est, ideo non possent Israelite tollere mores eius. Et dependet ex superiori, quia diceret aliquis, quod quanquam Deus esset diligens munditiam, tam non posset punire immundos.

Et respondeatur, quod potest, quia fortis est, scilicet, nimis potens, & tunc dictio æmulator tollit aliud dubium, quia æmulator signat zelatorem, & pertinet ad virum, qui zelat vxorem suam, scilicet, quod nollet, quod ipsa aliquem diligenter præter ipsum, & quod nulli commiseretur, nisi ipsi. Deus autem est æmulator sive zelator, scilicet nolens, quod nemo ametur super omnia nisi ipse, & nemo colatur sacrificio, vel alio cultu latræ, nisi ipse. Et hoc dicitur, quia aliquis diceret, quod de nobis non curat, quod simus mundi, & sic quanquam simus mundi non puniemur.

Respondetur quod puniemur, quia Deus est æmulator, id est, zelator, scilicet nimis attendens, quod diligamus, & si non diligimus, vel si alium colimus, dolet: sicut vir zelotes pro vxoris adulterio, ideo valde puniet delinquentes.

E Si autem si simul fortis æmulator, est sensus, quod est nimis æmulans, scilicet, quia magis ipse curat, quod colatur quam vir curat de vxore, quod eum diligit solum.

Nec ignoscet sceleribus vestris. Hoc etiam tollit dubium, quia diceret aliquis, quod quanquam Deus esset Sanctus, & emulator, quia tamen est nimis misericors non puniret. Respondetur quod non parcat delinquentibus, & hoc potissimum, quando peccant circa idolatriam: nam in hoc paccato magis Deus puniebat, & circa hoc erat propriæ zelotes, nec est aliquid aliud in quo vocetur Deus æmulator, sicut est de viro respectu vxoris. Nam vir habet vxorem exosam pro quo-cunque eius crimine, sed nihil intolerabilius viro in vxore est quam adulterium, & cetera respectu huius venialia sunt. Etiam licet in ceteris criminibus vir persecutus vxorem: circa nihil tamen est zelotes, nisi vt ipsa nullum alium diligit sicut eum.

F Atque peccatis. Ponuntur hic peccata, & sceleræ, quia scelus est graue delictum, sicut idolatria, & ea quæ nimis militant contra Deum: peccata autem sunt quæcunq; alia minora: omnia autem hæc Deus punit, & potissime ipsa sceleræ. Si dimiseritis dominum, & seruieritis diis alienis. Expressit de hoc, quia circa istud est emulatio Dei, nihil enim est sic directè contra Deum, sicut idolatria, & ob hoc maxime punienda, vt declaratum est Exodi 23. cap. in alijs autem facilius Deus remittit: ideo si quis puro corde cultui Dei applicetur soli Deo honorem diuinum impendens eiusque honorem in omnibus cupiens, etiam si in quibusdam ex passione peccet, faciliter remittuntur.

Conuertet se, & affliget. Scilicet, non permittet vos impunes elabi, sed conuertet se ad vos puniendum, conuersio Dei aliquando in scriptura accipitur in bonum, & sic Deus iubebat sacerdotibus, quod benedicerent Israclitæ dicentes, conuertat dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Ali quando accipitur conuersio in malum, & sic est hic, scilicet, quod Deus conuertitur ad puniendum.

Atque subuertet. Id est, non solum affliget, sed etiam subuertet, in quo signatur extreum: nam subuersio est totalis destructio, scilicet, quod cum Israelitæ colebant idola non solum illis infligebat penas sterilitatis, vel pestis, aut similia, quæ erant afflictiones quædam, sed ad ultimum tradebat eos in manus hostium, vt occiderent eos, & captiuos ducerent in terram alienam, quod erat subuertere, & in hoc consummatus fuit status Iudeorum quantum ad decem tribus, quia propter idolatriam ductæ sunt ab Assyriis in terram Medorum, & Persarum, vt patet quarto Regum decimo septimo cap.

Postquam vobis præstiterit bona. Istud potest dupliciter intelligi, uno modo, quod quanquam Deus primo præstisset bona Israclitæ, tamen postea mala eis infligeret si peccarent, & istud est tollere dubium: quia diceret aliquis, quod cum Deus à principio contulisset bona Israclitæ quanquam postea peccarent non subuerteret eos, ne deleret, quod construxerat: sed dicitur, quod hoc non obstante Deus puniret illos.

Differ-
tia in
ter pec-
catum,
& sce-
lus.

A Est enim Deo vtrumq; indifferens, scilicet, quod sicut latatur Deus, quando benefacit bene operantibus, ita latatur cum affligit sceleratos, ut patet Deuteronom. 28. scilicet, sicut latatus est ante super vos vobis benefaciens, vsq; multiplicans, siveque latabitur super vos disperdens, atque subvertens.

Aliter potest intelligi, quod Deus puniret Hebreos postquam bona eis praefliterat, scilicet, quod ex hoc, quod benefecerat eis magis illos, quam ceteros puniret, ut sicut specialiter eis benefaciebat, ita specialiter eos puniret. Nam gentiles quanquam peccarent non ita grauiter eos Deus puniebat, quia non prestatibat eis specialia beneficia, Iudeis autem Deus prestatibat magna bona, quia erant populus suus, cum ergo declinabant ad idololatria incidebant in grauiores penitentes quam ceteri populi, eo quod ipsi iam erant magis ingratiti eo, quod receptis talibus beneficiis a Deo recesserunt, ideo postquam bona praefliterat affligeret, si non contulisset.

Dixitq; populus ad Iosue. Difficultauerat Iosue cultum Dei: ex hoc denuncians Israelitas non permanuros eo die, Israelitas respondent, quod non erit sic. Ista verba Iosue nimis proficiebant ad exhortationem, quia cum diceret cultum Dei esse difficultem, & impossibilem Iudeis, & ipsi hoc negarent, acuebat Iudeos ad tenacius inharentem Deo, & tenendum cultum eius.

B Nequaquam, ita ut loqueris erit. Scilicet, quod ipse dicebat, quod ipsi deserturi essent dominum, & non manerent in legi eius: Hebrei autem asserebant, quod firmissime colerent Deum, & in hoc non grauabant Iosue, quanquam dicerent, quod non eueneret, sicut ipse dicebat, quia Iosue non dicebat hoc, ut assenseret, & denuncians, sed magis, ut sic exhortans ad exacuendū eos, & firmiores faciendum in cultu Dei. Quanquam ergo dicerent ipsi, quod sic euenturum non foret, non contradicebant intentioni Iosue, nec dicebant eum mentiri, potissimum quia ipsi cognoscebant hoc intentione exhortatoria fuisse locutum.

C Sed Domino seruimus. Scilicet, manentes in lege eius & non declinantes ad idola. Et Iosue ad populum. Et hic ponitur decimum, in quo Iosue consensum repetitum populi ex quadam professione confirmat, scilicet supra promiserant Israelitas, quod dominum colerent, nunc autem iterum induxit eos consensum exprimere atq; confirmare, & inducit testes, ut firmius sit, quod fit. *Testes inquit vos estis.* Id est, Iosue inquit vos estis testes, scilicet, quod eligitis dominum ad colendum: ipsos enim & in facto suo testes inducit, quia non erat aliquis alius, qui testificari posset, cum omnes de populo hoc profiterentur, scilicet, quod Deum colerent, & haberent in Deum, ipsi autem non essent conuenientes testes contra se. Dixit tamen Iosue ad magis incitandum eos: induxit quoque postea lapidem magnum in testem, ut patet infra. *Quod ipsi elegeritis dominum, ut seruatis ei.* Id est, iam nullus negare poterit, qui vos voluntarie subieceritis cultui Dei, & dicitur quod elegerunt dominum ad seruendum, non est tamen propriè eligere, quia vbi est electio est libertas voluntatis: Hebrei tamen non habebant libertatem ad colendum Deum, vel non, quia obligati erant ad eum colendum ex die, quo acceperunt legem in monte Sinai, sed dicitur, quod acceperunt, vel elegerunt dominū, quia ipsi sponte se nunc subdiderunt domino ad colendum, ita ut dato, quod prius non essent obligati, nunc se vellent obligare, & ad obligationem, quam habebant nunc nouam aliam addebant, ita quod magis erant tunc obligati quam prius, & si nunc peccarent contra legem Dei, iam grauius peccarent quam primo. Sic est in omnibus votis, quando quis vovet facere ea, ad quae prius obligatus erat.

Responderunt testes. Id est, ipsi responderunt nos sumus testes, quod elegerimus dominum: & assumpserimus eum ad colendum.

Nunc ergo ait auferre Deos alienos de medio vestrum. Id est, Iosue ait postquam Israelitas ista confessi sunt: ergo auferre Deos alienos, scilicet, vos accepistis dominum ad colendum eum, sed non potestis colere simul dominum, & idola, ideo abijcite Deos alienos, est enim Deus emulator quantum ad hoc, sicut vir ad uxorem suam, scilicet, quod non vult, quod alium amet cum eo, ita Deus si colatur non permittit, quod alius colatur.

D Sciendum, quod ista determinatio alienos est distrahens, sicut mortuus respectu hominis, quia sicut homo mortuus non est homo, ita Deus alienus non est Deus: sed vocantur dij alieni, scilicet, quia apud gentes alias vocantur dij, sed non sunt: dixit autem Iosue, quod abijcerent Deos de medio sui: non quod tunc aliquos Deos alienos colerent Israelitas, ut probatum est supra hoc capitu. sed loquebatur quantum ad desiderium colendi illos.

Et inclinate corda vestra ad dominum Deum Israel. Id est, quamquam ante hoc aliqui corde suo sequerentur idola, nunc inclinent corda ad diligendum dominum Israel, & seruendū ei, & debent inclinare, scilicet, subiiciendo voluntate suam voluntati alienæ: nam qui seruit non quod vult, sed quod aliis velle & efficere debet, & quia ante hoc aliqui forte habebant corda vaga non subiiciendo illa alicui legi Dei, nunc autem, quia Deo seruiti erant, debebant seruare legem eius oportebat, quod inclinarent corda. *Dixitque populus, Dominu Deo nostro seruiemus.* Respondent, quod inclinabunt corda sua ad faciendum omnia, quæ lex Dei iubet, & quæ exiguntur ad colendum dominum.

E *Et obedientes erimus preceptis eius.* Id est, non indurabimus ceruicem nostram per inobedientiam, sed faciemus omnia, quæ verè obedientes faciunt, sive facere debent. Sæpe enim increpat Moyse Israelitas, quod erant duræ ceruicis, & Deus eos sic increpauerat: Exodi trigesimo secundo cap. scilicet. Cerno, quod populus iste duræ ceruicis sit, & Moyse ait: Ceruicem vestram durissimam amplius ne induretis decimo capit. Deuteronom. Ideo Israelitas, scientes quod in hoc sæpe peccauerant, profitentur quod amplius non peccabant, sed obedientes erunt. *Percusit ergo Iosue fœdus in die illa.* Id est, fecit pactum cum Israelitis, ut seruarent legem.

Quid erat facere fœdus, & quomodo fiebat.

Q V A E S T I O XIII.

F *Quare talibus, quid erat facere fœdus, & quomodo fiebat.* Respondeatur quod quandocunque aliquis vult obligare aliud ad id, ad quod obligatus non est, quarit ab eo consensum suum, per quem obligetur: & cum ipse promiserit de faciendo aliquid est pactum initium, vel positum fœdus. Sic Deus pepigit fœdus cum Abraham, ut daret ei terram Chanaan, ut patet Genesi. decimoquinto capit. & pepigit fœdus cum Israelitis, ut seruarent legem eius: nam non erant naturaliter obligati Israelitas seruare aliquam legem cultus Dei. Deus autem petuit ab eis, quod acciperent legem ab eo suadendo eis per suscepta beneficia, & ipsi consenserunt dicentes: omnia, quæ præcepit dominus faciemus, & tunc initum est fœdus, quia Deus accepit Israelitas in populum peculiarem, & Israelitas acceperunt dominum specialiter in Deum: Exodi decimonono capitulo.

Sciendum autem, quod antiquitus cum inter aliquos viros solenniter iniebatur fœdus, & occidebantur aliqua animalia, & diuidebantur per medium, & ipsi qui iniebant pacum, transibant per medias diuisiones, ad signandum, quod deberet sic diuidi ille, quia violaret pacum, & tunc erat confirmata præmissio. Deus autem voluit tenere istum modum cum Hebreis in præmissionibus, quas faciebant, ut eas ratas esse crederent. Et cum primum promisit Abraham dare semini suo terram Chanaan, fecit cum eo fœdus hoc modo, scilicet iussit, quod occideret Abraham arietem trimum, & capram trimam, & vaccam trimam, & columbam & turturam: animalia autem fecit diuidi per medium, & posuit mediates altrinsecus se resgientes, ita ut locus esset ad transendum per medium: cum autem occubuisset sol apparuit ignis transiens inter medias diuisiones, & iste representabat dominum transientem, quia ipse erat, qui iniebat fœdus, cum Abraham, ut patet Gen. decimoquinto cap. Et cum scripta fuerint immediate subditur ibidem. In die illa pepigit dominus fœdus cum Abraham, dicens: semini tuo dabo terram Chanaan, &c. Similiter autem data lege cum confirmata est Deus fecit, ut obseruaretur cæteronia feederis, scilicet occisa sunt multa animalia, & effusus est sanguis eorum in crateras, & lecta lege corā toto populo cum omnes dixissent cuncta, quæ præcepit Dominus faciemus, fudit Moyses sanguinem

Vide de
hoc Ti
cum Li
nium
primo
ab ur
be con
data,

A super totum populum, & super altare, & super librum legis: Exodi vigesimoquarto capit. & ad Hebræos nono capitulo ad significandum, quod quicunque transgrederetur pactum funderetur sanguis eius: super populum enim fundebatur sanguis, quia populus ex una parte iniebat fœdus promittens, quod obseruaret legem: super altare autem, & librum legis fundebatur sanguis loco Dei, quia Deus erat unus de intentibus fœdus, scilicet, quia ipse promittebat accipere Israelitas in populum peculiarem, & quia super dominum nullo modo fundi poterat, quia incorporeus est, fundebatur sanguis super altare, & super librum loco eius, quia ista erant de rebus sacris pertinentibus ad dominum.

In alijs autem fœderibus pertinentibus ad dominum hic modus erat, quanquam interdum non exprimatur, quia scriptura subintelligit cæremonias fœderis: cum dicit fœdus esse initum, sed sufficit dici, quod initum est fœdus.

An in hoc fœdere fuerint istæ cæremoniae obseruatae, quæ dictæ sunt.

Q V A E S T I O XIV.

Q VÆRITVR vterius, an in isto fœdere, quod hic pugnit Iosue cum Israelitis de obseruando legem Dei, fuerint tales cæremoniae obseruatae.

B Respondetur, quod occiso animalium in compositione fœderis erat antiquitus ad solennitatem, & firmitatem pacti quia non putabant pacta esse rata, nisi ista interuenirent, nunc autem non necessaria aliqua obligatio de nouo, quia erant obligati Hebrei ab antiquo seruire Deo, & seruare legem eius, sed fecit Iosue istud pactum cum Israclitæ ad quandam exhortationem, & incitationem eorum ad colendum dominum, quia animi eorum iam erant pigri & desides, nunc autem renouaretur in eis ardor quidam ad colendum dominum, ideo sicut non erat necessaria obligatio, ita nec cæremonia fœderis erat necessaria.

C Sciendum tamen, quod hic occisa sunt animalia aliqua, & facta est cæremonia fœderum, scilicet, quod omnes Israclitæ transferunt per medias diuisiones, vel quod funderetur de sanguine supra totum populum. Et dicendum generaliter, quod vbiunque in tota sacra Scriptura dicitur, quod Israclitæ inierunt fœdus aliquod cum domino, siue illud esset alicuius præcepti noui, siue antiqui, semper fiebat cæremonia fœderi in occisione animalium. Ideo quando erant aliqui prophetæ, vel reges sancti, qui inducebant populum ad obseruationem alicuius præcepti Dei, quod prius non seruabatur complete, faciebat quod nouiter populus se astringet ad obseruationem illius, & ut confirmaretur hoc, celebraretur fœdus. Sic factum est tempore regis Sedechia Ierusalymis prædicante Ieremia: nam omnes Iudei promiserunt dimittere seruos suos, & ancillas de genere Hebreorum in libertate, & dimiserunt, quod nunquam reducerent ad se, & ad confirmationem huius fecerant fœdus occidentes animalia, & transeuntes per medias diuisiones: sic patet Ierem. 35. capit. scil. Et dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, & non seruauerunt verba fœderis mei, quibus assensi sunt in cōspicere meo, vitulumq; cōciderunt in duas partes, & transferunt inter diuisiones eius: principes Iuda & principes Ierusalē: Eunuchi, & sacerdotes, & omnis populus terræ, qui transferunt inter diuisionem vituli; sicut ergo ibi factum est fœdus cum cæremonijs suis, vbi nec pactum nouum, nec cæremoniae aliquæ erant, ita hic, & in omni loco, vbi dicitur factum fuisse fœdus intelligentum est sic, quia alias non esset verum, quod esset factum fœdus, cum istæ sint cæremoniae necessariae in fœdere.

An hic fuerit facta aliqua aspersio sanguinis.

Q V A E S T I O XV.

Q VÆRERETVR aliquis, an in compositione istius fœderis fuerit facta aliqua aspersio sanguinis super aliquid loco Dei.

Respondendum est, quod sicut supradictum est cæremoniae istæ fœderis fiebant ad confirmationem promissionis, & cum cōponentes fœdera transibant inter medias diuisiones,

signabatur quod sic diuideretur, qui pactum infringeret, cum autem sanguis aspergebatur, erat sensus quod sic fundetur sanguis super violatores pacti, & qui a istæ erant pertinæ solum pertinebant ad illos, qui aliquid promittebant, & quia iniendo fœdera, aliquando vtraque pars alteri aliquid promittit, aliquando una solum se obligat, alia vero obligationem acceptat, vtrig; ideo interdū transeunt per medias diuisiones, vel sanguine asperguntur, interdum vero unus tantum: sic patet in fœderibus factus cum Deo. Fœdus enim quod pepigit Deus cum Abraham de dando semi eius terram Chanaan, sicut solum ad obligationem Dei, scil. quia Deus ibi aliquid promisit, scil. dare terrā, Abraham autem nihil promisit, ideo Abrahām nō transiuit per medias diuisiones animalium, sed solus Deus, scil. flamma quædā loco Dei, Abraham solum astabat diuisionibus illis abigens aues à carnibus Gen. 15. cap. in compositione autem fœderis quando Israclitæ suscepérunt legē fuit promissio vtrinq; scil. quia Deus promittebat Israclitæ, quod acciperet eos in peculiarē populum. Et Israclitæ promittebant, quod seruarent omnia mandata Dei, vt patet Exod. 19. cap. ideo super vtrōsq; aspersio sanguinis facta est, scil. super totum populū, & super librum, & altare quoq; vt patet Exod. 24. & ad Hebr. 9. cap. in fœdere autem, quod pepigerunt Israclitæ tempore Sedechia de seruorū libertate Ierem. 35. cap. soli ipsi promiserunt, Deus autem nihil promisit: ideo ipsi soli transiisse leguntur inter diuisiones vituli, præallegato cap. sic autem fuit hic, quia Israclitæ ad instantiā Iosue promiserunt seruare legem Dei, & obligauerunt se per fœdus: Deus autem ad nihil se obligauit, nec locutus fuit in isto fœdere, ideo ipsi transierunt soli inter medias diuisiones,

Et proposuit populo precepta atque iudicia. Id est, posuit coram Israclitæ iudicia, id est, præcepta Iudicialia, & præcepta, id est, alia præcepta, quæ pertinebant ad cæremonias colendi.

Queret aliquis quæ præcepta erant ista, quæ proposuit Iosue populo. Respondendum est, quod hoc potest intelligi de præceptis legis Dei, scil. quod ipse sua sit eis, quod seruarent legem Dei, & illi consenserunt, feceruntq; super hoc pactū, ideo verisimile erat, quod Iosue faceret eis recitari totam legem, vt recordarentur eius, & scirent, quod obseruare deberent: nam sic iubebatur in lege, quod de septenio in septenium conueniente populo toto in sanctuario legeretur corā eis liber Deut. vt sic omnes addiscerent legem Dei, Deuter. 31. capit. in hac autem lege principaliter continentur præcepta Iudicialia, & cæremonialia, moralia namq; pauca sunt, iudicialia autem vocantur iudicia, quia per ista iudicabatur causis foralibus; præcepta vero vocantur omnia cæremonialia, quæ pertinent ad ritum colendi, & multa sunt.

Aliter potest intelligi, quod Iosue proposuit toti populo præcepta atque iudicia, scilicet, quod cum conuenerunt ad eum, dedit eis aliqua noua præcepta Iudicialia, & aliqua cæremonialia; & hoc magis innuit litera quam præcedentem sensum: est enim valde rationabiliter dictum: nam multa erant negotia, quæ per solā legem Dei, scilicet per leges iudiciales ibi positas non poterant terminari: ideo necessariū erat, quod principes Iudeorū statuerent aliqua decreta pro singulis causis, quibus viuerent, & ista vocarentur iudicia, quia ad actiones forales pertinent, ad modum quoq; viuendi multa pertinebant in cæremonijs, quæ non erant expressa in lege: ideo viri sancti, & prophetæ atque potentes in populo Hebreorum constituere ista debebant: conueniebat autem valde hoc Iosue, quia ipse erat Propheta Domini, & ex hoc poterat cognoscere quid Deus vellet, & istud Israclitæ seruandum nunciare. Erat quoq; princeps populi, ideo habebat auctoritatem constituendi, ita vt populus reciperet constituta eius, credendum est ergo, quod dederit hic Iosue aliqua præcepta, tam cæremonialia, quam iudicialia, & non solum fœdus factum fuit ad obseruationem legis Dei, sed etiam ad obseruationem horum.

In Sichem. Id est, istud fœdus factum fuit in Sichem, & posita sunt ibi præcepta. Est autem Sichem ciuitas in monte Ephraim in sorte eius, & data fuit ista ciuitas sacerdotibus supra vigesimoprimo capitul. deinde quoque facta est una de ciuitatibus profugorum supra vigesimo capitul. in hac enim vrbe conuocauerat Israclitæ Iosue, vt loqueretur, vt patet in principio capitul.

A

Scriptitque omnia verba hac in volumine legis domini. Scilicet, omnia quæ hic gesta sunt, scriptit Iosue in libro legis Domini, scilicet, quomodo totus populus pepigisset foedus cum domino ad seruendum ei, vt si alij negare vellent, non posse, quia reperiretur in libro legis Domini: etiam scriptit Iosue ibi leges, quas nunc dedit populo ad seruandum, vt manerent ibi ad firmam memoriam.

Quid est istud volumen legis, in quo Iosue scriptit h.e.c. Et quomodo licet addere Sacra scripture.

Q V A E S T I O XVI.

QUÆRET ALIQUIS, quid est istud volumen legis, in quo scriptit Iosue ista, quæ habentur hic.

ALIQUIS RESPONDEBIT, quod erat aliquis liber, in quo continebantur quinque libri Moysi, vel solum Deuteronomiū, & in illo scriptit Iosue.

Sed hoc non stat, quia nihil proficiebat sic scribi, si iste liber esset aliquid commune, quia non maneret ad firmam, & certam in memoriā posterorum. Dicendum ergo est, quod istud volumen legis Dei, quod hic indeterminatē vocatur sic quasi sit aliquid cognitum, erat liber Deuteronomiū. quem scripserat Moyses manu sua, & posuerat in latere arcæ, manebatque ad memoriam posterorum, vt patet Deut. 31. cap.

B Sed dicet aliquis, quod hoc non stat, quia Iosue non poterat accipere hunc librum, vt in eo quicquā scriberet, quia erat reconditus in latere arcæ, ubi cum posuerat Moyses, præallegato capi. ad arcā autem non licebat Iosue accedere ad quidquam inde educendum, quia erat popularis, nec poterat introire coram illa.

Respondendum est, quod non licebat Iosue per se accedere ad arcā ad educendum hunc librum: licebat tamen ei iubere alicui sacerdoti, & præcipue sacerdoti magno, vt illum inde educeret. Nam quolibet anno septimo educebatur inde: iussorat enim Moyses, quod quolibet anno remissionis, scilicet de septennio in septennium conuenientibus Israelitis in locum Sanctuarij legeretur liber ille coram toto populo, & demum reduceretur ad arcā Deuteronomij trigesimoprimo capitulo. sic autem poterant nunc sacerdotes educere librum illum inde, potissimum ad imperium Iosue, quia tam sacerdos magnus quā totus populus Israel iubente Deo ei obedire tenebatur. Numeri vigesimo septimo capit. scilicet, pro hoc siquid agendū erit Eleazar sacerdos consulēt dominū: ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse & omnes filii Israel.

C Sed adhuc dicetur, quod Iosue non auderet scribere aliquid in volumine illo, quia delinqueret: nam non licebat alicui addere ad id quod scriptum erat Deuteronom. 4. cap. scilicet, non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo, & Deuteronom. 12. cap. dicitur: quod præcipio tibi hoc tantum facito, nec addas quidquam, nec minuas.

Respondendū est, q̄ non licebat alicui addere ad ea, quæ scripta erāt in libro illo vel in aliquo alio libro legis afferendo, quod id quod addebat erat de textu, & ita obseruandū sicut textus, si quis tamē aliquid poneret tanquā expositionē nō peccaret, quia ipsa sapientia laudat exploratores suos dicens; qui illucidant me vitam eternā possidebunt: Ecclesiast. 24. cap. Siquis enim in libro legis ponet aliquid, non tanquam partē libri, nec tanquā expositionē, sed vt pertinens ad aliquid negotiū, & diceret non esse partē scripturæ sacrae, non peccaret: ille enim textus condemnat quosdā errantes hæreticos, qui vt erroribus suis fidem accommodarent, sacræ Scripturæ illos infondere conati sunt: alij quoq; ea quæ contra intentionē suam in sacra Scriptura reperierunt, auferre conati sunt: Et de his dicitur. Iosue autem nihil addidit sacræ Scripturæ, nec abstulit; sed in libro in quo scriptura Sacra erat ea, quæ gesta fuerint in hoc canone ad memoriā futurorum descripsit. Sed adhuc arguitur, quod non licuerit Iosue condere aliqua præcepta iudicialia, vel cæmeritalia ad mores, & vitam Indæorum, quia dicitur Deut. 12. cap. quod præcipio tibi hoc tantum facito domino Deo tuo, nec addas quidquam, nec minuas. Si tamen dedisset Iosue præcepta cæmeritalia, aut iudicialia, necesse erat, quod Iudei aliquid plus facerent: ergo non potuit condere.

D Respondendum, quod ille textus militat contra præcepta cæmeritalia, de iudicialibus autem non intelligitur: quod patet, quia dicitur hoc facito domino: sed ea, quæ per homines se habent ad dominum, vel quæ faciunt ad Deum sunt cæmeritalia, vel moralia. Nam iudicialia solum dirigunt homines inter se, quantum ad cæmeritalia autem dicendum, quod intelligitur, scilicet, quod in illis cæmeritalijs, quæ datae erant à Deo nihil adderent, aut subtraherent, tanquam partes illarum cæmeritalium: non tamen vetabatur nouas cæmeritas inuenire quantum ad ea, in quibus non erant inveniæ positæ cæmeritæ: dum tamen istæ non repugnarent cæmeritalijs in lege positis; verbi gratia, vt Deus iussit in quibusdam immolationibus aspergi leptics sanguinem, vt Leuitici quarto, & decimoquarto cap. Numeri decimono cap. ibi nō licet pluries aspergi, nec aliquid tolli. Etiam Deus iubebat in holocausto cremari omnes carnes, ideo non licebat cuiquam inde aliquid tollere Leuitici primo capitulo. in sacrificio solus adeps cremandus erat Leuitici tertio cap. ideo quanquam quis deuotus esset, & velle, quod de carnibus, quæ sibi prouenientibant aliquæ, vel omnes crementur in altari, non licebat, quia iam addebat: ita etiā in festiuitatibus erant sacrificia regularia determinata in certo numero cum libamentis suis. Numeri vigesimo octavo, & vigesimono capitulo. ideo ibi non licebat addi plura animalia. Sic etiam cum quis transibat ad numerum à vigesimo anno, & supra soluebat dimidium sicutum, & si plus soluere velle non permittebatur: sic dicitur Exodi 30. cap. qui habetur in numero à viginti annis, & supra dabit premium: diues non addet ad dimidium sicuti, & pauper nihil minuet, & sic de omnibus cæmeritalijs, quarum determinatio erat in lege, aliqui tamen actus erant, circa quos non erant positæ cæmeritæ in lege, & circa illos licebat nouas cæmeritas inuenire non repugnantes cæmeritalijs scriptis in lege, alioquin præcluderetur via ad colendum dominum nimis, quia non permitteretur si quis ad maiora se arctare velle quam in lege scripta reperiuntur, quod valde est absurdum: unde Iudei præter cæmeritalias in lege positas valde multas adiuenerunt; sicut patet de cæmeritalijs Phariseorū, Tres fæta Saducæorū, & Essenorū, quæ erant tres fætae principales inter Iudeos: & de cæmeritalijs quartæ Philosophiæ apud Iudeos, in quibus quatuor Philosophijs ponit cæmeritalias, & positiones Iosephus secundo libro, de bello Iudaico: licuit ergo Iosue dare præcepta iudicialia, & cæmeritalia, & scribere illa in libro legis Domini.

Ad quid volebat Iosue scribere in libro legis Domini, hoc de quibus patet in iuvem fuerat cum Israelitibus.

Q V A E S T I O XVII.

QUÆRET VR Vlterius ad quid volebat Iosue scribere F hac in libro legis domini.

Respondetur, quod populus nunc inierat foedus, quod seruarent legē domini nouiter se obligando ad eam, & quia si aliter peccarent posset Iosue, vel posteri, qui essent viri boni accusare eos allegando foedus, quod nunc inierant cum domino, ipsi autem forte negarent, voluit Iosue, quod manerent gesta ista scripta in loco aliquo, de quo non possent surripi, aut perdi, non poterant autem esse conuenientius quam in libro legis Dei. Nam nullus locus secretior, & sanctior erat inter Israelitas, quam arca quæ erat intra sancta Sanctorum, sed in hac non poterat ponere Iosue hanc scripturam, si scriptisset in aliquo libello, quia nulli licebat aperire arcā; immo & accedere ad eam, quando nuda foret, nō licebat nisi sacerdoti magno, & aliquibus de minoribus, quos ipse secum vocasset ad velandum eam: Numeri 4. cap. aperire autem eam non legitur, quod alicui liceret, nec licebat, nisi cui Deus specialiter iuberet. Intra hanc arcā erant tabulae, & virga Aaron, & vrna, & manna ad Hebreos nono cap. Et quia hanc arcā non licebat aperiri, Moyses non posuit Deuteronomium in ea, sed in latere eius, quia de septennio in septennium debebat inde extrahi, & reduci in die tabernaculorum Deuteronomij trigesimo capit. manebat autem locus aliis valde secretus, scilicet, secretissimus immediate post arcā, & iste erat latus arcæ, in quo erat liber legis: in hoc

A in hoc poterat conseruari scriptura hæc: potuisset autem Iosue libellum pactum continentem gesta fœderis huius, & præcepta tunc data confidere reponendum in latere arca: sed quia sacerdotes poterant inde tollere eum, cum de septennio in septennium educebatur liber legis, tutius fuit in ipso libro legis scribi, vt sic non posset perire, nisi pariter liber legis perderetur: hoc autem obseruauit Deus, vt omnia, quæ manere debebant in testimonium essent in loco valde securo, de quo à nullo surripi possent, vel ut aliquid subscriberetur, vel tolleretur, & quia tabulae legis seruabantur ad hoc ne possent Israelitæ negare se suscepisse legem à Deo, fecit eas Deus poni in arca, vt patet Exod. 25. cap. vbi iubetur quod testimonium poneretur in arca, scil. tabulae, quæ erant testimonium: virga quoq; Aaron manebat in memoria, quod Deus dedit sacerdotium Aaron, & posteris eius, ne quis illud sibi usurparet, ideo posita est in arca, vt colligitur Numeri decimo septimo cap. & patet ad Hæbreos nono cap. vrna autem cum manna mansit ad memoriam diuinorum beneficij, scil. quod Deus aluerat Israelitas in deserto illo cibo quadraginta annis, ideo fuit posita in arca, vt colligitur Exod. 16. cap. & patet ad Hebræ. 9. cap. ista autem fuerunt posita in arca, quia raro, vel nunquam educenda erant, & quia arca nunquam aperiebatur, nisi Deus alicui interdù specialiter iuberet, erant conuenienter in ea. Deuteronom. quoque legis cum cantico posuit Moyses ad memoriam, & testimonium totius legis data, ne possent negare Iudei præcepta, quæ receperant. Et quia liber iste erat educendus de septennio in septennium in festo tabernaculorum ad legendum coram populo, non potuit poni conuenienter in arca, sed posuit Moyses illum in latere arcae, vt inde eum sacerdotes educere possent temporibus suis Deuteronomij trigesimo cap. cum isto autem libro pariter recedita sunt hæc scripta Iosue, scilicet, in aliquibus folijs eius, vt cum quis negare vellit fœdus initum de seruando legem tempore Iosue poterat ex loco illo haberi sufficiens documentum.

Vbi factum est istud fœdus.

Q V A E S T I O XVIII.

Q VÆRET aliquis, vbi factum est istud fœdus, & ea, quæ enarrantur.

Respondendum est, quod facta sunt in Sichem, vt patet hic, & supra dicitur, quod congregauit Iosue populum in Sichem. Sed tunc arguetur, quomodo erat ibi Sanctuarium: nam dicitur supra decimo octavo cap. quod Israelitæ fixerunt tabernaculum in Silo, & postea ibi mansit, & fuit ibi usque ad tempus Eli sacerdotis, de quo primo Regum primo cap. & vsq; ad quartum: ergo non potuit esse in Sichem.

C Alij respondent quod Sichem, & Silo sunt idem: ideo existendo in Silo erat in Sichem: multæ enim sunt urbes, quæ habent multa nomina. Sed non stat, quia ista erant duo loca: nam dicitur tertio Regum, duodecimo capitulu. quod Ieroboam ædificauit Sichem in monte Ephraim, & habitavit ibi, sed postea capit. decimoquarto dicitur, quod Ieroboam misit uxorem suam ad Ahiam prophetam in Silo, ergo non erat idem locus Sichem, & Silo. Item hoc tenet Iosephus quinto antiquitatum, dicens, quod Iosue posuit sacrū tabernaculū domini iuxta Silo, & inde transiuit in Sichem.

Alij ergo respondent, quod Sichem, & Silo erant loca distincta, nunc tamen non erat tabernaculum in Sichem, sed in Silo. Sed contra hoc videtur supra in litera, scil. quod isti Israelitæ congregati steterunt coram domino: hoc autem est esse coram Sanctuario.

Ad hoc respondent, quod esse coram domino est in quocunq; loco, in quo multi sunt congregati ad aliquem actum pertinente ad Deum, quia dixit Christus, vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum: Matthæi decimo octavo capitulu. ideo etiam si non esset ibi Sanctuarium, poterant dici esse coram domino. Sed hoc non stat, quia dicitur immediate in litera, quod Iosue tulit lapidem grandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini.

Alij ergo respondent, quod in Sichem erant nunc Israelitæ, & ibi non erat Sanctuarium Domini, sed quia cogregaue-

rat eos ibi Iosue, fabricauerunt ibi altare ad offerendum, & illud altare cum loco coniunctum vocabatur Sanctuarium domini: ipsum autem Sanctuarium domini non erat ibi, sed manebat in Silo. Istam expositionem tenet Iosephus quinta antiquitat. dicens: Iosue autem de Galgalis denuo castrametatus sacrum tabernaculum constituit iuxta ciuitatem Seilon: locus enim opportunus pulchritudine videbatur, donec ædificare templum quietis causa permitteret, & deinde procedens ad Sichem cum omni populo altare domino constituit. Sed hoc dato arguetur, quia hic dicitur, quod tulit lapidem, & grandem posuit illum subter quercum, quæ erat in Sanctuario domini: ergo ibi erat tabernaculum, & non solum altare, quia dato quod altare vocaretur Sanctuarium, non poterat in altari esse quercus.

Aliquis ergo respondebit aliter, quod Sanctuarium accipitur hic propriè, & istud non erat in Sichem, sed in Silo: & quando dicitur hic de lapide posito in Sanctuario domini, dicunt, quod fuit positus in Silo in Sanctuario in testimonium post istam concionem. Sed hoc non stat, quia iste lapis fuit positus in testimonium ante finitam concionem priusquam recederent Israelitæ de loco, in quo erant: qd patet, qua postquam posuit lapidem dixit ad populum: en lapis vobis in testimoniu, quod audieritis verba Domini, ne forte postea negare velitis, & mentiri domino Deo vestro. Et sequitur: dimisitq; populum singulos in passiones suas, scilicet post lapidis positionem, sed ista concio fuerat in Sichem congregata, vt patet in litera: ergo ibi fuit positus lapis iste, & ibi erat Sanctuarium, in quo erat quercus, sub qua fuit positus lapis.

Solum ergo potest responderi duplice ad hoc: uno modo quod in Sichem non fuit Sanctuarium, sed solum altare constructum: & ipsum altare cum loco vicino vocatum fuit hic Sanctuarium propter res sacras, quæ ibi exercebantur. Et cum obiectetur, quod lapis fuit ibi positus sub arbore, quæ erat in Sanctuario. Dicendum, quod locus coniunctus altari erat Sanctuarium, & in illo erat arbor, & lapis ibi positus est, & ista est positio Iosephi, vt dictum est.

Aliter responderi potest, scilicet, quod in Sichem fuit facta ista concio, & ibi fuit Sanctuarium Domini, & intra atrium Sanctuarium fuit arbor, & lapis. Et cum dicitur quomodo potuit ibi esse Sanctuarium, quia erat in Silo?

Respondendum est, quod duplice esse poterat: uno modo, quod intelligamus factum fuisse hoc aliter, quam continet ordo literæ, scilicet, quod sit hic recapitulatio, & tamen ea, quæ habentur hic fuerunt facta ante ea, quæ habentur supra decimo octavo cap. & tunc cum tabernaculum fixum fuerit habita pace contra Chananæos eo tempore, de quo ibi: ante hoc tabernaculum erat mobile per loca, quia nondum fuerat fixum in aliquo loco, ideo poterat duci in Sichem, & in quæcumque alia loca. Hoc autem tenet Iosephus ex parte quinto antiquitat, scil. quia quanquam non dicat, quod in Sichem fuit ductum tabernaculum, tamen tenet quod hic sit recapitulatio, quia vult, quod post hoc diuina est terra per sortes, de quo supra decimo octavo cap. & ista positio satis est rationabilis, quanquam communiter dicatur, quod ista, quæ habentur hic, fecit Iosue paulo ante mortem suam cum esset valde senex, & grandævus.

Alius potest dici, quod Sanctuarium domini fuit in Sichem, quia quanquam fuisse possum in Silo; tamen translatum fuit in Sichem, non quidem ad semper ibi manendum, sed ad faciendum ibi aliquid speciale, sicut nunc, quando congregatus fuit totus populus ad faciendum fœdus, postea autem rediitum fuit Sanctuarium in Silo, & mansit tibi semper usque ad mortem Eli sacerdotis, quando arca capta est à Philistinis, & tabernaculum translatum est ad urbem Nobe. Et tulit lapidem prægrandem. Quando facta fuerunt hec voluit Iosue relinquere testes, vel signum huius facti, & accepit lapidem prægrandem, id est, valde grandem, vt positio illius esset signum eorum, quæ facta fuerant, accepit autem Iosue lapidem, quia ille relinquendus erat ut memoriale gestorum: consueuerant autem Iudei tunc omnia memorialia gesta in lapidibus relinquere: sicut enim cum Moyses vellet memoriam relinquere, qd Deus deleturus esset Amalechitas, construxit altare, vt patet Exo. 17. cum autem vellet relinquere memoriam confirmationis legis factæ in monte Sinai relinquere ibi duodecim lapideos titulos, & altare Exod. 24. cap.

An in
Sichem
fuerit
sæctua
rium.

F

A cum etiam vellet memoriam relinquere confirmationis, quam facturi erant ipsius legis post introitum in terram Chanaan, iussit lapides magnos calce levigari, & super illos Deuteronomium totum ad memoriam aeternam descripsi: fieri quod altare de lapidibus ad immolandas victimas pro solennitate confirmationis legis Deuteronomij septimo. Israelite autem postea sic fecerunt, ut patet supra octauo capitulo. Cum etiam relictus esset Iosue memoriam transitus Israelitarum per Iordanem diuisum, fecit erigi duodecim lapides grandes in alveo Iordanis testes duodecim tribuum, quae per locum ipsum transierant supra quarto cap. & cum vellet memoriam primae castrametationis terrae Chanaan, & gestorum eius posteris dare, fecit tolli duodecim lapides de alveo Iordanis, & eduxerunt eos secum usque ad locum, in quo nocte castrametati sunt, scilicet in Galgalam, & manserunt ibi in signum posteriorum supra quarto & quinto capit. cum etiam digna memoratu esset circuncisio illa, quam fecit Iosue in Galgalis, videlicet, quando circuncidit omnes Israelite, qui in deserto per quadraginta annos non circuncisi fuerant, cultris lapideis celebrata est, ut patet supra 5. capit. ita hic lapis magnus gestorum positus testis est.

Subter quercum, quae erat in Sanctuario Domini. Erat aliqua magna quercus in sanctuario, & sub illa positus fuit lapis. Ille lapis non mansit semper in Sanctuario, quia quanquam in Sichem dicemus interfuisse Sanctuarium, ubi ista celebrata sunt, tamen non fuit postea ibi Sanctuarium, sed in Silo: non tamen differunt, quia ibi ubi erat, scilicet, sub illa quercu maneret in testimonium eorum, quae gesta erant, sicut Samuel pugnans contra Philistinos posuit lapidem magnum in itinere quodam usque ad locum, ad quem persecuti fuerant, & percosserant Philistinos dicens: hucusque auxiliatus est nobis dominus: primo Regum septimo cap.

Quomodo poterat esse quercus in Sanctuario Dei.

Q V A E S T I O XIX.

QVÆRET ALIQUIS, QUOMODO POTERAT ESSE ARBOR ISTA QUERCUS IN SANCTUARIO DEI? nam Deus vetus erat dicens non plantabis lucum, & omnem arborum, iuxta altare Domini Dei tui: Deuter. 16. cap.

Respondent aliqui, quod hic erat unica arbor intra Sanctuarium, & una arbor non facit lucum, sed multæ: scriptura autem lucum vetuit.

Sed dicendum non stare, quia non solum lucus vetitus est, sed quæcumque arbor, scilicet non plantabis lucum, & omnem arborum, id est, nullam arborum plantabis per aequipollentiam contrariorum.

CAliter respondent quidam, quod vetabatur plantare lucum vel arborem in Sanctuario, siue apud altare, tamen non vetabatur esse ibi arbores, si illæ praefuerant, & non iubebatur scindiri.

Sed dicendum, quod hoc non stat, nam ratio præcepti eadem est, quia hoc iubebatur propter cultores idolorum, & potissimum propter cultores Priapi, qui post sacrificia libidinibus, & obscenitatibus vacabant, ut declaratum est Exodi vigesimo cap. in fine, & Deuteronomij decimosexto capit. si autem altare poneretur apud arbores, quae iam præexistebant eodem obscenitates fieri poterant: ideo apud lucum, vel arbores non debebat ponere altare, vel si construeretur debebant arbores abscondi.

Rabbi Salomon, aliter respondet, scilicet, quod hic est error, per aequiuocationem, quia dictio quae hic ponitur, pro qua nos dicimus quercum est aequiuoca ad signandum quercum, vel liminare domus, & hic accipitur in secundo sensu, scilicet, quod fuit positus lapis ille sub liminari in Sanctuario, & tunc non habet aliqua difficultas.

Sed hoc non stat, quia lapis iste relinquens in memoriam posteriorum, & in testimoniis, ideo ponere debebat in loco patienti, ubi omnes eum conspicere possent & memorari initio fœderis. Si autem sub liminari esset, necessarium erat, quod esset sub terra, ideo ad manifestationem nihil proficeret.

Item non stat, quia dato quod fuisse Sanctuarium nunc in Sichem, non erat ibi liminare domus Dei, quia hoc erat, quando erat constructa aliqua domus, in qua esset taberna-

cum, quae posset habere ligninare, & super liminaria & postes, tabernaculum autem ipsum, quod Moyses construxerat, nihil tale habebat, quia omnis introitus eius erat de velis hiacinthinis, & multorum colorum, & non erat ibi liminare, nec postes: ergo in Sanctuario in Sichem non poterat esse limen, sub quo poneretur lapis: potuisset autem esse in Silo, quia ibi constructa fuerat domus magna ad mansionem tabernaculi, quia ibi magno tempore manere debebat, sed non factum est ibi: ideo non tenet ista expositio, sed dicendum est, quod fuerit lapis positus sub arbore.

Et tunc respondendum est secundum unam de duabus vijs, scilicet, quomodo esset Sanctuarium in Sichem, & illi qui dicunt ibi fuisse solum altare constructum, & non tabernaculum, debent dicere, quod apud altare erat quercus magna, sub qua positus fuit lapis.

Et cum dicitur, quod erat contra legem, respondetur, quod si altare Domini debuisset ibi manere aliquanto tempore, non licuisset altare ponere apud arborum, sed amputanda erat: quia tamen hoc fuit solum ad unam diem, scilicet, quando initum fuit fœdus, & data fuerunt præcepta, & post quam nunquam Israelite ibi sacrificauerunt, licitum fuit, mansit autem arbor, & sub illa lapis magnus.

Secundum illos, qui dicunt, quod in Sichem fuerit Sanctuarium: dicendum est, quod arbor ista fuit in Sanctuario Domini, id est, in atrio tabernaculi: Israelite enim quando mouebantur per desertum sivebant tabernaculum ubi cunq; volebant, & in circuitu eius erigebatur atrium, quod erat magnæ longitudinis, & latitudinis, de qua Exodi vigesimo-septimo cap. & poterant ibi multæ arborum esse, quia atrium tabernaculi non habebat operimentum pro techo, sed soli parietes de velis byssinis innixos columnis altitudine cubitorum quinque, præallegato capit. ideo etiam si essent arbores valde excelsæ, nil obstat. Et sic quando in Sichem positum fuit tabernaculum, intra atrium eius fuit aliqua quercus, & sub ea lapis positus: & tunc dicendum, sicut supra, quod si Sanctuarium Domini aliquanto tempore ibi mansurum foret illicitum esset, quod ibi esset aliqua arbor, cum tamen unica die manserit, vel paucissimis secundum exigentiam eorum, quae hic facta sunt, licuit ibi esse arborum.

Et dixit ad omnem populum: en lapis iste. Hic ponitur quintus, in quo ad consensum supradictum signum applicat, scilicet inducendo lapidem in testimoniis.

En lapis iste vobis erit in testimonium. Id est iste lapis magnus hic positus erit testimoniis, quod feceritis fœdus cum domino ad obediendum eis semper.

Quomodo iste lapis collocatus sub arbore ab Iosue, ponebatur in testimoniis.

Q V A E S T I O X X.

QVÆRET ALIQUIS QUOMODO LAPIS ISTE PONEBATUR IN TESTIMONIUM: nam per eum nil probabatur: ipse enim non poterat testimonium prohibere eorum, quae gesta erant: & si quis ostenderet eum ab antiquis positum sub arbore, dicaretque fuisse ad hoc positum, negaretur, quia non apparebat, quod ad hoc magis quam ad aliquid alterum positus esset.

Aliquis dicet, quod iste lapis erat positus in testimonium, quia sufficiens testimonium habebatur per illum eorum, quae gesta erant, sicut multa alia huiusmodi Deus reliquit in testimonium: sic enim tabulae duas lapides in quibus erat legis decalogus scriptus fuerunt reseratae in arca ad sufficiendum probationem, quod Deus dedisset legem Israelite: sic etiam virga Aaron erat in arca in signum sacerdotij magni ei, & posteris suis a Deo collati: urna quoque continens manna erat conservata ibidem in testimonium, quod tali cibo aliisset Deus Israelite in deserto quadraginta annis, & Deuteronomium similiter erat in testimonium in latere arcæ, ut supra dictum est, & ista sufficienter probabant ea, ad quae ponebantur: ergo lapis iste in testimonium adductus probaret.

Respondeatur, quod non erat simile: nam tabulae legis probabant legem a Deo datam: quia ipsæ erant taliter scriptæ, quod nullus hominum talem scripturam fabricare potuisset. Erant namque scriptæ digito Dei utræque tabula tam

A Primæ, quam secundæ, ut patet Exodi trigesimo secundo capitulo & trigesimo quarto capit. Cum ergo illæ tabulae presentarentur alicui, ille videns scripturam illam nequaquam potuisse fieri manibus hominum, necessario crederet opere Dei confectas tabularum inscriptiones. Virga quoque Aaron sufficienter proferebat probationem, quia cum ipsa à multis seculis in arca mansisset, semper florens erat, ut declaratum est Numeri decimo septimo capit. cum ergo aliqui viderent virgulam parvam in arca reconditam florentem, & viridem esse, necessario viderent illud opus naturæ limites excedere, & esset exactissima probatio. Vrna quoque cum manna sufficiēter probabat, quia ibi erat talis cibus, qualis apud nullam terram nunquam inuentus est, nec aliqua humana confectione fieri posset: qualitas quoque eius contra naturæ conditionem nimis hoc signabat, scilicet quod ad solem liquefiebat, & ad ignem indurabatur, ut patet Exod. 16. capit. & Numeri undecimo cap. abundantissima ergo erat omnium istorum probatio. Liber quoque Deuteronomij, qui in latere arcæ reconditus erat probationem sufficientem faciebat, non quidem ex modo scripture, quia humano artificio facta erat scilicet, per Moysen Deuteronom. trigesimo primo capitulu sed ex loco, in quo erat, scilicet, in latere arcæ, quia cum ibi posuisset eum Moyses, nemo poterat illum surripere, ut detraharet testimonium, nec poterat aliquid inde radere, aut super scribere, quia cum esset in tali loco nulli erat fas illuc accedere, nisi ei ex officio conueniret, & huic quidem si bono zelo accederet alioquin periret, sicut de Bethsamitis, quibus non licebat accedere, alias videre arcam, & quia videbantur, mortui sunt plurimi, ut patet primo Regum sexto capitul. Oza quoque sacerdos, quanquam esset sacerdos, cui ex officio accedere licebat, quia tamen illicite, vel indebitate accessit mortuus est secundo Regum sexto capit. sic igitur si conaretur quis accedere ad latus arcæ ad detrahendum ibi librum legis, vel ponendum aliquem alium, quia hoc valde illicitum erat, moreretur: videbant tamen populares, quod sacerdotes, de quolibet septennio in septennium educebant librum de latere arcæ, & non ladebantur, ideo necessarie concludebant, quod ille esset vere liber legis, quem manus sua scripsit Moyses. De lapide autem magno, quem posuit Iosue sub arbore non erat sic, quia in illo nullum signum erat, secundum quod probaret. Nec differebat lapis ille in aliquo ab alijs lapidibus: ideo licet quis assereret positum fuisse illum in testimonium huius rei, alii negarent, & nulla esset probatio.

C Respondendum est, quod iste lapis non probabat, sed erat quoddam signum, vel memoriatum, scilicet, quod quando viderent Israelitæ illum recordarentur foederis initium cum Deo tempore Iosue. Iste modus fuit in altare, quod construxit Moyses in Raphidim in memoriam deletionis Amalechitarum, & de titulis positis in monte Sinai, & de altari, & de lapidibus, in quibus sculptum fuit Deuteronom. & de 12. lapidibus aluei Iordanis, & alijs 12. lapidibus Galgalæ, de quibus supra diximus. Nam haec omnia erant quædam signa memorativa: non tamē crant sufficientia, & aperta testimonia. Et sic lapis iste fuit positus in testimonium, id est in signum.

Quod audieritis verba domini, que locutus est vobis. Id est, quod iuraueritis obdire illis, & obseruare, & super hoc foedus inieritis. Nam si solum intelligatur de auditu verborum nihil proderat, quia quotidie illa audiebat: & dato, quod audiuerint, nihil ex hoc sequebatur, si aliquid amplius non fuisset: sed intelligendum est de auditu, & foedere, de quo hic agebatur, & huius signatuum ponebatur lapis. In Hebreo habetur.

Quod audierat verba domini, que locutus est vobis. Id est, iste lapis erit testis corum, quæ hic gesta sunt, quia ipse audiuit verba domini, quæ locutus est vobis, scilicet verba legis domini, quæ recitauit Iosue coram Israelitis, & iudicia atque præcepta, quæ ipse proposuit. Dicunt enim Iudei quidam, quod realiter iste lapis audiuit tunc verba illa, & hoc miraculosum. Sed falsum est, atque impossibile: quia nec per miraculum, nec sine miraculo lapis audire potest dum lapis manet: includit enim contradictionem, quia nihil audire potest, nisi potentiam habeat audituam etiam miraculose, sed lapis etiam per miraculum non potest habere potentiam audituam, ergo non potest audire: bene enim Deus potest de lapide hominem facere: sic dicit Ioannes Baptista, ut patet Matth. 3. cap. scilicet dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios

Abrahæ. Et non immerito, quia qui de homine subito lapidem facit, poterit subito lapidem in hominem conuertere. Sic factum est de vxore Loth, quæ quia respexit retro contra mandatum Angelorum versa est illico in statuam salis Gen. 19. c. si autem de lapide Deus hominem fecit iam iste audiet, quia homo est, sed dum manet in esse lapidis impossibile est, quia ad audire requiritur potentia auditiva: ubi autem est potentia auditiva, necessario est anima, quia potentia ista est virtus animæ: ubi autem est anima, est animal: ergo lapis si audiret, esset animal.

Dicendum ergo, quod per miraculum Deus poterat facere lapidem audire, scilicet quod fieret lapis homo, & quod tunc audiret, quod tamen lapis manens lapis audiat, impossibile est. Debet ergo intelligi litera Hebraica, sicut exposuit litera nostra, scilicet quod audieritis verba domini: nam modus loquendi Hebraicus est nimis impolitus, & impropus: & interdum mutantur ibi personæ inconcinne contra totam Latinitatis consuetudinem: ideo si in Latinū sic verteretur, esset quid prorsus abiectione dignum: ideo Hieronymus in libro, de Optimo genere interpretandi ad Pamachium, ait, quod optimum genus interpretandi est, non semper verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferri.

Ne forte posse a negare velitis. Scilicet dicentes, quod non audiuitis ista verba: sed ad hoc, ut supra dictum est, non erat sufficiens testimonium lapis iste, sed erat aliquale signum: ideo cum Israelitæ illi viderent recordaretur foederis initii, & nolent negare, quod gestum erat: sufficiens tamen testimonium huius erat scripture facta in volumine legis, quia ibi expressa erant omnia gesta, ut patet ex supra dictis.

Et mentiri domino Deo vestro. Id est, mentiri contra dominum, scilicet quia istud mendacium contra dominum erat in damnum, vel offensam ipsius solius, quia per hoc quod negabant haec, volebant se subtrahere ab obligatione, quæ inducta fuerat per foedus initium de seruando legem, quod erat ad cultum Dei exaggerandum.

Dimisitq; populum singulos in possessionem suam. Id est, postquam facta sunt haec Iosue dimisit populum, id est, dedit omnibus licentiam recessi, & ierunt singuli in possessiones suas.

Ex hoc patet, quod non sit haec recapitulatio, scilicet quod id, quod ponitur hic fuerit ante id, quod habetur supra 18. cap. Nam ibi nondum erat diuisa terra per fortates, nec habebat Israelitæ determinatas possessiones, cum hoc factum fuerit post fortates missas. Sed hic iam populus habebat distinctas possessiones, cum ierit quilibet in possessionem suam, ergo istud post illud, quod habetur supra decimo octavo capitulu factum est, & non est hic aliqua mutatio ordinis.

Et post hæc mortuus est Iosue filius Nun seruus Domini, centum decem annorum: sepelieruntque cum in finibus possessionis sue in Thamnathare, que est sita in monte Ephraim, & septentrionali parte montis Gass. Seruiuitque Israel domino cunctis diebus Iosue, & seniorum, qui longo vixerunt tempore post Iosue, & qui nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat in Israel. *Exo. 13.*
Offa quoque Ioseph, qui tulerant filij Israel de Aegypto, *qui 13.*
sepelierunt in Sichem in parte agri, quem emerat Iacob *9. Ioseph*
à filiis Hemor patris Sichem, centum nouellis ouibus, & *c. Heli-*
fuit in possessionem filiorum Ioseph. Eleazar quoque filius Aaron mortuus est: & sepelierunt eum in Gabaath Phinees filij eius, quæ data est in monte Ephraim.

Et post hæc. Hic ponitur secundum principale, in quo mors ducis adiungit: & dicitar. *Post hæc mortuus est Iosue.* An mortuus fuerit Iosue magno tempore post istam concionem, vel breuiter, patere non potest.

Constat tamen, quod ista fuit ultima concio, quam ipse fecit ad Israhitas, de his, quæ scriptæ leguntur. Nam ista fuit propinquior morti Iosue, quam ea, quæ habetur in præcedenti capitulo. Illa autem fuit facta post introitum in terram Chanaan anno vigesimo septimo, nam dicit Iosephus antiquitatem libro quinto, quod Iosue fecit illam admonitionem anno vigesimo postquam Rubenitæ, & Gaditæ construxerunt altare apud Iordanem: quod ad minus fuit septem annis post introitum in terram Chanaan: nam ab introitu usque ad diem, quo Caleb petiit sibi dari hereditatem

Hebron,

D

E

F

An
nunc
fuerit
mor-
tuus
Iosue.

A Hebron, transierunt fere anni septem, vt probatur ex supra decimoquarto capit. constructio tamen altaris postea fuit, & sic ad minus illa concio, vel admonitio esset annis vigintiseptem post introitum in terram Chanaan: fuit autem haec post illam aliquanto tempore. Iosephus vult è contrario, scilicet, quod istud factum fuit ante illud, quod habetur supra decimoquarto capit. sed non multo conuenit praecedenti literæ, quanquam esset defensabile, & tunc exponeretur litera superior, scilicet, quod Iosue dimisit singulos in possessionem suam, id est, in terrā, in qua habitabant, quia licet nondum esset terra diuisa per septem annos, morabantur Israelitæ in urbibus quas ceperant, singuli vbi volebant, & istæ poterant vocari possessiones suæ, sed melius est contrarium.

Quid Iosephus de more Iosue

B De Iosue dicit Iosephus quinto antiquitatum: Iosue Israelitas admonens defunctis est, cum vixisset annis centum decem, quorum cum Moysè quidem de doctrina utrum rerum moratus est quadraginta dux autem post illius mortem sex, & viginti fuit, vir nec sapientia indignus, nec eorum, quæ cogitabat, vt multa sapienter edisceret inexpertus: sed vbiq; summas, & ad opera, periculaq; magnanimus, audax atque verbo bella disponere, & in pace dextere, & in omni tempore præcipua virtute conueniens. *Filius Nun.* Istud ponitur ad notificandū, quod alij vocabantur hoc nomine: fuit autem istud nōmē Salvatoris nostri: nam sicut ex Iosue in Hebræo, ita Saluator nōster vocatus est, & sic Christus vocatur Iesus, & ita iste secundum formam Latinam vocatur, vt patet Ecclesiasti. 46. cap. scil. fortis in bello Iesus Nave. Et ad Hebreo quarto capit. vocatur Iesus. *Servus domini.* Vocatur seruus Domini, quia specialiter dominum coluit, zelatus est legem illius.

Mos. an. tiquorū sepelienti di mortuorum.

Centum decem annorum. Secundum computationem Iosephi supra positam, necesse est, quod Iosue cum exiuit de Aegypto esset annorum quadraginta quatuor. Et postea moratus est quadraginta annis cum Moysè in toto tempore, quo fuerunt Israelitæ in deserto, & istud tempus fuit ad doctrinā rerum utrū, scil. ibi didicit principiari sub disciplina Moyssi, post introitum in terram Chanaan vixit annis 26. & his fuit dux populi.

C Sepelierunt eum in finibus possessionis sue. Id est, in quodam agro suæ possessionis. Antiquitus enim quilibet sepeliebatur in fundo suo, vel illi, qui erant de eadem progenie accipiebant unum fundum, in quo omnes sepelirentur, & ille erat iam locus sacer, & vocabatur religiosus secundum leges humanas: nec debebat transferri ad alios vissus, sic enim Abraham emit ab Hemor, vel Hephron Hetheo agrum quendam ad ius sepulchri apud urbem Hebron, & ibi sepultus est ipse cum vxore sua: Gen. 23. capit. ibi postea sepulta fuit tota cognatio eius. Nam filius eius Isaac cum vxore sua, & Iacob nepos cum Lia sepulti sunt ibi: Gen. 49. cap.

In Thamnathare. Ista erat ciuitas, in qua mortuus est Iosue: nam fuerat ei data in possessionem, quia postquam diuisa est tota terra Chanaan per fortis, petiti Iosue dari sibi urbem Thamnathare, & dedit ei illam populus, vt patet supra 19. c.

Quæ sita est in monte Ephraim. Et erat ista ciuitas in monte Ephraim, quia erat Iosue de tribu Ephraim, vt patet Numeri decimotertio capit. quilibet autem accipere debebat possessionem inter eos, qui erant de tribu sua, ideo ipse accepit in forte Ephraim, & erat in monte Ephraim ista ciuitas, quia fors Ephraim erat pro maiori parte montuosa, & ideo vocatur mons Ephraim.

A septentrionali plaga montis Gatas. Iste mons enim est in forte Ephraim, nec respectu huius montis erat ciuitas Septentrionalis. Seruiturque Israhel domino cunctis diebus Iosue. Scilicet, non declinauerunt ad idola, totus enim bonus status Iudeorum erat in non declinando ad idola, sed si hoc facerent cetera peccata erant remissibilia faciliter, sed circa hoc erat Deus valde æmulator. Tempore autem Iosue seruivit totus Israhel Deo, scil. non declinando ad idola, nec transgrediendo aliquam de legibus eius, eo quod Iosue erat valde vigilans circa legis custodiā, & frequenter vocans Israelitas in concionem, vt seruarent: si quis autem contra legem Dei contumax existeret acerrime vindicabat: quod patet, quia cum duæ tribus, & dimidia altare construxissent, quod idolatria signum videbatur contra eas bellum instituebat, nisi se de suspicione huius facinoris excusassent.

D Et seniorum qui longo tempore vixerunt post Iosue. Non solum Israelitæ coluerunt dominum nihil declinantes tempore Iosue, sed etiam tempore seniorum, qui secuti sunt cum quia illi nouerant opera Dei, ideo zelabant cultum eius.

E Aliqui dicunt, quod isti seniores fuerunt iudices, qui successerunt Iosue, & tempore eorum Israelitæ coluerunt dominum non declinantes ad idolatriam, sed antequam iudex aliquis esset declinauerant ad idola, ergo non vocantur illi hic seniores. Quod patet: quia iudices surgebant in Israel, quando opprimebantur Israelitæ ab hostibus, & accipiebant aliquem supra se, vt pro eis pugnaret contra hostes: sed Deus non tradebat Israelitas in manus gentium, nisi cum coluisserent Deos alienos, ideo ante quemlibet iudicem colebant Israelitæ idola. Quod patet ex processu libri Iudicum. Nam primus iudex fuit Othoniel, vt patet Iudicum tertio capit. iste tamen pugnauit contra regem Chusonratfathaim, qui premebat Israelitas postquam idola coluerant, vt eodē cap.

Qui fuerunt isti seniores, & quanto tempore durarunt, qui post obitum Iosue remanserunt.

Q V A E S T I O XXI.

QUÆRET ALIQUIS, QUI SENIORES FUERUNT ISTI, & QUANTO TEMPORE DURAVERUNT. RESPONDENDUM EST, QUOD CUM ISTI SENIORES NON SINT IUDICES, VT PROBATUM EST SUPRA, SED FUERUNT POSTEA IUDICES, NECESSARIUM EST, QUOD FUERINT INTER MORTEM IOSUE, & PRIMUM IUDICUM. NON EST AUTEM INTELLIGENDUM, QUOD ISTI SENIORES SUCCESSERUNT IBI PER ORDINEM, ITA QUOD VNUIS DE ILLIS REGERET ALIQUO TEMPORE POST MORTEM Iosue, deinde alio defuncto aliis succeederet, & sic transirent multi. Nam ad hoc multum tempus esse necesse erat, quo isti seniores regerent: sed falsum est, quia vt infra declarabitur, inter mortem Iosue, & principium Iudicum paucum effluxit tempus: sed dicendum, quod isti erant aliqui viri senes valde honorabiles in populo, qui erant tempore Iosue: eo autem defuncto superuixerunt aliquanto tempore, & in illo non permiserunt declinare populum ad idola, quia ipsi erant valde æmulatores legis, & populus reuerebatur eos, quia erant nimis honorabiles in populo: Iste autem omnes seniores fuerunt coetanei Iosue, & fuerunt in deserto, & forte multi eorum egressi sunt de Aegypto, & hic appetet, quia dicitur infra, quod isti nouerant omnia opera domini, quæ fecerat in Israel, scil. quia viderant illa, & ista erant mirabilia, quæ egit tam in deserto, quam post introitum in terram Chanaan, & isti seniores fuerunt simul, scil. quod modicum superuixit vnuis alio, & quanquam dicatur hic, quod post Iosue vixerunt longo tempore, tamen non fuit istud tempus valde longū, quia forte non fuit ultra viginti, vel vigintiquinq; annos, quod patet quia Othoniel fuit primus iudex Israhel, vt habetur Iudi. 3. cap. & antequam ipse fieret iudex, seruierant Israhelitæ idolis aliquanto tempore, & post hæc traditi in manus Chusonratfathaim, & seruierant ei annis octo, eodem capit. sed iste Othoniel fuit tempore Iosue, & erat tunc vir bellator, scil. in introitu in terram Chanaan, & quando diuisa est terra: ipse quoq; tunc accepit urbem Cariathsepher, vt patet supra 15. capit. ergo modicum tempus fuit inter mortem Iosue, & iudices. Item patet, quia à morte Iosue usque ad finem principatus Othonielis, qui fuit primus iudex intercederunt anni quadraginta solum: nam quadraginta annis dicitur quicunque terra Iudicum tertio capit. est autem consuetudo in computatione Iudicum temporum, vt non solum quantum durauerint ipsi iudices describatur, sed etiā totum tempus præcedens à morte præcedentis iudicis computando tempora media, quæ fuerunt sine iudice: quod colligitur tertio Regum sexto capit. vbi ponitur quod tempus fluxit ab exitu de Aegypto usque ad constitutionem templi Salomonis, & computando tempora iudicum, & regum, & tempus deserti atq; principatus Iosue reperitur tota illa summa annorum, quod non est, si in temporibus Iudicū non computarentur tempora media, quæ fuerunt sine iudicibus: necesse est ergo q; computando totū tempus, quo Othoniel iudicauit Israhel, & octo annos, quibus ante hoc Israhelitæ seruierunt regi Chusonratfathaim, & aliquantulū tempus, quo ante hoc coluerunt idola cum reliquo tempore, quod à morte Iosue usque

A vñque illud fluxit, solum fuerint quadraginta anni, alioquin necesse esset, quod in summa annorum, quæ habetur tertio Regum sexto capit. reperirentur plures anni: sed isti seniores, qui fuerunt post Iosue fuerunt ante principatum Othonielis, & ante octo annos, quibus Israel seruinit Chuson regi, & antequam colerent idola, ergo tempus eorum non durauit post mortem Iosue, nisi viginti annos, aut parum plus: vocatur tamē istud hic longum tempus. Hoc idem habetur Iudi. 2.c.

B *Et qui nouerant omnia opera domini, que fecerat in Israel.* Id est, qui cognoscabant omnia mirabilia, quæ fecerat Deus pro Israelitis, scilicet, quia forte isti egressi sunt de Ægypto: minores tamen viginti annis, horum enim multi in terram Chanaan introierunt, & isti in Ægypto viderunt signa, quæ fecerat Deus pro Israelitis percutiendo Ægyptios, & apertio- nem maris rubri: omnia quoq; miracula, & beneficia collata in deserto insuper magnificas multiplicesq; victorias contra Chananeos habitatores terræ. Et dicitur, quod nouerant omnia opera Domini, quia Israelitæ erant rudes, & non mouebantur ad cultum Dei, nisi per beneficia, & quia quanto plura beneficia receperant, tanto magis obligati erant, illi qui plura beneficia Dei viderant magis amulabuntur legem Dei, & sic fuit de istis senioribus, quia ipsi viderant omnia beneficia Dei super Israelitas, ideo magis quā cæteri ad omnium colendū cerebantur. *Ossa, Ioseph.* Hic ponitur quoddā incidentis, scil. de sepultura Ioseph: sancti enim patres, qui in Ægypto mortui sunt desiderauerunt sepeliri in terra Chanaan vnde Iacob mortuus est in Ægypto, sed commendauit filio suo Ioseph, quod duceret cadaver eius in terram Chanaan ad sepulchrum patrum suorum: quod factum est Gen. 40. capit. Ioseph autem priusq; moreretur adiurauerat Israelitas, vt quando ascenderent de Ægypto aportarent secum ossa sua, vt eodem capit. Moyses autem ob hoc iuramentum accepit illa, & eduxit de Ægypto ductaq; sunt quadraginta annis per desertum: Exodi decimotertio capit. Cum autem introierunt ossa Ioseph immediate, sed postea acquisita terra de manu hostium sepelierunt ea in loco suo.

C *Quæ tulerant filii Israel de Ægypto.* Moyses portauit illa ipse quæ inquisiuit, quia tunc duxit ea propter iuramentum, quod fecerant omnes Israelitæ. Dicitur qd portauerunt filii Israe-

Sepelierunt in Sichem. Ista est ciuitas quædam, quæ fuit data sacerdotibus supra 21. Et facta est vna de ciuitatibus refugij supra 20. capit. Quaræt aliquis quare ossa Ioseph magis sepulta sunt in Sichem quam in alio loco.

D Respondendum est, quod semper fuit hoc apud antiquos tam gentiles quam Hebreos, quod locus, in quo cadavera tumulabantur, sacer esset, & non transiret ad alias vñs prophanos, & si quis intulisset cadaver in fundum alicuius, faciebat illum sacrum, & quia si ossa Ioseph sepulta fuissent in aliqua parte terræ Chanaan, quæ postea peruenisset in sorte alicui tribui, de qua nō esset Ioseph, siebat grauamē quoddā illi tribui, quia tollebat ei illa pars terræ, vel fundus, vbi sepulta essent sacer: debuerunt sepeliri in terra, quæ pertineret ad sorte alicuius de tribu Ioseph, scil. Ephraim, vel Manasse: sicut fuit de Sichem, quia fuit in sorte Ephraim, vt patet sup. 20. Sed tunc dicetur, cum essent multa alia loca in sorte Ephraim, & Manasse, quare magis in vrbe Sichem quā in alijs.

E Respondendum est, qd hoc fuit, vt sepeliretur Ioseph in eo, quod maxime erat suū, pertinebant autē ad Ioseph duæ sortes in terra Chanaan, scil. fors Ephraim, & Manasse, sed hoc erat generaliter, scil. de iure generali, scil. quia etiā ad quemlibet de fratribus eius, scil. Ruben, Simeon, Iudā pertinebant aliquæ sortes, specialiter autē pertinebat ad Ioseph aliud alterum, scil. ager quidā apud vrbum Sichem: nam quando Iacob testamentaria dispositione ordinauit statū filiorū suorū, adoptauit duos filios Ioseph, scil. Manassem, & Ephraim, vt acciperent duas sortes, & cōputarentur tanquā duo filii Iacob, vt patet Gen. 48. deinde tradidit Iacob specialiter Ioseph partē agri, quā emerat apud Sichem, scil. do tibi partē vnam extra tuos fratres, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo, eodem cap. Magis ergo debuit sepeliri in agro illo quā in aliquo alio loco, quia nil Ioseph tam specialiter pertinebat sicut ille ager: nam cetera, quæ erant in duab' sortibus Manasse, & Ephraim, pertinebant ad eum vnicō iure, & generali, ager autē iste pertinebat duplii iure, scil. primo iure generali in quantum erat quædam pars alicuius harum for-

tium: secundo iure speciali in quantum Iacob pater suus specialiter legauerat ei partem illam: ibi ergo debuit sepeliri. Et ob hoc Israelitæ nō sepelirent ossa Ioseph, quoq; capta terra Chanaan de manu hostium, atque diuisa incepit possideri Sichem à tribu Ephraim, & tunc isti, quia erant filii Ioseph incepserunt possidere terrā, & sepelierunt ossa patris sui ibi.

F *In parte agri, quam emerat Iacob à filiis Hemor.* Iste erat quidā ager apud vrbum Sichem, quem emit Iacob, quando venit de Mesopotamia, & cōcepit habitare apud Sichem, in quo agro habitauit, & habebat loca pascendi oves, & exercendi agriculturā, quia erat magnus ager diei emptus iste à filiis Hemor, id est, à subditis eius. Hemor enim erat nōmē regis Sichem: vt patet Gen. 34. cap. aliqui enim de Sichimitis vendiderunt agrū istum Iacob, & isti vocātur filii Hemor, sic dixit Hepheron, Hethæus, Abrahæ agrū tradō tibi, & speluncam, quæ in eo est præsentibus filiis populi mei Gen. 23. cap.

G *Patris Sichem.* Hic potest accipi Sichem duplicitate, scil. pro nomine vrbis, & pro nomine viri: nam filij regis Hemor vocabatur, sicut ciuitas sua, scil. Sichem, vt patet Gen. 34. cap. scil. quod cum vidisset Sichem filius Hemor principis terræ. Vtq; modo potest hic accipi, scil. qd sit nōmen viri, quia iste Hemor de quo hic dicitur, erat vere pater Sichem: nominatur autē hic iste iuuenis, quia iste est famosus in scriptura, scil. quia oppressit Dinam filiā Iacob: propter eum destructa fuit vrbs Sichem, vt patet præalleg. capi. vel accipitur pro vrbe, & tunc est verū, quod Hemor erat pater Sichem, id est, dominus vrbis Sichem: sic accipitur supra immedietate, scil. quod emit Iacob istum agrum à filiis Hemor & vocantur filii Hemor subditi sui, sic etiam accipitur Gen. 33. cap.

H *Quomodo dicitur hic, quod Iacob emit hanc partem agri in Sichem.*

Q U E S T I O N A R Y X X I I .

I *VÆRET* aliquis quomodo dicitur, hic quod Iacob emit istam partem agri, quia ipse dixit, quod ceperat eam de manu Amorrhæi, vt patet Gene. 48. scilicet, dō tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.

J Respondendum est, qd ista pars agri empta fuit, quia quando venit Iacob de Mesopotamia in terrā Chanaan apud Sichem nō habebat in terra illa locū habitandi, & pascendi greges: ideo emit partē agri à Sichimitis: sic patet Gen. 33. c. scil. habitauit iuxta oppidum, emitq; partem agri in qua fixerat tabernacula à filiis Hemor patris Sichem. Dixit tamen Iacob, qd acceperat illam de manu Amorrhæi in gladio, & arcu, quia quando filii sui dolose occiderunt omnes viros Sichimitas, omnes Chananei, qui habitabant in circuitu terræ illius congregati delere volebant Iacob, & domū suam: sed timor domini irruit super habitatores terræ illius, & nō aīsi fuerunt hoc facere Gen. 34. c. & 35. & tunc obtinuit Iacob in gladio, & arcu non solum illā partem, quā emerat de agro, sed etiam totam Sichimam. De hoc declaratū est magis Gen. 34. cap.

K *Centum nouellæ ouibus.* Scil. ager erat magnus, & dedit Ioseph centum oves nouellas pro illo, vocantur oves nouellæ patuæ etatis, scil. vnius anni: & hoc magis declararur Gen. 33. vbi dicitur, qd emit agrum istum centū agnis. In Hebreo dicitur centū obolis, vcl. sicles, sed ad idem reddit, litera tamē nostra posuit id, quod datum est: litera autē Hebraica posuit æstimationem: fuit enim secundum veritatē cōmutatio facta in ouibus: nam Genes. 33. cap. dicitur sic, & litera nostra sic transtulit, quia ibi sic habebatur: ponuntur tamen in Hebreo centum sicles, vel oboli: quia centum nouellæ oves, vel agni valebant centum sicles. Quod patet, quia vñus aries inter Hebreos cōmuuniter valebat duos sicles, vt patet Leu. 5. agnus autem esset, sicut dimidium arietis in valore, ideo valeret vñus agnus vnum sicles, & ponuntur in Hebreo centum sicles pro centum agnis, vel nouellis ouibus.

L *Et fuit in possessionem filiorum Ioseph.* Id est, ager iste fuit in possessionem, & sorte filiorum Ioseph, quia iste ager erat in possessione Sichem apud vrbum Sichem, vt patet Gen. 33. c. vrbs autem Sichem fuit in sorte Ephraim, vt patet supra 20. & 21. & Ephraitæ erant de filiis Ioseph, ideo fuit in possessione filiorum Ioseph: ponitur autem hoc ad signandum, quod Ioseph fuit sepultus inter suos: no enim decebat, quod sepe- liretur in sorte alterius tribus.

A Eleazar quoque filius Aarón. Hic enarratur aliud incidentia temporale, scilicet, de morte Eleazari. Iste enim fuit mortuus eo tempore, quo Iosue, & exprimitur de hoc, quia sicut Iosue erat princeps populi, ita etiam Eleazar erat princeps magnus: nam erat summus sacerdos, & ex hoc in toto populo honorabilissimus, ideo cum de morte Iosue actū sit, agitur de morte illius. Item pertinebat nimis ad Iosue, quia Deus dederat eum Iosue in coadiutorem, scilicet, quod consuleret Eleazar dominum pro eo, ut patet Num. 37. scilicet, pro hoc siquid agendum erit, Eleazar sacerdos consulat dominum: iste Eleazar fuit summus sacerdos secundus: nam ante hoc Aaron pater eius solus suscepit summum sacerdotium, & fuit iste factus pontifex per Moysen moriente Aaron patre suo super montem Hor anno quadragesimo ab exitu de Ægypto, ut patet Num. vigesimo cap. Introiuit autem iste in terram Chanaan, & ipse, & Iosue fuerunt præcipui inter diuisores terræ Numer. 34. cap. & supra 14.

B Et sepeliuit eum in Gabaat filius eius Phinees. Ista fuit ciuitas, in qua habitabat Eleazarus, quia datus fuerat ei iste locus in possessione: . Et dicitur, quod sepeliuit Phinees Eleazarum, quia cum esset filius eius ipse debuit esse præcipuus circa honorem sepulchri paterni. Iste Phinees fuit summus sacerdos immediate post patrem suum Eleazarum, & iste ministrabat in Silo coram domino eo tempore, quo omnes tribus Israhel pugnauerunt cōtra tribum Beniamini propter viros Gabaa, ut patet Iudicum 20. capit. Dicit etiam Iosephus quinto antiquitatum, quod iste prophetauit, & denunciauit, quod tribus Iuda deberet habere ducatum in pugna contra Chananæos, de quo Iudicum primo capitulo, fuit autem iste tertius summus sacerdos.

Quomodo dicitur, quod Phinees sepeliuit Eleazarum, cum esset summus pontifex.

Q V A E S T I O XXIII.

V A R E T aliquis quomodo dicitur hic, quod Phinees sepeliuit Eleazarum suum patrem, quia non licebat ei sepelire illum, nec ire cum honorantibus funera patris, quia sic contaminaretur: non licebat tamen ei, quia Deus vetuerat summo sacerdoti contaminari in morte alicuius: vnde Leuitici 21. cap. dicitur, quod pontifex ad omnem mortuū non ingredietur: super patre quoque, & matre non contaminabitur, nec egredietur de sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini. Phinees tamen erat summus sacerdos, ergo non licebat ei sepelire patrem.

C Respondendum est, quod postquam quis consecratus erat in summum sacerdotem, nō licebat ei exire ad mortuū, nec super patrem, & matrem: prius tamen quam consecratur licebat. Sic patet Leui. 21. scilicet pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres, super cuius caput fūsum est oleum unctionis, & cuius manus in facie dotio consecratæ sunt vestitusque sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, ergo prius debebant ista facta esse in eo quam prohiberetur contaminari super patre, & matre, & patet magis, quia dicuntur ibi immediate, quod oleum sanctum unctionis Dei sui fūsum est super caput eius. Sed antequam esset consecratus in summum sacerdotem, non fiebat aliquid horum, ideo non stabat prohibitio: sed Phinees nondum fuerat factus summus sacerdos ergo non erat prohibitus hæc facere. Hoc patet, quia viuente uno summo sacerdote nunquā alias ungebatur, ne unquam contigeret esse duos summos sacerdotes: sicut apud nos existente uno summo pontifice, non eligitur alias.

Sed tunc arguetur, quod quanquam nondum esset Phinees summus sacerdos, tamen consecrandus erat mox post patrem suum, si tamen pollueretur super mortuo erat im-

mundus, & non poterat consecrari, ergo non licebat ei iuper patre pollui sepeliendo eum.

Respondendum est, quod Phinees siebat immundus sepeliendo patrem, vel comitando funera: ista tamen immunditia nō erat perpetua, ideo non excludebat à summo sacerdotio, sed retardabat. Ista immunditia super mortuo durat per septem dies, quousq; fiant legales purifications, & tunc est homo mundus, nec vetatur accedere ad aliquid sacram: sic patet Num. 19. cap. De Phinees autem sic futurum erat, quod non poterat immediate post mortem patris consecrari, sed finitis septem diebus immunditia sua consecrarent eum sacerdotes alij minores. De ritu autem consecrationis sacerdotis magni patet Exodi 29. & Leui. 9. A quo autem summus sacerdos vngi debeat, & de successione summorum sacerdotum multorumque aliorum expositione circa hoc declaratum est Numeri 20. cap.

Quae data est in monte Ephraim. Id est, ista ciuitas Gabaad, in qua habitauit Eleazarus pontifex, & sepultus est, erat in forte Ephraim: sacerdotes enim & Leuitæ non habebant forte terræ cum alijs tribubus, sed in qualibet tribu datae sunt eis aliquæ vrbes, de quibus patet supra 21. vrbs autem ista, in qua morabatur Eleazarus erat in forte Ephraim. Et dicitur esse in mōte Ephraim, quia tota terra Ephraim, vel pro maiori parte erat montuosa, & sic quandocunq; nominatur terra Ephraim nominatur mons Ephraim.

Sed aliquis dicet, quod non erat in monte, quia non erat ista de vrribus, quæ datae sunt sacerdotibus de forte Ephraim: fuerant enim quatuor, quarum nomina habentur supra 21. capit. sed nulla earum est: etiam primo Paralip. sexto capit. ponuntur vrbes quas singulæ tribus dederunt sacerdotibus, & Leuitis: sed inter vrbes quas dederunt Ephraim non ponitur ista vrbs.


Respondendum est, quod ista est vna de quatuor vrribus quæ datae sunt de tribu Ephraim: tamen non nominatur inter illas sub hoc nomine supra 21. capit. & hoc, quia multotiens eadem ciuitas est multinomia: sicut patet de hac vrbe Hebron, quæ vocatur Cariatharbe, & Hebron supra decimoquarto, & vigesimoprimo capit. & Ierusalem multa nomina habet. Huiusmodi autem probatio est, quia cum supra 21. Ponantur quatuor vrbes de tribu Ephraim, & primo Paralip. sexto capit. ponantur eadem vrbes, tamē non ponuntur sub eisdem nominibus vtrobique: sic ergo verisimile est nomen huius vrbis vtrobisque esse mutatum.


Chro-
nica
tempo-
rum.


Chronicam autem temporalium successionū perstrictim cum his quæ enarrantur in sacra Scriptura iungendo historias gentium ex 12. capit. Genesios describere inchoauerimus ibi, vbi locus exigebat, hoc autem usque ad 14. capitul. Exod. deducetur est, post quod in libris intermedij nulla descriptio facta est, quia omnes isti libri sunt Sinchronon, id est, contemporanei: repetere tamen quasi quodam postliminio in hoc libro Iosue ibidem insitueramus, sed quia nondum de Iosue hic cessatur, sed adhuc aliquid est in duabus primis capitulis libri Iudicum, in fine secundi tota intercepta substringetur historia.

F L I C E T in quibusdam ultra id, quod disposueram, nec tamen inutiliter, aut secus quam rei ipsius, de qua agebatur, conditio exigebat, libri huius Iosue secretas parvulis encleando medullas digressus sim, non cuiuscunque arbitrio me reprehensionem meruisse: nam si quis penitus breuitati studeat in expositionibus, necesse est, quod exponitur, non prorsus expositum, relinqu: magnisque ob hoc existere ambiguities: nam iuxta illud Horatianum: Obscurus fidum brevis esse labore. Ceterum autem de qualitate operis in singulis, vt veritas se habet, secusve actum sit, cuiusuis patiar correctionem, dum tamen correctio dici me-
reatur, scilicet, quia fraterna sit, oblatrantium autem mordacitatem exclusam esse volens.









Signt. Top.

Est. 22

Tab. A

Num. 8

AL SI

POSTIATI

Hippani
Abulensis

Episcopi.

OPERA
Tomi C.

Pars I. it 2
Continens
Communitia

AD. em

. et 2. P.

Iofue

Georg

Georg

A. 22. 4961